THEOLOGIA
BELLICA.
TOMI DUO.



Schaffhauser . sculpsit . Aug. Vind.

THEOLOGIA BELLICA,

Omnes ferè difficultates ad Militiam tùm Terrestrem tùm Maritimam pertinentes complectens; atque Canonicè, Juridicè, Moraliter, nec non Historicè dilucidans;

IN OCTO LIBROS DISTRIBUTA.

Quorum quatuor in hoc primo Tomo: Reliqui verò in secundo continentur.

OPUS

Non tàm Bellatoribus, sive Reges, & Principes sint, sive Officiales, & Milites privati; quàm Pacificis, tùm Confessariis, tùm Pœnitentibus; U. J. Peritis quoque, præsertim Forum Ecclesiasticum Profitentibus, in utroque Judicio, interno scilicet, & externo, perutile: Utpotè variis, novis, & propemodùm innumeris, in quâvis materiâ difficultatibus, in praxi frequentissimis, & quotidianis, clarè, & succinctè resolutis, ornatum.

CUM TRIPLICI INDICE.

AUCTORE

P.D. Antonio Thoma Schiara Astensi, Cler. Reg.

Sacræ Theologiæ & Jurium Professore, Sacræ Indicis Congregationis Consultore, & Sanctæ Romanæ, ac Universalis Inquisitionis Qualificatore.

TOMUS PRIMUS.

Post Editionem Romanam, Prima in Germania.

Cum Gratiâ & Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ,
Apud JOANNEM CASPARUM BENCARD.
Anno M. DCCVII.

SANCTISSIMO,
AC BEATISSIMO PATRI,
ET DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XI.
PONT. OPT. MAX.

BELLA, PATER BEATISSIME, crebrò premere hostilia, atque bellantium effrænem undique debacchari licentiam, bellisque propterea gemitus exoriri, sanguinem fundi, incendia excitari, rapinas sequi, Civitates everti, Provincias devastari, desolari Regna, Principum juribus derogari; quodque lacrymabilius est,

eſt, graſſari vitia, deprimi virtutes, Religionem peſſundari ; uno verbo, ſupremum Dominatorem, qui [a] Dominus DEUS eſt Exercituum, graviter offendi conſpiciens, Armorum jura ad trutinam legum, rationum, atque exemplorum, rectum bellandi modum omnibus expoſiturus, Angelico Magiſtro docente [b], Clericorum eſſe diſponere, & alios inducere ad bellandum bella juſta, revocavi. Verùm, cui eſſet hoc Opus bellicum offerendum, defenſionem, finemque ſuum certò conſequuturum, mens mea, ubi primùm illud conceperat, non parùm fluctuavit : Ubi verò fuit expeditum, omni evaneſcente perplexitate, non alteri aptiùs deberi, quàm Tibi, BEATISSIME PATER, Chriſti Vicario, viſibili Eccleſiæ Militantis Capiti ; utpotè totius Chriſtianæ Reipublicæ bonum ſingulis exoptandum unicè intendens ; nec non in ipſis pronemodùm Electionis Tuæ ſolemnibus abſolutum, autumavi : ità quoque ejusdem Tuæ Electionis, quæ tota durum certamen fuit, ſpecie exigente. Scimus namque omnes, Virtutes Tuas eò potentiores, quò gradu inter ſeſe heroico magis fœderatas, adversùm Te, Tibi hoſtem, impensè militaſſe : Hiſce enim, poſt illuſtratas Tuæ indefeſſæ mentis acie, Romanæ Aulæ Dignitates, in Sacrorum Electorum oculos, ceù ſplendidiſſimis radiis coruſcantibus, quem ii inter tot dignos ad ſuccedendum INNOCENTIO XII. qui ſanctiſſimè vixit, deligerent, clariſſimè conviderunt. Scimus, Te ad inopinatam Pontificatus oblationem, tàm mente, quàm facie perturbatum, animo ad Cœlum prius, dein vultu ad Auguſtos Fratres converſum, cum Chriſto Domino exclamaſſe [c] : Si poſſibile eſt, tranſeat à me Calix iſte. Scimus, Te expreſſo unanimique Purpuratorum Principum ſuffragio, diutinâ cunctatione, quando vix minimi inſtantis morulam aliâ tempeſtate paſſa eſt anxia Acceptantis ſollicitudo, firmiter reluctaſſe, in profundâ Tuæ mentis humilitate deliteſcentem, magnique Gregorii, eandem in ſe pugnam olim experientis, idem Latibulum exoptantem. Scimus, Te omnium, qui Spiritui Sancto nullatenùs Tibi eſſe reſiſtendum identidèm ingerebant, ſuaſionibus, fervidiſque totius penè Urbis precibus, duriſſimum ſibi vel ſolum Muneris ſummi Apicis repudium pertimeſcentis, onus ſubire coactum, ad conſuetam Ceremoniæ interrogationem ter amaris cum lacrymis, & vehementi cordis palpitatione reſpondiſſe : Durum verbum, Accepto ; ut nempe innueres, & gravitatem ponderis, vel ipſis ſpiritualibus Angelorum humeris planè terribilis, Tibi imponi : & quòd unicâ DEI [d], qui ad aliquod officium deligens quempiam ità præparat, ac diſponit, ut ad quod eligitur idoneus reperiatur, juxta Angelicum Præceptorem, fiducia fretus, tandem aſſentie-

[a] Iſa. c. 6. v. 3.
[b] D. Th. 2. 2. quæ. 40. art. 2. ad 3.
[c] S. Matt. c. 26. v. 39.
[d] D. Th. 3. p. qu. 27. art. 4.

ſentiebas. Scimus, Tuæ Sedis exordio, ingruentia undique Gratulantium agmina, ſummâ quidem, utpotè Tibi ingenitâ, vultûs benignitate, ſed oculis inſimul lacrymantibus, excepiſſe; ut ſcilicèt, tanquàm Regem pacificum, Te totum in pace Compoſitum exhiberes; dùm æquo certamine mæſtitia, & dolor, ob nactam, ſed parem Tuis meritis, ſublimitatem, ferè usque ad mortem Animam Tuam diſcindere nitebantur. Scimus denique, Te magnâ paſſim regurgitante ex interiori illâ pugnâ conceptâ amaritudine, totiès cum Familiaribus proteſtatum, maluiſſe mortem, quàm Tuimet aſſumptionem ad Apoſtolicum illud culmen, undè tanta Tibi videbatur exoriri pugna, & juge Animi Tui Bellum, Pontificatum, Tua Tibi modeſtia futurum portendebat. DEO autem gratias, qui faciet Tibi victoriam [e]: Certamen enim fortè, quod in laudem B. Martyris Clementis enuntiabat olim S. Bernardus, dedit Tibi, ut vinceres; cùm optimè noveris, quoniam omnium potentior eſt, quæ unica Te aſſumpſit, Sapientia: ipſaque Tua humilitas, quæ hanc ingentem Tibi pugnam adornat, victrix ſemper triumphabit [f]: Humilitas etenim, ait D. Chryſoſtomus, maxima munitio; hæc murus inconcuſſus, hæc inexpugnabilis turris: quæ omnia ſanè bellum, & certamen ſonant.

e S.Bern. Serm. de S. Clement.

f D.Chryſoſt. hom. 35. in Gen. tom. 1.

Neque circumſtantiam temporis, quo admiranda ſecuta eſt Electio, ſilentio duco prætereundam: tunc enim potiſſimùm, quo tot Armorum apparatus ubique terrorem Orbi incutiebant, ingens Bellum Italiæ, imò Europæ univerſæ imminebat: quo, ut qui, factâ tranquillitate tot inter rerum diſcrimina, temporumque diſſidia, Principum, Populorumque commoda promoveret, commotas ubique terrarum Armorum procellas ſedaret; & qui erat rerum omnium gerendarum uſu inſtructiſſimus, eligeretur, neceſſitas impellebat, undè concurrentibus, ſummâ pace, & admirabili unione, inter tot adverſa Mundi accidentia, diſcordiam undequàque ſpirantia, ad electionem Sacrorum omnium Electorum votis, hos peculiari Spiritus Sancti, [g] qui Amor eſt, atque Unio, [h] & ubi vult ſpirat, inſtinctu afflatos, non tantùm creditur, ſed etiam palpatur. Sed neque forſitan aberrarem, ſi dicerem, vix ortâ Electione, onereque ſuſcepto Eccleſiæ Militantis ab Electo cuſtodiendæ, terrores militares excitatos fuiſſe, ut pateret, Electum verè eſſe, verèque dici Vicarium Chriſti, quo vix orto, & Eccleſiam Militantem ædificaturo [i], ſubitò facta eſt cum Angelo Multitudo Militiæ Cœleſtis: Cœleſtem quippè Militiam etiam hic fieri omnes admiramur; dum ab altiori Dignitatum vertice, inſpectis vitiorum, errorumque agminibus, adversùs virtutes morales, atque

g S.Greg. homil. 3. in Joan.

h Jo. cap. 3. n. 8.

i S. Luc. c. 2. n. 14.

atque divinas in toto terrarum Orbe militantibus, cœpisti Virtutes Apostolicas, quæ arma sunt Cœlestia, ita militibus Christi Apostolo dicente [k]: Induite vos Armaturam DEI, ut possitis stare adversùs insidias Diaboli, mirificè exercere; Egenos amplissimis Eleemosynis sublevando: Xenodochia non semel invisendo, ibique Peregrinorum pedes summâ cum humilitate abluendo, & osculando; eisdemque recumbentibus amanter inserviendo; infirmos paternâ charitate solando; morientes admirabili pietate ad vitæ immortalis ingressum juvando: sacras in Basilicis Pœnitentium Confessiones patienter excipiendo; cunctisque piè accedentibus Cœlestem Cibum propriis manibus, uti Pastor bonus, administrando; doctissimas, & æquè proficuas, inter Solemnia Missarum, Homilias ad Clerum, & Populum habendo: publicis in Supplicationibus VENERABILE prolixo itinere pedes concomitando; aliaque Christianæ Religionis opera, quæ DEI sunt armatura, indefessè peragendo, tamquàm fuisset Tibi dictum [l]: Esto Vir fortis, & præliare Bella Domini: Sicque adamussim exequendo, quod scripsit Julius Papa ad Episcopos Orientales, relatus in Capitulo [m] Officii nostri; videlicèt, non est Pontifici dissimulare, nec tacere libertas, cui major cunctis Christianæ Religionis Zelus incumbit; coactò quandoque armis insurgere, quibus tamen defendat potiùs, quàm offendat, terrorem incutiat, non feriat; ea ad Te dirigi arbitratus verba Salomonis, ad Hyram Regem Tyri prolata [n]: Tu scis voluntatem David Patris mei, & quia non potuerit ædificare Domum Nomini Domini DEI sui, propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum ejus; proindè non sanguinem, sed DEI gloriam, salutemque sitis animarum; debellare tantummodò satagis iniquitatem, subjicere culpam, superare peccatum, atque fugare discordiàm; vindicare verò justitiam, eamque, solutis compedibus, reddere liberam, ut suum unicuique liberè reddat.

k Ephe. c. 6. n. 11.

l 1. Reg. c. 18. n. 17.

m Causa 24. q. 1.

n 3. Reg. c. 5. n. 3.

Hæ sunt, BEATISSIME PATER, Tui Paterni, & Apostolici Zeli operationes: hæc Tui Pontificatus primordia; bellare nempè, & vincere: Bellare bella Domini, quod est terrarum vitia, & inferorum potestates triumphare, atque comprimere, nè ampliùs adversùs Cœlestium Virtutum agmina bellent. Tibi proptereà Munus bellicum congruentiùs censui offerendum, idemque Te suscipere humillimè deprecari. Quod si pœnam repudii, tanquam culpabile, mereatur, cùm sit infimum, tàm altè conscendere ausum, cùmque bellica contineat, tàm liberè

convo-

convolare ad Vicarium Christi, dicentis o: Pacem meam do vobis, Pacem relinquo vobis: Ne tantum punitionis sentiat rigorem, CLEMENTIS Tui Nominis, quo frontem ejus exornare præsumpsi, Patrocinium, & Clementiam implorat; cùm, juxta Senecam, p Clementia sit Temperantia animi in potestate ulciscendi, vel Lenitas superioris adversus inferiorem in constituendis pœnis; sive, juxta D. Thomam, q Virtus pœnarum moderativa.

o Io. 6. 14.
p Sen. lib. 2. de Clem.
q D. Th. 2. 2. q. 157.

Fave igitur sic insignito Operi, Tuo potiùs, quàm meo, BEATISSIME PATER, bellum ingens summoperè pertimescenti, Mundum ingressuro cum titulo bellico, ut fatiscentibus adversariorum conatibus, sive objectis, sub Auspiciis Sedentis in Excelso Militantis Ecclesiæ Throno, illud, locò proverbii, Tempora nostra, & futura videant, & Roma potissimùm æquè experiatur, quod apud veteres Romanos esse usurpatum, Auctor est Varro: r Romani sedendo vincunt. Certam sanè huic Theologiæ Bellicæ victoriam quovis in certamine firmiter spero, tanto Propugnatore defensæ, robur dubio procul validissimum, ad cuilibet obsistendum, certò consequuturæ à Clementiâ Tuâ, quâ, etiam admonente Spiritu Sancto, s Thronus Tuus roboratur. Victoriam utique omnium tenebrarum expertem, dùm Te, eam defendentem, supremâ ex Militantis Ecclesiæ speculâ, Zelo verè Apostolico ardere, Scientiis profundis, Virtutibus heroicis Mundo universo irradiare, omnes conspicimus.

r Var. de re rust.
s Prov. c. 20. n. 28.

Excipe, PATER SANCTISSIME, hoc qualecunque Opus, quod Tibi etiam jure debitum est, tanquam æternæ meæ Servitutis Tributum, licet summis tuis Meritis impar, ac deberi illud Tibi tua quoque cogit singularis Humanitas; meumque, quo Te semper venerabundus suspexi, ac prosequutus sum, exposcit obsequium, & postulat gratitudo, quæ toties suavibus tot gratiarum vinculis me devinxit.

Interim Deo primitus immortali summas planè gratias refero, qui Te, tot dotibus præstantissimis exornatum, Apostolico Throno, cui insides, destinavit; Dein Urbino tuæ felicissimæ Patriæ, non tàm mente, quàm facilè alacer gratulor, quòd dederit Virum Urbi, Supremum Religionis æquè, ac literarum Antistitem, non tàm dignitate sacrorum, quàm doctrinarum splendore, Mortalium Summum, & Optimum, Maximumque Orbis Pontificem.

Ac

Ac tandem ad Tuos Sanctissimos Pedes, corpore, & spiritu provolutus, supremam Clementiam Tuam humillimè precor; tuam mihi Apostolicam Benedictionem impertire, quâ roboratus, Tomum secundum meæ Theologiæ Bellicæ absolvere, & Sanctitati Tuæ, tributi ratione, pleniorique valeam gratiarum actione, persolvere; quâque dignè infinitam Clementiam Dei exorare votis omnibus queam; ut quos Ipse annos imperio, ac Sapientiâ Tuâ facis aureos, eosdem ad Commune Christianæ Reipublicæ Bonum longævos ille constituat. Romæ Kalen. Junii, M. DCCII.

SANCTITATIS VESTRÆ

Humillimus Servus

Antonius Thomas Schiara, C.R.

LEGERE VOLENTI.

§. I.

BELLANTE ferè toto hisce nostris temporibus terrarum Orbe, Theologiam Bellicam, divino, ut reor, instinctu, temporali, sed magis æternæ, studens paci Bellantium, excogitavi: luci verò eam tradere, tam scientifico, & erudito Sæculo admodùm verebar; nimis quippè erubescens, & summè contremiscens, utpotè minimus omnium, in re adeò difficili, & à meo, & captu, & statu omninò semota, primus, saltem simul canonicè, juridicè, moraliter, & historicè, diffusè, ac certa methodo, manum imponere. Quapropter cum primùm hanc meam de rebus bellicis Ideam conceperam, me justè terrebat prævisa, & inevitabilis Sapientum censura, admirantium, quomodò potuerint Claustrorum paci, & quieti, in studio satis prolixo, bellorum strepitus conjungi: quomodò mentem inter Clericos vitam degentis, & quidem Regulares, quibus non tantùm militare, ut per tot Sacros Canones, sed etiam ipsemet ludus cum armis interdicitur. *Cap. Continebatur, de homicid.* armorum phantasmata irrepserint: quomodò Theologiæ rationem, sive sermonem de DEO, qui pax est, & amor, significanti; teste S. Augustino, *lib. 8. de Civit. Dei, cap. 1.* nomen hoc Græcum interpretante, titulus, sive adjectivum, *Bellica*, diffidia, & odia complectens, possit competere; Me terrebat Operis argumentum, tanquàm ad scientias sæculares, nempè ad jus spectans militare, Clericis considerantem, minimè esse licitum in scientiis sæcularibus erudiri, ut per Tex. *in Cap. Legimus*, *37. Dist.* mihi illo objecto Hieronymi exemplo, qui legitur ab Angelo correptus, eò quòd libros Ciceronis legebat. Me insuper omninò terrebat, saltem quod partem, argumenti tractandi modus, videlicèt, juridicè, canonicè, cum juris utriusque rudimenta, dum adhuc vitam in Sæculo degebam Augustæ Taurinorum, sub disciplina præclarissimi Advocati Petri Roccii, Studiorum publici Lectoris, mihi, omnibusque charissimi, vix prælibaverim. Me pariter terrebat, & simul confundebat historiarum, & præcipuè antiquarum, multitudo enucleatè evolvendarum, ut historiæ, ad exposita dicta confirmanda delectæ, sicut tituli postremi pars exigit, nempe, historicè, à veritate minimè declinarent, quibus faciliùs, tanquàm à falsitate semotis, quæ non rarò in Historicorum scriptis, & maximè antiquis Chroni-

eis reperitur, fides adhiberetur. Non exigua igitur perplexitate agitatus, proposito sæpè mutato; de Bellica Theologia non ampliùs cogitare, multoque minùs eam Reipublicæ litterariæ tradere deliberaveram, aliorum studiorum pace, meæque cellæ quiete fruiturus. At DEO ipso, qui Dominus est Exercituum. Isaiæ, *Cap. 6. num. 3.* ità disponente, ac paulatim, me propemodùm inscio, meo perterrito, & debili animo vigorem dante, operæ pretium feci, ideam, longo tempore conceptam, ne partus ante ortum præfocaretur, alicui Viro, cui par esset doctrina, prudentia, benignitas, perpendendam confidere. Dumque Virum, unà cum Diogene, ardentis desiderii lucerna, inter meæ ignorantiæ tenebras perquirebam, quem possem de rebus singulis consulere, non solùm unus, sed plures inter tot, tùm Ecclesiasticos, tùm Sæculares, omnes sapientissimos, ac prudentissimos, quibus Romana Curia semper abundat, mihi occurrerunt, summa prudentia, ingenio alacri, & perspicaci, Philosophiæ, Theologiæ, aliarùmque scientiarum profunda cognitione, accurata, & præexcelsa juris utriusque intelligentia, historiarum sedula instructione, christiana politicarum rerum sagacitate, admirabili quoque benignitate, nota fidelitate, singulari sinceritate, aliisque qualitatibus, ac virtutibus, cuilibet viro consilium daturo necessariis; nec non Dignitatibus etiam primariis exornati; quos inter unus doctissimus, nec minùs nobilis Vir, pluribus muneribus etiam sublimioribus sæpiùs addictus. Quorum nomina ubique præclara hìc lubenter protulissem, nisi eorum modestia, in singulis impensè effulgens, id mihi expressè interdixisset. Hisce igitur tantis Viris concepti Operis substantia, ac methodo communicata, eisdemque approbatoribus, suasoribus, atque impulsoribus, statim ad Codices, Digesta, Decretales, Decretum, Historias, perscrutandum animum appuli, illud executioni traditurus; clarissimè percipiens, eorum consilia rebus aptari, ut insinuat Seneca: *Epist. 71.* in princ. quapropter eis nequaquàm parendo, juris violationis reus apparuissem; cùm jus scriptum sint pariter responsa prudentum, ut Imperator Justinianus admonet. *Instit. de jur. natural gent. & civil.* Tantum igitur Opus luci tradendum aggressus sum, non meis viribus fretus, quas nullas, aut minimas esse intelligebam, sed ope divina, omnia difficilia suaviter facilitante.

§. 2. Ut igitur à Titulo, Theologia nempè Bellica, exordiar, fateor & ego novum esse, & in Rempublicam litterariam nunquàm fuisse ingressum; Theologiam solummodò Scholasticam, Moralem, Mysticam, & Positivam inter cæteras suas scientias recognoscere, & admittere assuetam; non tamen aliquam per hoc censuram mereri, cùm dictum sit, & quidem rectissimè, à Sancto Doctore, Theologiam Græcum esse nomen, quo significari de Divinitate rationem, sive sermonem intelligimus: quà de causa Orpheus Trismegistus, Plato, & alii, Theologi sunt appellati, qui de DEO, & naturali modo, tractaverint; & certò sciamus, DEum Theologiæ objectum universaliter haberi; tot bella in Sacra Scriptura contineri, quæ sermo Dei est de Deo; bellum corporale justum ortum habuisse à Deo, ordinante, & præcipiente illud fieri. Num. 10. Deuter. 22. & præsertim Ps. 143. ubi David ait de Deo, *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum;* ideoque nascente Deo, nostra mortalitate involuto, ut nostris sensibus affatim appareret exercituum esse Dominum, bellum justum corporale, ab eoque ortum habuisse, *Subito facta est cum Angelo multitudo Militiæ Cælestis laudantium Deum.* S. Luc. *Cap. 2. num. 13.* Dum ergò Bellorum Origo Deus ipse est, nec non tota virtus Bellantium, cessat ratio impositi huic Operi Tituli novitatem admirandi. Et quemadmodùm Theologia Scholastica, methodo scholis accommodata utens, Divina tractat, & ubi ea, quæ ad sacram doctrinam spectant, in sacris literis, Ecclesiasticis Traditionibus, Conciliorum decretis, Patrum definitionibus, continentur, distinctè ostendit; Et Theologia Moralis ea, quæ mortalium mores concernunt, perpen-

dit,

dit, explicat, docet, suadet; adnotando pariter, & quæ nobis dumtaxat commendantur, & ea, quæ etiam præcipiuntur, ut à præceptis, & non tantùm à commendatis sciamus nefas, & pœnæ obnoxium declinare: Et Theologia Mystica, quæ ad ipsum Supersubstantiale, ut loquitur D. Dionysius Areopagita in suo libro particulari *de Theol. Myst.* occultum, & Dei Caliginem sine Symbolis, creata omnia, negatione, transcendendo pervadit: ita Theologia Bellica, ea, quæ ad universam militiam pertinent, quæque plura sunt, & varia, propriè perpendit, definit, disponit, declarat.

§. 3. Scio, Theologos, Canonistas, Jurisconsultos, de bello scripsisse, sed, aut ita parcè, ut multum reliquerint alieno studio examinandum, aut indistinctè, ne dicam confusè, ut discerni difficilè queant, quæ naturalis sunt juris, quæ Divini, quæ gentium, quæ Civilis, quæ Canonici; undè in toto opere plura mihi proposui, ut scholasticam doctrinam, cùm Legum, Canonum, & Historiarum cognitione conjunctam exhiberem, ut definiendi rationes redderem quàm maximè evidentes, ut, quæ erant tractanda, methodo certa disponerem, & quæ confusa videri poterant, clarificarem.

§. 4. Omnes cujusvis libri difficultates, potiùs, quàm dubitationes, aut quæstiones, quod admodùm commune videtur, sunt Tituli, ut qualis sit materia, quam sumus tractaturi, ab ipsismet titulis statim indicetur.

§. 5. Nonnulla notandà singulis difficultatibus præmittere semper censuimus, doctrinas, rerum definitiones, & plerumque aliquas decisiones in proposita difficultate tangendas continentia, quibus, tanquàm clavi opportuna, nostri sensus intelligentia faciliùs aperiretur.

§. 6. In quavis difficultate aliorum sententiam, à nobis minimè approbandam, nec non & validiora fundamenta, quibus innitur, proferre, nostræque præponere existimavimus, ut quisque, nostræ nolens opinioni acquiescere, possit rectè seu absque suæ conscientiæ, aut fori exterioris præjudicio, aliorum sensum amplecti, si tutiorem, opportunioremque pro temporum contingentia eum adjudicaret.

§. 7. Utque validiùs nostrarum difficultatum firmarentur resolutiones, tribus motibus, scilicet, juribus, rationibus, & historiis, seu exemplis incumbunt, ut ubi unus ad legentium partem intellectivam convincendam non sufficeret, alter suppleret; potissimùm verò rationibus, id humani intellectus, qui semper cupit efficaciùs convinci, natura exigente.

§. 8. Scimus, non rarò levibus, aut etiam nullis de causis, arma à supremis Potestatibus quandoque excitari, quibus semel sumptis, videmus omnium jurium reverentiam planè exulare, & præsertim Divini, quod propriè in veteri, & novo Testamento continetur, ut per Tex. *in Cap. Humanum genus, 1. Dist.* & Canonici à lege ipsà divina initium sumentis; *Cap. Qualiter, il secondo, de Accusat.* quod habet dirigere homines ad Bonum commune, secundùm quod congruit humanæ societati Christianè viventi, vitamque æternam expectanti, ad juris Civilis differentiam, cujus interest, ut Philosophorum Princeps, *lib. 1. Ethic.* clarissimè ostendit, hominem manuducere, idest dirigere ad Bonum commune, secundùm quod congruit humanæ societati civiliter, & temporaliter viventi. Scimus pariter, sæviente bellorum tempestate, aliquando naufragium pati & ipsum jus non scriptum, nempè laudabiles Consuetudines, quæ bonis moribus, idest assiduis actibus rectæ rationi minimè repugnantibus, vel pio usu populi, vel majoris partis illius, sunt initæ, continuatæ, & debitè introductæ, quæque pro legibus suscipiuntur: *Cap. fin. de Consuetud.*

§. 9. Omnes experimento erudimur, tempore belli necessitatem adesse clarè dignoscendi, juxta Successuum qualitatem, quæ jurisjurandi, tam publici, quàm privati, res, aut interpretatio sit admittenda, cum jure naturæ sit stare pactis, præ-

cipuè juramento firmatis, quæ inter Bellantes, non violanda absque graviſſimo Reipublicæ detrimento, & Animarum pernicie, ſæpè contingunt; quæ Eccleſiis, & Bonis Eccleſiaſticis, quæ Dei ſunt patrimonium, ſit immunitas ſervanda: Quando expediat Clericos extra laicalem jurisdictionem conſtitutos, Altaris miniſterio addictos, quibusque armorum uſus, ac quævis mutilatio, aut internecio, extra caſum moderaminis inculpatæ tutelæ, à Sacris Canonibus prohibetur, in milites admittere, aut è militia expellere: Quale jus mortuos humandi, peracto belli conflictu, vivat. Quæ omnia, & his alia ſimilia, ſub juris Canonici diſpoſitione continentur.

§. 10. Vident omnes (ò cæcitas admodùm lacrymanda!) tempore belli per Chriſtianum Orbem, vel Barbaris Gentilibus pudendam, vagari licentiam, DEO ipſo obliterato, cui nos, noſtraque omnia debemus; cuique ſine exceptione parendum, omnia jura volunt, noſterque ipſe Intellectus nobis irrefragabiliter dictat. Omnes experiuntur, nihil homini propius ita eſſe, quàm ſuum dilatandi Imperium inter homines cupiditatem, non aliundè leges dilatationis ſumenti, quàm ab utilitate, quæ plerumque talis eſt naturæ, ut quæ ſunt alterius, alteri, ut quid juſtum permittantur, juxta Carneadis, & aliorum dictum.

Utilitas justi propè mater, & equi.

Quosdam dixiſſe non ignoramus, jus eſſe id, quod validiori placuit, immemores fortaſsè juris etymologiæ ab Iſidoro, *lib. 5. cap. 3.* doctiſſimè explicatæ, aſſerente, jus dictum eſſe, quia juſtum eſt, quodque refertur, *in Cap. Jus generale, 1. Diſt.* cuique conſonat Textus, *in l. jus, ff. de juſt. & jur.*

§. 11. Malè profectò dixerat Spartanus Rex, beatiſſimam eſſe Rempublicam, cujus fines haſta, & gladio terminarentur. Quænam beatitudo ab haſta, & gladio, aliisque armis, ſemper miſerias parere aſſuetis, etiam quando glorioſæ ab Illis palmæ demetuntur? Videmus enim, ex parte etiam Triumphantium, everſa vi tormentorum Urbium mœnia, direpta Oppida, cruentas Civium ſtrages, domibus, aliisque ædificiis, ingenti ſumptu conſtructis, formidanda procendi irreparabiliter incendia, & adhuc acerbiora Martem minari, ſi, aut virtute Amicorum deficiente, aut fortitudine Adverſariorum creſcente, remiſſiora planè, ac mitiora, quàm ſævientis mali jus poſceret, remedia adhibeantur: ac proindè Pompejus præfatum Spartani errorem corrigens, dixit, eam verè beatam eſſe Rempublicam, quæ juſtitiam pro finibus haberet; atqueadeò manifeſtè demonſtrans militari Fortitudini Juſtitiam fore anteponendam; neque Antigonum ſenem eſſe imitandum, quemdam hominem irridentem, qui ſibi alienas Arces impugnanti, commentaria de juſtitia adferebat, ſed cum Camillo eſſe ſentiendum, qui juſtè non minùs, quàm fortiter bella gerenda affirmabat. Ex quo falſum omninò apparet, quod quidam fingunt, in bello omnia jura ceſſare; cùm ratio dictet, bellum, nec eſſe ſuſcipiendum, niſi ad juris conſervationem, nec ſuſceptum gerendum, niſi intra juris, ſeu juſtitiæ modum ad victoriæ conſecutionem: nam Juſtitia ſecuritatem affert conſcientiæ, teſte ipſo quotidiano experimento, Injuſtitia verò periculum, & pœnam: hæc Deum, qui Dominus eſt Exercituum, Inimicum, illa faventem, & auxiliantem habet. Quantam verò vim habeat in bellis gerendis juſtitiæ conſcientia, paſſim oſtendunt Hiſtoriarum Scriptores, qui victoriam ſæpè huic cauſæ præcipuè adſcribunt. Quæ autem conſcientia juſtitiæ, absque juris Canonici, & Civilis intelligentia, & diligenti obſervantia? Quibus rectè intellectis, nemo ampliùs Fabricium ingentem virum, in bello innocentem admiraretur. Non igitur debent leges inter arma ſilere, ne dùm arma clamitant, & vincunt, victa remaneat juſtitia. Obſtrictis propterea Principibus, præſertim ſuperiorem minimè reco-

recognoſcentibus, à ſenſu Marij omninò recedere, negantis præ armorum ſtrepitu leges à ſe poſſe exaudiri, & opinionem Dionis Pruſæenſis minimè audire, aſſerentis, inter hoſtes, ſcripta jura non valere.

§. 12. Admittunt omnes, vel ſaltem debent admittere, eſſe diſcernenda publici belli diſcrimina, nec non noſcendum, quibus bellandi jus competat, & alienandi bona propter bellum; & quid ſit dicendum de ſubditorum in Superiores obligatione; quibus cauſis bellum exoriri poſſit; quæ res communes ſint, quæ propriæ, quæ negandæ, quæ concedendæ ſint; quod jus perſonis in perſonas conveniat; quæ ex victoria naſcatur in victos poteſtas. Eſſe igitur cognitam jurisprudentiæ oportet diſpoſitionem, juris ſcilicèt, ſeu juſtitiæ, cujus proprium eſt, ut docet D. Thomas communiter receptus, *2. 2. quæſt. 57.* inter cæteras virtutes, quas continet, hominem ordinare in his, quæ ſunt ad alterum: importat enim æqualitatem, ut ipſum nomen demonſtrat, & advertit inter alios Turrecrem. *in Cap. Humanum genus*, §. *Circa primum, 1. Diſt.* Quis verò neſciat, bello indicto, aut indicendo, ſtatim obligationem conſurgere perpendendi, quale jus competat Principi bellandi; an bellum, quod movetur, intra juſtitiæ limites ſiſtat; an illos excedat; an Bonum commune, cujus favore bellatur, exigat bellum; quomodo poſſit à Principe juſtè bellaturo, qui Judex eſt hoſtium, injuriarum ſumi compenſatio, eorumque violentia puniri: quæ omnia jurisprudentiæ, absque ulla controverſia, tribuuntur.

§. 13. Nos non latet Bellantium libertas, quæ quandòque tanta eſt, ut eis videantur licere etiam ea, quæ jure, aut natura, cenſentur illicita. Videmus enim in praxim, absque ullo, vel ſaltem parvo conſcientiæ ſcrupulo, pernicioſa execratæ politicæ documenta deduci, & inter cætera, illud: *In ſumma fortuna id æquius, quod validius*: & illud. *Rempublicam ſine injuria geri non poſſe*: & illud. *Regi, aut Civitati imperium habenti nihil injuſtum, quod utile.* Ita Euthydemus apud Thucydidem. Porrò, his omiſſis ſimilibus, & etiam gravioribus, ſupremas Poteſtates reſpicientibus; ſi privatorum militum libertatem inſpicimus, nobis illicò repræſentantur rerum alienarum etiam ſacrarum fraudulentæ contrectationes, ſtupra, inceſtus, aliæque abominandæ libidinis deformitates, ignominioſæ, & capitali pœna plectendæ, Caſtrorum deſertiones, Ruſticorum oppreſſiones, verba turpia, blasphemiæ horrendæ, aliique nunquàm ſatis deteſtandæ malitiæ exceſſus, quorum correctio non aliundè videtur petenda, ſeu potiùs deſumenda, quàm à regulis, à morali Diſciplina præſcriptis. Zelo igitur animarum ſalutis, pro quâ Auctor Vitæ non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis ſubire tormentum, obſtringimur res bellicas non juridicè, & canonicè tantùm, ſed etiam moraliter pertractare.

§. 14. Adeſſe quoque obligationem, varios caſus in bello paſſim contingentes, in ordine ad punitionem, aut præmium, examinandi, clarum eſt, in quibus, ſeu circa quos ad rectam formandam judicii diſpoſitionem, nullo ſcripto exiſtente jure, ad Hiſtoriam, ſeu ad virorum prudentum, & proborum, in caſibus ſimilibus ſe gerentium, eſt recurrendum: Juſtitiam enim probat, injuſtitiam damnat Proborum factum, & conſenſus: quâ de causâ, ad noſtram Theologiam Bellicam ſtabiliendam, teſtimonia quoque requiri Hiſtoricorum cenſuimus, non quòd illis indiſcretè credendum ſit, ſed ut, ubi in judicando, aut ad judicandum ſcriptæ abeſſent leges, præbeat aliquo modo formam judicii, ſaltem credibilis, contingentia. Advertimus tamen, ut cenſura, quam prævidemus, à nobis avertatur, clariſſimorum Auctorum, quos funditus, & diligenter evoluimus, ut à germanis eorum ſenſibus lumen aliquod reciperemus, alios illuminaturi, ipſa verba à nobis adducta fuiſſe interdum, prout talia erant, aut ex ſublimitate, aut ex vetuſtate, ne aliquantiſper his alteratis, non eumdem legenti, quem in ſe continent ſenſum, præbuiſſent.

§. 15. Adverſariorum objectis, quandò eorum ſententia nullatenùs approbatur, ſemper, poſt noſtram concluſionem, reſpondetur: compendioſè tamen; nam veri-

tas consistit in paucis; ut legentium intellectus, aut veritatis manifestatione convictus remaneat, aut victoriam Adversariorum canere laudabiliter nequeat.

§. 16. Cæteris omnibus illationes, quamvis aliquandò rigore scholastico prætermisso, postponuntur; ut ex cognitis mens surgat ad incognita: & ex notis, cuique liceat, absque ulla, aut saltem notabili hæsitatione, judicii rationem circa similia contingentia formare: & aliquando inter illationes parerga insinuantur; ut, bellorum studii occasione, rerum diversarum notitiæ scire universim cupientibus præbeantur.

§. 17. Summariis verò, quæ solent ferè apud omnes, quæstionum, dubitationum, atque difficultatum Titulis præmitti, lubenter abstinemus, superflua penitùs abhorrentes; cùm omnes nostræ difficultates non videantur breviùs posse summari. Præterquamquòd, postremus Elenchus, quem verbis, ac rebus plurimùm locupletare, meliùs benevoli Lectoris commodo inserviendi, suasit desiderium, potest summarium nuncupari.

§. 18. Ab omni ferè limitatione, sublimitatione, distinctione, subdistinctione, aliisque similibus terminis, veritatem quandoque occultantibus magis, quàm aperientibus, quibus passim utuntur plurimi, animum semper abduximus; ut semota à rerum tractandarum multitudine verborum copia, veritas, quam summoperè, qui legit, optat inspicere, faciliùs, citiusque appareat, ac legendi fastidium, à nemine volitum, à Lectore ingeniosa discendi aviditate ducto, quantùm fieri potest, removeatur.

§. 19. Ne tamen quidquam in hoc Opere deficeret, à legentibus desiderandum, omni, quà potuimus, in eo construendo, usi sumus diligentia; ut omnibus controversiis circa bellum, aut natis, aut quæ nascituræ prævideri possunt, expetitus terminus facilè adinveniatur; semper claritate non exigua hanc materiam difficilem admodùm pertractare, totque difficultates ordine faciliori disponere satagentes, ut legentibus omnibus cujuscunque dignitatis, conditionis, qualitatis, & capacitatis, fructuosus labor noster evaderet.

§. 20. Nonnulla, rarò tamen, repetuntur; ad id nos inducente, non quidem inadvertentia, quæ aliàs sufficiens foret repetitionis justificatio, sed desiderio, aut ampliùs explicandi, quæ succinctè nimis alibi exposuimus, aut laborem benevolo subtrahendi Lectori in hisce inquirendis, quibus suum studium pro tunc indigere contingat: aut saltem ob majorem nostram, alteriusque eruditionem, novam circumstantiam addendi, dicta repetere necessitantem. Aut quia nostræ methodo consulenres, sub eadem non potuimus Difficultate exponere omnia, quæ addenda tunc occurrebant. Vel quia ea novis doctrinis roborantur, vel aliqua limitatione coarctata, rectæ rationi magis consona redduntur.

§. 21. Omnium oculis, in octo distributam libros, nostram hanc Theologiam Bellicam inspecturis, conveniens valdè, ne dicamus necessarium, exhibere adjudicavimus; non quòd opus esse perfectum præsumeremus, dum omnis perfectio in numero octavo contineri, juxta Scriptorum tam profanorum, quàm Ecclesiasticorum sensum, videtur: sed quia quæcunque possunt in bello, aut contingere, aut considerari, ad octo dumtaxat capita reducuntur.

§. 22. Tandem, perutile, non tam Bellatoribus, quàm Pacificis, tùm Confessariis, tùm Pœnitentibus, Opus hoc exhibetur. Pacificis addidimus, utpotè variis, novis, & propemodùm innumeris in quavis materia decisionibus, in praxi frequentissimis, & quotidianis, exornatum, quibus possunt, quoad ea, quæ utrumque forum respiciunt, internum scilicet, & externum, sufficientissimè erudiri, & pacem, cujus proficuè potiuntur, in semetipsis validius stabilire, Bellantibus verò efficacius suadere; sicuti namque in sacris Canonibus apertè dicitur, pacem non quæri, ubi bellum excitatur. *Cap. Noli, causa 23. quæst. 1.* ut pateat, omnimodam paci, & bello societatem repugnare; eisdem pariter admonemur, bellum geri, ut pax acquiratur.

Cap.

Cap. Quid culpatur, ead. cauf. & quaft. Crederemus igitur, milites hac nostra Theologia Bellica, etiam dum bellant, pacificos reddi, dum iis bellandi munus apprimè discentibus, & rectè adimplentibus, via sternitur, eos, quos expugnant, ad pacem, vincendo, perducendi; ut possint dein omnes inter Filios Dei, pacem firmiter amplectentes, ennumerari, dicente Domino. *Beati pacifici, quia Filii Dei vocabuntur.* Matth. *Cap. 5.*

§. 23. Confessariis quoque, & Pœnitentibus in hoc dicitur Opere utilitatem affatim suppeditari: nam militare non est delictum. *Cap. Quid culpatur, causa 23. quaest. 1.* sed delictum esse potest, si militia indebito modo exerceatur: ut igitur delinquentes in militando suum possint deflere delictum, & Confessarii justè corrigere, & debitè absolvere deflentes, hic cognoscere quid in bello licet, & non licet, quid restituendum, quid negandum, quid dividendum, quid laudandum, quid vituperandum, quæ effugienda, quæ amplectenda, quæ toleranda, quæ explodenda, quæ præcipienda, quæ præmianda, quæ punienda, clarè edocentur.

§. 24. Demùm, I. V. Peritis quoque hoc ex nostro labore exoriri admonemus utilitatem; nam scientes, non paucos, aliàs ingenio perspicuos, scientiis apprimè instructos, eorum asserta, seu scripta, juris utriusque robore firmare, aut exornare cupientes, vel diffidentia averti ab inchoata, vel nimio labore, diuturnoque tempore suum consequi finem, effusam allegationum congeriem, singulis difficultatibus inservimus; in qua tum Civilium, tum Canonicorum Textuum, quos allegamus, substantia summarim enucleatur.

§. 25. Subditur. Præsertim Forum Ecclesiasticum profitentibus; siquidem hic dubia principaliora, quæ possunt circa Immunitatem Ecclesiæ, Matrimonia, Simoniam, Beneficia Ecclesiastica, Censuras, & similia contingere, ea claritate, ac soliditate, quæ nostræ exilitati permissa fuit, resolvuntur: idem methodo, qua in hoc Opere usi fuimus, exigente.

§. 26. Variis postremò, novis, & propemodùm innumeris, in quavis materia difficultatibus, in praxi frequentissimis, & quotidianis, clarè, & succinctè resolutis Opus exhibetur, seu promittitur exornatum, non quidem scientiæ jactantiâ, quàm summoperè detestamur, à S. Augustino edocti, *tom. 5. de Civit. Dei, lib. 12. ad Marcellinum, cap. 8.* in fine, *fol. 138.* admonente. *Nec jactantia vitium est laudis humanæ, sed Animæ perversè amantis laudari ab hominibus, spreto testimonio conscientiæ;* sed ut Lector, cui aut tempus plura volumina evolvendi, aut voluminum evolvendorum multiplicitas poterit fortasse deesse, sciat, ubi faciliùs possit, ac commodiùs, absque tanto labore, & tot libris, omnium dubitationum, quæ ei occurrent, resolutionem reperiri.

§. 27. Ne quæso quispiam miretur, si legendum de bello Fidelibus librum exhibemus, quibus à Christo Domino, post partam de morte, & inferis victoriam, dictum est: *Pacem relinquo vobis: Pacem meam do vobis.* Jo: *Cap. 14* quibusque per Apostolum jubetur, 1. Cor. *Cap. 6.* & dicitur in *Cap. Nisi bella, causa 23. quaest. 1. Non vosmet ipsos vindicantes, sed magis injuriam recipite, & magis fraudem patimini;* nam Judaicarum Historiarum libros de bello tractantes, Discipulis Christi, qui venit pacem docere, in Ecclesiis legendos, fuisse ab Apostolis traditos, certum est, huic, ut reor, motivo innixis, bella corporalia figuram bellorum gerere spiritualium; undè Apostolus, Animæ certamina, contra spirituales Adversarios constanter sustinenda, tanquam Magister militiæ spiritualis, militibus Christi præcepit, dicens: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias diaboli.* Ephes. *Cap. 6.* Non aliud profectò credimus voluisse sanctissimum Job, inter tot, & tam sæva certamina semper invictum, exprimere, dum asseruit: *Militia est vita hominis super terram.* Job, *Cap. 7. num. 1.* cui consonat S. Aug. *lib. 19. de Civit. Dei, Cap. 27.* nec non & Textus *in Cap. 1. vers. quia, &c. de Consecr. Dist. 5.* nisi ut discat homo à bello, quod videt, contra Inferorum Potestates bellare invisibiles: & à bello externo argumentum desumere, inter-

num,

num, sive domesticum bellum, quod est inter Carnem, & Spiritum, à peccato originali ortum, Rom. *Cap. 7.* fortiter dimicandi, gloriosèque vincendi.

§. 28. Hinc admirationes, seu potiùs oppositiones, novum nobis iter ingredientibus, ad belli, cùm terrestris, cùm maritimi tractationem, primò se offerentes, incipiunt evanescere. Constat enim, Operis Titulum in DEO ipso, qui Dominus est Exercituum, Jer. *Cap. 23. n. 36.* cuique obsequia una cum cælestibus Spiritibus præstare tenemur, propriè fundari; & militiæ species, seu Imagines Clericos non dedecere, præsertim nostro tempore, tot præliis cruentato; quoque omnia undique, & quidem in nostra Italia, nostras propè aures, obstrepere armorum strepitu, clamore militum videntur; imò ab eis necessariò concipiendas, non solùm quia humanum vivere militare est, ut præter Job, & Apostolum, suo Lucillo dicebat Seneca, *lib. 8. Epist.* sed quia eorum obsequia per diversa officia & ordines, DEO præstita, militiæ allegoria in sacris literis explicantur, Ephes. *Cap. 6. Cap. Nisi bella, causa 23. quest. 1.* eorumque orationes, aut lacrymæ armorum nomine nuncupantur, *Cap. Convenior, causa 23. quest. 8.* Quid plura? Nec ipsam supernam Gloriam, ob quam omnes creati sumus, libet cogitare, quin belli, & pugnæ imagines concipiantur; nemini DEO fulgentem Cælorum Coronam per Apostolum promittente, nisi fortiter pugnanti; & gloriosè vincenti, Ad Tim. *Cap. 2.* Fideles omnes cum Angelis in Cælo conversari, admonente Apostolo, Philipp. *Cap. 3. num. 20. Nostra autem conversatio in Calis est.* Sæpè, aut aliquando, non dubitamus, præsertim verò Clericos puriùs, ac sanctius obstrictos vivere, res sacras, ac divinas tractaturos: ab Angelorum autem Conversatione, non nisi bellorum cogitationes possunt excitari, cum militia summorum Angelorum copia dicatur, militibus ipsis Angelis nuncupatis, Luc. *Cap. 2. Nocte Sancta. Cap. Hi duo, de Consecr. Dist. 1.* Pugnavit quippè Angelus Dei Michael, & Angeli ejus cum Dracone, Angelique ejus in Cælo, *Et projectus est Draco ille magnus.* Apoc. *Cap. 12. n. 7. 8. 9.*

§. 29. Quod autem spectat ad D. Hieronymum, nobis, tanquam perperam scientiæ deditum sæculari, objectum, nulla responsione indigere videtur; cùm sciamus omnes, Sanctum Doctorem à cælesti intelligentia fuisse correptum; non tanquam illos libros ad eruditionem legeret, cùm pleni sint mortalitate, sed quià legere non indigebat, sufficienter instructus; Clericos propterea non tantùm posse, sed debere sæcularibus scientiis esse eruditos, optimè exemplis S. Scripturæ, validissimisque rationibus probat Turrecremata, *in Cap. Legimus, §. Sed contra, 37. Dist.*

§. 30. His itaque evacuatis, omnes tandem oramus, atque obtestamur, quorum in manus hæc nostra Bellica pervenerit Theologia, si quam legentes opinionem offenderint, communi adversantem; hoc nequaquam cupiditati alios, quos summoperè veneramur, impugnandi adscribere, aut nos singulares inter Literatos, Orbi propalandi, sed veritatis solùmmodò amori, quæ talis nostro visa est intellectui: in omnibus semper gestienti pietatem sequi, bonos mores exhortari, sacras literas colere, verum amplecti, Catholicæ Ecclesiæ sensibus se conformare, salutem Animarum, & Gloriam Dei quærere. Si quid verò his contrarium appareret, à nobis prolatum, nunquàm in nobis fuisse intentionem illud proferendi ingenuè fatemur. Quapropter cuncta, quæ fatigato calamo scripsimus, nedum Sanctæ Matris Ecclesiæ, sed & cujusvis, literarum minimè expertis, Censuræ lubenter submittimus.

§. 31. Hæc omnia nostræ Theologiæ Bellicæ, non solùm expediens esse, sed necessarium duximus præmittere: Siquidem ex procemio mens disponentis declaratur, ut per Tex. *in l. fin. ff. de hared. institut. l. Regula, §. fin. ff. de jur. & fact. ignor. l. Titia, §. Idem respondit, ff. de verb. oblig.* & tradunt Bart. & Bald. *in l. cum hi,* in princ. *& §. Eam, ff. de transact.* Præterquam quòd, omnia, & singula, quæ in procemio narrantur, tanquàm causa finalis totius Operis perpenduntur; ita admonentibus Bart. *in d. l. fin. de hared. instit.* Bald. *in l. ut liberis, Cod. de Collat.* Gozad. *conf. 1. vol. 3.*

§. 32.

§. 32. Nobis igitur solius Dei Gloriam, Animarum salutem, Principum, ac Regum felicitatem, Orbis pacem, uno verbo, Bonum commune, tùm temporale, tùm spirituale respicientibus, nostrum hunc laborem visum est proficuum omnibus exhibere; ut sciant Milites Deo parere, & Principibus Dei locum in Terra tenentibus, ut *in Authen. de armis*, in princ. Aristot. *lib. 3. Polit. cap. 9.* Menoch. *consil. 208. num. 43.* Principes verò militibus rectè imperare; & Judices non minùs spirituales, quàm temporales super delinquentium factis optimè discernere, & inculpabiliter judicare.

§. 33. Accipiat ergò, quisquis hæc prolegomena, sive hosce nostros paragraphos legit, Theologiam hanc, quam Bellicam excogitavimus, bellantis paci Orbis studentes, & Conscientiarum; omnes Christi Milites, etiam pro terreno, sed fideli Principe, bellantes, in Cælorum Capitolio cupientes gloriosè triumphare.

Vale.

REVI.

REVISORUM APPROBATIONES, FACULTATESQVE SUPERIORUM.

THeologiam Bellicam, octo in Libros distributam, à P. D. A. Thoma Schiara, nostræ Congregationis Theologo, elaboratam, Reverendiss. P. Generalis jussu lustravimus. Cùm verò nihil in ea offenderimus Catholicæ Religioni, religiosisvè moribus adversum, quinimò multa eruditione, multaque doctrinæ varietate, nec minori perspicuitate, armatam animadverterimus, in majus præsidium Christianæ Militiæ, vitæque arbitramur fore, si publica quoque donetur luce. Dat. Romæ, in Ædib. S. Andreæ de Valle 7. Id. Julii 1700.

D. Jo: Andréas Passus, C. R. S. Th. P.

D. Jo: Paulus Saracenus, C. R. S. Th. P.

D. PAULUS LEONARDELLUS
Clericorum Regularium Præpositus Generalis.

HOc Opus inscriptum: *Theologia Bellica, &c.* à Rev. P. D. A. Thoma Schiara, nostræ Congregationis Theologo, compositum, &c, juxta assertionem Patrum, quibus id commisimus, approbatum, ut Typis mandetur, quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem, has literas nostra manu subscriptas, solito nostro sigillo firmavimus. Romæ die 1. Octobris, Anno 1701.

D. Paulus Leonardellus Præpositus Gen. Cler. Reg.

Loco ✠ Sigilli.

D. Joseph Maria Trincherius Secret.

Parendo

PArendo mandatis Reverendiss. P. F. Paulini Bernardinii, Ord. Prædic. S. A. P. Mag. vidi, & sedulò perlegi Librum, cui Titulus: *Theologia Bellica*, Auctore P. D. Antonio Thoma Schiara Astensi; & non tantùm, ut alii dicunt ut plurimùm, summa cum animi jucunditate, sed etiam maxima cum perturbatione, propter conceptam admirationem tanti Operis, perlustravi quidquid elaboratissimus, accuratissimus, & eruditissimus Auctor in unum cumulavit, tantaque cum maturitate ad rem scitè composuit, Literatorum, atque Tribunalium delectationi simul; & commoditati, cuncta expletus. Opus tam utile, in quo non adest, quod non conferat Reipublicæ benè gerendæ, administrandæque, Typis donandum, jure optimo censeo. In quorum fidem, &c. Hac die prima Decembris 1701.

Jacobus Sardinius J.U.D. Patricius Lucensis,
& Sac. Cons. Aulæ Advocatus.

IN egregij Operis inscripti: *Theologia Bellica, omnes ferè Difficultates ad Militiam, &c.* Auctore P. D. Antonio Thoma Schiara Astensi, Clerico Regulari, Sac. Theol. & Jur. Professore, &c. Tomo primo jam ad umbilicum perducto, meæque censuræ à Reverendissimo P. Paulino Bernardinio, Ordinis Prædicatorum, Sac. Pal. Apost. Magistro; demandato, nihil, me judice, continetur, quod bonis moribus adversetur, nihil, quod Orthodoxam Fidem, vel leviter pungat, ac proindè nihil, quod censorio stigmate configi valeat; sed cuncta Catholicis Dogmatibus consona, sacris Canonibus, ac legibus civilibus communita, Patrum sententiis contexta, Theologorum authoritatibus stabilita, Ecclesiastica, profanaque eruditione referta: Cuncta, quæ Titulus præsefert, plenè suppeditantur, & quidem tanta soliditate doctrinæ, litteraturæ varietate, styli claritate, ac Materiarum dignitate, ut perdifficile sit judicare, quænam ex tot coruscantibus eloquii virtutibus præ aliis fulgeat: quælibet etenim singularis, quælibet omnibus numeris absoluta, quælibet de primatu certat; sed nulla sese offert micantior, quòd omnes ad eminentiæ apicem perductæ conspiciantur. Publica propterea luce donatus prodeat uberrimus eximii Authoris fœtus, à cujus utilitatis participatione secerni non poterit, qui perlegere non neglexerit. Prodeat, ut magis, magisque perennet vivida ipsiusmet Authoris sapientia, quam hucusque & calamo, & verbo insignem suspexit litterarius Orbis, sivè dum Christiani Oratoris munere fungeretur, sivè dum consilia in cujuslibet generis arduis expetita redderet, eò subtiliter, ac profundè, ut Nominis ipsius fama undique personante, sicuti olim inter Sacri Tribunalis S. Officii Taurinensis, sic postea

inter

inter Sac. Congregat. Indicis Consultores, ac à SS. D. N. CLEMENTE XI. inter Sanctæ Romanæ, ac Universalis Inquisitionis Qualificatores recenseri meruerit. Ita sentiebam Romæ in Collegio Siculo S. Pauli ad Arenulam, Anno reparatæ Salutis 1702. Nonis Maij.

Fr. Bonaventura Sant'Elia à Panormo, S. T. M.
olim Examinator, & in Romana Curia Procurator, nunc Regens generalis Tertii Ordinis S. Francisci, Sac. Congregationis Indicis Consultor, Sanctæque Romanæ, ac Universalis Inquisitionis Qualificator.

MAgna mentis attentione, ac majori animi voluptate, Opus istud perlustravi, à P. D. A. Thoma Schiara, Cler. Reg. Sac. Indicis Cong. Consultore, & S. Romanæ, ac Universalis Inquisitionis Qualificatore, sub Theologiæ Bellicæ Epygraphe conscriptum, & à Reverendiss. P. Paulino Berardinio, Sac. Pal. Apost. Magistro meæ Censuræ commissum. Nec mirum censui, si Theologia, quæ Deum contemplatur, in quo pax summa est, bellica potiùs, quàm pacifica prodeat in lucem: Non quia in Pallade olim ipsam quoque sapientiam è Jovis cerebro prodiisse armatam crediderit Antiquitas: sed quia Theologia ista tutissimarum resolutionum, in dubiis ad Militiam spectantibus, Turris adinstar fortissimæ extollitur: Ex qua mille Clypei pendent Sacrorum, Civiliumque Canonum, peregrinarum Eruditionum, Rationumque auribus non prurientium, quæ sunt omnis armatura fortium. Ni potiùs sapientissimus Auctor Theologiam suam inscripserit Bellicam, eò quòd omnis generis armorum præseferat Officinam; quibus Milites ita rectè instruantur ad mores, ut dùm feliciter pro terreno pugnant Principatu, securiùs de cælesti Regno triumphent. Idcircò licet adamussim expenderim, quidquid in hoc primo Tomo, veluti in priori Theologiæ Bellicæ Armamentario, perstringitur; nec quidpiam tamen potuit occurrere, quod Censura notarem, aut spongia indigeret: Etenim neque in minimum contigit incidere, quod Orthodoxæ Religioni adversum crediderim, aut sanctiori Æthicæ difforme videretur. Jure igitur optimo æquum arbitror, ut Opus istud bellicum, non expugnandis, sed componendis animis institutum, Typis in Urbe evulgetur, ut omnibus in Orbe prosit, Bellatoribus ad Disciplinam, Pacificis ad eruditionem. Ex nostro Collegio S. Thomæ Aquinatis, apud SS. Vincentium, & Anastasium de Urbe, die 20. Aprilis 1702.

Antonius Franciscus Saluthii, Clér. Reg. Minor.
Lector Jubilatus, & Sacræ Congregationis Indicis Consultor.

Privi-

Privilegium Cæſareum.

JOSEPHUS divinâ favente clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Würtembergæ, Comes Tyrolis. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis, quod cùm nobis Noſter & Sacri Romani Imperii fidelis Joannes Caſparus Bencard, Bibliopola Auguſtanus & Dillinganus humillimè expoſuerit ſtatuiſſe ſe Theologiam Bellicam Patris Antonii Thomæ Schiara Aſtenſi, Canonici Regularis SS.Theologiæ & Jurium Profeſſoris in folio Romæ Anno milleſimo ſeptingenteſimo ſecundo per Joannem Franciſcum de Buagni, impreſſam, in uſum & utilitatem ſuis ſumptibus typis mandare, vereri autem, ne quod ſæpiùs contingat, æmulorum fraude, qui editionem iſtam dolosè imitentur, impendii ſui fructu deſtituatur, ac propterea demiſsè ſupplicaverit, ut ipſum contra ejusmodi defraudationem aut immitationem ſexennali privilegio noſtro clementiſſimè munire dignaremur, Nos ejusmodi precibus benignè annuerimus, ac proinde omnibus & ſingulis, Bibliopolis, Typographis, ac Bibliopagis, cæterisque, quibuscunque rem ſeu negotiationem librariam exercentibus ſeriò & diſtinctè idque ſub pœna decem marcarum auri puri inhibuerimus, & vetuerimus, prout hiſce inhibemus & vetamus, ne eorum quisquam intra ſex annos proximos à prima editionis die computandos præfatam Theologiam Bellicam ſine impetrantis, Heredumve conſenſu intra Sacri Romani Imperii Regnorumque, ac Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum fines ſimili vel alio idiomate, ſeu typo, modo vel forma, ſive in toto ſive in parte, mutatisve titulis recudere, vel aliò recudendam dare, invehere, venundare, aut clam vel palam diſtrahere, quovis modo præſumat, hâc autem lege addita, ut quinque ad minimum prætactæ Theologiæ Bellicæ Exemplaria, quemadmodum moris eſt, ad Imperialem noſtram Cancellariam Aulicam mittantur, eadem privilegium hoc noſtrum, vel ejus extractum (ne quis ignorantiæ prætextu ſe ſe excuſare poſſit) in fronte impreſſum exhibeat, quisquis verò interdictum hoc noſtrum neglexerit; is debebit non ſolùm ejusmodi libris perperam quippe impreſſis ſeu adductis privari quos nimirum præſentatus Joannes Caſparus Bencard, ipſiusve Hæredes auxilio Magiſtratûs loci, aut ſua quoque authoritate apprehendere, & ſibi vendicare poterunt; verùm inſuper etiam dicta pœna ærario ſeu fiſco noſtro Imperiali fraudis vindici, & prædicto ſupplicanti ejusve hæredibus, ex æquo ſolvenda & numeranda mulctari. Quapropter mandamus omnibus & ſingulis noſtris, & ſacri Imperii Regnorumque & Provinciarum noſtrarum hæreditariarum, ſubditis cujuscunque ſtatûs, gradus ordinis, dignitatis, conditionis, aut præeminentiæ exiſtant, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, præſertim vero iis, qui in Magiſtratu conſtituti, vel proprio vel ſuperiorum ſuorum nomine, & locô Juris, & Juſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quenquam privilegium hoc noſtrum Cæſareum temerè & impunè transgredi, aut violare patiantur, quin potiùs, quos contumaces compererint, præſcripta pœnâ plecti, aliisque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam pendere noluerint; Harum teſtimonio litterarum manu noſtra ſubſcriptarum, & Sigilli noſtri Cæſarei apprehenſione munitarum quæ dabantur. Viennæ die decima octava Februarii. Anno milleſimo ſeptingeſimo ſexto. Regnorum noſtrorum Romani decimo ſeptimo, Hungarici decimo nono, Bohemici verò primo.

JOSEPHUS.

Vt: Fridericus Carolus Comes de Schönborn.

(L.S.) *Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis proprium.*

Luzo Dolberg.

SERIES
OCTO LIBRORUM.

Qui in toto Opere continentur.

ELEN-

ELENCHUS DIFFICULTATUM,

Quæ in hoc Volumine continentur,

LIBER I.

Difficultates pertinentes ad Reges, & Principes.

LIBER II.

Difficultates pertinentes ad Duces Exercituum.

LIBER III.

Difficultates pertinentes ad Officiales Exercitus.

XXVII. DIF-

LIBER IV.

Difficultates pertinentes ad Milites privatos.

XXVII. DIF-

LIBER IV.

Difficultates pertinentes ad Milites privatos.

XXIX. DIF-

Impri-

Imprimatur.

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Vicesgerens.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinius, Ordinis Prædicatorum, Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter.



THEO.

THEOLOGIA BELLICA,

LIBER PRIMUS.

Difficultates pertinentes ad Reges, & Principes.

I. DIFFICULTAS.

An in solo Principe, superiorem non recognoscente, Jus resideat Belli offensivi indicendi.

1. Notandum primò, contra Manichæos, Lutherum, aliosque Hæreticos, quos recenset Molina *to. 1. de just. tract. 2. disp. 99. in princ.* Valent. *tom. 3. in 22. disp. 4. quæst. 16. punct. 1.* fas esse aliquando Christianis bellum gerere; ut tradunt D. August. *22. contra Faustum, à cap. 74. usque ad 97. epist. 205.* ad Bonifacium; D. Ambros. *1. officior. cap. 35. 35. 40. 41. & lib. 3. cap. 14.* Servatis conditionibus infra explicandis, ut per Tex. *in Cap. Quid culpatur, causa 23. q. 1. Cap. Militare, ead. caus. q. 2. Cap. Dominus, ead. caus. & q. Cap. Noli existimare, causa 23. quæst. 1.* alijsque juribus. Et ratio præcipua videtur esse, quia bellum justum ortum habet à DEO, ordinante, & præcipiente Moysi, Josue, Sampsoni, Gedeoni, alijsque Sanctissimis Viris, bellare, ut constat ex pluribus Sacræ Scripturæ Locis Num. 10. Deuteron. 22. unde David de DEO dicit: *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Psal. 143. Item Luc. 3. Matth. 8. Act. 10. Ex quibus manifestè colligitur, bellum à DEO minimè reprobari. Ideóque dicitur Jerem. *Cap. 46. n. 10.* & alibi. *Dominus DEUS exercituum, &c.*

2. Notandum secundò, Principes in duplici differentia considerari, independentiæ scilicet, & dependentiæ: Independentes, seu nullum superiorem Habentes, esse simpliciter Capita, & Dominos perfectè gerentes vices Reipublicæ. Dependentes verò, seu superiorem recognoscentes, esse secundùm quid Capita, & Dominos imperfectè Reipub. vices gerentes. Ita distinguunt Cajet. *in 2. 2. quæst. 40. art. 1.* ad confirmationem. Franc. à Victor. *Relect. 6. de jure belli n. 7.* & alij asserentes, nomine Principis simpliciter dicti eum venire, qui superiorem non habet, & habet proprias Leges, proprium Consilium, proprios Magistratus; sivè sit unus, sivè sit perfecta Communitas, seu Respublica; non verò illum, qui alterius subest imperio.

Notandum tertiò, Jus generale esse nomen, *1. Dist. cap. 2.* & posse tripliciter sumi: Primò, ut dicitur à justitia, & nihil aliud, quam quod justum est, significat, ut habetur *ex l. 1. ff. de just. & jur.* Secundò, pro qualitate morali personæ competente ad aliquid justè habendum, vel agendum, juxta illud Gen. 23. n. 4. *Date mihi jus sepulchri vobiscum:* quam qualitatem appellamus facultatem, si est perfecta, & aptitudinem, si minùs perfecta est. Tertiò denique, prout derivat à jubendo; & tunc importat actum præcipiendi, & idem valet quod lex. Omne jus, aut naturale esse, aut civile, aut gentium admonet Textus *in cap. 6. 1. dist.* & jus naturale, quod est quidam instinctus naturæ omnibus animantibus communis, ut inquit Ulpian. *in l. 1. §. jus naturale. ff. de just. & jur.* esse commune omnium nationum; & adeò immutabile, ut ne à DEO quidem mutari queat. Jus civile esse, quod quisque Populus, vel quæque Civitas sibi proprium divina, humanaque causa constituit *ead. Dist cap. 8.* Jus verò gentium ita appellari, quia eo jure omnes ferè gentes utuntur *cap. 9. dist. ad.* 3.

Notandum quartò, jus belli indicendi non esse jus militare; nam jus belli indicendi est facultas bellum movendi; jus verò militare est jus bellum motum disponendi; id est jus, quod Militibus est constitutum, disponens de Militibus; ut puta, de ordine tenendo in bellando, de stipendijs Bellantium, & de pœna eorum, qui bella deserunt, & fugiunt; & de alijs similibus: estque species juris civilis; quia, cùm hæc disciplina militaris non sit eadem apud omnes, sed varia, secundùm varietates Regionum, dici non potest juris natu- 4.

ralis, quod est immutabile, nec juris gentium, ut patet: ergo juris civilis, ut etiam arguit Turrecrem, *in Cap. Jus militare in.* 4. 1. *dist.*

5. Notandum quintò, bellum, quod secundùm aliquos, à belluis derivatur, cùm belluarum sit mutuò se laniatu conficere: & secundùm alios, à bello, & bono deducitur; quia ex fine bono, & pulchro fit, qualis est propulsare injuriam, & pacem obtinere: & secundùm Priscian. dicitur per antiphrasim, quasi nil belli, & pulchri habeat per se, cùm plurima, & gravissima mala secum trahat; Bellum, inquam, communiter à Doctoribus definiri, quòd sit discordia Hostium, arma sibi mutuò inferentium, cui opponitur pax: vel conflictus ipse, & hostium congressio, quæ & pugna nuncupatur, ut optimè observat Castropalaus *p. 1. de virtut. tract. 6. disp. 5. punct. 1. n. 1.*

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an in solo Principe, superiorem non recognoscente, jus resideat belli offensivi indicendi, negativè videtur respondendum, cum dicat Aristoteles *Rhet ad Alex. cap. 3.* oportere quemquam aut pro se arma sumere, si injuriam acceperit, aut pro Cognatis, aut pro Benefactoribus, aut socijs injuria affectis auxilia ferre. Quæ omnia sufficienter fundantur in humanæ naturæ communione, cum ab homine nihil humani alienum esse debeat. Bart. *in l. ut vim, ff. de just, & jur. n. 7. & 8.* Præterea, quia Principes, qui perfectè Capita, & Domini sunt, habent superiorem, nempè Imperatorem, & sic non posse ab eis absque superioris sui auctoritate, bellum indici dominij imperfectio demonstrat. Et denique, quia olim bellum Populus indicebat: hoc attestantibus tot Nationibus, & præcipuè Romanis, & Atheniensibus, ut refert Livius *lib. 1. decad. 7.* Apud quos etiam Populus totus deliberabat bellum, & pacem; & ita fecerunt contra Megarenses, contra Syracusanos, & contra Reges Macedonum: ex quibus apparet non solùm in Principe, sed etiam in Populo, & quovis alio jus belli offensivi indicendi residere.

7. Veritas tamen est communiter recepta, jus belli aggressivi indicendi residere dumtaxat in Principe, vel Republica, in causis civilibus, & criminalibus, superiorem non recognoscente. Ita D. Thô. 2. 2. q. 40. *art. 1. & ibi.* Cajet. Arag. Bannes, & alij. Victor. *Relect. 6. de jure belli num. 5. & 8.* Valent. *disp. 3. quæst. 16. punct. 2.* Covar. *reg. peccatum, p. 2. §. 9.* Molina *tom. 1. de just. tract. 2. disp.* 100. Coninch. *disp. 32. dub. 3. num. 57.* Castropalaus *loc. cit. punct. 2. n. 2.* Stephan. Anfrer, *in tut. de guerris.* Joan. de Lignan. *in tract. de bell. cap. 23. 24. 25.* & alij tum Theologi, tum Jurisperiti.

8. Moveor primò juribus *in l. 1. Cod. ut armorum usus, lib. 11.* ubi habetur, movere bellum esse proprium Principis dumtaxat supremi, ut ibi probant Luc. de Penn. & Joan. de Plat. Et *Cap. Quid culpatur, causa 32. q. 1.* ubi dicitur. Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas, atque consilium penes Principes sit: & alijs juribus alibi allegandis.

Moveor secundò rationibus: nam Principes, qui alterius imperio in temporali jurisdictione non subsunt, sunt Locumtenentes DEI, seu vices in terra gerunt DEI: bellum autem justum ortum habere à DEO, ordinante, & præcipiente illud, ex locis veteris, & novi Testamenti, supra ostensum est; atque adeò Principes supremi ad bellum movendum nulla alia auctoritate egent nisi DEI. Tum quia, unusquisque Princeps supremus, sicut & unaquæque integra Respublica, esse debet, ut Arist. tradit *lib. 3. polit.* sibi sufficiens non solùm ad se defendendum, sed etiam ad vindicandum se, & suos, & injurias prosequendum: non enim posset sufficienter conservare bonum publicum, si gladium non posset stringere, & animadvertere in hostes. Tum quia, stante publica, & justa causa movendi bellum pro utilitate Reipublicæ, licitè moveri potest, ut *in Cap. Summa, causa 23. q. 1.* ab aliquo certè movendum est: non ab omnibus, quia esset confusio. Ergo ab Uno-Ergo à Principe, qui omnes gubernat, & tuetur. Atque adeò in solo Principe supremo, aut Repub. superiorem non recognoscente jus bellum movendi reperitur.

Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi quasi quotidiana. Videmus enim pacifim bellum moveri, non solum ab Imperatore contra Turcas, aliosque ejus Adversarios, sed etiam ab alijs Potestatibus contra Imperatorem, ab uno Rege contra alium Regem; ab uno Principe, contra alium Principem. Et bella ista licita esse, justis existentibus causis, infra exprimendis, fatentur omnes Theologi, & Jurisperiti. 10.

Concludimus igitur, jus, sivè auctoritatem indicendi, & inferendi bellum offensivum, in Principe supremo residere, & in Republica, & in omnibus in jurisdictione temporali superiorem non recognoscentibus; ita ut omnes lites, sivè causæ civiles, & criminales in eorum dominio possint absque appellatione ad alium Principem terminari. 11.

Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, quod debet intelligi de bello defensivo. Fatemur & nos cum omnibus, in quolibet residere jus, seu auctoritatem illud indicendi; cùm cuilibet à natura concedatur jus se defendendi, & injurias propulsandi; quando tamen defensio est moderata, & sine culpa, id est cùm agitur de injuria propulsanda, & non de vindicta assumenda, ut per Tex. *in Cap. Significasti, de homic. circa fin. & in Cap. Non inferenda, causa 23. quæst. 3.* 12.

Ad secundam: quod alij Principes sunt sub Imperatore, non sicut pars sub toto, sed sicut totum parvum sub toto magno: seu sunt sub eo, sicut causa universalis sub causa universaliori; non sicut causa imperfecta sub perfecta: in quo ordine sunt Comites, Marchiones, Duces, cæterique, qui alterius imperio subsunt: atque adeò Principes supremi nullam Imperatori injuriam faciunt, bellum propria auctoritate, eoque inconsulto, indicendo, quia utuntur jure suo, juxta *leg. injuriarum 13. §. 1. ff. de injurijs.* 13.

Ad tertiam: quod Augusto imperante, belli decernendi, pacisque ineundæ, potestas in ipsum fuit 14.

fuit translata, loquendo de Romanis; & ab Atheniensibus quoque erepta, & ad eorum Principem delata: Strabo enim *in lib. 19.* testatur populi consensu omne jus belli, & pacis ad Principem translatum fuisse; quod & Marcinus Jurisconsultus dixit *in l. 3. ff. ad leg. Juliani Majest.*

15. Infero primò ex dictis, jus, sivè auctoritatem movendi bellum, residere in Summo Pontifice, non solum prout est Princeps patrimonij Divi Petri, Terrarumque in Ecclesiæ bonis contentarum; non secus ac alij Principes temporales; sed etiam qua Pontifex, seu pro potestate, quam in omnes laicas potestates ad finem supernaturalem habet; posseque hanc facultatem bellum movendi alijs concedere, oblata justa aliqua occasione, ac causa.

16. Infero secundò, licere Principibus Ecclesiasticis, seu Prælatis Ecclesiæ, quando adest justa causa, indicere bella, ratione temporalis jurisdictionis. Tradit etiam Innoc. *in Cap. Quod in dubijs de pæn.* & etiam sine tali jurisdictione, quando agitur de causa spirituali, ut puta, pro extirpandis peccatis, pro bonis Ecclesiæ defendendis, ut probat Tex. *in Cap. Maximilianus, causa 23. q. 4. & in Cap. Igitur, Cap. Omni timore, Cap. Hortatus, ead. causa q. 8.* & præcipuè quando Prælati nihil aliud bello agere intendunt, quam tueri Christi Ecclesiam, ac libertatem Status contra Impios, & Hæreticos, cæterosque Catholicæ Fidei hostes: tunc enim Prælati non solum possunt licitè bellum movere, sed etiam movendo merentur. *d. Cap. Omni, causa 23. q. 8.*

17. Infero tertiò, Imperatorem posse non solum bellum movere contra Turcas, aliosque Principes fideles, si adest legitima causa, sed etiam alijs bellum movendi facultatem concedere. Sic Imperatores Romani prædiorum Dominis expellendi metatores auctoritatem concedebant, *l. devotum, C. de metatoribus, lib. 12.*

18. Infero quartò, licere, causa justa existente Regi Galliarum, Regi Hispaniarum, Regi Portugaliæ, alijsque Regibus bellum movere, cum superiorem nullatenus recognoscant.

19. Infero quintò, licere Duci Sabaudiæ bellum indicere etiam Regibus, & etiam Imperatori, si justa adesset causa; quia in temporalibus nullius imperio subest. Et tradit etiam inter alios *Filliuc. tom. 2 tract. 29. cap. 9. q. 2. n. 180.*

20. Infero sextò, Venetos habere auctoritatem indicendi bellum; Testantur etiam Bar. *in l. Hostes, ff. de capt. & postlimin. reverf.* Bal. *in rub. ff. de rer. divis.* Jas. *in l. ex hoc jure, num. 26. ff. de just. & jur.* Petrus Bellus, *in tract. de re milit. par. 1. tit. 1. n. 2.* quia Respublica Veneta in temporalibus superiorem non recognoscit, ut testantur Jas. *in l. cunctos populos in 1. sect. num. 11. C. de sum. Trinit. & fide cathol.* & alij, *quos refert* Menoch. *in cons. 2. n. 63.*

21. Infero septimò, in Genuensibus residere auctoritatem bellum indicendi, quia Respublica Genuensis in temporalibus nullius dominium recognoscit; & quamvis olim sub aliorum imperio fuerit, hoc fuit non de jure, sed de facto, ut testantur Historici, & tenet Menochius *in d. cons. 2. n. 111.* & jam clarius constat Genuenses anno salutis nostræ 1162. Friderici primi liberalitate plena libertate donatos: Et Carolus V. anno 1529. cum aliquot dies in Civitate Genuensi commoraretur, Genuam esse liberam à superioritate Imperij testatus est, ut refert Menoch. *loc. citat. num. 53.*

22. Infero octavò, Lucensium Rempublicam posse bellum movere; quia, numeratis duodecim millibus coronatis, libertatem assecuta est ab alterius imperio, ut testatur Menochius *in d. cons. 2. num. 68.* ubi alios recenset.

23. Infero nonò, olim Rempublicam Florentinam jus sivè auctoritatem habuisse bellum movendi, quia superiorem non habuisse certum est, Testibus Soc. Sen. *cons. 273. colum. pen. lib. 2.* Jas. *cons. 70. col. 2. lib. 3.* Fel. *in Cap. Cum non liceat col. pen.* & alijs: nam illa Respub. numeratis sex millibus coronatis à Rodulpho Imperatore, libertatem est assecuta Platina in *vita Honorij Quarti Pontif. Max.*

24. Infero decimò, posse indicere bellum, justa existente causa, Duces Etruriæ, Mantuæ, Parmæ, & similes, quia alterius imperio non subsunt; & tradit inter alios Filliuc. *par. 2. in Decal. tract. 29. cap. 9. quæst. 2. n. 180.* quamvis hi Principes sint aliorum Principum feudatarij: Ut est Summi Pontificis Dux Parmæ in Statu Ecclesiastico, & Regis Hispaniarum in Regno Neapolitano. Ut est Regis Hispaniarum Magnus Etruriæ Dux, ratione aliquarum Civitatum in eodem Regno Neapolitano. Ut est Ecclesiæ Rex Hispaniarum, ratione Regni Neapolitani; quia hi Principes, tametsi aliorum sint Feudatarij, sunt nihilominus in suis Statibus supremi Domini; nec ratio feudi eis aufert supremam potestatem, ut doctè probant communiter Jurisperiti, à nobis, brevitati studentibus, omissi, & à Menochio *cons. 92. n. 32.* fideliter relati.

25. Infero undecimò, arma sumi posse in inferiores ab his, qui summæ potestatis auctoritate armantur, qualis fuit Nehemias armatus edicto Artaxersis adversus vicinos Regulos.

26. Infero duodecimò, duos, aut plures Respublicas uni Domino subjectas, non posse indicere bellum sine Domini licentia; ut sunt in Germania Principatus Imperatorem recognoscentes: excipitur casus consuetudinis in contrarium. Tradunt etiam Cajet. 2. 2. *q. 40. art. 1.* Victor. *relect. 6. de jure belli, num. 9. Sylv.* & alij.

27. Infero decimotertiò, duas Civitates uni Principi subjectas, non posse absque auctoritate Principis ad invicem bellum movere, non obstantibus quibuscumque gravibus injurijs, quas una inferat alteri, & Princeps non provideat. Contrarium tenent Laym. Becan. Molina, quorum doctrinam reprobat tanquam non tutam in conscientia, Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 3. n. 61.*

28. Infero decimoquartò, non licere Magistratibus inferioribus inferre bellum adversus eum, cujus summum est imperium Glos. *in Cap. Militare, causa 23. quæst. 2. & Cod. ut armorum usus, l. 1. lib. 11. sub tit. 40.* Et ratio est, quia omnis facultas gubernandi, quæ in Magistratibus reperitur, ita summæ potestati subijcitur, ut quid-

quid contra voluntatem summi Imperantis faciant, pro actu privato habetur: quod fundatur in bona Philosophia docente, ordinem non dari, nisi cum relatione ad aliquid primum.

29. Infero decimoquintò, Subditos unius Baronis, moventis bellum contra suum Regem, non teneri ei obedire, si manderet ei, ut juvent eum contra Regem, licet juraverint eum juvare contra quoscunque: quia, cum Baro non habeat supremam jurisdictionem movendi bellum contra proprium Regem, incidit *in l. Juliam majestatis. l. 1. ff. ad leg. Jul. majest.* nec juramentum ad hoc ligat, quia non est inventum, ut sit vinculum iniquitatis, *Cap. Inter cætera, causa 32. quæst. 4.*

30. Infero decimosextò, contra Hugonem Grotium hæreticum, de jure belli, & pacis. *lib. 1. cap. 4. & 5.* nefas esse privatis, sine auctoritate Principis, bellum gerere in privatos, cum privati careant summa potestate sivè jurisdictione. Excipitur casus justæ defensionis, & moderaminis inculpatæ tutelæ, in quo dat cuilibet natura jus se defendendi.

31. Infero decimoseptimò, quod movens bellum sine Principis licentia, occupare dicitur, quæ sunt Principis; atque adeò, in crimen læsæ majestatis incidit, *l. 3. ff. ad leg. Jul. majest.*

32. Infero decimooctavò, Bona capta in bello indicto sine auctoritate aut Principis, aut juris, aut Judicis, ad alium impugnandum, esse restitutioni obnoxia; quia hujusmodi Bellantes non dicuntur milites, sed latrunculi *l. qui à latronibus, ff. de testam.* Et tradit Graff. *par. 2. decis. lib. 1. cap. 20. n. 47.*

33. Infero decimononò, Bona capta ab omnibus Potentatibus Italiæ in bello justo, indicto Regibus, Principibus, aut Rebuspublicis, fieri eorum, cum jus, seu auctoritatem habeant bellum indicendi, præsertim si bellum fuit indictum Barbaris; vel è contra: à Barbaris eis indictum. Et sic pijssimus, atque invictus Imperator Leopoldus Primus potest sibi retinere tuta conscientia omnia, quæ in bello contra Turcas occupavit; justè enim bellat contra Hostes communes, & causam DEI gerit. Hac enim ratione Castra, & Civitates captæ à Populo Israëlitico in bello contra Ægyptios, fuerunt illius, ut habetur *in Cap. fin. causa 23. quæst. 2.*

II. DIFFICULTAS.

An Princeps, qui suspicatur, seu anceps est de justitia belli, antequam bellum incipiat, teneatur omni diligentia examinare causam belli, & judicare, an justa sit.

1. NOtandum primò, suspicionem esse passionem animi aliquid firmiter non eligentis Bal. *in rubr. C. de proba. num. 4.* vel esse animi motum ad aliquid cum vehementi titubatione. Idem Bal. *in l. ea quidem n. 3. Cod. de accusat.* & Bald. *in rubr. de controver. investit. n. 7.*

2. Notandum secundò, quod cum nulla adest ratio, nullaque causa, qua Princeps, aut Judex, magis in unam partem, quam in alteram incliner, eum dubitare dicimus. Ita Glos. *in l. de stat. ff. de testam. & in rubr. ff. de jur. & fact. igno.* Unde dubius is dicitur, qui, cum duas vias habet, utram eligat, nescit.

Notandum tertiò, non dari bellum per se, & directè ex utraque parte justum Valent. *tom. 3. disp. 3. q. 16. punct. 2.* Becan. *in 2. 2. cap. 25. quæst. 7.* Trull. *lib. 5. cap. 2. d. 4. n. 10.* Lorca. Reginal. & alij apud Dian. *par. 4. tract. 4. res. 24.* Opposita sententia est probabilis. 3.

Notandum quartò, omne bellum in dubio præsumi injustum. Host. *in sum. de tregua, & pace, & in Cap. Sicut, il terzo, de jurjur.* Aret. *in cons. 14. n. 7.* Quidquid dicat Abb. *in d. Cap. Sicut n. 19.* ibi asserens in dubio bellum præsumi justum, si à Principe non recognoscente superiorem fuerit indictum; secùs verò, si ab inferiore. 4.

Notandum quintò, dubium, atque incertum, illud esse dici, quando adsunt rationes hinc inde, ut tradunt Ancb. *in cons. 210. num. 2.* Afflictus *decis. 149. in fin.* Soc. *in rubr. & in l. si fuerit, ff. de reb. dub.* Nevic. *lib. 5.* 5.

Notandum sextò, duplex esse bellum, offensivum, scilicet, quo quis vim inferi illi, qui nec ipsum, nec res suas actu invadit; & defensivum, quo aliquis solum conatur repellere vim sibi, aut rebus suis actu illatam ab aliquo invasore: quod bellum semper est justum, licèt aliquam vim hosti inferri necesse sit, aut eum etiam occidi: dummodo tamen alter injustè vim inferat. Coninch. *de bello disp. 31. dub. 2.* 6.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Princeps qui suspicatur, seu anceps est de justitia belli, teneatur examinare summa diligentia causam belli, & judicare, an justa sit, antequam illud moveat, negativè videtur respondendum; cum Princeps non recognoscens superiorem, possit uti, etiam sine causa, plenitudine potestatis. Jas. *cons. 8. num. 50.* inter consilia Bruni. Bal. *in tit. de pace Constantia, in Glos. Non obstante*, quia plenitudo potestatis, quæ est arbitrij plenitudo, nulli necessitati subjecta est, nullisque juris regulis limitatur. Bal. *vol. 2. num. 40. Cod. de servit. & aqua peregr. art. 52. n. 122.* 7.

Veritas tamen est, Principem suspicantem de belli justitia, teneri diligenter examinare causam belli, vel per se, vel per idoneos, & pios Consiliarios. Filliuc. *tom. 2. tract. 29. cap. 4. de bello q. 8.* Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 4.* Trull. *tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 3.* alijque communiter. 8.

Moveor primò juribus *in Cap. Ad audientiam, & Cap. Petitio, de homicid.* ubi habetur, quod quando res dubia est, illa via est aligenda, quæ magis tuta est; & non potest tuta via eligi, nisi dubium per diligentem perquisitionem evanescat. 9.

Moveor secundò rationibus: nam operari cum conscientia practicè dubia, peccatum est: quod omnes fatentur ex Filliu. *tom. 2. tract. 22. cap. 4. de conscientia, num. 155.* Ratio est, quia sic operans exponit se periculo peccandi, juxta illud *Eccles. 3. Qui autem amat periculum, peribit in illo:* atque adeo Princeps dubius de justitia belli, tenetur per se, val per alios idoneos, consilio adhibito, causas belli indicendi diligentissimè examinare, an sint justæ, ut possit rationabiliter dubium 10.

depo-

deponere. Tum quia scimus, Principem suæ operationis & sui esse judicem: unde si judicium ferre nequit, Judices habere debet. Scimus pariter, Judicem, antequam sententiam proferat, teneri causam diligenter examinare, ut tradunt communiter Jurisconsulti, & Theologi. Deinde causa belli indicendi minimè examinata, exponeretur Princeps periculo injustitiæ contra proximum committendæ. Præterea, in bello agitur de summo naturæ Bono, quod est vita tot hominum: atque adeò summa adhibenda est diligentia, ut causa injustæ mortis aliorum evitetur.

11. Moveor tertiò exemplo in Romanis antiquis, qui nequaquam bellabant, nisi prius consulto Collegio Fecialium, ad id instituto, ut injusta damnorum causa tolleretur. Sic etiam Imperatores christiani vix, nisi auditis Episcopis, bella suscipiebant, ut si quid esset, quod aut rationem, aut Religionem offenderet, admonerentur. Isocrates quoque *in oratione adversus Ctesiphontem*, summopere laudat Philippum Macedonem, quod quas habebat cum Atheniensibus controversias, de ijs paratus esset, dubius de justitia causæ, arbitrium permittere alicui Civitati, æquæ utrique parti. Ex quibus sufficienter constat, causas examinatas à se, vel ab alijs idoneis, esse à Principe hæsitante bello præmittendas.

12. Concludimus igitur, Principem, qui suspicatur, seu anceps est de justitia belli, teneri, antequam bellum suscipiat, seu incipiat, diligenter examinare causam belli, & judicare, an justa sit.

13. Ad rationes in oppositum, respondemus nostro asserto minimè obstare: nam esto liceat impunè Principi in foro exteriori uti plenitudine potestatis; in foro tamen interiori non potest, absque peccati labe, uti plenitudine potestatis, sine causa, in proximi præjudicium. Sic sentiunt Peregr. *art. 52. sub num. 125. circa fin.* Bald. *in l. si testamentum Cod. de testam.* Host. *in rub. qui filij sint legitimi, col. penult. vers. quamvis autem, & vers. Imperator autem.* Paul. de Cast. *cons. 34. col. penult. vol. 2.* Alciat. *cons. 5. n. 15. vol. 4.* Atqui, stante dubio, non examinatis causis belli indicendi, posset uti plenitudine potestatis in præjudicium tertij. Ergo &c.

14. Infero primò ex dictis, non sufficere ad deponendum practicè dubium, quod credat Princeps se habere justam belli causam, sed teneri eam examinare, & audire rationes Adversariorum, si vellent ex æquo, & bono disceptare Trull. *tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 3.*

15. Infero secundò, quod quando Princeps non potest rectè noscere, an causa belli sit justa, nec ne, ex defectu usûs, aut peritiæ, tenetur audire Sapientum consilia. Vict. *de Ind. Rel. 1. num. 12. & de jure belli 21. & 24.* Et hac via agendi maximè utentur Reges, quibus artium momenta edi- scere, aut expendere vix vacat. Dicit enim Poëta. *Dat sapere Regi turba sapientum comes.*

16. Infero tertiò, quod, si facto sufficienti examine, adhuc Princeps remaneret æqualiter dubius de justitia belli, non posset illud indicere. Ita communiter Theologi: posset tamen ad dubium vincendum, se se aliorum proborum judicio remittere; ut fecerunt Corcyrenses apud Thucydidem, qui Corinthijs significant paratos se disceptare controversias apud Peloponnesi Civitates, de quibus inter ipsos convenisset. Sic olim Ardeates & Aricini, postea Neapolitani. & Nolani, de ambiguo Agro, cum sæpè bello certassent, multis invicem cladibus fessi, Judicem Populum Romanum cæpere: refert Livius *lib. 3 in fin.*

Infero quartò, quod, cum plerumque in rebus dubijs, post examen aliquod, animus non in medio hæret, sed huc, atque illuc ducitur, argumentis ex re petitis, aut ex opinione, quam habet de alijs hominibus, sententiam super ea re pronunciantibus, ut docet Vasq. *1. 2. disp. 62. cap. 1. n. 1.* Med. *1. 2. quæst. 14.* in tali fluctuatione expediret, ob institutum belli, vel pacis gratiam. Arbitros consulere. Periclem enim laudat Aristides, quod, ut bellum vitaretur, voluerit de controversijs Arbitros sumere. Hoc præcipuum Fecialium Romanorum officium fuisse testatur Plutarchus *Pomp. lib. 32.* 17.

Infero quintò, posse Principem uti opinione verè probabili, non tamen minus probabili, quando adsunt opiniones probabiles, circa justitiam belli. Trull. *loc. cit. num. 4.* nam in rebus moralibus tutè operatur, qui opinione verè probabili ducitur, dummodò non sit minus probabilis; cùm verum sit, quod scripsit Aristoteles *2. Eth. Nic. 1. in moralibus* non æquè, ut in mathematicis disciplinis, certitudinem inveniri. 18.

Infero sextò, quod quando Princeps speculativè dubitat, an bellum sit justum, practicè autem, scil. hic & nunc non dubitat, licebit ei, sine peccato, bellum indicere, Filliuc. *tom. 2. tr. 21. cap. 4. num. 156.* nam inter id, quod fieri oportet, & inter id, quod fieri nefas est, medium est, quod licet, quod fundatur in doctrina Aristotelis *3. Nicom. 1. Nic. 3.* dicentis, cui quid anteponendum sit, difficilis sæpè est judicatio. Tunc solum adhibenda est sufficiens diligentia ad vincendum dubium speculativum. 19.

Infero septimò, ad deponendum dubium practicum, propter bellum suscipiendum, non sufficere quamcumque causam, cum non debeamus res nostras persequi cum gravi aliorum incommodo, quale secum fert bellum, si causa est levis: quod etiam monet Aristotel. *Reth. ad Alex. cap. 3.* & Polybius 4. Et Veteres nequaquam laudaverunt Herculem, qui Laomedonti, & Augiæ arma intulit, ob non solutam laboris mercedem, Pauf. *lib. 3.* 20.

Infero octavò, Principem, qui ob causas leves, aut ad exigendas pœnas non necessarias, & magnum secum periculum trahentes, bellum movet, teneri subditis ad reparationem damnorum, quæ inde oriuntur. Cajet. *2. 2. quæst. 95 art. 8.* Molin. *tract. de just. disp. 102.* quia licèt non committat injuriam in hostes, vera tamen injuria afficit suos subditos, dum, ob tales causas, illis grave malum causat; ad quod vitandum, dicam cum Poëta. 21.

Sola gerat miles, quibus arma coerceat arma
Propertius.

Infero nonò, Principem, qui deposito dubio, bellum injuriosum, bona fide, gessit, cognita po- 22.

ftea injuftitia belli, teneri ad reftitutionem eorum tantum, quæ erant Adverfariorum, & apud ipfum in fpecie permanent, vel in virtute, quia ex eis ditior factus eft: à cæterorum verò reftitutione excufatur, quia bona fides, & ignorantia invincibilis liberat ab ea obligatione reftituendi, quæ oritur ex injufta acceptione, vel læfione. Lorca *in 2. 2. D. Tho. fect. 3. difput. 15. n. 4.* Diana *par. 6 tract. 4. ref. 30.*

23. Infero decimò, non licere Principi indicere bellum, inducto opinione probabili de juftitia belli, fi juftitia manet æqualiter dubia, & alter fit in poffeffione; cum melior fit conditio poffidentis, Filliuc. *tract. 29. cap. 9. quæft. 4.* Trull. *lib. 5. cap. 1. dub. 3.*

24. Infero undecimò, licitum effe Principi indicere bellum cum confcientia fcrupulofa, dictante id effe peccatum Filliuc. *tract. 21. cap. 4. de confcientia, num 176.* Sylv. *in fumma in verb. fcrupulus:* quia Princeps, non obftante confcientia fcrupulofa, poteft habere judicium probabile, quod illud bellum indicere non fit peccatum: fcrupulus enim ex levi fundamento procedit, quod non impedit adhærere opinioni contrariæ probabili, cum non efficiat opinionem probabilem, neque fit aptum illam efficere. Et hæc doctrina militat de omni fcrupulofo. Imò afferunt Theologi, ad tollendos fcrupulos, multum juvare operari contra illos, quotiescunque non impediunt determinatè affentiri parti contrariæ. Navar. *prælud. 9. num. 9.* Sylv. *v. Scrupulus*, & alij plures apud Sanch. *cap. 10. num. 81.*

25. Infero duodecimò, plures poffe effe caufas juftas belli à Principe cognofcendas. Prima eft, quando bellum fit ad repellendos hoftes. *Cap. Juftum cauf. 23. q. 2.* Secunda, quando bellatur ad defenfionem Reipublicæ, vel proprij Imperij, & Provinciarum ad id pertinentium. Covar. *in reg. peccatum §. 9.* D. Ang. *L. 99. q. 10. lib. 6. fuper Jofue. Glof. in Cap. Jus gentium, dift. 1.* Armilla, *verb. Sic bellum, num. 2.* Tertia, quando bellatur ad repetendas res, quæ per violentiam ab hofte retinentur. Menoch. *lib. 6. de præfumpt. præfumpt. 96. num. 6.* Covar. *d. §. 9. num. 4.* Quarta, quando bellatur adversùs Infideles impedientes prædicationem Evangelij, etiam in eorum Terris. S. Greg. *lib. 1. epift. 73. ad Gennadium. Cap. Si non ex fidei, cauf. 23. q. 4.* D. Th. *2. 2. quæft. 10. art. 8.* Quinta, quando bellum movetur, ut Impetrantur ea, quæ jure gentium permiffa funt, & per injuriam denegantur: ut v. g. tranfitus fine mora, & fine nocumento, ex una Regione in alteram, ut habetur in *Cap. ult. cauf. 29. q. 2.* eóque fenfu Cæfar dixit, *Arma tenenti omnia dat, qui jufta negat.* Sexta, quando bellatur ad vindicandam injuriam iniquiffimè latam Principi, vel Reipublicæ. *Glof. in Cap. Jus gentium, 1. dift.* S. Aug. *loc. cit.* & exemplum habetur 2. Reg. *cap. 10.* de Davide juftè bellum inferente Filijs Ammon. Sic etiam in bello Alex. adversùs Darium, fuit ultio injuriarum, quas Perfæ Græcis intulerant. Aliæ funt caufæ juftæ indicendi bellum, quas enumerat Diana *p. 6. tr. 4. ref. 3.* ubi refert alios Auctores eafdem caufas tangentes.

III. DIFFICULTAS.

An in Principe bellum inferente, debeat effe confcientia moraliter certa de jufta caufa Belli.

1. NOtandum primò, nomine confcientiæ intelligi communiter dictamen, feu judicium rationis, quo judicatur aliquid effe, fine culpa, agendum, vel non agendum; feu quod idem eft, aliquid effe hìc, & nunc licitum; ideóque confcientiam effe regulam proximam, juxta quam homo omninò tenetur excipere, & juxta illam, fuas actiones dirigere.

2. Notandum fecundò, confcientiam effe multiplicem, fed poffe diftingui præcipuè in quinque fpecies, nempe, veram & certam; erroneam, feu errantem; opinativam, feu probabilem; dubitantem, feu indeterminatam; fcrupulofam, feu martyrizantem. Confcientia igitur fi cognofcit objectum ficut re vera eft, dicitur vera: fi procedat ex aliqua ratione certa, faltem moraliter, dicitur vera, & certa: fi cognofcit objectum aliter ac re vera eft, dicitur erronea; ideóque femper eft improbabilis. Si cognofcit objectum per media probabilia, vel innixa alterius authoritati fide digni, vel ipfi rationi cum aliqua formidine oppofiti, dicitur probabilis. Si dicit fufpenfionem judicij, feu indeterminationem intellectus in unam, vel alteram partem, dicitur dubitans. Si ex idoneis rationibus judicat certò, vel probabiliter aliquod effe licitum, vel illicitum, cum formidine alterius, feu cum hæfitatione in contrarium, fine rationabili fundamento, feu ob leviffimas, five apparentes rationes, vocatur fcrupulofa. Sanchez *lib. 2. de Matrim. d. 41. num. 2. & lib. 1. in Decal. cap. 9. num. 1.*

3. Notandum tertiò, trés effe gradus certitudinis moralis, de qua hìc fermo procedit, nempè fummam, mediam, infimam. Summa moralis certitudo eft, quæ omnem formidinem excludit; media, quæ minimam aliquam formidinem admittit: infima, quæ majorem formidinem habet. Joan. Gerfon. *p. 2. operum, tract. de præparat. ad Miffam, confiderat. 3.*

4. Notandum quartò, præfumptionem effe duplicem, alteram juris, & de jure, alteram juris tantùm. Bald. *in rub. Cod. de probat. num. 8.* Menoch. *de præfumpt. par. 1. lib. 1. quæft. 2. num. 5.* Præfumptio juris, & de jure eft ftatus à jure promulgatus ex indubia conjectura. Bal. *in l. ea quidem, num. 6. Cod. de accuf. per l. cum oftendimus §. ult. ff. de fidejuff. tuto.* Dicitur præfumptio juris, quia à lege eft introducta; de jure verò, quia fuper tali præfumptione lex inducit firmum Jus. Felin. *in Cap. Quantò, n. 3. extra de præfum.* & alij. Hæc præfumptio aliquando nuncupatur neceffaria probatio artificialis, neceffitas legitima, feu neceffaria præfumptio. Bald. *in rub. Cod. de probation.* oriturque à principijs vel naturalibus, vel humanis; naturalibus, ut fi probetur mulierem habere lac in mammis: oritur præfumptio talem mulierem fuiffe corruptam. Humanis verò,

quan-

quando scilicet ortum habet ab indicijs, atque conjectura humana, lege, & ratione probatis. Farin. *quaest.* 38. *num.* 126. Bald. *loc. cit. num.* 6. Praesumptio verò juris est probabilis conjectura ex certo signo proveniens, quae, alio non adducto, pro veritate habetur. Alciat. *de praesumpt. in praelud. p.* 3. *num.* 1. Bald. verò in *rubr. Cod. de probat. num.* 4. cum alijs, sic hanc praesumptionem describit. *Est animi Legislatoris ad verisimile applicatio, onus probandi transferens*: ideòque, qui habet hanc praesumptionem juris pro se, transfert onus probandi in Adversarium. Dec. *in cons.* 32. *col. pen.* & alij plures Jurisconsulti.

5. Notandum quintò, magis esse, regulariter loquendo, praesumendum pro Reo, quàm pro Actore. Alciat. *tract. de praesumpt. reg.* 3. *praesum.* 44. *l. Favorabiliores, ff. de reg. juris, l. Inter pares, ff. de rejud. Cap. Cum sint, de reg. jur. in* 6. quia ex dicta regula suadetur liberatio, quae humanior est, *l. Arrianus, ff. de act. & obl. l. Absentem, ff. de poen.* Ideò Judex majorem consequitur honorem in liberando, quàm in condemnando. Paul. de Castr. *consil.* 296. *in fin. col.* 2. Dec. *in consil.* 105. & alij.

6. Notandum sextò, conscientiam esse sensum Animae cognoscentis bonum, & malum, ut declarat. Bal. *in Authen. Ad haec, vers. sed dubitatur, Cod. de usuris*; cui convenit sententia Ciceronis *in orat. pro Milone*, quae ita legitur. *Magna est vis conscientiae, Judices, & magna in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiserint, & poenam semper ante oculos versari putent qui peccarint.*

7. His cum aliqua prolixitate, ita exigente praesenti materia, annotatis, ad difficultatem propositam: an in Principe bellum inferente debeat esse conscientia moraliter certa de justitia belli, negativè videtur respondendum; nam ut bellum ex parte causae justum, licitumque sit, satis est Principem, qui illud movet, arbitrari se habere justam belli causam; aliàs nunquam, vel ferè nunquam justè inter Principes bellum moveretur.

8. Veritas tamen est, in Principe bellum inferente, debere esse conscientiam moraliter certam de justa causa belli, saltem certitudine morali media, juxta Nor. tertium. Valent. *in* 2. 2. D. Th. *disp.* 3. *quaest.* 16. *de bello, punct.* 2. Molin. *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 103. Suarez. *de bello, disp.* 13. *sect.* 6. *num.* 1. Castropal. *de conscientia opinan. disp.* 2. *punct.* 8 *n.* 4. Et ita pariter sentire videntur Jurisconsulti Alex. *in cons.* 33. *num.* 1. *lib.* 2. Dec. *in cons.* 291. *num.* 2. Bofs. *tit. de Convictis, num.* 10. Menoch. *in cons.* 673. *num.* 5.

9. Moveor primò juribus *in l. sciant cuncti, Cod. de probat. & l. qui sententiam, Cod. de poen. & Cap. Sciant cuncti, causa* 2. *quaest.* 8. *Cap. Epiphanium, caus.* 5. *quaest.* 6. ubi habetur, quod quando agitur de poena infligenda, probationes debent esse clarae, & apertissimae; quia ubi majus est periculum, ibi cautius est agendum, *l.* 1. *§. Sed & si quis, ff. ad Carbonianum.*

10. Moveor secundò rationibus: nam certum est, quod Princeps ad bellum inferendum, debeat habere conscientiam: & sicut ratio est discursus, quo deducitur conclusio; ita conscientia est ipsa conclusio deducta; ideò dicitur conscientia, quasi concludens scientia, Sylv. *verb. conscientia, num.* 1. vel cum alio scientia, cùm dicat ordinem ad aliquid. D. Th. 1. 2. *quaest.* 19. *art.* 5. & 6. Scientia verò importat certitudinem; adeòque si Princeps ad inferendum bellum debet habere conscientiam, ei incumbit obligatio habendi certitudinem moralem de causa justa belli. Praeterea, ex doctrina Ulp. *in l. merito, ff. pro socio*, habetur, delictum non praesumi, nisi probetur, quem refert Masc. *vol.* 1. *de probat. conclus.* 495. *num.* 1. Intrigl. *de casib. consc. cas.* 100. *num.* 1. ubi allegat innumeros circa hanc rem Jurisconsultos. Si igitur Princeps vult bellum movere ad vindicandam injuriam sibi illatam, tenetur illam probare. Probatio verò diligenter facta includit certitudinem moralem. Tum quia Princeps, qui bellum movet, rationem judicis subit circa Adversarios, in re gravissima; cùm non solùm agatur de re, propter quam bellum movetur; sed etiam de caede multorum, gravissimisque alijs damnis alteri Reipublicae inferendis, & fortasse multis Innocentibus. Judex verò etiam quando agitur de morte unius homunciónis, tenetur inquirere probationes, vel ipsa luce clariores, ut jubet. *Tex. in d. l. sciant cuncti, Cod. de probat.* Ergo Princeps debet ad inferendum bellum, claras inquirere probationes, cùm agatur de innumeris caedibus, vastationibus, excidijs, alijsque malis, quae secum fert Bellum. Cùmque agatur de populis, de Regibus, de Provincijs, de Regnis, atque de Ecclesijs. In ipsis autem probationibus claris adest certitudo moralis; atque adeò si Auctor belli tenetur hujusmodi probationes inquirere, tenetur pariter habere de justitia belli, seù de causa justa bellandi, certitudinem moralem.

Moveor tertiò exemplo in Regibus Castellae, & Lusitaniae. Cùm enim Joannes Tertius Lusitaniae Rex, antequam Regnum Lusitaniae cum Regno Castellae conjungeretur, Insulas Moluccas pacificè possideret, dubium oriri coepit tempore Caroli Quinti, an juxta divisionem illam Orbis, occidentem, & orientem versus, auctoritate Alexandri Sexti inter Reges Castellae, & Lusitaniae factam, Insulae illae ad eam partem Orbis pertinerent, quae ad Regem Castellae, an verò ad aliam, quae ad Regem Lusitaniae spectat. Interim dum certum non erat, ad quam partem pertinerent; neque Rex Lusitaniae tradidit eas, aut partem earum; neque Rex Castellae intulit bellum, sed negotium fuit rationibus accommodatum: ut videre est apud Historiographos: & etiam apud Molin. *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 103. Ex quibus constat, hos Reges verè Catholicos, conscientiam moraliter certam de justa causa bellandi minimè habentes, bellare noluisse: grave profectò peccatum, bellum movere, absque morali certitudine de justa causa bellandi, existimantes. 11.

Concludimus igitur, Principi nequaquam licere bellum inferre conscientiam moraliter certam de justa causa bellandi minimè habenti: ideòque omnes Principes teneri pacem servare, ipsos justa causa belli latente. 12.

Ad rationem in oppositum patet responsio ex dictis in primo, & secundo motu. Si enim ad justè 13.

justè bellandum satis esset Principem arbitrari se habere justam belli causam, sequeretur bella Turcarum adversùs Christianos, esse justa, quod asserere audebit nemo.

14. Infero primò ex dictis, teneri Principem arbitrio bonorum virorum judicium relinquere, si, adhibita diligentia, inveniat æquam probabilitatem pro utraque parte. Suarez. *loc. cit. num.* 5. cùm teneatur medijs uti honestis, vel ad vitandum bellum, vel ad justè bellandum. Neque hoc repugnat Principis dignitati: nam Princeps est legitimus suorum Adversariorum Judex: quilibet verò Judex, quando dubitat, potest causam ad jurisdictionem suam pertinentem transmittere decidendam ad consilium Sapientis Glos. *in l.* 2. *vers. deliberatione, Cod. de sent. ex peric. recit.* ibi Bald. *num.* 7. *& seq.* Dec. *in Cap.* 51. *pro debilitate, num.* 17. *de off. deleg.* Abb. *in Cap. Ad nostram, de consuetud.* & alij plures.

15. Infero secundò, non posse Principem bello, & armis repetere alium Principem; qui est in legitima possessione, si justitia belli dubia est, hoc est pro utraque parte sunt rationes apparentes, & probabiles. Vict. *Relect.* 6. *de jur. belli num.* 27. ubi subdit exemplum de Rege Franciæ, qui si est in legitima possessione Burgundiæ, si oriatur dubium an habeat jus ad illam nec ne, non videtur, quòd Imperator possit illi bellum indicere: quia in dubijs melior est conditio possidentis: & est lex Canonica ab omnibus observanda: ideóque non licet nobis expoliare possessorem re dubia. Contrarium tenet Castropal. *tom.* 1. *disp.* 2. *punct.* 7. *num.* 1.

16. Infero tertiò, quod quando jura partium semper sunt prorsùs æqualia, bellum non est movendum à Principibus; sed res est inter se dividenda pro quantitate dubij: aut sors mittenda, si rea mitsiter divisionem non paritur, vel alio medio termino negotium est componendum.

17. Infero quartò, si duo Principes habeant jura æqualia circa aliquam urbem, quæ à neutro possidetur, non posse alterutrum ex his bellum movere, ad urbem totam occupandam, aliumque excludendum; hoc ipso injuriam alteri faceret, quam posset justè repellere, & eo titulo justi belli totam urbem occupare. Suarez. *loc. cit. num.* 4. Castropal. *p.* 1. *disp.* 2. *punct.* 7. *n.* 4.

18. Infero quintò, Principi, seu Reipublicæ ad bellum gerendum contra aliam, non sufficere probabilitatem fundatam in jure, vel in facto (In jure est, quando adest opinio Doctorum v.g. Civitatem in aliquo certo casu posse ab alijs occupari. In facto verò est, quando duo, pluresve scriptoris, vel testibus contendunt v.g. Regnum ad se pertinere. Tho. Tamb. *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 3. *§.* 4. *n.* 29.) cùm probabilitas extrinseca excludat certitudinem moralem; sed esse tunc ad Judices recurrendum.

19. Infero sextò, quòd, quando Regnum vacat, hoc est, in nullius Regis est possessione; & durat dubium, cui competat; & res decisa per sententiam Arbitri non est nulli ex Regibus licet in ejusmodi probabili facti probatione bellum gerere, ut Regnum occupet. Vasq. Taner. quos sequitur Merolla *tom.* 1. *d.* 3. *cap.* 3. *num.* 204. sed remanet probabiliter in tali casu Regnum liberum, & potest se ad modum Reipublicæ exemptæ gubernare, aut Regem alium à Litigantibus eligere. Salas, 1. 2. *tract.* 8. *disp. unic. sect.* 13. *num.* 128. Ratio videtur esse, quia cùm jus, quod habent Litigantes, sit incertum, videtur Respublica succedere tanquam carens certo Successore: neque tenetur alteri illorum Regnum adjudicare, cùm non sit certum illi deberi.

Infero septimò, Judicem non posse cui voluerit hæreditatem applicare, quando jura sunt æqualia, & sub opinione positum est, cui magis jus arrideat, vel cum, quo unus excedat alium in probationibus facti, alius excedit in probationibus juris. Bannez 2. 2. *q.* 63. *art.* 4. *dub.* 1. Villalobos, *diff.* 15. *n.* 2. *&* 4. & alij. Sententia opposita, quam Suarez vocat communem, habet suam probabilitatem. Ita Castropal. *p.* 1. *d.* 2. *pun.* 10. *num.* 5. 20.

Infero octavò, Judicem necessariò debere sententiam ferre pro eo, quem certum est efficaciores probationes habere tam juris, quam facti, cùm debeat judicare secundùm allegata, & probata. Ità communiter DD. 21.

Infero nonò, quod si aliquis possideret pacificè rem aliquam, & ob illam, alius ei vellet, vel litem movere, vel bellum indicere, teneretur inquirere causas suæ possessionis, & tituli, & audire pacificè rationes alterius partis, ut possit ex illis veritatem cognoscere, an justè possideat; aliàs incurreret malam fidem multorum malorum causam. Molfes. *in Sum. par.* 2. *tract.* 12. *cap.* 3. *num.* 165. Judex tamen, in cujus manu res reperitur, si dubitat, de jure non potest spoliare re dubia, quia nemo spoliari potest sua possessione, nisi certò moraliter constet possidentem iniquè possidere. Tho. Tamb. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 3. *de conscien. §.* 4. *num.* 31. 22.

Infero decimò, quando plures Judices sunt à Republica electi pro causarum decisionibus, non posse licitè, unum se remittere sententiæ alterius, quia ideò Respublica plures Judices expostit, ut plurium suffragio, atque adeò cum majore certitudine, & cautione res decernantur; atque ad id Judices acceptantes officium cum Collegis, se tacitè obligarunt lege. Vasq. *p.* 1. *d.* 64. *cap.* 2. *num.* 5. 23.

Infero undecimò obiter, eum, qui certò scit commisisse peccatum mortale, & habet rationes probabiles se illud confessum esse, & habet pariter rationes probabiles non fuisse confessum, teneri illud iterum ad sacramentale Tribunal exponere, cùm non sit moraliter certus de confessione talis peccati. Contrarium tenet Suarez. *de pœnit. dist.* 22. *sect.* 9. *n.* 6. cum alijs. 24.

Infero duodecimò incidenter, in opinione probabili inter Medicos, an semen sit corruptum, negantibus alijs; alijs æquè affirmantibus, non posse sumi medicamentum directè illud expellens. Contrarium docet Sanchez *de Matrim. lib.* 4. *d.* 17. *num.* 19. 25.

Infero decimotertiò, pariter incidenter, Medico non licere applicare medicamentum, de quo dubius omninò est, an nociturum, vel profuturum sit: sed necessariò requiri, vel quod certus sit 26.

non

non obfuturum, vel quod probabile sit profuturum. Abb. *in Cap. Tua nos, de homic.* §. *ult. num.* 4. Innoc. *ibi num.* 1. Sylv. *v. Medicus, q.* 4. & alij: quia Medicus in tali casu, quantum est ex se, applicat causam efficientem mortis. Contrariam sententiam putat esse probabiliorem, Tho. Sanch. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 19.

IV. DIFFICULTAS.

An justè bellet Princeps habens quidem justam causam, sed non habens vires necessarias ad bellandum.

1\. NOtandum primò, ad justitiam belli requiri quidem injuriam vel impediendam, vel resarciendam, aut vindicandam, ut disponitur *in Cap. Dominus, causa* 23. *quæst.* 2. Et ita docet D. Tho. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. Vict. *relect.* 6. *de jure belli n.* 13. at non quamlibet, & quantamvis injuriam vel materialem, vel simul etiam formalem, esse sufficientem, ut bellum justè inferatur, sed oportere esse prudentis arbitrio, gravem, & dignam, & expedientem, ut propter eam, ad tot mala, quæ bellum secum fert, cædes, incendia, vastationes, & his similia, à Principe damnentur hostes, & obligentur subditi. Ita Vict. *loc. cit. num.* 14. Molin. *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 102.

2\. Notandum secundò, Principem in bello movendo posse esse injustum, non solùm respectu Hostium, quibus bellum infert; sed etiam respectu suorum subditorum, pro quibus infert, ut si bellum in maximum eorum detrimentum, aut minimum eorundem, Bonique communis emolumentum verteretur.

3\. Notandum tertiò, cum Molina *loco cit.* bellum à principio justum adversus hostes, posse postea fieri injustum contra subditos: ut si subditi maximis periculis, & damnis exponerentur, redditus publici ex magna parte deficerent, in bello consumpti; populi novis tributis, & exactionibus eorum vires exuperantibus, gravarentur: propterea Plutarchus in Numæ gestis, inquit: *Postquam justè posse suscipi bellum decrevissent Feciales, consultatum à Senatu, an ex usu esset suscipere.*

4\. Notandum quartò, cum Aristotele *de animal. mot.* propositiones, quæ actionem efficiunt, duorum esse generum, ab eo, quod bonum est, & ab eo, quod fieri potest; adeòque non omne, quod bonum est, faciendum est, sed illud tantùm est eligendum, quod æqualem, morali scilicet æstimatione, efficaciam habere videtur ad bonum, & ad malum.

5\. Notandum quintò, durante causa, durare & perseverare quid eam ob causam introductum, concessumque est, & è contra, illud cessare, causa cessante, ut per Tex. *in l. si cui*, §. 1. *ff. ex quibus causis major. l.* 2. §. *omnes ff. de jud.* & *l. semper* §. *negotiatores ff. de jure immunita.* & *Cap. Significatum de praben.* & *tradunt* Tiraquel. *in tract. quod cessante causa cesset effectus par.* 1. *n.* 17. Menoch. *cons.* 372. *num.* 10. Nald. *in sum. sub verbo missa num.* 7. & alij.

Hic annotatis, ad difficultatem propositam, an justè bellet Princeps habens quidem justam causam bellandi, sed non habens vires necessarias ad bellandum, affirmativè videtur respondendum; nam justum est bellum, si fuerint tres conditiones, quas exigit bellum justum, nempè, auctoritas supremi Principis, ut per *tex. in Cap. Quid culpatur, causa* 23. *quæst.* 1. & *Cap. Quod autem, eadem causa, quæst.* 2. *l. hostes*, ibi Bart. *n.* 14. *ff. de verb. signific.* & docet D. August. *lib.* 22. *contra Faustum, cap.* 74. Isidor. *lib.* 18. *ethymol.* Justa causa, ut est, in primo loco, defensio Reipub. vel proprij imperij, vel provinciarum ad id pertinentium. Covar. *in reg. peccatum* §. 9. *vers. inter alia: arg. Cap. Olim. il prim. extra de restit. spoliat. l. ut vim ff. de just.* & *jur. cap.* 2. *extra, de homic. l. Fures. ff. ad l. Cornel. de sicar. l. itaque, ff. ad l. Aquil.* Demum recta intentio; ut bellum sit ad bonum promovendum, & malum vitandum; ut non sit ex odio, aut propter prædam, sed propter pacem, justitiam, & charitatem. Positis igitur hisce tribus circumstantijs, seu conditionibus, sivè vires deficiant, sivè abundent, poterit Princeps adversus hostes bellare, bellumque erit justum.

6\. Veritas tamen est, nequaquam licere Principi bellum adversus hostes movere, vires necessarias ad bellandum non habenti, quamvis justam habeat causam, si ex tali bello maxima possent probabiliter oriri in perniciem status, ex defectu virium, detrimenta Vict. *relect.* 6. *de jur. belli.* Molin. *tom.* 1. *de just. tom.* 2. *disp.* 102. Valent. *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 16. *punct.* 2. Coninch. *de bello disp.* 31. *dub.* 4. *num.* 73. Suarez *de charit. disp.* 13. *sect.* 4. *num.* 8. & alij.

7\. Moveor primò Juribus *in Cap. Intellecto de jurejurand.* ubi habetur, quod Reges, & Principes dum coronantur, & Regni, ac Principatus administrationem suscipiunt, jurejurando promittunt jura Regni, & Principatus, ejusque honorem tueri, & defendere; & ibidem notat Bald, & secutus est Joannes à Platea *in l. Prædia, num.* 8. *Cod. de locat. prædio. civil. lib.* 11. Atqui bellare, absque viribus necessarijs, non videtur tueri & defendere, sed perdere, & dilapidare, contraveniendo ipsi juramento, *l. jubemus*, §. *sanè, vers. economus, Cod. de Sacrosanct. Eccles.*

8\. Moveor secundò rationibus. Docet Aristot. *cap.* 6. *Ethic.* illud esse per se medium, & objectum virtutis, seu justum, quod Prudens judicat, sivè præfinit. Atqui Prudens nunquam judicabit posse Principem hostibus indicere bellum, quando ex virium defectu nulla, aut exigua est spes victoriæ obtinendæ, sed sola necessitas subditos gravandi, eosque præsentibus gravissimis periculis exponendi, & successivè illis injuriam inferendi: & ideò si bellat, vires non habens ad bellandum sufficientes, injustè judicabit Prudens bellare. Merito igitur in parabola à Luca descripta, *cap.* 14. *num.* 31. à Christo Domino reprehenditur Rex, qui iturus committere bellum adversus alium Regem, non priùs cogitat sedens, an vires habeat pares, ita ut possit cum decem millibus occurrere hosti ducenti bis totidem. Prætereà, Princeps tenetur ex justitia magis providere Bono communi suæ Reipublicæ, quam proprio, aliàs

Tyrannus evadet: hoc enim, & quidem rectè Aristoteles 4. *polit. cap.* 10. constituit discrimen inter Regem, & Tyrannum, quod Tyrannus in proprium commodum & quæstum, Rex verò in commune, ac publicum bonum, Rempublicam administret. Respublica namque non est propter Regem, sed Rex propter Rempublicam, ut illam defendat, administret, & gubernet, non ad placitum suum, sed ad ejus utilitatem. Propterea, Gentes sibi Reges, & Principes constituerunt, eisque jus, quod habent, potestatemque distribuerunt. Ergò, ubi Princeps viderit bellum, quod hostibus infert, etiam ex justa causa, secuturum cum majori damno, & periculo suæ Reipublicæ, si bellat, peccabit, non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam, suæ Reipublicæ debitam,

9. Moveor tertiò exemplo in tot Principibus, & Rebuspublicis, quæ, ut narrant Historiæ, ex defectu virium, noluerunt contra hostes bellum movere, licèt justam habuerint causam bellandi, sic Tusculani videntes suas vires exiguas contra Romanos, noluerunt bellare, & omnia patienter sustinendo, nihilque recusando, pacem à Romanis meruerunt. Sic Legatus Justiniani Amalasunthæ Reginæ negavit armis se certaturum Livi. *hist. ab urb. cond. lib.* 6. Unde si inter summum habentes imperium aliquem adesse crederem adversus hostes absque viribus necessarijs bellaturum, illud libenter ei repeterem, quod apud Thuccididem
,, extat. Quidquid inopinum accidere potest in
,, bello, priusquam sumas, considera, ne nostris
,, temporibus renovetur, quod de Tebanis, qui
,, Alexandri Macedonis tempore vixerunt, scri-
,, bit Diodorus Siculus. Animi spiritu forti ma-
,, gis, quam prudente internecionem patriæ ac-
,, cersiverunt. Utinam hæc omnia à Principum
,, Consiliarijs, & Principibus perpenderentur, &
,, illis censura minimè deberetur, quam Plutar-
,, chus, Catoni, & Scipioni post victoriam Phar-
,, salicam, cedere Cæsari recusantibus dedit.
,, Culpandi sunt tanquam qui viros multos, &
,, egregios in Africa perdiderint nullo operæ pre-
,, tio,

10. Concludimus igitur, injustè bellare Principem, qui, quamvis justum habeat causam bellandi, non habet tamen vires necessarias ad bellandum.

11. Ad rationem in oppositum respondemus cum distinctione. Ut bellum sit licitum, & justum, sufficit quod simul concurrant illæ tres memoratæ conditiones, nempè Auctoritas suprema, causa justa, recta intentio, regulariter loquendo, concedimus, semper negamus. Non rarò enim evenit, ut plerùmque magis pium, rectumque sit de jure nostro cedere, ne detrimentum alterius jura patiantur; & in casu nostro, indubitatum est, quin teneatur Princeps potiùs cedere juri suo, & abstinere bello, cùm agatur de cædibus, incendijs, devastationibus, & alijs innumeris detrimentis, quibus, ipso bellante, subjicitur ejus Respublica.

12. Infero primò ex dictis, Principem in hoc casu, licèt habeat justam causam bellandi, tametsi bellat, teneri omnia damna restituere; quia peccat non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam, cùm damna, quæ ex bello sequuntur suis subditis, prævaleant utilitati victoriæ speratæ, Victoria *relect.* 6. *de jure belli, sub num.* 33. Suarez *disp.* 13. *de bello, sect.* 4. *sub num.* 8. Molina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 102. Castro Palaus, *de char. tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 3. *n.* 18. & alij, quibus non assentitur Diana *par.* 6. *tract.* 4. *resol.* 7. ubi affirmat hunc Principem peccare tantùm contra charitatem,

Infero secundò, Principem læsum teneri intermittere bellum justum, si ex tali bello ad majora bella irritarentur alij Principes in perniciem Ecclesiæ, dareturque opportunitas hostibus Ecclesiæ catholicæ invadendi, & occupandi Terras ad Christianos spectantes, Valentia *tom.* 3. *in* 2. 2. *D. Th. disput.* 3. *quæst.* 16. *de bello punct.* 2. §. *octavo*; Vict. *de jur. bell. num.* 33. Cast. Pal. *de char. tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 3. *num.* 18. ubi citat alios. Peccat saltem contra charitatem, qua tenemur antefeire nostris commodis majus bonum Communitatis. 13.

Infero tertiò, Regem habentem plura Regna, posse licitè bellare cum alterius detrimento pro altero, Suarez *loc. citat. num.* 9. quia licèt Regna sint distincta, ratione tamen unius Capitis, sub quo sunt, inter se politicè uniuntur, adeòque mutuò se possunt, & debent juvare. 14.

Infero quartò, Principem inducentem alios ejus consilio, vel timore, vel coactione, ad bellum illicitum, & injustum, teneri eis ad restitutionem in judicio animæ; nam qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur: ita Fr. Jo. *in sum. conf. lib.* 2. *de bellis, tit.* 5. *quæst.* 58. Asten. *lib.* 1. *tit.* 32. *art.* 6. 15.

Infero quintò obiter, teneri ad restitutionem Advocatum, qui per injustum consilium, quod judex est sequutus, damnum intulit parti. Graff. *in addit. in lib.* 2. *cap.* 64. Secùs verò, si judex non erat facturus secundùm consilium. 16.

Infero sextò obiter, judicem, qui suspendit reum morte dignum, sed valdè necessarium Reipublicæ, facere contra debitum sui officij, & consequenter peccare contra justitiam. Suarez *loc. cit. sub. num.* 8. ubi addit idem esse dicendum de medico dando medicinam, quæ præsenti ægritudini mederetur; sed majores postea inferret. 17.

V. DIFFICULTAS.

Princeps laicus cogitur bello necessario, & justè gerendo, concedere Hæreticis subditis libertatem conscientiæ, seu Religionis. Dubitatur, num debeat Apostolicam Sedem adire, illiusque determinationem expectare.

NOtandum primò, tres dari infidelitatis species, quarum prima est Paganismus, qua Pagani contradicunt fidei, quam nullo modo antea susceperunt. Secunda est Judaismus, qua Judæi contradicunt fidei in typis, & figuris antea ab eis professæ. Tertia est hæresis, & apostasia à fide, quibus Hæretici, & Apostatæ contradicunt Fidei Catholicæ, quam antea tenuerunt Alphons. Castr. 1.

lib. 1. de just. haret. punit. cap. 1. Azor. *p. 1. Instit. moral. lib. 8. cap. 21. q. 3.*

2. Notandum secundò, omni jure prohiberi in rebus civilibus cum Infidelibus communicare, quoties potest inde aliquod periculum probabiliter timeri, & præsertim cum Hæreticis, qui verborum lenoceniis continuo, quavis data occasione; conantur aliorum animos à vera fide avertere; unde hæreticorum conversationem evitare summoperè conatur suadere Fidelibus etiam firmis in fide S. Cyprian. *lib. 1. epist.* 1. *alias 55. ad* Cornel. *in fin.* Et idem communiter suadent Patres.

3. Notandum tertiò, Principes christianos non posse propriè, directè, & per se impedire, ut Infideles suis ritibus utantur; nam cùm ipsi nequeant judicare de fide, aut ex sua auctoritate aliquod circa eam statuere, nequeunt etiam prohibere aliquem ritum vivendi, præcisè quia veræ fidei aliquo modo adversatur, quando alias nihil continet contra jus naturæ. Possunt tamen per accidens id prohibere, quatenus hoc potest cedere in damnum Reipublicæ ratione malitiæ infidelium. Hæc Coninch. *disp. 18. de infidel. dub. 12. num.* 194.

4. Notandum quartò, quod Summus Pontifex, in Hæreticos, quamvis à fide vera defecerint, jus retinet, sicut Pastor in oves errantes, *Cap. Majores, de Baptis. cap. 1. de Sponsal. & ibi Glos. vers. Non debet*; & alijs juribus.

5. Notandum quintò, non debere Principes, absque causa, de Terris suis, quamvis possint, si velint, expellere Infideles: quinimò lege cautum est, ne ipsi molestentur, aut eorum bona deprædentur, & auferantur sub pœna dupli, ut est *Text. in l. Christianis, Cod. de Pagan.* nisi quid turbolentum tentaverint, aut contra leges quid fecerint, ut ibi dicitur.

6. Notandum sextò, hæreticum esse personam infamem. *Cap. Excommunicamus*, ubi Felin. & cæteri, *de haret.* & notam perpetuò sequi eum infamiæ, quamvis hæresim abjuraverit, ut sentit Oldrad. *in cons.* 210. *col. 1.* Non enim per abolitionem tollitur infamia, ut inquit Spec. *tit. de abolit. §. 1. in fin.*

7. His annotatis, ad difficultatem propositam, an Princeps laicus à bello compulsus, volens concedere Hæreticis subditis libertatam conscientiæ, seù Religionis, teneatur Apostolicam Sedem adire, ejusque determinationem expectare, negativè videtur respondendum: nam Princeps potest, inconsulto Pontifice, ex causa necessitatis publicæ, dare licentiam Judæis usuras exercendi; nec potest in hac re per Ecclesiam impediri. Ita Vadingus ex Societate JESU, *Tract. de contract. disp. 5. dub.* 13. *num.* 1. Sc ideò videtur posse Hæreticis, & ipsismet Hebræis libertatem concedere Religionis. Tùm quia, Honorius piissimus Imperator, ut refert Baronius *in Annal. anno.* 410. §. 47. cùm Attalus Tyrannus invasisset Imperium, & jam Africam esset tentaturus, leges, adversùs Donatistas datas, silere jussit.

8. Fateor hanc opinionem non paucis apparere probabilem. Contrariam tamen puto esse veriorem, nempè non posse Principem, etiam necessitate belli coactum, absque licentia saltem tacitâ Sedis Apostolicæ, concedere Hæreticis subditis libertatem conscientiæ, seu Religionis. Lugo *de Fide, disp. 19. sect. 2. 3. 4. n.* 124. Tancr. *to. 3. disp. 1. de fid. q. 9. dub. 3. n.* 101. Maldon. in Matth. *cap. 3. num.* 26. Petr. Hurtad. de Mendo. *vol. 1. de fid. disp. 79. n. 1. sect. 5. 6. §. 32. 33.* Et ita sentire videtur Coninch. *disp. 18. de Infidel. dub. 12. num.* 186.

Moveor primò juribus *in Cap. Cuncta. caus. 9. q. 3.* ubi dicitur, quod Sedes Apostolica de omnibus habet judicare. Et *cap. Nulli licet, Cap. Prædia, causa 12. quæst. 2. Cap. Videntes, caus. 16. quæst. 1,* addito Trid. *sess. 25. cap. 21.* ubi habetur, Bona Ecclesiastica vocari res DEI, ut DEO dicatas: unde de illis solus Pontifex, qui Vicarius Christi est, potest disponere: & Princeps in concedenda hæreticis libertate conscientiæ, solet cum illis pacisci de bonis Ecclesiasticis, quod ideò, inconsulto Pontifice, facere non potest. Et in *Cap. Ad abolendam, de haret.* ubi sub gravissimis pœnis præcipitur Principibus, Ducibus, ac Magistratibus christianis, ut Ecclesiam omni ratione juvent in hæreticis extirpandis: atque adeò, si Princeps coactus est necessitate belli concedere hæreticis libertatem conscientiæ, quam autonomiam vocant, debet à Pontifice impetrare dispensationem ab hoc præcepto. 9.

Moveor secundò rationibus: nàm certum est, ut omnes fatentur, quod Principes laici nihil possunt circa Fidem disponere, cùm & ipsi, sicuti & cæteri, sint Ecclesiæ subjecti: adeòque non possunt sibi arrogare jus disponendi de rebus Fidei Catholicæ repugnantibus, ut sunt hæreses, nefarijque usus falsæ Religionis, videlicet an urgente belli necessitate sint permittendi nec ne. Tum quia, soli Petro, & consequenter suis duntaxat Successoribus Canonicè electis dictum est à Christo: *Pasce oves meas Jo. cap.* 21. Arcere autem lupos, id est hæreticos, ab Ecclesiæ ovili; exercitium suorum errorum prohibere, aut tolerare, ad jus pascendi spectat, ut optimè probat Suarez. *Tract. de Fide, disp. 20. sect. 3. n.* 21. Et ideò soli Pontifici competit disponere in rebus Religionis de hæreticis, circa quos jus habet acquisitum ratione baptismi, cùm ejus characterem retineant. *Cap. Quod quidam, causa 1. quæst. 1. Cap. Non in nobis, de consecr. dist.* 4. 10.

Moveor tertiò exemplo in pijssimis Principibus, & presertim in Sigismundo Imperatore, qui, quamvis ab Hussitis, multis cladibus acceptis, premeretur, negavit tamen ijs Religionis libertatem: quare à DEO remuneratus est Regno Bohemiæ. Ita refert Brovius *to. 15. ann.* 1420. 11.

Concludimus igitur, Principi laico, non obstante belli justi necessitate, minimè competere potestatem concedendi hæreticis libertatem conscientiæ, seu Religionis, sed teneri pro hujusmodi concessione prius Sanctam Sedem adire, ejusque determinationem expectare. 12.

Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, non esse verum, quod Princeps laicus, inconsulto Pontifice, possit, ob publicam necessitatem, concedere licentiam Judæis usuras exercendi, ut optimè probant Jo. Malderus *de just. tract* 13.

tract. 5. cap. 3. dub. 14. §. 7. Joan. Vigers. *de just. tract. 5. c. 6. dub. 23. n. 111.* Sylvest. *in Sum. verb. Usura, n. 9. q. 22.* Et ita fuit decisum à Senatu Pedemontano, ut refert Thesaurus, *decis. 57. in fin.* Quapropter Dux Sabaudiæ volens concedere Judæis facultatem usuram exercendi inter Christianos, licentiam impetravit à Gregorio XIII. & à Sixto V. Idem tradunt doctissimi Jurisconsulti, Ancaran. *consl. 148.* Alex. *consl. 1. & 2. vol. 2.* Petrus Ruiz, *in decisionibus Lusitania, decis. 5. num. 308.* Et sic neque potest Princeps laicus, inconsulto Pontifice, concedere hæreticis libertatem conscientiæ.

14. Ad secundam; admittendo factum Honorij Imperatoris, quod nobis minimè obstat, quia Honorius nedum erat bello pressus, sed rationabiliter dubitabat, Attalum Arrianum Africam quoque subjugaturum; quare, cùm in tanto periculo Africa reperiretur, ut Arriano Imperatori subjicienda esset, sub quo Fides Catholica evidenter periclitaretur, justè, ac prudenter Honorius leges contra Donatistas silere jussit. Fatemur etiam & nos posse Principem concedere hæreticis libertatem conscientiæ, quando periculum moraliter certum perversionis Fidelium immineret, nec alia via posset Animarum ruina, & Fidei detrimentum evitari; tunc enim esset tolerare minus malum ad evitandum majus; quod licitè fieri potest, ut per *Tex. in Cap. Duo mala 13. dist.* & docent Laym. *lib. 2. tract. 2. cap. 17. n. 4.* Coninch. *de v. fidel. disp. 18. dub. 12. num. 195.* ubi dicit, hanc esse sententiam D. Thomæ, cùm permissio libertatis conscientiæ non sit quid intrinsecè malum, sed aliquando possit bono honestati fine, ut est impedire dilatationem hæresum, perversionem Fidelium.

15. Infero primò ex dictis, non posse iniri fœdus cum Hæreticis, Turcis, aliisque Infidelibus, inconsulto Pontifice, si fœdus à Principe catholico ineundum contineat libertatem conscientiæ, seu exercitium falsæ Religionis. Hurtadus *de fide, vol. 1. disp. 78. §. 8. & disp. 79. sect. 5. §. 32.* Card. Lugo *de fide, disp. 19. num. 101.*

16. Infero secundò, non posse Principem laicum, absque licentia Sedis Apostolicæ, inire fœdus cum Turcis, aut aliis Infidelibus, in casibus à jure Ecclesiastico prohibitis, qui undecim à Doctoribus numerantur. 1. nempe habitare cum Judæis. 2. eorum azymis vesci. 3. eorum medicis uti. 4. ab eis medicinas accipere. 5. simul cum eis in balneum ingredi. 6. invitare Judæos ad convivia, vel ad eorum convivia accedere, *Cap. Omnes, causa 18. quæst. 1.* 7. esse obstetrices, aut nutrices eorum infantium, in eorum domibus. 8. eis famulari. 9. aliquid Judæis in testamento relinquere, vel legatarios eos facere, *Cap. Si quis Epis. de hæret.* 10. servitutis vinculo subjici. 11. publica officia illis committere, *Cap. Constituit, causa 17. quæst. 4.* Quos casus permittentes, inconsulto Pontifice, sunt excommunicandi. Diana *tom. 9. tract. 13. Res. 8.*

17. Infero tertiò, libertatem conscientiæ permissam à Principe laico, inconsulto Pontifice, esse nullam in iis omnibus, quibus eget Ecclesia ad exequendas Canonicas pœnas in hæreticos, cùm sit absque legitima jurisdictione; & sic talis libertas esset abroganda.

Infero quartò, obligari Principem sub mortali potiùs Principatui ab alio Principe invaso cedere, quàm domum DEI prodere, seu libertatem conscientiæ suis subditis, ut se defendant, concedere, inconsulto summo Pontifice; unde Joannes Chrysostomus, teste Sozomeno *lib. 8. cap. 4.* Gaynæ generali Exercitus Duci Arriano Ecclesiam concedere noluit, quamvis Arcadius Imperator ob Gaynæ rebellionem, in extremam Imperij necessitatem deductus, id instantissimè flagitaret, ea proferens verba in libro æternitatis aureo calamo registranda. *Satiùs esse imperio cedere, quàm prodere domum DEI.* Et S. Joannes Papa Primus, & Martyr, teste Gregorio Turonensi, *lib. de glor. Mart. cap. 40.* permovere renuit Justinum pissimum Imperatorem ad reddendas Arrianis Ecclesias, non obstante mandato Theodorici Arriani Regis Italiæ, excidium toti Italiæ, nisi hoc faceret, comminantis; imò favente sibi Justino Imperatore, quascunque Ecclesias in illis Arrianorum partibus repertas, ad quas ire fuit compulsus à Theodorico, in catholicas consecravit; propter quod detrusus fuit in carcerem, coactus ibi ærumnis vitam ducere. 18.

Infero quintò, non posse ex injustis causis fieri pacem, & fœdus cum Infidelibus, inconsulto Pontifice, præsertim si contra eum, & Ecclesiam fieret, & fieret tempore, quo, ab universis Christianis, indictum esset bellum Infidelibus. 19.

Infero sextò, posse Summum Pontificem prohibere sub gravibus censuris bellum, quamvis aliunde licitum, si annexam habeat necessitatem concedendi libertatem conscientiæ cum damno Catholicæ Fidei. Ita etiam Sotus *in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 1. conclus. 4.* Coninch. *de charit. disp. 31. n. 72.* Castropalaus, *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 2. num. 6.* Dicastill. *de just. lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 16. §. 4.* Lorca, *2. 2. q. 40. sect. 3. disp. 53. n. 1.* Victor, & alii. 20.

Infero septimò, Pontifici prohibenti bellum ob bonum commune Christianæ Reipublicæ, teneri Principem Catholicum, non solùm parere, sed etiam persequi hæreticos bellantes, nec cum eis rebellibus pacem inire tolerando hæresim, quamvis propter hoc illi expediat omittere bellum cum alio Principe Catholico, pro conservatione alicujus Regni prætensi, cujus possessionem habet Catholicus Dominus. 21.

Infero octavò, Fideles non debere contrahere matrimonia cum Infidelibus, cùm non possit esse amicitia, & conjunctio Fidei cum infidelitate, ut habetur ex 2. Cor. *cap. 6. vers. 14.* & tradit Cyprianus, *lib. 4. epist. 3. ad Cornel. in fin.* & docet Coninch. *disput. 17. de subject. fidei, dub. 3. sub num. 36.* 22.

Infero nonò, Principes Christianos, quamvis non possint prohibere peccata opposita juri Canonico Infidelibus suis subditis, posse tamen eis prohibere peccata externa, quæ sunt contra legem naturæ, eosque punire, unde posse eis prohibere omnem cultum falsorum Deorum, divinationem, magiam, ac similes superstitiones; cùm hæc spec- 23.

tè

tè repugnent legi naturæ: & ideò Constantinus, aliique primi Imperatores Christiani jusserunt statim, ac commodè potuerunt claudi Templa idolorum, ac omnia eorum Sacrificia cessare.

24. Infero decimò incidenter, nobis non licere aliquid legare Infidelibus, videlicet Judæis, aut Paganis, & probat *Tex. in Cap. Sane, causa 24. quæst. 2. & Cap. Si quis Episcopus, §. de hæret.* unde *l. 1. Cod. de Jud.* decernitur, invalidum esse legatum factum Universitati Judæorum.

25. Infero undecimò, Principem laicum non posse præstare hæreticis salvum conductum eum præjudicio Ecclesiasticæ Jurisdictionis, eùm non habeat vim in jurisdictionem, & leges Pontificis, posse quidem Principem laicum dare immunitatem hæretico ab iis pœnis, quæ in suo Statu infliguntur solo jure civili, non verò ab ijs, quæ jure Canonico decernuntur, docet Petr. Hurtadus, *de fide, disp. 79. sect. 5. §. 35.*

26. Infero duodecimò, Principem laicum teneri stare salvo conductui, dato hæretico in iis, quæ ab ipso pendent, non verò in iis, quæ pendent à Pontifice.

27. Infero decimotertiò, Principes, qui sunt DEI Locumtenentes, teneri ex fide defendere Divinæ Majestatis honorem, qui, ut docet Card. de Lugo, *de fide disp. 14. sect. 4. num. 62. & 63.* per hæresim læditur, & hæresis per libertatem conscientiæ grassatur: concessa enim libertate conscientiæ, plurimi labuntur in hæresim ex fragilitate; & multi alii sine ulla culpa ex ignorantia nempè invincibili, ut sunt pueri, simplices mulierculæ, & Rustici, quibus tamen hæresis materialis, præterquam quod potest facilè in formalem degenerare, affert itteparabile damnum salutis æternæ, ob carentiam Sacramentorum Ecclesiæ Catholicæ; unde Principes Christiani tenentur, non permittere libertatem conscientiæ ex virtute charitatis, justitiæ, Religionis, & Fidei.

VI. DIFFICULTAS.

An Principi Catholico justè bellanti adversùs alium Principem Catholicum, liceat inire fœdus cum his, qui à vera Religione alieni sunt, ad bellum, sive offensivum: sive defensivum prosequendum.

1. NOtandum primò, fœdus, si etymologiam spectemus, esse pacem, quæ fit inter dimicantes, vel à fide, quæ intervenire debet, à Fecialibus ita dictum; per ipsos enim fiebant fœdera, sicut bella per sæculares: quidquid dicant alij sentientes, fœdera dici à porca fœde, & crudeliter recisa, cujus mors, & interitus illi devovebatur, qui à pace resilisset: unde Virgilius:

Et fœda jungebant fœdera porca.

2. Notandum secundò, fœderis propriè duo esse genera, ut explicitè ostendit Proculus *in l. Non dubito, ff. de capt. & postlim. reversf.* unum quod æquum, amicitiæ causa factum appellatur, & veram utraque ex parte æqualitatem habebat: alterum verò, quod minus æquum, sive impar nuncupatur, & efficit, ut unus populus sit alteri superior, ut ostendunt Proculi verba *in d. l. Non dubito.* Quidquid dicant alij, tertium fœderis genus admittentes, quod deditum appellant, inter quos Menippus Regis Antiochi ad Romanos Legatus, referente Livio, *lib. 34. litt. K. circa finem.*

Notandum tertiò, Fœderatos Populi Romani olim fuisse eos, cum quibus Populus Romanus amicitiam contraxerat, sociosque Romani Populi fuisse appellatos, ut notavit Budæus vir singularis eruditionis in *annot. Pandectarum ad d. l. Non dubito, ff. de cap. & postlim. reversf.* & post eum Alciat. *resp. 460. n. 1.* explodendo tanquam malam Accursij interpretationem, qui Fœderatos interpretatus est illos esse, eum quibus induciæ factæ sunt. 3.

Notandum quartò, quòd olim fœdus authoritate Populi Romani, non Regis firmabatur; neque ad tempus, sed in perpetuum erat per Fecialem publicum Populi Romani Nuncium solemni præcatione adhibita, ut refert ex M. Tullio, Livio, Suetonio, Polybio, & alijs. Carolus Sigonius *lib. 1. de antiquo jure Italiæ cap. 1.* 4.

Notandum quintò, fœdus, sivè quod æquum, sivè quod impar appellatur, non esse de sui natura illicitum; cùm laudabiliter sit inter Principes Catholicos usitatum; sic fœdus non semel inter se percusserunt Carolus Quintus Imperator, & Franciscus Galliarum Rex, nec non illius Successores, ut refert Petrinus Bellus, *tract. de re militar. par. 10.* 5.

Notandum sextò, in quocunque fœdere semper fœdctum ab utraque contrahentium Parte eligi conditiones; quæ sunt inter alias, & præcipuè non finere exercitum adversùs socios, amicosque eorum ductum, per fines suos transire; neque ullo opere hostes juvare, arma in eos ferre, bellumque pariter agere, Profugos, Fugitivos, Captivósque reddere. 6.

Notandum septimò, fœdus, quod dedititium appellatur, esse, quando duo Principes bellum inter se gesserunt, & unus tantùm ab alio fuit superatus, & victus sese ipsi victori dedit: & deditio potiùs, quàm confæderatio dicitur, cujus conditio iniqua est, ut tradit Menochius *in cons. 1042. num. 16.* 7.

Notandum octavò, idem non esse fœdus inire cum his, qui à vera Religione alieni sunt; & advocare alienos à vera Religione ad bellandum contra Fideles. Primum enim dicit reciprocam promissionem juratam, seu pactum de bellica societate observanda in offendendo, vel defendendo, vel utrumque faciendo, invita altera parte, non rescindendum; quia in contractibus alternatim, & coæqualiter oritur inter Contrahentes actio, & obligatio, ut per *Tex. in l. Labeo, §. Contractum, ff. de verb. signif. Cap. Quod semel, de reg. jur. in 6.* præsertim si contractus est juramento roboratus, semoto tamen Animæ detrimento, *Cap. Cùm contingat de jur. juran.* vel ex justa causa Fœderatorum. Secundum, seu advocare alienos à vera Religione ad bellandum, importat tantùm operam, & servitium eorum, quousque 8.

 Prin-

Principi, pro bello aliquo, aut facinore, illis uti expedire videatur, cùm Principi militem dimittere ad libitum concedatur. Crispol. *in casib. militar. cas. num.* 22.

9\. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Principi Catholico justè bellanti adversùs alium Principem Catholicum, liceat inire fœdus cum his, qui à vera Religione alieni sunt, ad bellum, sive offensivum, sive defensivum gerendum, sive prosequendum, affirmativè videtur respondendum cum pluribus. Nam distinctio Fidelium, & Infidelium est ex jure divino. D. Tho. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 10. *in comp.* Jus autem divinum, quod est ex gratia, non tollit jus humanum, quod est ex naturali ratione: ideóque distinctio Fidelium, & Infidelium secundùm se considerata non tollit bellicam societatem, quæ est à jure naturæ. Præterea, quidquid agitur ad necessariam sui defensionem, jure fieri existimatur, per legem tùm naturalem, tùm civilem, tùm etiam Canonicam, ut per *l. Ut vim, & ibi DD. ff. de just. & jur. l. Scientiam, §. Qui cum aliter, ff. ad leg. Aquil. Cap. Jus naturale, 1. dist. Cap. Si verò, de sent. excom.* adeóque non est intrinsecè malum; nam quod est ex in sui natura malum, non potest concedi jure civili, & Canonico. Quæ jura fundantur super naturali lege, quæ est participatio legis DEI æternæ. Inire autem fœdus cum alienis à vera Religione, ordinatur ad necessariam defensionem Principis ineuntis. Tùm quia, extant in Sacra Scriptura exempla fœderis Fidelium cum Infidelibus. Gen. *cap.* 21. ubi legitur, Abraham fœdus percussisse cum Abimalech Rege Palestinorum. Gen. *Cap.* 31. *num.* 44. habetur fœdus Jacob cum Labane. 1. Machabeorum *Cap.* 8. & alibi, dicitur, Machabæos viros sanctos fœdus statuisse cum Romanis infidelibus, cum Bacchide gentili, cum Ptolomeo Rege Ægyptij. Neque Lex Evangelica aliquid in hac parte mutavit, ut notant hujus sententiæ Auctores. Ex quibus constat licere Principibus Christianis fœdus inire cum Infidelibus, ad bellandum contra Fideles, quando se, & sua tueri non possunt.

10\. Fateor hanc opinionem, quæ communis est, speculativè consideratam, à veritate minimè discedere. Contrariæ tamen (loquendo de fœdere strictè sumpto, & quatenus importat; seu exigit conditiones supra notatas, & infra clariùs explicandas) libenter adhæreo, cum doctissimis Jurisperitis. Cacheran. ab Obsasco, *in disput. An Principi Christiano, quæ est ult. post ejusdem decisiones Sacri Senatus Pedemontani, num.* 11. Petr. Bell. *de re militari, par.* 2. *tit.* 17. Calist. Raminez, *de lege Regia*, §. 20. *num.* 63. & alijs.

11\. Moveor primò juribus *in Cap. Sæpè, Cap. Nullus, causa* 28. *quæst.* 1. *Cap. Non oportet, & seq. causa* 1. *quæst.* 1. ubi Catholicis interdicitur omne Commercium cum Infidelibus. Et Clemen. 1. *§. Porrò, de jur. jur.* ubi expressè prohibetur Imperatori confœderatio cum Paganis, & Saracenis; quæ prohibitio extenditur ad omnes Principes Catholicos, juxta sensum Card. *in d. §. Porrò, in* 1. *Not. l. Quisquis, Cod. ad l. Juliam Majest.* ubi Bellantibus interdicitur cum Barbaris facto,

12\. Moveor secundò rationibus: nàm de natura fœderis est, ut Confœderati se ad invicem adjuvent: unde si Fideles fœdere, & amicitia cum Infidelibus conjunguntur, sicut Infideles adjuvant Fideles, ita & Fideles tenentur adjuvare Infideles, etiam contra Fideles, casu ita exigente; quod expressè Fidelibus prohibetur *in Cap. Ita quorumdam de Juda.* & in Bulla Cœn. *Can.* 7. sub pœna excommunicationis. Tùm quia, hujusmodi fœdus exponit periculo Religionem Christianam, & Fidem Catholicam: nàm qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur. 1. Cor. *Cap.* 6. Fidelis igitur, si Infidelibus fœdere adhæret, unum corpus cum illis constituit: & sic Religio, & Fides in eo detrimentum patitur, juxta illud Psalm. 17. *Cum electo electus eris, cum perverso, perverteris.* Tùm quia, Infideles ratione fœderis potentiores adversùs Ecclesiam evadunt. Augere autem Infidelium vires, seu potentiam in Reipublicæ Christianæ perniciem, omnia jura vetant. Tùm denique quia, Fidelium fœdera cum Infidelibus à DEO sæpe videmus severè puniri. Joannes Cathacuzenus, & alij Imperatores Orientis propter societatem, & fœdus, quod cum Turcis percusserunt, ab eisdem Turcis ab Orientis imperio fuerunt ejecti, ut ex Turcarum gestorum Scriptoribus refert Matt. Cunun. in suo *tract. de pact. lib.* 1. *cap.* 22. *sub num.* 91. ubi mentionem facit de lacrymabili illa Sebastiani Regis Lusitaniæ expeditione, qua suum Exercitum cum Muleio Mahometo Mauritaniæ Rege univit. Scimus autem nihil à DEO puniri, nisi quod malum est.

13\. Moveor tertiò, exemplo in Moyse, qui ex DEI mandato prohibuit Israelitis fœdus cum Getheo, Gereseo, Amoreleo, Cananæo vitis idololatris. Deuteron. *Cap.* 7. & in pluribus Regibus, & Principibus timoratæ conscientiæ, quos noluisse fœdus cum Hæreticis, Turcis, alijsque Infidelibus inire narrant Historiæ.

14\. Concludimus igitur, Principi Catholico, justè adversùs alium Principem Catholicum bellanti, minimè licere fœdus cum ijs inire, qui alieni sunt à vera Religione, ad bellum, sivè offensivum, sivè defensivum prosequendum.

15\. Ad rationes in contrarium patet responsio ex dictis. Præterquam quod loca Sacræ Scripturæ, & jura allegata intelliguntur de fœdere non strictè sumpto, quatenus scilicet importat pactum juramento firmatum de mutuo auxilio præstando, de quo hîc loquimur, sed de fœdere latè sumpto, nempè quatenus dicit advocationem Infidelium, necessitate belli justi existente; & nihil aliud probare, videntur rationes adductæ, quodque nos pariter approbamus, ut patebit in alijs Diff.

16\. Infero primò, ex dictis, posse à Principe rescindi fœdus, sive pactum bellicæ societatis cum Infidelibus, ipsis invitis, etiam stante necessitate defensionem exigente. Ratio enim naturalis dictat bonum spirituale Animæ, & bonum commune Religionis & Fidei esse præferendum bono corporis, & bono temporali totius Reipublicæ, ut docet Less. *lib.* 2. *de just. & jur. cap.* 9. *dub.* 2. *num.* 40. & periculum esse vitandum jure naturæ, ut notat Sanchez *lib.* 2. *in Decal. cap.* 6. *sub num.*

num. 8. quod periculum adesse in dicto fœdere nostra sententia supponit. Neque obstat juramentum, quo fœdus fuit firmatum, quia juramentum non est vinculum iniquitatis, seù rei illicitæ, ut habetur in *Cap. Inter cætera*, *causa* 22. *q.* 4.

17. Infero secundò, si Infideles aliquid dederint Principi Catholico ob tale fœdus patrandum, talem donationem esse invalidam, sicuti & quamlibet donationem, excepto casu meretricis, juxta communiorem sententiam, ob turpem causam; & successivè, accipientem teneri restituere: quia sicuti promissio ob turpem causam est invalida, ut per Tex. *in l. Generaliter*, *& l. Si stipulor*, *ff. de verb. oblig. & cap. ult. de pactis*, ita etiam & datio ob turpem causam.

18. Infero tertiò, promissionem, pactum, pro fœdere patrando, vel pro quavis re turpi facienda, nullam habere vim ante rem turpem patratam; adeóque liberum esse cuique Contrahentium discedere à pacto, & promissione, eumque, qui pretium accepit, teneri ad restitutionem. Ita disponitur in *causa* 22. *quæst.* 4. per multa Capitula, & præsertim, *Cap. In malis*, ubi dicitur: *In malis promissis, rescinde fidem. In turpi voto, muta decretum. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur*: *& in l. Si plagij*, *ff. de verb. oblig.*

19. Infero quartò, incidere in Canonem septimum Bullæ Cœnæ, deferentem arma, aut alia prohibita in Bulla, ad Principem Christianum, habentem fœdus cum infidelibus, animo præstandi auxilium contra Fideles, etiam occasione Religionis, quoties rationabiliter timet, præfatum Principem armis illis usurum in auxilium prædictorum Infidelium adversùs Christianos. Navar. *in Cap. Ita quorumdam*, *num.* 27. *de Judæ*, Duard. *in Bull. Cœn. Can.* 7. *q.* 6. *num.* 6.

20. Infero quintò, quod licèt, stante probabilitate contrariæ sententiæ, Princeps adjuvans vi fœderis Infideles contra Fideles, non sit certò Excommunicatus, & Excommunicatio Bullæ illum minimè obliget ad culpam in foro interiori. Covar. in *Comment. Const. Alma Mater*, §. 7. *num.* 5. Abb. *in Cap. A nobis il secondo*, *extra*, *de sent. excom.* Nihilominùs hujusmodi excommunicatio non erit in foro contentioso contemnenda, sivè certa sit, sivè dubia: quemadmodum excommunicatio, sivè justè fuerit lata, sivè injustè, non debet contemni. Habebit enim necesse talis Excommunicatus petere absolutionem, saltem ad cautelam. Covar. *in d.* §. 7. *n.* 5. *vers. Tertia conclusio*, & plures alij, quos citat, & sequitur Intrigliol. *in suo tract. de casib. conscientiæ*, *cas.* 71. *sub n.* 9.

21. Infero sextò, licere Principi fideli inire fœdus cum Infidelibus adversùs alios Infideles, illosque adjuvare, dummodò bellum, quod habent inter se, sit justum. Molina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 21. Quod illustratur exemplo Machabæorum, qui fœdus cum Romanis adversùs alios Idololatras iniere.

22. Infero septimò, nulla existente fœderis obligatione, peccare Principem fidelem, si juvat Hæreticos, Turcas, aliosque Infideles pugnantes contra Fideles, etiamsi illi Infideles habeant politicè justum bellum contra Fideles. Roder. Arriaga *in* 2. 2. D. Th. *disput.* 48. *sect.* 2. *num.* 45. quia faveret Hæreticis, & favendo Hæreticis, faveret hæresibus, ut doctè probat Card. Lugo, *tract. de fide*, *disp.* 25. *sect.* 1. *n.* 12.

Infero octavò, Principes Catholicos ineundo fœdus cum Hæreticis, vel Turcis, & alijs Infidelibus, licèt non errorum contemplatione, id faciant, sed temporalis negotij causa, incidere probabiliter in censuras, à Sacris Canonibus Hæreticorum Fautoribus impositas, quod etiam videtur colligi ex verbis Martini Quinti, in Bulla contra errores Wicleffi, & Joannis Hus, ut habetur post *ult. Sess.* Concilij Constantiensis. Auxilium enim Hæreticis præstitum, videtur cedere in favorem hæresis, ut probatur ex varijs Tex. *in tit. de hæret. in* 6. & præcipuè *ex Cap. Accusatus*, §. *Sacerdotes*, ubi impedientes Inquisitionis officium compesci possunt, tanquam fautores hæreticorum; *& Cap. Commissi*, ubi conferens beneficium Hæretico cognito, quamvis sit consanguineus, privatur beneficio, & alijs pœnis punitur. 23.

Infero nonò, Summum Pontificem, quamvis secundùm aliquorum sententiam, non posset absolutè Principes Christianos, ex justitia ad suum Tribunal vocare, cùm in eos temporalem potestatem non habeat directè, & immediatè, sed tantùm spiritualem; tamen si bellum, quod exercent, in damnum Religionis Catholicæ cedat, posse sub censuris illis prohibere, ne bellando, cum Hæreticis, aut Turcis fœdus contrahant, & ne ampliùs illud gerant. Dicastil. *de just. lib.* 2. *tract.* 1. *disp.* 10. *dub.* 16. §. 4. *num.* 309. Columb. *de Hierar. Angel. & humana*, Bossius, & alij admonentes in hoc se debere cum magna cautela Pontifices gerere, cùm ad evitanda majora damna, seù mala, necesse sit aliquando dissimulare; & ità præcipuè advertit inter cæteros Bossius in *Moral. tom.* 1. *tract.* 1. §. 30. *num.* 1044. Villalobos *in Sum. tom.* 2. *tract.* 5. *diff.* 4. *num.* 7. Molin. *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 102. In quo casu, seu majora damna, ex sua coactione oriri, timens Summus Pontifex, posset ipsos Principes ad pacem invitare, ipsisque se arbitrum, seù potiùs amicabilem compositorem benignè offerre. 24.

VII. DIFFICULTAS.

An Princeps aliquando teneatur bellare, ita ut reus culpa lethalis fiat, non bellando.

Notandum primò, fas esse aliquandò bellare, ut per Text. *in Cap. Quid culpatur*, *caus.* 23. *q.* 1. *Cap. Noli existimare*, *ead. caus. Cap. Militare*, *ead. caus. Cap. Dominus*, *ead. caus. q.* 2. contra Manichæos, Julianum, Lutherum, aliosque Hæreticos, adeóque contrarium asserere hæresim esse, communis est sensus, probatque inter alios, Valentia, *tom.* 3. *in* 2. 2. D. Th. *quæst.* 40. *art.* 1. 1.

Notandum secundò, melius esse aliquandò bel- 2.

bellare, quàm non bellare, ut fusè ostendit Molina, *tract. 2. de just. disp. 99.* & alij plures.

3. Notandum tertiò, nomine Principis hic intelligi quamlibet perfectam Rempublicam, aut Communitatem, quæ est per se totum, id est, quæ non est alterius Reipublicæ pars, sed quæ habet proprias leges, proprium consilium, & proprios magistratus; Victoria *Relect. 6. de jure belli num. 7.*

4. Notandum quartò, triplicem posse contingere in populo necessitatem auxilij Principis, levem, gravem, & extremam. Castropal. *p. 1. de char. tract. 6. disp. 1. punct. 9. num. 1.* quæ sit necessitas levis, gravis, & extrema, infra demonstrabimus.

5. Notandum quintò, populum pati posse necessitatem in diversorum bonorum genere, in spiritualibus scilicet, & temporalibus, ideòque indigere Principis auxilio, pro salute non solùm corporali, sed etiam spirituali.

6. Notandum sextò, tunc adesse obligationem proximo succurrendi, etiam cum jactura proprij, quando duo sunt moraliter certa, scilicet, & quòd proximus nostro indigeat auxilio, alio deficiente, qui succurrat; & quòd auxilium nostrum sit profuturum. Castropalaus, *loc. cit.*

7. Notandum septimò, necessitatem extremam spiritualem, non solùm proprijs commodis, sed etiam cuilibet corporali necessitati, etiam parentum, esse præferendam; ita communiter, ut videre est apud Doctores infrà citandos.

8. His annotatis tanquam certissimis apud omnes; ad difficultatem propositam, quæ vix, & etiam obiter tangitur à Doctoribus, respondeo, posse dari casum, in quo Princeps teneatur gerere bellum sub pœna culpæ mortalis, non solùm defensivum, sed etiam offensivum; & est, quando vel populi subditi valdè opprimerentur inimicorum violentia, sine spe evitandi suis viribus oppressiones; vel quando spes victoriæ, & consequenter compensatio damnorum Reipublicæ illatorum esset quasi certa; vel quando Christiani nominis hostes in Catholicorum Regionibus errores, hæresésque disseminarent, cum detrimento notabili Animarum; uno verbo, quando salus aut corporalis, aut spiritualis subditorum summopere auxilio Principis indigeret; & Princeps non posset alio modo eorum saluti providere, nisi bellum contra hostes movendo. Ità Molina, *de just. tr. 1. tract. 2. disp. 99.* Suarez, *disp. 23. de charit. sect. 1. num. 4.* Castropalao, *par. 1. de charit. tract. 6. disp. 5. punct. 1. num. 5.* Pasqualigus, *tom. 2. de sac. moral. doct. disp. 48. de jur. gent. sect. 2. n. 19.*

9. Moveor primò juribus *in l. Metum, §. Sed licèt, ff. de eo, quod met. caus.* ubi habetur, quòd quando quis suscepit defensionem alterius generaliter, ut liberetur à vi hostium, & latronum, videtur locare operas suas. Atqui Principes susceperunt defensionem suorum subditorum generaliter, ut liberentur à quavis hostium violentia; dicuntur enim Principes, Patres, Pastores populorum, benefici Judices, afflictorum Tutores, Procuratores boni publici. Ergo tenentur suos subditos defendere indictione belli, si alius non adest modus defensionis; ergo tunc non bellando, peccant mortaliter, cùm materia sit gravis.

Moveor secundò rationibus: nam inter Principem & subditum adest contractus, & quidem juramento firmatus, in quo Princeps promittit juvare, subditus obedire. Princeps exhibet subdito suas operas, subditus Principi suas: sed omnis contractus, sivè nominatus, sive innominatus parit obligationem in foro conscientiæ; ità communiter Doctores ex Covarr. *in Cap. Quamvis pactum, par. 2. §. 4. num. 23.* Quisque enim tenetur jure præstare, quod promisit, altero acceptante. Ergo si datur casus, in quo Princeps teneatur ex vi contractus bello defendere subditos, & non bellat, culpæ mortalis fit reus, cùm notabiliter deficiat à proprio debito. Tùm quia, certum est esse peccatum mortale non facere id, quod in materia gravi præceptum est. Atqui Charitas, & Justitia Principi præcipit Bono sive temporali sive spirituali Reipublicæ prospicere, ut docet Amb. *lib. 1. de offic. cap. 7.* atque adeò, quando Princeps tenetur defendere jura sui populi, tenetur etiam suscipere bellum, quando est necessarium pro ipsis vindicandis. Ergo tunc non bellando, mortaliter peccat. 10.

11. Moveor tertiò exemplis tot Principum, quos bellum hostibus ad vindicandas Reipublicæ injurias, ex historijs novimus intulisse; existimantes hoc sibi ex præcepto incumbere; propterea insignes habuerunt victorias. Legimus in Sacra Historia, ex præcepto Domini, Filios Israël pugnavisse contra Madianitas, tantamque habuisse victoriam, quòd triginta duo millia virginum fuerint in præda; non obstante parvo numero Bellatorum, quorum non fuerunt nisi duodecim millia, de quibus nec unus quidem in prælio obijt. *Num. 31.* Concludimus igitur, posse dari casum, in quo Princeps teneatur gerere bellum, non solùm defensivum, sed etiam offensivum, sub pœna culpæ mortalis.

12. Infero primò ex dictis, Principem providere proprio bono, ejusque Coronæ addere victorijs splendorem, suamque Rempublicam servare fidelem, dum propriæ conscientiæ satisfacit, bellum contra hostes gerendo; idcòque Plutarchus *in Apoph.* quærenti qua ratione quis fidele servaret Regnum, respondit, *si amicis justam admonendi libertatem concedat, & subditos quatenùs efficere possit, non negligat lædi.*

13. Infero secundò, bellum justum contra hostes, quandoque esse pariter suscipiendum ad purgandas perditis hominibus Civitates & Terras. Ferdinandus Rex Hispaniæ & Aragoniæ sæpènumero expeditiones aliquas, non alia de causa, parandas esse ajebat, quàm ad Urbem perditis hominibus, exonerandum. Hoc ad proxim deduxisse Periclem Imperatorem in Republica Atheniensium ex historijs novimus, qui singulis annis classem ornare solitus erat, ut ignava, turbulenta, & seditiosa plebe Civitatem suam levaret, ac veluti sentinam improborum ex navi Reipublicæ exhauriret.

14. Infero tertiò, grassante pestilentia, quæ omnium ægritudinum regina est, *Cap. Sicut, de finenia,*

nis, teneri Principes adhibere humana remedia ad illi resistendum, cùm ita exigat salus corporalis subditorum; ut est prohibere commercium cum infectis: suspectos de suis domibus ejici mandare, eorumque bona mobilia contaminata comburi.

15. Infero quartò, tempore pestis, quæ summa est Reipublicæ necessitas, Pontifices, & Episcopos, præter remedia humana, teneri adhibere remedia spiritualia, ut Sacramentorum administrationem; publicas, & privatas preces, quibus Summi Pontifices putaverunt rogare omnipotentem DEUM, ut liberet populum suum ab hujusmodi ultione: etiam indulgentias concedendo ijs, qui tempore pestis infectis ministrant; ut Clemens VI. Gregorius XIII. Et ratio est, quia divinæ ultioni humanæ vires resistere non possunt; ut notant. Bartol. alijque Doctores *in l. naturaliter, ff. de usucap.* Anton. de Butr. Abb. & Felin. *in Cap. Ex transmissa, de praescript.*

16. Infero quintò, Principem teneri ex justitia defendere Ecclesiasticos, non ratione subjectionis; cùm non sit eorum superior; sed in compensationem ministerij, quod exhibent laicis.

17. Infero sextò, teneri quemlibet in æquali sui, & Reipublicæ necessitate, non solùm bona fortunæ, sed etiam vitam expendere pro Reipublicæ conservatione. Sic D. Th. ab omnibus receptus, *2. 2. quæst. 26. art. 3.* quia bonum commune præferendum est speciali, & Pars exponenda est pro conservatione Totius.

18. Infero septimò, in extrema proximi necessitate nos debere, non solùm bona temporalia, sed etiam vitam expendere, si nobis spes est, id fore profuturum. Ità D. Tho. *loc. cit. art. 5.* & omnes ejus Expositores.

19. Infero octavò, nos posse occidere invadentem nos, quando illius ictum declinare non possumus, nisi occidendo. Bonac. *disp. 3. quæst. 4. punct. 4. n. 2.* Castropalao, *de charit. tract. 6. disput. 1. punct. 9. num. 7.* ubi subdit, posse in tali casu occidi invasorem, quamvis sit ebrius, aut phræneticus, cùm non teneamur permittere nos occidi.

20. Infero nonò, Prælatum teneri, etiam cum periculo mortis, corripere peccata subditorum, extra extremam necessitatem, quando spes emendationis apparet, nisi quid per accidens obstet; hoc eorum officio exigente, Ezech. 3. Jo. 10. *Bonus Pastor animam suam dat.* Filliuc. *tract. 28. in 4. præc. Decal. cap. 6. quæst. 8. n. 140.* Sot. & alij.

21. Infero decimò, Patrem teneri necessitatibus filij legitimi subvenire, eique præstare alimenta, scilicet victum, vestitum, domum, lectum, medicinas, impensas funeris, ejusque uxorem, & filios substentare, juxta cujuscumque conditiones: etiamsi filius authoritate Principis fuerit proscriptus, etiamsi fuerit excommunicatus, etiamsi dissipaverit ea, quæ Pater fortasse ei assignaverat pro alimentis. Azor. *par. 2. lib. 2. cap. 4. q. 7.* Sanch. *in conf. tom. 2. lib. 4. cap. 3. dub. 34.* Ratio est, quia adhuc filius est, & pars patris, de jure naturæ patri commendatus.

21. Infero undecimò, à parentibus de eorum bonis esse præstanda alimenta filijs illegitimis, juxtà eorum indigentiam, licèt parentibus non possint succedere. Molina, *tom. 1. de just. disp. 168.* Sanchez, *lib. 4. de matrim. d. 26. à n. 20. & disp. 88. num. 31.* Nam licèt fuerit de jure Cæsareo parentibus interdictum præbere alimenta filijs spurijs. Auth. ex complexu, *Cod. de incestis nuptijs,* & Auth. licet, *Cod. de natural. lib.* tamen jus civile quoad hæc fuit correctum à Jure Canonico; cùm sit de jure naturæ, ut Pater alat filium, quomodocumque sit ab ipso genitus: & ex illo jure idem affirmant in *Cap. Cum haberet de eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adulterium.* Innoc. Abb. *n. 5.* Bart. *l. si quis de liberis. §. 2. ff. de liberis agnoscend. l. ult. num. 7. ff de ijs, quibus ut indign.* & plures alij Canonistæ, & Jurisconsulti.

Infero duodecimò, Filium teneri subvenire in necessitate suis parentibus, quantum vires sufficiunt: adeóque si Pater sit aut infirmus, aut in carcerem detrusus, aut mente captus, aut quavis extrema, vel gravi necessitate pressus, tenetur filius, quæ opus erunt, subministrare, eidemque ex proprio peculio providere. Nav. *in Sum. c. 14. num. 12. & 13. &c.* 23.

VIII. DIFFICULTAS.

Princeps justè bellans adversùs hostes, præcipit Episcopis sui Principatus feuda possidentibus, secùm adire bellum. Dubitatur nùm debeant ei parere.

NOtandum primò, bellum variè denominari, & secundùm plures, ità dici, quia verè bonum est, ex quo geritur causa conciliandæ pacis, & ut mali coërceantur, & boni subleventur, ut habetur ex D. Aug. relat. in *Cap. Apud veros DEI Cultores, causa 23. quæst. 1. & in Cap. Displicet, ead. caus. quæst. 4.* & clarum est, dum habet sua debita requisita, quæ bellum ipsum justificant: unde de fide est licitum esse bellum cuilibet Reipublicæ etiam Christianæ, si conditiones, alibi tangendæ, serventur: & contrarium asserere est hæresis, ut probat Castropalaus, *tract. 6. de charit. disp. 5. punct. 1. num. 3.* 1.

Notandum secundò, nomine Principis intelligi hìc illum, cui supremum competit imperium, seù qui Superiorem non habet. 2.

Notandum tertiò, nomine Principis intelligi etiam Summum Pontificem in his, quæ ad Ecclesiam, ipsiusvè jurisdictionem spectant, ut colligitur apertè *ex Cap. 1. de Transl.* apud Molin. *de contract. tract. 2. disp. 557. n. 7.* 3.

Notandum quartò, Episcopalem Dignitatem amplissimam esse; unde eo nomine se nominari vult Summus ipse Pontifex, ut observat Menochius in *conf. 102. n. 133.* 4.

Notandum quintò, Episcopum, non solùm posse retinere feudum, quod habet, sed etiam posse succedere in feudo, in quo possit servire per Substitutum. Ità intelligo Bellarm. *conf. 48. col. 8. vers. secundò probatur.* Et ità scribunt Bal. in *Cap. Inter dilectos, col. 3. vers. ibi Comiti, & ibi* Felin. *num. 3.* 5.

6\. Notandum sextò, quòd Glossa in *Cap. Reprehensibile, causa 23. quæst. 8.* supponit, reperiri Episcopos, qui de decimis, & primitijs vivunt, & Episcopos, qui præter decimas, & primitias, Castella, Civitates, aliaque Feuda possident.

7\. Notandum septimò, Episcopos, qui de decimis, & primitijs vivunt, nullatenùs teneri mandato Principis parere. Ità eadem Glos. in *d. Cap. Reprehensibile*; quod est certum apud omnes, quia tanquàm Filij Summi Regis, in omni Regno, à terrenis exactionibus liberi sunt; ità ut dicere valeant cum Christo. Jo. *Cap. 14. Venit enim Princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.*

Notandum octavò, nostram difficultatem procedere tantùm circa Principem laicum; quia nomine Principis in genere venit etiam Papa, juxtà notata, & Episcopos teneri Papæ præcipienti bellum adire, vel aliud opus non intrinsecè malum præstare, certum est.

8\. His annotatis, ad difficultatem propositam, an Episcopi Feuda possidentes, teneantur parere Principi, in cujus Principatu sunt Feuda, justè adversùs Hostes bellanti, eisque præcipienti, secum adire bellum, affirmativè absque ulla hæsitatione respondet Antonius Olibanus, *in tract. de jure Fisci. cap. 8. num. 3.* ubi alios pro se allegat; & illi videntur favere Jura, tùm Canonica, tùm Civilia, præsertim *Cap. Pervenit, de Immunit. Eccles.* ubi habetur, quòd tempore magnæ necessitatis, nemo potest se excusare à murorum, seù Civitatis custodia, & successivè, ab armorum exercitio, quibus Respublica ab hostium manu defenditur. *Et Cap. Omnis, causa 23. q. 8.* ubi probatur, exercere se in bello justo, meritorium esse; Necnon *& l. Ad Instructiones, Cod. de Sacrosanct. Eccles.* ubi Ecclesia tenetur conferre, & contribuere ad Constructiones pontium, & viarum. Tum quia Prælati, de quibus est sermo, præstant Regi fidelitatem; nec possunt accipere suarum Ecclesiarum possessionem, & Vassallorum homagia, absque Regia Executione, ut notat Petr. Greg. Tholos. *in Syntag. juris, lib. 15. cap. 38. de personis, num. 4.* Quilibet autem Vassallus facit Domino fidelitatem, & jurat eum juvare, si pericliretur ipse, vel Terra sua, *Cap. 1. de nova forma fidelit. in Feudis*; & cùm Prælati hoc juramentum fidelitatis præstiterint, debent ipsum servare; & consequenter cum in bello Princeps pericliretur, aut Principatus, Principe illis præcipiente, secùm adire bellum, obedire tenentur. Addit Bart. *in l. Cunctos populos 29. Cod. de Sum. Trinit.* quòd Clerici, & Ecclesiastici lege Principis sæcularis ligantur, quando est æqua, & ex justa, & rationabili causa procedens, etiam si auferat eis aliqua sibi competentia, ut cuilibet alij, non autem contra privilegium clericale. Ex quibus apparet, Episcopos Feuda possidentes, nullatenùs posse se ab executione mandati Principis excusare illis præcipientis justum secum adire bellum.

9\. Veritas tamen est, Episcopos, etiam Feudatarios, non teneri Principi illis præcipienti secùm adire bellum, obedire; & sic Olibani opinionem, tanquam parùm Immunitati Ecclesiasticæ faventem esse explodendam. Ità sentiunt Theologi, Canonistæ, Jurisperiti, D. Tho. *1. 2. quæst. 40. art. 2.* Caiet. in *Sum. par. 3. tit. 28. cap. 2. 8. 6.* Diana *par. 3. tract. 1. resol. 6.* Abbas, Card. Felin. *in cap. pen. de homic.* Bald. *cons. 338. ad bellum instum, col. 1. lib. 5.* Petr. de Gregor. *Tract. de concess. feudi, par. 8. quæst. 2.* Intrigl. *de Feud. quæst. 30. n. 24.* Menoch. *cons. 65. num. 30.* Gothor. *de jur. milit. cap. 14. lib. 1.* Bellus, *de re militar. tit. 8. num. 3. par. 1.* & alij, omnes asserentes Ecclesiasticos militare non posse.

10\. Moveor primò juribus, in *Cap. Si quis vult, 36. dist. Cap. De Episcopis verò, causa 23. quæst. 8.* & *Cap. Quicunque Clericus, ead. causa, & quæst.* & *Cap. Reprehensibile, causa 23. quæst. 8.* ubi prohibetur Clericis, & Episcopis adire bellum, & interesse prælijs; *Et Cap. Episcopus, 84. dist.* ubi prohibetur, ne in sacris Ordinibus constituti sæculares curas assumant, & pœna transgressoribus imponitur. Adire autem bellum, Principe imperante, nil aliud est, nisi politicis Principis se curis immiscere, quod summoperè detestatur Apostolus, 2. Tim. *cap. 2. num. 4.* dicens: *Nemo militans DEO, implicat se negotijs sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.*

11\. Moveor secundò rationibus: nam Episcopi à Cura pastorali exercenda removeri non possunt, ut colligitur ex 2. ad Cor. *cap. 10.* ubi habetur, arma militiæ nostræ esse devotas orationes: atque adeò Episcopi Christi Milites non armis vacare debent, sed orationibus; & successivè non tenentur, Principe jubente, orationes, cæteraque ad eorum munus spectantia deserere, & onus personæ in militia impendere. Tùm quia 1. Paralip. *Cap. 22. n. 8.* Personis Ecclesiasticis, seù speciali modo DEO deditis, sanguinis humani effusio prohibetur: unde Episcopi, Principi præcipienti eis bellare, non tenentur obedire, cùm obedientiam debeant DEO exhibere, Ecclesiasticis bellicam sanguinis effusionem prohibenti. Deindè, quando Princeps, vel Rex Feudum concedit Ecclesiæ, secundùm communem Doctorum sensum, intelligitur sine onere militari concedere; quapropter Ecclesiastici, Feudum habentes ad militandum obligati non possunt; & quando vi pacti Canonicè facti tenerentur militare, possent per Substitutum servire, quod equidem & fæmina præstare potest, ut notat Menochius in *cons. 65. n. 31.*

12\. Moveor tertiò exemplo, primò in quodam Episcopo memorato in *Cap. Cùm parati, de appellat.* qui cùm esset in Legatione Regis, vocatus à Legato Papæ, & non obediens, seù eum adire recusans, ob Regis servitium, fuit ab eodem Legato excommunicatus. Secundò, in Episcopis Gallicanis, relatis in *d. Cap. Reprehensibile*, quos Nicolaus Papa, respondens Carolo Imperatori, eos excusare volenti, reprehendit, eò quòd ad se vocati, maluerint adire exercitum, seù cum alijs militibus contra Piratas pugnare, quàm ei parere.

13\. Concludimus igitur, Episcopos Feuda possidentes, non teneri parere Principi justè contra hostes bellanti, in cujus Principatu sunt Feuda, quando illis præciperet, secùm adire bellum.

14\. Ad rationes in oppositum respondemus: ad jura: quòd *Cap. Pervenit*, non loquitur de Clericis,

sed

sed de hominibus Ecclesiæ, qui gaudent Immunitate Ecclesiæ, *Cap. Ecclesiarum Servos, caus. 12. quæst. 2.* Ità Abb. *in consil. 3. volum. 1.* quem sequitur Barbat. *in d. consil. ante num. 19.* Idem sentit Glos. *in d. Cap. Pervenit.* Tantò magis, *Cap. Non minus*, quod loquitur *in eod. tit.* esset illi directè contrarium, ut legenti patebit. Quod *Cap. Omnes* debet intelligi de Laicis, non autem de Clericis, qui debent majoris meriti operationes præstare. Scimus omnes, matrimonium posse esse meritorium; nihilominùs castitatem voventibus prohibetur, ratione obligationis, quam contraxerunt, majoris boni. D. Tho. 2. 2. *quæst. 40. art. 2.* & alij. Quoad *l. Ad instructiones*, nihil probat, quia leges Codicis, tanquàm conditæ ab Imperatoribus, jurisdictionem non habentibus in Clericos, nullius sunt virtutis, vel efficaciæ: Prætterquam quòd talis *lex Ad Instructiones*, fuit correcta per Authen. *Item nulla Communitas, Cod. de Episc. & Cler.* ubi Ecclesiæ, & Ecclesiastici facti sunt immunes ab omni onere imposito, & imponendo, & pro rebus, & possessionibus suis. Quæ Auth. est lex nova Friderici Imperatoris. Ità ex multis probat Abb. *in Cap. Non minus.*

15. Ad rationem patet responsio ex secundo motu. Præterquam quòd in juramento fidelitatis, facto directo Domino, semper intelligitur excepta auctoritas sui Superioris, *Cap. Veniens*, & ibi Abb. *de jurejur. l. fin. in princ.* & ibi Bart. *ff. de municipal.* Si enim filiusfamilias juravit non recedere à studio, nisi solutione facta Magistro: nihilominùs, si accersitus à Patre, cui tenetur obedire, recederet ante solutionem, non incideret in perjurium, ut docet Jo. And. *in Cap. In malis, de reg. jur. in 6.* Deindè, in omni juramento fidelitatis tacitè excipitur persona antiquioris Domini. *Cap. 1. §. Contra omnes: hic finitur lex Corradi. Cap. 1 §. Satis benè*, & ibi Alvarot. Præposit. & Aflict. *de probib. feudi alienat.* Scimus autem, Episcopum priùs esse subditum Pontifici, & Metropolitano, quàm Principi directo Domino feudi. Additur, quòd si Episcopus esset ex Vassallis Principis, quorum quilibet tenetur servire de persona. *Cap. 1. de nova form. fidelit.* posset dare milites Principi pro suo feudo. *§. Ecce, causa 23. quæst. 8.*

16. Infero primò ex dictis, concurrente mandato Pontificis cum mandato Principis, teneri Ecclesiasticos Feudatarios Principis mandantis, priùs obedire Pontifici, quàm Principi. Ità etiam Glos. *in d. Cap. Reprehensibile, & in d. Cap. Cùm parati*, Felin. *in Cap. Pastoralis, num. 26.* & in dubio esse pariter obediendum Pontifici, etiam à Principe Sæculari, ut probat Immol. *in d. Cap. Cùm parati.*

17. Infero secundò, extra casum extremæ necessitatis, quæ legibus obnoxia minimè reputatur, Episcopum Feudatarium, vocatum à Metropolitano, teneri magis obedire illi, quàm Principi etiam directo Domino feudi, cùm majus sit vinculum spirituale, quàm temporale, juxta Tex. *in Cap. Solitæ, de majorit. & obed.*

18. Infero tertiò, Prælatos, aliosque Ecclesiasticos, feuda à Principe tenentes, extra casum summæ, seu extremæ necessitatis, non teneri in bello opem ferre, & auxilium præstare, secundùm feudorum conditionem, quia Ecclesiæ, & Personæ Ecclesiasticæ sunt immunes ab oneribus realibus, personalibus, & mixtis; & ab extraordinarijs etiam pro suis bonis, ut per *d. Authen. Item nulla Communitas*; Et ità concludit Bart. in *consil. 18. incip. Si aliqua possessio æstimata, potest Princeps, p. 1.* Bald. in *cons. 246. v. antiqua quæstio, in princ. vol. 3.*

19. Infero quartò, esse improbabilem opinionem dicentium, Principem posse disponere super utili dominio bonorum Ecclesiæ in emphyteusim concessorum: nam in tali casu læderetur Ecclesia saltem secundariò; & quomodolibet lædatur Ecclesia, sivè in maximo, sivè in minimo, sivè directè; sivè indirectè, sivè primariò, sivè secundariò, nullo casu statutum Laicorum sustinetur. *Cap. Quamquàm, de privileg. Cap. Statutum, de hæret. in 6.* Sivè enim id fiat verbis expressis, sivè verbis relatis, semper idem est. *Cap. Clerici, §. fin. & §. Nos igitur, de Immunit. Ecclesiast. lib. 6.*

20. Infero quintò, nullo modo posse licitè cogi à Dominis temporalibus Ecclesiasticos ad solvendas tallias, vel collectas, & alia hujusmodi onera, causâ belli imposita, aut alterius accidentis, pro domibus, prædijs, vel quibuscumque possessionibus. Et ità determinavit Ecclesia in *cap. 1. de Immunit. Eccles. lib. 6.* quam determinationem Bonifacius VIII. innovavit *in cap. Quamquàm, eod. tit.* ibi, improbando quascumque contrarias Constitutiones, & imponendo excommunicationem latæ sententiæ contra imponentes, vel exigentes ab Ecclesiasticis tallias, pedagia, guidagia, etiam pro eorum rebus delatis, si sunt personæ particulares; interdictum verò ipso facto incurrendum, si est Collegium, Universitas, Castrum, vel Civitas, vel alius Locus.

21. Infero sextò, reijciendam esse tanquàm falsam doctrinam Antonij Olibani *de jure Fisci, cap. 9.* asserentis, licere Regi quamcumque Personam Ecclesiasticam, propter læsam Majestatem, vel alias justas causas, è Regno suo expellere, & tanquàm membrum putridum à corpore Regni sui eijcere. Hoc enim est contra Immunitatem Ecclesiæ, quia nec directè, nec indirectè, licet Laicis id facere, ut *in Bulla Cænæ §. 15. & 16.* & in alijs Textibus Canonicis.

22. Infero septimò, opinionem Olibani, Lancellot, Corradi, & aliorum asserentium Episcopos, & Abbates in temporalibus esse subditos Regi, eique obedire teneri, esse delendam, non tantùm quia Immunitati Eccles. contrariam, sed etiam tanquàm viam aperientem Ecclesiasticis, orationes, altare, cæteraque munera Ecclesiastica deserendi, sæcularibus Principum curiis sese applicandi, aliaque inconvenientia committendi.

23. Infero octavò, Imperatori contra Ecclesiam bellum moventi, non teneri ejus subditos obedire, bellare contra illam præcipienti; imò mereri Imperatorem privilegium bellum indicendi perdere, cum eo abutatur, contra Ecclesiam bellum movendo. Ità sentit etiam Joan. de Lig. quem & recenset, & sequitur, Sylvest. *in Sum. in verb. Bellum, 1. quæst. 4. num. 6.*

24. Infero nonò, subditos non teneri obedire proprio Baroni moventi bellum contra proprium Re-

gem, aut Principem, eosque vocanti ad bellandum, & omnibus mandanti, ut juvent eum contra Principem, quamvis juraverint eum juvare contra omnes homines; cùm Baro incidat *in l. Jul. Majest. l. 1. ff. ad leg. Jul. Majest.* Et tradit Sylv. *loc. cit. num.* 7.

25. Infero decimò, Principi bellum apertè injustum gerenti, vel alium Principem injustè bellantem adjuvanti, & suis subditis praecipienti secum bellare, non teneri subditos obedire, cùm bellum injustum sit intrinsecè malum, & praeceptum Superioris injustum non sit implendum, ut per Tex. *in cap. Si Episcopus quis forte, causa* 11, *q.* 3.

IX. DIFFICULTAS.

An possit Princeps jure gentium arma rectè sumere ad imminuendam potentiam crescentem, quam auctam timet sibi nocituram.

1. NOtandum primò, utilitatem par jus non facere cum necessitate: ideòque bellum pro utilitate Reipublicae gestum esse quidem bonum, ut admonet Tex. *23. q. 1. Cap. Summa*; non tamen omnem Reipublicae utilitatem justam esse bellandi causam: necessitatem verò causam belli semper esse justam, & sine ulla necessitate nunquam licere bellare, *caus. 23. q. 8. Cap. Si nulla.* Propterea Reges plerosque, ait Plutarchus, duobus nominibus pacis & belli tanquàm numinis uti, non ad id, quod justum est, sed ad id, quod expedit: nempè quod exigit utilitas, non verò necessitas: quod recta ratio non approbat.

2. Notandum secundò, bellum publicum non esse intrinsecè malum, cùm sit permissum, & licitum, dum ex justitia indicitur: constat enim ex quibusdam Scripturae locis, DEUM quaedam bella imperasse, quem mali aliquid jubere non posse, nemo, qui ei servit, ignorat, inquit verissimè S. August. *lib. 22. contra Faustum, cap. 75.* Constat insuper ex quibusdam Scripturae locis, DEUM auxilium singulare intulisse Bellantibus, & pro eis ipsum praeliatum esse, quem tamen constat non suffragari peccatis. Exod. 17. Deut. 1. & 23. Paralip. 20. esseque passim in utroque testamento exempla. In veteri, en Muyses, & Filij Israël, qui pugnaverunt contra Amorraeos, & alios adversarios. En David contra Philistaeos. En Machabaei contra Legis Violatores. In novo, ecce Constantinus Magnus, en Heraclius, & alij Imperatores Catholici particulari DEI ordinatione bella indicentes, & victorias celebres reportantes, ut post D. Aug. D. Tho. & alios prosequitur, Say. *lib. 7. Clav. Reg. cap.* 17. Molf. *in Sum. p. 1. tract. 12. cap. 5. n.* 158. & alij.

3. Notandum tertiò, metum, qui ex Aristotele, *2. Rethor. cap. 5.* est aegritudo, seu quaedam animi perturbatio, orta ex cognitione mali imminentis, esse duplicem, gravem alterum, quem etiam justum, probabilem, cadentem in constantem virum appellamus: alterum levem, qui vocatur etiam injustus, improbabilis, non cadens in constantem virum.

Notandum quartò, virum constantem esse illum, qui est medius inter timidum, & audacem, Ita communiter Philosophi morales. 4.

Notandum quintò, metum cadentem in constantem, seu prudentem virum, dici illum, qui illatus cogit quempiam eligere minus malum ad majus sibi imminens fugiendum, Covar. *in epit. de Sponsa, par. 2. §. 4. cap. 3 num.* 2. D. Tho. *in 4. sent. dist. 29. art. 2.* & alij, ut esset metus mortis corporalis, gravis cruciatus corporis, mutilationis alicujus membri, infamiae notabilis, sive juris, sive facti. Metus amittendae virginitatis, vel patiendi violentam copulam; amittendi omnia bona temporalia, vel notabilem eorum partem; amittendi proprium statum, amittendi honorem, & similia. Ità Sanch. *lib. 4. de matrim. d.* 5. Castropalaos, *tom. 1. tract. 2. d. 1. punct.* 7. Hi omnes sunt metus graves, quia haec mala, nisi ex aliquo capite diminuantur, constat esse gravia. Inter hos metus enumerant metum excommunicationis injustae, Joan. And. & Abb. *in cap. Cùm dilectus, extrà, de his, quae vi, metuvè causa gesta sunt, cap. 1. caus.* 11. *q.* 3. Gloss. *in cap. olim, il. terzo, extrà, de restit. spoliat.* Intrigliol. *tract. de casib. consc. cas.* 40. *n.* 2. ubi plures Doctores, multaque jura allegant. 5.

Notandum sextò, aliud esse fieri cum metu, & aliud fieri ex metu: primum dicit, quòd metus non sit causa operationis, sed concomitanter se habeat: secundum dicit, quòd metus moveat ad operandum. 6.

Notandum septimò, quae fiunt ex metu, habere admixtam aliquam rationem involuntarij; cùm non sint ex se eligibilia, sed tantùm ad vitandum majus malum, esseque contra inclinationem elicitam voluntatis.

Notandum octavò, quòd, ad hoc ut metus excuset, debet esse talis, quòd possit, & debeat cadere in constantem virum; aliàs non. Graff. *par. 2. decis. lib. 2. de jurat. cap. 5. n.* 1. 7.

Hic adnotatis, ad difficultatem propositam, quam à nemine invenio agitatam: an possit Princeps jure gentium arma rectè sumere ad imminuendam Potentiam crescentem; quam auctam timet sibi, seu suae Reipublicae nocituram, affirmativè videtur respondendum, praesertim si constet non solùm de potentia, sed etiam de animo Potentis, ut per Tex. *in l. 1. Cod. unde vi, & l. 1. & 2. ff. de vi, & vi arm.* ubi habetur, nobis licere vim vi repellere eos, qui volunt nos expellere à possessione, nobisque licere, eos praevenire. Tùm quia bellum defensivum potest quilibet suscipere, & gerere etiam privatus; cùm bellum per se non sit intrinsecè malum, ut tradit Vict. *Relect. 6. de jure belli, sub. num.* 1. & est communis sententia: Nam praefatae leges dicentes, si quis velit me expellere à possessione, licere vim vi repellere, etiam in foro interno verae sunt. Illa enim non est aggressio, sed defensio. Atqui, quando Princeps videns crescere Potentiam sibi, seu suae Reipublicae nocituram, ad illam imminuendam arma assumit, licèt in apparentia bellum videatur 8.

aggressi-

aggressivum, nihilominùs est defensivum: bellat enim ad vitandum damnum imminens, quod aliter non potest evitare. Quando Hostes, v.g. occupant, vel occupare tentant domus, vel res alienas; alij verò eos invadunt, non aggressio est, sed defensio. Suarez. *de bello, disp. 13. sect. 1. n. 6.* Aggreditur quidem Princeps, arma assumendo, ad imminuendam Potentiam, sed ut suam Rempublicam defendat: atque adeò arma rectè, & justè movet. Prætereà, ut bellum justum, licitumque sit, affirmat Victor. *loc. cit. num. 13.* requiri, seu sufficere injuriam gravem, vel, ut subdit Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 102.* impediendam, vel resarciendam, aut vindicandam: quæ doctrina conformis est sensui S. Aug. relati *in Cap. Dominus, caus. 23. quæst. 2.* dum sit, justa bella definiri, quæ ulciscuntur injurias. Princeps verò arma movendo, seu bellando, nil aliud facere intendit, nisi injuriam sibi inferendam, aut suæ Reipublicæ, crescente Potentia, impedire. Ergò tunc rectè, & justè ar-
9. ma sumit.

Huic opinioni, quæ prima facie, suam videtur habere probabilitatem, adhærere putabam. Ea tamen meliùs considerata, doctissimis, atque prudentissimis viris, super hoc, à me consultis; contrariam tanquàm veriorem, & publico Bono fa-
10. vorabiliorem amplector.

Moveor primò juribus *in Cap. Dudum, & cap. fin. extrà, de præsumpt.* ubi habetur, quòd nemo regulariter præsumitur malus; *& l. Merito, ff. pro socio*, ubi pariter dicitur, quòd nemo præsumitur in dubio, quòd velit delinquere: & ideò Princeps videns Potentiam crescere, cùm non possit, & non debeat præsumere illam sibi, aut „ suæ Reipublicæ auctam nocituram, non potest „ rectè arma sumere ad illam imminuendam, id „
11. ratione utilis tantummodò postulante. „

Moveor secundò rationibus: Etenim, vel, „ Princeps timet Potentiam crescentem, sibi, vel suæ Reipublicæ nocituram aliquo justo titulo, vel nullo justo titulo. Si primum, non apparet „ licitum, quòd Princeps bellare posset bello saltem „ offensivo ad imminuendam ipsam Poten„tiam crescentem; cùm non liceat imminuere „ potentiam aliquam, modo saltim aggressivo, „ nè possit uti jure suo. Hoc enim videtur esse „ contra præceptum illud naturæ. *Ne facias alteri, quod tibi fieri nolles.* Si autem dicatur secundum; nec minùs licitum apparet, quòd Princeps bellare possit ad imminuendam Potentiam crescentem, quam auctam timet sibi, aut suæ Reipublicæ nocituram nullo justo titulo. Ex eo, quia hujusmodi timor non est justus, cùm non sit rationabilis, seu rectæ rationi conformis, saltem regulariter loquendo; cùm non sit præsumendum, quòd potentia crescens sit alteri injustè nocitura, nisi experientia probaretur oppositum. Nemo enim præsumitur malus, juxtà dispositionem jurium in primo motu allegatorum; nisi probetur. Tùm quia, ad inferendum justè bellum, injuria gravis requiritur, non apprehensa, sed realis: si ergo bellum infertur ex sola apprehensione, erit injustum.

Præterquam quòd, quæ in bello geruntur, omnia sunt gravia, omnia atrocia, sunt enim cædes, incendia, occisiones, mutilationes, & similia; nefas ergo est metu levi exoriri. Ut enim justa sit defensio, aut offensio, necessariam esse oportet, qualis non est, nisi constet, non tantùm de potentia, sed & de animo in malitia permanente, & quidem ita constet, ut certum id sit ea certitudine, quæ in morali materia locum habet. Quare minimè videtur probanda, sententia eorum, qui metum qualemcunque ad jus occupandæ interfectionis admittunt. Futurum in incerto adhuc est, ait, Thucydides, *lib. 1.* nec quemquam oportere eo commotum inimicitias suscipere, non jam futuras, sed certas. Etiam Livia apud Dionem, inquit, Infamiam eos non effugere, qui facinus, quod timent, occupant: Ideóque bellum ex levi metu futuri incommodi movendi illud Vibij Crispij à Quintiliano laudatum, potest replicari. Quis tibi sic timere permisit? Verùm sanè dixit Cicero, *1. de offic.* plurimas injurias in metu proficisci, cùm is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne nisi id fecerit ipse aliquo afficiatur incommodo. Ex quibus, prolatis à solo naturæ lumine ductis, clare constat, injusta esse arma, quæ ad imminuendam Potentiam crescentem ex levi metu damni futuri sumuntur. Quodque fatetur etiam Hugo Grotius quamvis hæreticus, *de jure belli, & pacis, lib. 2, cap. 1. num. 17.* 12.

Moveor tertiò exemplo in tot Principibus, qui alienam potentiam crescere videntes, ad illam imminuendam arma non sumunt, fortè ad evitandam antiquorum Romanorum censuram, qui Philippi Macedonis potentiam crescere aspicientes, ob metum, contra ipsum, ad illam imminuendam bellaverunt; necnon confusionem Lisimachi, qui propter eamdem causam bellavit adversùs Demetrium; & hujusmodi bella, ut injusta apud omnes habentur. Zonora Pausan. *lib. 1.* & meritò, cùm nullo jure permittantur. Habemus enim apud Ciceronem citatum à Quintiliano *lib. 5. cap. 13. de refutatione.* Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo „ omnium periculo potest, ut cum jure potuerit, „ occidere, à quo metuisse se dicat, nè ipse po- „ sterius occideretur. „ 13.

Concludimus igitur, non posse Principem jure gentium arma rectè sumere ad imminuendam potentiam crescentem, quam auctam timet sibi, aut suæ Reipublicæ nocituram; præsertim quando augmentum potentiæ procedit ex aliquo jure hæreditario certo ad aliquod Regnum, vel ad alia Bona ex justa causa prætensa. 14.

Ad opposita respondemus: ad primum, quod jura allegata debent intelligi, quando jus actu est, non quando erit; cùm metus rei futuræ jus ad vim dare nequeat; præcipuè cùm DEUS ipse Psal. 48. admoneat. *Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus.* 15.

Ad secundum, negando suppositum, hujusmodi enim bellum verè, & realiter esset aggressivum.

Ad cætera, patet sufficienter responsio ex dictis.

Infero primò, ex dictis, teneri Ministros, alios- 16.
que Viros, quos Princeps consulit circa bellum

gerendum, ad imminuendam potentiam, quam anctam timet sibi, vel suæ Reipublicæ nociturami teneri, inquam, illum clarè admonere hujusmodi bellum injustum esse; nec non in Christianæ Reipublicæ detrimentum saltim indirectè redundans: cùm propter hoc posset retardari studium, & Zelus Catholicorum Principum in ordine ad arma sumenda contra Turcas, & Christiani nominis Hostes: nec eorum Regna, vel Provincias præoccupare aggrederentur, ab ijsdem nullo justo titulo possessas. Ex eo, quia Principes Catholici vereri possent, nè alius Princeps arma sumeret contra ipsos ad imminuendam eorum potentiam crescentem, ex aliquo timore etiam justo, quem possent concipere, quòd sibi, aut suæ Reipublicæ eorum potentia crescens, nocitura esset.

17. Infero secundò, minimè licere bellum justè Gerenti locum occupare, qui situs sit in loco pacato, nimirùm si periculum sit imaginarium, ne hostis eum locum invadat, & indè irreparabiliter damnadet: Secùs verò, si periculum sit certum, cum onere tamen eum restituendi, ubi necessitas cessaret, cùm jus, quod habet occupandi, non sit plenum, sed restrictum.

18. Infero tertiò, non licere justum Gerenti bellum diruere Arcem hostium, & in hostico munitionem erigere, si ità non importat necessitas, ad vitandum periculum ab hostibus. Secùs verò hujusmodi existente necessitate, ut tradit etiam Victor. *loc. cit. num. 18.* cùm finis belli sit pax, & securitas: ex quo sequitur Bellanti omnia licere, quæ necessaria sunt ad pacem, & securitatem consequendam.

19. Infero quartò, non licere, ob metum levem, occupare, & tenere Arcem aliquam, aut Civitatem hostium ad vitandum periculum ab hostibus, & parandam securitatem. Secùs verò, quando adest justus metus, & occupatio, & retentio Arcis, aut Civitatis ad talem finem, & etiam ad tollendam hostibus occasionem, undè possint nocere, fuerit necessaria. Vict. *loc. cit. num. 55.*

20. Infero quintò, esse reijciendam sententiam eorum, qui justam belli causam statuunt, si Vicinus, nulla pactione impeditus, in suo Arcem faciat, aut munitionem aliam, quæ damnum aliquando inferre possit, cùm hujusmodi metus non sit cadens in virum constantem, & facilè vinci possit & debeat, non vi bellica, sed alijs remedijs.

21. Infero sextò, non licere ratione metus quantumvis gravis & maximi ea committere, quæ sunt intrinsecè mala, ut docet S. Aug. *lib. 1. de Civit. cap. 16.* relatus *in Cap. Quisquis, causa 11. q. 3.* & Isidorus, *lib. de Synonimis*, relatus *in Cap. Omne genus, causa 22. quæst. 2.* & ratio est, quia metus ab ipsis intrinsecam malitiam minimè tollit.

22. Infero septimò, actum indifferentem, licèt aliquo modo sonet in delictum, præsumendum esse potiùs bonum, & in bonam partem, quando non constat de animo perverso operantis. Curt. Sen. *cons. 20. col. 17. & cons. 50. col. 9.* Marc. *vol. 2. de probat. conclus.* 1003. *num. 14.*

23. Infero octavò, nemini licere rem alienam invadere, si ex illa certum sibi periculum non imminet. Secùs verò, si periculum imminet certum: quo in casu, non sit Dominus rei, sed tenetur eam custodire, donec securitati suæ satis cautum sit. Vict. *loc. cit. n. 18.*

Infero nonò, jure non posse præveniri, & interfici eum, quem timemus futurum esse aggressorem, si Aggressor nullam fecit actionem, vel saltem non sufficientem ad causandum justum metum: tunc enim præventio non esset propriè defensio, sed directa occisio hominis, ordinata ad conservationem propriæ vitæ. Secùs verò, si Aggressor jam faciat aliquam actionem non remotè, sed proximè influentem in nostram internecionem, ut puta, parando nobis insidias, quas nos aliter effugere non possumus, nisi illius occisione, cùm in tali casu, propriè loquendo, sit defensio vitæ nostræ. Ita Dominicus Bannes, *de just. & jur. quæst. 64. art. 7. dub.* 4. Bald. *in l. Multùs, Cod. de lib. caus.* 24

Infero decimò, posse rectè occidi eum, qui intentat non solùm occidere, sed vulnerare cum certo periculo mutilationis membri, præsertim è præcipuis, licèt vix sciri queat, an non periculum mortis post se trahat, si tamen aliter vitari nequeat; quia licitum est, vim vi secundùm jura repellere. Less. *lib. 2. cap. 5. dub.* 8. Sotus, *de just. & jur. lib. 5. q. 1. art. 8.* 25

Infero undecimò, metum improbabilem seu levem, & non cadentem in virum constantem, vel damnum leve certò futurum non sufficere, quando vitari non potest, ad inferendum grave malum, ut vitetur; unde valdè miror, cùm DEI voluntas in Evangelio disertè appareat, inveniri Christianos Theologos, qui cædem rectè arbitrentur admitti, ut alapa vitetur, seu, quòd liceat post impactam alapam percutientem insequi, & interimere, Henriquez, *lib. 14. cap.* 10. Escobar. *tract. 1. exam. 7. n. 43.* quæ doctrina modò damnata est ab Innocentio XI. 26

Infero duodecimò, metum mortis & cujuslibet gravis damni, esto non excuset à culpa, illam tamen diminuere: hoc habetur expressè *in Cap. Sacris de his, quæ vi*, ibi, *licèt metus extenuet culpam*: qui metus extenuat libertatem ad culpam requisitam. 27

Infero decimotertiò obiter, illicitum esse, ob metum levem mortis, vel alterius levis nocumenti, communicare cum Excommunicato non tolerato, id est nominatim denunciato, vel publico Clerici percussore. Secùs verò, si metus esset justus, & cadens in virum constantem. Ita contra Ugolinum docet Diana, *tract. 5. de scand. Resol. 76. num. 7.* ubi citat plures Doctores hujus opinionis. 28

Infero decimoquartò etiam obiter, illicitum esse, ob metum levem mortis, celebrare Missam sine Altari, vel Calice consecrato, aut sine vestibus sacris, vel lumine. At secùs, si metus esset justus, & cadens in constantem virum: dummodò non incurratur in odium Religionis, vel contemptum Sacrificij Missæ. Ita Valentia, *tom. 2. disp. 7. p. 5. punct. 6.* Vasq. *in 1. 2. disp. 161. cap. 3. n. 15.* & alij contra Cajetanum. 29

Infero decimoquintò, non posse licitè bellum moveri adversùs Principem, vel Regem, ad impedien- 30

pediendum nè possit Regnum accipere, ad quem constat jure hæreditario certo, vel ex alia justa causa, illud spectare.

50. Infero decimosextò, arma, quæ sumpta ad imminuendam Christiani Principis potentiam crescentem, sunt injusta, sumpta ad imminuendam Turcarum, aliorumque Infidelium potentiam crescentem, æqua esse, & apud DEUM summoperè meritoria; sunt enim Turcæ semper saltim habitualiter Christianæ Religionis ho-
„ stes: & ideò sanctissimus ille summus DEI Sa-
„ cerdos, Ecclesiæ Catholicæ Princeps, totius-
„ que Christianæ Religionis Antistes, Romanus
„ Pontifex Pius Quintus, videns Turcarum po-
„ tentiam plurimùm crescere, præsertim ab
„ ijsdem capta Insula Cypri, ad illam bello im-
„ minuendam Principes movit, diversasque men-
„ tes in diversa contrarijs studiis agitatas, in unum
„ conjunxit, sanctoque fœdere strinxit. Ducum
„ consilia inter se pugnantia, divino impulsu mu-
„ tavit; & quantumlibet longè absens, invitos
„ ac refragantes diu licèt, uno momento alacres
„ ad ineundum difficillimum navale certamen
„ impulit, atque demùm inspiratam illis à DEO
„ victoriam impetravit. Hæc Baronius, *tom. 7. Annal. sub anno 533. circa fin. §. Vidimus planè.*

X. DIFFICULTAS.

An Princeps bellaturus adversùs aliquem Principem, possit justè bellare contra Principem, denegantem suo Exercitui transitum per suum Statum.

1. NOtandum primò, posse non rarò evenire bella Principum esse injusta: ut quando ad bellandum moverentur vel ex sola cupiditate nocendi, vel ex libidine dominandi, vel ex feritate rebellandi, vel ex alijs similibus motivis, rectæ rationi contrariis: quæ omnia in belli jure culpantur, teste D. August. contra Faustum, *lib. 22. cap.* 74. propterea si alia justifica causa non adeit, non solùm peccatum arguunt, sed & ipsum bellum propriè injustum faciunt.

2. Notandum secundò, transitum Exercitus per alienos fines posse sequi cum detrimento concedentis, & sine detrimento: quapropter Moyses, qui cùm transeundum haberet per Terras Idumæorum, & Amorræorum, nè aliquis metus in illos caderet nocumenti, illis promisit iturum se via regia, neque declinaturum in agros, aut vineas eorum, neque bibiturum aquam de puteis eorum: si qua re ipsorum haberet opus, justum pretium eis persoluturum, Num. *Cap. 20. & 21.*

3. Notandum tertiò, posse nocumenta vitari, mediante cautione, quæ est machinatio quædam adversùs ea, quæ obstare & impedimento esse possunt, Valent. *disp. 4. quæst. 1. punct. 1. de prud.* & est pars integralis prudentiæ, ut docet D. Tho. *2. 2. quæst. 53. art. 2.* præcipuè eo sensu intellecta, quo Ulpianus *in l. quod hæredem, ff. de magistratibus conveniendis.*

4. Notandum quartò, quòd illi, cui datur cautio, seu securitas, vel salvus conductus veniendi, vel transeundi, videtur dari etiam redeundi, de quo per Bart. *in l. utimur, de sepulc. viol. & in l. 1. ff. ad leg. Jul. Majest.* Sic, si alicui datur securitas, seu cautio, quòd possit conducere mercantias, videtur data, quòd possit reducere. D. Anton. & Joan. Ananias *in Cap. ult. de treug. & pace;* & hoc prima vice, *per leg. boves, §. Hoc sermone, ff. de verb. sig.* Pariter, quando alicui securitas accedendi datur ad Civitatem, videtur data, quòd possit ire equester, Graff. *p. 2. decis. lib. 2. de treug. cap. 21. n. 7.*

His annotatis, ad difficultatem propositam, 5.
an Princeps bellaturus adversùs aliquem Principem, possit justè bellare contra Principem denegantem ejus exercitui transitum per suum Statum, videtur negativè respondendum; nam tunc adest metus damni, quòd facilè potest à multitudine Transeuntium oriri, qui metus sufficit, seu causa est justa transitum denegandi. Deinde, denegare, seu impedire negotiationem, mercaturam, hospitium, peregrinationem, piscationem, navigationem, & similia in suis Regionibus, fluminibus, & maribus, non est justa causa Principi inferendi bellum, ut docet Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 105.* Coninch. *in 2. 2. disp. 31. dub. 2. n. 52.* Castropal. *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 3. num. 4.* Villalob. *in Sum. tom. 2 diff. 4. num. 9.* & communiter DD. quia nullo jure probari potest tale commercium cuilibet extero deberi, adeòque nulla ei infertur injuria, si denegatur. Tum quia, ille Princeps gravissimas causas potest habere negandi Exteris id, quo indigent Subditi. Quemadmodùm igitur denegare hujusmodi commercium, non est causa justa belli inferendi, neque erit denegare transitum Exercitui contra alium Principem bellaturo.

Fateor hanc opinionem, prima facie, proba- 6.
bilitate non carere. Contrariam tamen, quæ est communis, positis conditionibus præmissis, arbitror esse sustinendam cum Covar. *Reg. peccatum, p. 2. §. 9. n. 5.* Vict. *in Relect. de Indis insulanis, p. 2. in princ.* Bonacin. *Tract. de restit. disput. 2. quæst. ult. §. 2. in princ.* Lorca, *in 2. 2.* D. Tho. *quæst. 4. artic. 1. sect. 3. disp. 52. num. 7.* Diana. *p. 4. tract. 4. Ref. 74.* Cesped. *de dub. militar. dub. 10.* Menoch. *in cons. 901. n. 7. usque ad 10.* ubi plures alios producit.

Moveor primò juribus, *in Cap. Omnes, 1. dist.* 7.
& in Cap. Notandum, caus. 23. quæst. 2. ubi habetur, justum esse bellum, cùm adest causa, & innoxius est transitus. Et *in l. 1. Cod. de Navicular. lib. 11.* ubi Constantinus Imperator statuit, Naucleros non debere aliquod incommodum pati; cujus Constitutio cùm sit generalis, non restringitur ad solos Naucleros. Et *l. 2. §. Idem verum, ff. de aqua pluv. arcen.* ubi apparet esse alteri concedendum, quod nobis non nocet, & alteri prodest: & hoc quidem ex æquitate, & ratione. Quapropter Paravi, apud Tacitum, Bonnensibus nuntiant: Si nemo obsisteret, innoxium iter fore: Sin arma occurrant, ferro viam inventuros.

Moveor secundò rationibus; nam ea denega- 8.
re, quæ gentium jure omnibus licent, suntque proindè suo modo debita, est injuriam inferre ei, cui

cui sit denegatio. Dixerunt propterea Græci cum Clearcho; *Domum ibimus, si nemo molestus sit. Si quis injuriam faciat, cum Deorum ope arcere conabimur.* Atqui transitus per Terras alienas, si sit innoxius, jure est omnibus debitus, ut ostendunt jura allegata; & in hoc sensu Cæsar dixit. *Arma tenenti omnia dat, qui justa negat:* Et ideò denegatio transitus, utpotè injuriosa, justa est causa Principi justum bellum inferendi ad injuriam vel propulsandam; vel, postquam illata fuerit, vindicandam. Ità esse agendum cognovit Agesilaus, qui cùm ex Asia rediret, & ad Troadem venisset, interrogavit, an ut amicum se, an ut hostem transire vellent. Plut. & Ag. Tùm quia communicatio inter homines est necessaria; & est de jure naturæ. Ergò & necessaria sunt media, quæ ad talem communicationem conducunt. Atqui inter hujusmodi media transitus enumeratur. Ergò necessarius. Ergò minimè denegandus. Ergò Neganti justè movetur bellum; cùm bellum sit actus justitiæ, quo Bellans intendit jus suum illæsum servare. Huic fundamento innixus Lysander Beotios utri parti studerent; haud palàm præseferentes interrogavit; *Rectè nè, an demissis hastis se per ipsorum Regionem transire vellent?* Plut. *in Lysandro, circa finem.*

9. Moveor tertiò exemplo, præcipuè in Filiis Israël, aliis pluribus, brevitatis gratia, omissis; qui absque culpa bellaverunt contra Seon Regem Amorrhæorum, ob transitum per terram suam denegatum. Num. *Cap.* 21. & notat D. Aug. *quæst.* 44. ibi, ubi ait. *Notandum sanè est quemadmodùm justa bella gerantur à Filijs Israel contra Amorræos: innoxius enim transitus denegabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere deberet.*

10. Concludimus igitur, Principi adversùs alium Principem bellaturo, bellum licere indicere Principi, suo exercitui transitum per suas Provincias deneganti, quando transitus promittitur innoxius.

11. Ad rationes in oppositum respondemus: ad primam: quod jus unius non tollitur metu alterius: præterquam quòd damnum, quod timetur, reparatur. Tenentur enim Transeuntes omnem securitatem facere: ut si obsides dentur, „quòd à Demetrio Seleucus postulabat; & cùm „intrà sui imperii fines transire sineret. Vel si „Exercitus transiret inermis, qui mos antiquitùs „in Eleorum Regione observabatur, ut Strabo „*lib.* 8. notavit. Data igitur debita cautione, „nullum damnum est timendum ab exercitu „transeunte, sive eundo, sive redeundo: quæ cautio si non daretur, justè transitus negaretur, injustéque contra negantem bellum moveretur.

12. Ad cæteras rationes patet clarè responsio ex dictis, & dicendis.

13. Infero primò ex dictis, ad hoc ut bellum nullo modo sit obnoxium, esse priùs à Principe transitum postulandum, cum exhibitione convenientis cautionis: quo non obstante, si negetur, potest Princeps injuriam punire, vel de facto transire; quo modò se gessit Agesilaus ex Asia rediens: postulato à Rege Macedonum transitu: cùm enim in consultaturum se dixisset. *Consultet*, inquit, *nos interim transibimus.*

Infero secundò, probabilem esse sententiam Vict. Relect. *de Indis, par.* 2. *in princ.* quam similiter docet Lorca *loc. cit.* Trullen. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 4. *num.* 13. nempè, licere cuique peregrinari in alienas Provincias, & illic degere, sine tamen aliquo Incolarum detrimento, aut injuria: Per flumina alterius Regionis navigare: Naves in omne mare mittere: Omnibus portubus uti: Negotiari in alienis Provinciis, importando merces, quibus ibi carent Habitatores: Et exportando aurum, & argentum, mercesque alias, quibus illi abundant: metalla effodere gemmas extrahere de aliquo communi Agro, vel de fluminibus: aut piscari etiam margaritas in mari, & similia; dummodò aliis peregrinis, aut hospitibus liceant; quia hæc omnia permittuntur, seu licent jure gentium: quod vel est jus naturale, vel derivatur ex jure naturali. *Inst. de jur. natur. gent. & civil.* quod naturalis ratio inter omnes gentes constituit, vocatur jus gentium: Unde Plutarchus de mari sic loquitur. Vitam nostram, feram alioquin & commerciorum exortem hoc elementum sociavit, atque perfecit, supplens quod deerat ope mutua; & permutatione rerum societatem, amicitiamque conciliana. Apudque Florum habemus. Sublatis commerciis, rupto fœdere generis humani. Unde infert Victoria, hisce titulis potuisse Hispanos inferre bellum Barbaris Indiarum, & ad eorum ditionem reducere, cùm illis suptadicta negaverint. 14.

Infero tertiò, pro violatione juris, impedienda, reparanda & vindicanda posse justè moveri bellum, non solùm adversùs Principes offensores, sed etiam adversùs eorum Fautores, Defensores, & Receptores, quia hac ratione ipsi injuriosi sunt. Molina, *tom.* 2. *de just. disp.* 140. *versic. Si quarta, & quinta.* Valentia & alii. 15.

Infero quartò obiter, licitum esse comedere uvas in Agro alterius, si urgeat indigentia, & est de jure divino. Glos. *in Cap. Omnes, dist.* 1. *verb. Fas est*, sed non illas exportare; item conterere spicas, & comedere. *caus.* 6. *q.* 3. *cap.* 1. sed non mittere falcem, ut *de consecr. dist.* 5. *Cap. Discipulos*: ubi Glossa advertit, quod, licèt hoc sit de jure divino, tamen non est jus; id est jus non dat civilem actionem. 16.

Infero quintò, posse transire per alienum agrum eum, qui thesaurum suum vult effodere, *ff. ad exhib. thesau. in fin.* item eum, qui quærit hominem fugitivum, *ff. de ser. fug. leg. divus: casu* 23. *quæst.* 2. *cap. ult.* item eum, qui invenit viam publicam destructam: ut *ff. quemadmodum servit. amit. l. si locus, §. ult.* 17.

Infero sextò, licere cuilibet transire, ob majus suum commodum, per palatium alterius, quod portas habet apertas in via. Ratio fundatur in jure civili. *ff. de aqua plu. arcen. l. in summa, §. Item verus*; ubi habetur, quod quando aliquid mihi prodest, & tibi non nocet, æquum est, ut mihi non prohibens, licèt jus ibi deficiat. 18.

XI. DIF.

XI. DIFFICULTAS.

An justum sit bellum, quod suscipit Princeps pro Amicis, quibus nullatenùs auxilium promisit, nec fuit ab eis in auxilium vocatus.

1. NOtandum primò, rectam esse amicitiæ definitionem, quam tradidit Tullius, ut notat S. August. *tom. 1. contra Academ. lib. 3. cap. 6. pag. mihi 189. col. 1.* ubi ait, *Amicitia rectissimè, ac sanctissimè definita est rerum humanarum, & divinarum cum benevolentia, & charitate consensio.*

2. Notandum secundò, nihil feliciùs in hac vita haberi, quàm verum habere amicum; quod clarè habetur ex Eccles. *Cap. 25. Beatus, qui invenit amicum verum*: Unde D. Th. *Opusc. 61. cap. 14.* testatur, *Amico fideli nullam esse comparationem.* Dicere propterea solebat Socrates: *Vero amico nullam possessionem esse pretiosiorem.* Eras. *lib. 3. Apoph.* Et Alexander à quodam interrogatus, ubi thesauros asservabat, illi Amicos ostendens, ait, *In his.* Max. *serm. de amic.* Meritò quidem, cùm DEUS ipse testetur, dicens. Eccles. *Cap. 6. num. 14. Amicus fidelis protectio fortis, qui autem invenit illum, invenit Thesaurum.*

3. Notandum tertiò, optimam esse doctrinam D. Tho. traditam *in 3. dist. 29. quæst. 1. art. 5. ad 3.* ubi ait: *Tradere se ipsum morti propter amicum est perfectissimus actus virtutis*: Unde ipsam amicitiam, scripsit S. Aug. *tom. 4. de amic. cap. 1. pag. mihi 528.* non inter fortuita, vel caduca, sed inter ipsas virtutes, quæ æternæ sunt, etiam mundi hujus Philosophi collocaverunt.

4. His annotatis, ad difficultatem propositam, an justum sit bellum, quod suscipit Princeps pro Amicis, quibus nullatenùs auxilium promisit, nec in auxilium fuit vocatus, negative videtur respondendum; cùm causa justa, justusque titulus bellandi sit injuriam sibi imminentem impedire, illatam resarcire, & illam vindicare. Sic S. Aug. relatus *in cap. Dominus, causa. 23. q. 1.* Cùm igitur nullam Princeps receperit injuriam, nullaque illi immineat ab iis, contra quos bellaturus insurgit, illi videtur justus deesse titulus bellandi.

5. Veritas tamen est, Principem pro Amicis, etiam absque promissione de auxilio præstando, nec non & invocatum, posse justè juvare Amicos, & sic justè pro eis bellare. Bar. *in l. decretum, in fin. per* Tex. *Cod. de natu, & epidime, lib. 12.* & ibi, Jo. Plat. per illum ipsum Tex. Corne. *conf. 107. col. 3. vers. quia insuper, & conf. 204.* pro decisione *col. 2. vers. si pro defensione, lib. 1.* Bal. *in conf. 143.* Tiraq. *de privileg. caus. 22. num. 45.* Caiet. *in 2. 2. quæst. 40. art. 1.* Franc. à Victor. *Relect. 5. de Indis, n. 17.* Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 105.* Castropalaus, *de charit. tract. 6. disp. 5. punct. 3.* Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 5. cap. 2. dub. 3. num. 1.* Bann. *in 2. 2. q. 40. art. 1. dub. 4. §. Circa secundum.* Et est communis inter Theologos, & Jurisperitos.

6. Moveor primò juribus, *in l. Verum, in princ. juncta Glos. ff. pro soc.* ubi habetur amicitiam ipsam esse veluti quandam fraternitatem. Et Bar. Bal. quos recenset, & sequitur Tiraq. *loc. cit. n. 44.* asserunt & probant licitum esse Consanguineis, & Amicis etiam non requisitis obsessum motu proprio juvare.

Moveor secundò ratione, ducta ex humanæ naturæ comunione, seu hominum inter se conjunctione, quæ vel sola ad opem ferendam sufficit. Bart. *ad l. hostes, ff. de cap. num. 9.* Cast. *ad l. 1. par. inf. gent.* Innoc. *ad cap. Sicut, de jur jur. & in cap. Olim, de restit. spoliat. n. 10.* Panor. *num. 18.* Sylv. *in verb. Bellum, quæst. 8.* quam veritatem clarè exprimit Seneca, *de ira, lib. 1. cap. 7.* dicens: Homo in adjutorium mutuum generatus est. Democritus pariter scribens: Injuria oppressos defendere pro viribus oportet, & non negligere; illud enim justum, bonumque est: quibus minimè dissentit. S. Amb. qui *de off. 1. lib. cap. 5.* sic admonet. Fortitudo, quæ defendit infirmos, plena justitia est. Mirum igitur profectò non est, dixisse Aristotelem, *Rhet. ad Alex. cap. 3.* Oportere quemque aut pro se arma sumere (intellige, quando justa ad est causa) aut pro benefactoribus, aut sociis injuria affectis auxilia ferre. Dat igitur Principi, vel ipsa natura humana, etiamsi cætera desint, sufficiens jus, non pro sociis tantùm, quibus ex fœdere id debetur, sed pro amicis arma suscipiendi. 7.

Præterea, Princeps æquè potest advocare Principes amicos ad vindicandam inimicorum injuriam. Ergò Princeps amicus æquè potest pro amicis injuriam vindicare ab ipsis receptam. Non enim alio juridico titulo in ditionem venit Romanorum Orbis, nisi jure belli, cujus occasiones præcipuæ fuerunt defendere Amicos, illis auxilia præstare, eorumque inimicorum vindicare offensiones; quam tamen Romanorum ditionem tanquam legitimam approbat. S. Aug. *lib. 5. de Civit. DEI*, & S. Tho. *opuscul. 21.* Tùm quia Princeps defendit se, dum amicos defendit; cùm amicus sit alter ego, ait. Arist. apud Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 5. cap. 2. dub. 3. num. 1.* Quis igitur negabit Principi, quòd Principem propriè decet, & ut Princeps est, & ut homo, juvare nempè omnes, & maximè amicos; præcipuè cùm unicuique mandaverit DEUS de proximo suo, ut habetur, Ecclesiastici 17. & prov. 24. præcipitur. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* Fateri itaque omnes debemus, posse quamvis naturali jure defendere amicos ab oppressione, & injuriis; idque potissimùm ad Principes spectare, qui possunt arma facilè sumere, & fortiter pugnare. 8.

Moveor tertiò exemplo, non solùm veterum Romanorum, qui solo lumine naturæ ducti, sæpè pro Amicis invocati bella susceperunt, sed etiam Christianorum Principum arma pro Amicis absque ulla auxilii promissione generosè sumentium, inter quos fuit Christianissimus Pipinus Francorum Rex, qui è Gallie in Italiam venit cum ingenti exercitu contra Longobardos bellaturus, quibus fugatis, & profligatis, Stephanum Tertium Summum Pontificem, in cujus favorem bellavit, Sedi suæ restituit. Baron. *in Annal. anno. 754.* 9.

Nec non & Carolus Magnus Pipini Pater, qui Romam quoque venit cum exercitu ad restituendum Leonem Tertium in locum suum. Baron. *Annal. anno* 800. Exemplum quoque Joannis Subieschi Poloniæ Regis adducerem, nisi crederem fuisse saltem ab Amicis vocatum Innocentio XI. nempè, & Leopoldo Primo Romanorum electo Imperatore, qui unà cum suo Filio Jacobo arma suscipiens, ab immanissimis, nec non innumeris Turcarum Armis Viennam liberavit, hostesque eam strictè obsidentes fugando, exterminando, totam Italiam ab evidenti Turcarum invasionis periculo vindicavit, sententiæ fortasse memor S. August. *tom. 4. de amic. cap. 26. Non est amicus, qui amico non subvenit.*

10\. Concludimus igitur, justum esse bellum, quod suscipit Princeps pro Amicis, quamvis eis nullum promiserit auxilium, nec quidem ab eis fuerit vocatus.

11\. Ad rationem in contrarium patet responsio ex dictis; nam quemadmodùm frater dicitur quasi ferè alter, ut notant communiter Jurisconsulti: ità & amicus, veteri proverbio, dicitur alter ipse, quod ad Pythagoram authorem plerique referunt: alij ad Zenonem Stoicorum Principem, qui interrogatus quis esset amicus, Alter, (inquit) Ego. Auctor Laertius, cujus sententiæ meminit Aristot. *lib. 9. Ethicor. cap. 9.* Et Cicero in Lelio. Et D. Hieronymus ad Augustinum sic scribit, „cum Amico, quasi cum altero se esse loquendum. Cui simile est, quod Pytaghoras effici in amicitia volebat, ut unus fiat ex pluribus, ut tradit Tullius *lib. 1. offic.* Atque adeò quemadmodùm quisque potest arma justè sumere ad se defendendum ab hostibus, eorumque injuriam vindicandam, si Princeps est nullum Superiorem recognoscens, ita fas erit cuilibet Principi supremo arma pro Amico suo suscipere, & ad eum defendendum etiam invocatus bellare.

12\. Infero primò ex dictis, quòd Amicus potest resistere cuicunque inferenti vim Amico, etiam in rebus. Ita etiam tenent Joan. Plat. Tiraq. *loc. cit.*

13\. Infero secundò, non esse peccatum mortale, absque tamen juramento, sibi falsum crimen imponere, ad eripiendum Parentem, vel Amicum innocentem à morte, vel tormentis magnis, quando Judex non procedit juridicè. Cùm interitus Parentis, vel Amici æquivaleat magnis doloribus, & quilibet possit, absque peccato mortifero, prævio juramento, ad vitanda tormenta, sibi crimen falsò tribuere, si nihil aliud mali inde timeatur: Ita Lessius, *de Just. & Jur. lib. 2. cap. 11. de Retract. dubit. 7. num. 40.* Card. de Lug. *Tit. eod. disp. 14. sect. 10. num. 183.* Imò, si Amicus, vel Parens est omninò inculpatus, nec sit alia via mortis evertendæ, non videri peccatum arbitror, si illius loco morti se offerret, quia nemini facit injuriam, & aliàs licitum est vitam pro Amico, aut Consanguineo exponere, ut docet Tolet. *lib. 5. cap. 9.* Sot. *de just. & jur. lib. 5. q. 1. art. 6.*

14\. Infero tertiò, non peccare saltem mortaliter eum, qui injuriam ab aliquo receptam, Amico refert, ad recipiendam ab ipso vel consolationem in sua angustia, & dolore, vel auxilium ad illam reparandam. Ita etiam Petr. Navar. *lib. 2. cap. 4. num. 210.* Less. *lib. 2. cap. 11. dub. 12.* cum jure suo uti videatur; dummodò tamen non nominetur persona offendentis, nisi ad consilium sit opus, vel ad necessariam consolationem valdè expediens: posseque hac causa excusari famulos detegentes injurias sibimetipsis illatas à suis Dominis, Uxorem illas, quas à Marito; filium eas, quas à Patre; Religiosum eas, quas à Prælato accepit injurias; dummodò intentione non detrahendi, sed doloris mitigandi causa hoc faciant. Trullen. *loc. cit. dub. 11. n. 5.*

15\. Infero quartò, posse justè bellari contra eos, qui prædicationem Evangelij impediunt, Concionatores injurijs afficiunt, Religionem Christianam blasphemant. Castropalaus. *de Charit. tract. 6. disp. 5. punct. 3. n. 6.*

16\. Infero quintò, justè potuisse Hispanos contra Indos Barbaros bellum movere, illosque ad suam ditionem cogere, cum hoc modo voluerint impedire, vel vindicare injurias Christianis illatas. Ita etiam docet Victor. *Relect. 5. de Indis, p. 3. n. 12.*

17\. Infero sextò, posse bellum justè moveri adversùs eos, qui innocentes occidunt, aut ad idololatriam cogunt, aut alias injustitias committunt. Ita quoque docent. Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 106. conclus. 3.* Suarez, *de charit. disput. 13. sect. 5. num. 5.* Bonac. *disp. 2. de restit. quæst. ult. p. ult. §. 2. in fin.* quia in tali casu suscipitur bellum in defensionem proximi. & nomine illius.

18\. Infero septimò, licere amico etiam invocato, sicuti & Consanguineo juvare Amicum, resistendo etiam de facto Officiali injustè exequenti. Ita etiam Bal. *cons. 143. col. 2. lib. 2.* ubi per hoc pulchrè dicit, quòd Amicus Amico potest suffragium defensionis impertiri, etiam sine requisitione. Et tenet pariter Tiraq. *loc. cit.*

19\. Infero octavò, in pluribus casibus tantùm laudabiliter operari Amicitiam in consideranda affectione, quantùm conjunctionem sanguinis.

20\. Infero nonò, esse admittendum, quòd voluit Abb. antiquus, *in Cap. Petitio, de jurjur.* quòd, si quispiam juravit alium defendere contra omnem hominem, non videtur jurasse, nec tenetur illum defendere adversùs suos ipsius Amicos, sicuti nec contra Consanguineos; quod & Panor. ibi *col. ult. vers. Non tamen placet*, admittit in magna amicitia conjunctis, ad quos ipse jurans videtur eamdem, quam ad seipsum habere affectionem; ubi allegat aliqua jura. Et sequitur Barb. *in l. Cum acutissimi, col. 91. vers. Et faciat quod voluit, Cod. de fideicom.*

21\. Infero decimò, ad Amicorum injuriam impediendam, reparandam, vindicandam, bellare posse Principem, non solùm adversùs præcipuos Offensores, sed etiam adversùs eorum Fautores, Defensores, & Receptores, quia etiam ipsi sunt suis Amicis injuriosi. Ità pariter sentit. Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 104.* Bonac. *de restit. disp. 2. quæst. ult. punct. ult. num. 6.* & alij apud. Castropal. *de charit. tract. 6. disput. 5. punct. 3. n. 4.*

22\. Infero undecimò à fortiori, Principi fas esse bellare pro subditis injustè oppressis, sive qui familiari,

militari, sive qui civili ejus subsunt imperio, cùm sint quasi pars Principis. Sic pro Gabaonitis, qui se populo Hebræo subiecere, arma suscepit is Populus, Duce Josue. *Jos, Cap. 10. n. 6.*

23. Infero duodecimò, licere Principi arma sumere pro socijs fœderatis, sive in tutelam sese & fidem illius dederint, sive mutua auxilia pacti fuerint. Ait enim D. Amb. *de offic. lib. 1. cap. 26. Qui non repellit injuriam à socijs, si potest, tàm est in vitio, quàm ille, qui facit.* Ob quam causam Lacedæmonij priusquàm bellum Atheniensibus indicarent, socijs omnibus de causæ justitia judicium permiserunt: & Romani Græcis de bello in Nabidem. Livius, *hist. ab urb. cond. lib. 34.*

24. Infero decimotertiò, fas esse Principi pro socijs pugnare, fœderatis etiam contra alium pariter fœderatum, nisi priùs fœdus aliquam specialem pactionem admiserit, cum jure naturæ possit simpliciter defendere amicum, & jure amicitiæ alterutrum. Hac ratione fas erat Atheniensibus, si causa eorum justa erat, defendere Corcyræos etiam contra Corinthios socios antiquiores.

25. Infero decimoquartò, non esse tractandos Amicos, uti faciebat Dionysius, de quo interrogatus Diogenes, quomodò suos adhibebat amicos: respondit, *ut vasa, quæ dum plena sunt, evacuat, & vacua abjicit*, Bruson. *lib. 1. cap. 3.*

26. Infero decimoquintò, quòd licèt non audiantur appellantes, nisi quorum interest, vel quibus est mandatum *l. 1. ff. de appell. recip.* Amicus tamen pro Amico potest appellare. Ità etiam Archi. *in cap. Statuimus, de elect. lib. 6. & in cap. Non solent, causa 2. quæst. 6.* Alex. Tiraq. & alij, quos libenter omittimus, nè nimia prolixitate benignus Lector gravetur.

27. Infero decimosextò incidenter, quòd quamvis Tutor non possit bonorum possessionem pupillo delatam repudiare, *l. Tutor, ff. de bon. poss.* potest tamen Amicis pupilli intervenientibus, quia tunc quasi cessat omnis fraudis suspicio, ut voluit Glos. *in d. l. Tutor*, quam sequitur Bal. *in l. Pupillorum, post princ. Cod. de repu. hære.* & ibi Jas.

XII. DIFFICULTAS.

An à contributionibus, quas Princeps imponit tempore belli, possit Princeps sine causa aliquem immunem reddere, alijs augendo onus.

1. NOtandum primò, contributionum, seu tributorum nomina à Jurisconsultis, & Canonistis multiplicari, quæ, inter cæteros, à Sylvestro, *verbo, Gabella*, distinctè connumerantur, pensio, quæ dicitur à pandendo, hoc est, solvendo, census, qui à censendo derivatur, guidagium, collecta &c. de quibus infrà clarior erit sermo.

2. Notandum secundò, contributionem, seu tributum, ut nomen ipsum sonat, à tribuendo, seu contribuendo dici, eò quod quisque stipem tribuat: & quoniam antiquitùs illa stipum contributio non dabatur, nisi ad sustentandum publicum militem; inde etiam stipendium derivatum est; ut habetur, *l. Ager, ff. de verbor. & rer. signific.*

Notandum tertiò, causam contributionum, secundùm sensum communem, esse solam necessitatem, quæ à Principe seriò pensanda est, nè auctiora exigat, quàm Reipublicæ exigat necessitas, & ut cessante tributi, seu contributionis causa, cesset etiam contributio. 3.

Notandum quartò, possessionibus potiùs, facultatibus, ac negotiationibus contributiones esse imponendas, quàm personis, ut quò quis bonis locupletior abundat, aut plùs lucratur, plùs solvat, non quò plùs indiget. Domin. Sot. *de just. & jur. lib. 3. quæst. 6. art. 7.* 4.

Notandum quintò, contributiones, seu tributa solvere honestum esse, atque etiam præceptum conscientiam obligans, ut explicatur, Rom. 13. 3. 4. 6. cùm finis tributorum sit, ut Potestates publicæ habeant unde impensas faciant ad bonos tuendos, ac coërcendos malos, mediante præcipuè bello. Ad hoc tributa præstamus, ait D. Aug. *lib. 22. contra Faustum, cap. 74.* ut propter necessaria militi stipendium præbeatur; cui dicto non dissimile est illud Taciti. *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendijs, neque stipendia sine tributis haberi queunt.* 5.

Notandum sextò, in lege naturali tria contineri, scilicèt; primò, prima principia, v. g. nulli faciendum esse malum. Omnia esse agenda secundùm rationem. Secundò, primas conclusiones ex primis principijs necessariò deductas, ut sunt præcepta Decalogi. Tertiò, quasdam determinationes particulares, ut v. g. esse puniendum eum, qui peccet. Graff. *p. 1. lib. 2. cap. 31. num. 8.* 6.

His annotatis, ad propositam difficultatem, an Princeps possit reddere aliquem sine causa immunem à contributionibus, quas tempore belli imponit. Pars affirmativa videtur sustinenda: nàm Princeps habet plenitudinem potestatis, quam Suetonius in Caligula vocat liberam jurisdictionem: quæque sic definitur. *Est plenitudo arbitrij nulli necessitati subjecta, neque juris publici regulis limitata*; ut per Bald. *in l. 2. Cod. de servit. & aqua.* Curt. Sen. *in consil. 65. num. 18.* Ergò Princeps est supra legem. Ergò potest dispensare legem. Ergò reddere immunem pro suo arbitratu quemlibet à lege contributionis: aliàs non salvaretur in Principe substantia plenitudinis potestatis. Præterquam quòd, si quid huic opinioni obstaret, maximè præjudicium tertij, quia Princeps alicui remittendo contributionem, cæteris onus augeret; sed hoc non officit: nam *ex glossa Martini, in proœmio, ff. in princip.* habetur, Principem esse Dominum rerum singularum tàm proprietatis, quàm possessionis, adeóque posse arripere uni, & dare alteri absoluta potestate. Barbatius quoque *in consil. 64. penult. col. volum. 4.* Alexand. *in cons. 216. num. 10. vol. 2.* probat, Principem posse tollere ea, quæ inducta sunt de jure naturali, & gentium, cum clausula, *Non obstante*, etiam si agatur de gravi præjudicio: Chassanæus pariter simul cum alijs *in consil. 66. num. 59.* concludit, posse Principem cum clausula *De plenitudine potestatis*, sine causa tollere ea, quæ 7.

sunt inducta de jure naturali, civili, vel gentium; ubi attestatur hanc esse communem opinionem. Si ergò, Princeps potest de singularum personarum rebus disponere, de potestate absoluta, ut de proprijs, ut vult etiam Angel. *in l. item si verberatum*, §. 1. *ff. de rei vendic.* non est undè negetur personarum acceptionem in contributionum, seu tributorum exactionibus licitam esse.

8\. Hanc opinionem esse reijciendam omninò putamus, asserentes Principes populum tributis, seu contributionibus vexantes, nullo modo posse, sine justa causa, aliquem ab onere communi immunem reddere. Ità Jurisconsulti, Canonistæ, & Theologi. Lucas de Pen. *in l. vacuatis, Cod. de Decurionib. lib. 10. & in l. actores, Cod. de exeeutor. tributor.* Soc. Sen. *consil. 72. in fin. l. 4.* Boer. *decis. 213. num. 3.* Bursat. *consil. 16. num. 97. vol. 1.* Roland. à Valle, *cons. 76. num. 5. & 6. vol. 2.* Cacher. *decis. 95. num. 22. & 23.* Menoch. *consil. 744. n. 1.* Felin. *in Cap. Accedens, de præscriptis.* Thomatus, *in Collectis; num. 17. & 18.* Pechius, *in cap. Qui sentit, de reg. Jur. in 6.* Domin. Sot. *de just. & jur. lib. 3. quæst. 6. art. 7.* Tho. del Bene, *p. 1. de immunit. Ecclesi. cap. 5. dub. 26.* & alij.

9\. Moveor primò juribus, *argum. in l. vacuatis, Cod. de Decurion. & l. immunitatem, Cod. de Agricol. & Cens. & l. fin. Cod. quemadmodum civil. mun. ind.*

10\. Moveor secundò rationibus; nam dum relevaret unum, cæteros aggravaret; quod justitia non fert: quis unquam dixerit licere Principi, ut sit favorabilis, injustum esse? Lex enim naturalis Principem obligat justitiam servare cum subditis: cùm lex naturalis illum obstringat facere, quod justum est, & evitare, quod injustum est tanquam intrinsecè malum, & lege naturali prohibitum. Quid verò exigit à Principibus Justitia? Quid illis imperat? gravare profectò æqualiter, data proportione, subditos, quando bellum justum, aut alia publica necessitas urget illos gravare; nam cùm bellum, pro quo imponitur contributio, communem respiciat utilitatem, quæ est pax, & felicitas Reipublicæ, commune utique omnibus proportionaliter debet esse onus; juxtà *Reg. qui sentit &c. de regul. jur. in 6.* Ergò si onus commune non est, inæqualitas oritur, atque adeò injustitia contra jus naturale, contrà quod ire non potest Princeps, cùm illi obnoxius sit, ut in responsione ad primum argumentum contrariæ sententiæ demonstrabitur. Nè igitur Princeps fiat injustus dum favet, à contributionibus, quas necessitate coactus imponit omnibus, immunis, sine justa causa, nemo evadere potest.

11\. Moveor tertiò exemplo Principum, præcipuè Ducum Sabaudiæ, qui quibusdam Nobilibus petentibus à contributionum exactione, tempore belli impositarum liberari, respondebant, illicitam esse in communi gravamine personarum acceptionem, teneriquè Principem Deum, à quo omnem habet potestatem, imitari, qui personarum non est acceptor. Quantùm verò DEO displiceat in communibus oneribus personarum acceptio, Sacra ostendit Historia. Videmus enim 3. Reg. *Cap. 12. num. 11.* quòd Roboam maximus fuit Regni portione mulctatus, quòd per Patre suo moliebatur populo grave jugum imponere.

Concludimus igitur, nequaquàm Principi licere à contributionibus tempore belli impositis, quibus gravantur omnes, aliquem sine justa causa reddere immunem. 12.

Ad argumenta in contrarium respondemus; ad primum, esse in controversia, an Princeps sit supra legem positivam, ideóque an possit illam dispensare; concedunt aliqui: esse autem supra legem naturalem, negant omnes, præter Principum Adulatores. Inferior enim non potest esse supra jus Superioris, neque ei aliquo modo derogare. *Cap. Inferior. dist. 21. & Clement. Ne Romani, de elect.* Atqui Princeps est inferior DEO. Ergò cùm lex naturalis sit lex DEI, non potest Princeps illi derogare. Tùm quia, lex naturalis est immutabilis, §. *Sed naturalia, instit. de jur. natur. & cap. Sunt quidam, 25. quæst. 1. & cap. Non debet de consanguinit. & affinit.* & tradunt communiter Doctores cum D. Tho. 1. 2. *quæst. 94. art. 4.* propreteà in præceptis juris naturalis, quo ad prima principia, non solùm Princeps laicus, sed nec Papa potest dispensare, aut interpretari. D. Tho. *in Quodlib. 4. art. 13. in 4. sent. dist. 27. quæst. 3. art. 2. & 1. 2. quæst. 95. art. 5.* Silv. *in verb. Consuetudo, quæst. 9.* Covarr. *tit. de sponsa, par. 2. cap. 6. num. 2. §. 9.* Undè dicitur *dist. 5.* jus naturale cœpit ab exordio naturalis creaturæ, nec variatur tempore, sed permanet immutabile. Nos autem nunc, seu in hoc casu, sumus in lege naturali, cujus prima principia sunt, nulli faciendum esse malum: omnia esse agenda secundùm rationem. Potest nè dici, quòd Princeps, si quem reddat, sine causa, ab oneribus communibus immunem, nemini noceat? agat secundùm rationem, quæ dictat servandam esse cum omnibus, data proportione, æqualitatem? Cùm igitur lex humana derivetur à lege naturali, aliàs non esset justa; & legi naturali non possit contradici per legem humanam, quæ non derivaretur à lege naturali, si ei posset contradicere; sequitur Principem nullatenùs posse, sine causa, in contributionum communium exactione cæteros aggravare, ob unius, vel aliquorum sublevationem.

Ad secundum, negamus quoad forum internum (quidquid sit de contentioso) Principem posse licitè uti plenitudine potestatis, quando injuriam alteri infert. Peregr. *in tract. de fideicommiss. art. 52. sub num. 125.* Bal. *in l. si testamentum, Cod. de testam.* Host. *in rub. qui filij sint legitim. col. pen.* Paul. de Cast. *cons. 34. pen. col. vol. 2.* Alciat. *cons. 5. num. 15. vol. 4.* & alij. Et ratio videtur esse, quia quidquid potest Princeps, derivatur à DEO, ut Prov. 8. *Per me Reges regnant, & Principes imperant*: Et ad Rom. 13. *num. 1. Non est enim potestas nisi à DEO. Divina verò Majestas Principibus concedit posse ad juvandum, nunquàm nocendum.* Id verò, quod affirmat Martinus cum alijs; nempè Principem esse Dominum rerum singularum personarum tam proprietatis, quàm possessionis, propreteà posse arripere uni, & dare alteri de absoluta potestate, à me absolutè negatur cum plurimis Jurisconsultis, & Canonistis, quos non 14.

non allego, nè injuriam inferam brevitati à me præfixæ, dum alijs injuriam conor reparare.

15. Infero primò, ex dictis, esse immunem servandum à tributis, seu contributionibus ob bellum, aut aliam publicam necessitatem impositis, cum, cui concessa fuit, ex justa causa, à Principe immunitas; ut, v. g. si per suam singularem militandi peritiam maximum affert Reipublicæ juvamen; expugnat per suam industriam, citrà interitum plurimorum militum, fortissimas arces; insignes consequitur victorias, & similia. Ità colligitur *ex l. si non fuerint, in princ. & ex l. si coita, ff. pro socio*: & tenet Lucas de Pen. *in d. l. vacatio, Cod. de Decurionib.* Petra, *de potest. Princ. cap. 32. dub. 2. num. 9.* & in hoc sensu debent intelligi. Bart. *in l. 2. Cod. de publ. oper.* Imol. *in l. ab omnibus, ff. de legat. 1.* Abb. Jo. And. Felin. *in cap. Pervenit, de immunit. Eccles.* Tunc enim illa exemptio non fit injuriosa Gravatis, cùm participent de beneficio Reipublicæ præstito ab Exempto; ideòque, si omnes sentiunt commodum, omnes sentire debent & incommodum, *juxtà d. regul. qui sentit, &c. de reg. jur. in 6.*

16. Infero secundò, in impositione tributorum habendam esse rationem Cæcis, nè eorum cæcitati adjungat lacrymas novi oneris pœna: ità jubet Tex. *in cap. licèt multum, extrà. de censib. & ff. eodem tit. l. etiam*; sancitur quoque, & ætatem esse considerandam, nempè ut neque pueri, neque senes tributum solvant.

17. Infero tertiò, consulendum esse in tributis, nè pro his rebus, quæ ad proprium usum pertinent, exigantur: ità jubet *lex Universi, Cod. de Vectigal.*

18. Infero quartò, tributis non esse plebem nimis gravandam, quando publica necessitas petit omnes gravari; quia, cùm imponens sit immoderatos sumptus conferre, posset tumultum contra Rempublicam moliri, & sic injustitiæ labes etiam in Reipublicæ perniciem verteretur.

19. Infero quintò, contributionum collectores posse exigere contributionem pro rata ab exempto, seu privilegiato à Principe, si constat tale privilegium fuisse in tertii præjudicium, sine justa causa; nam sicut privilegia Principum, quæ æquiparantur dispositionibus ultimarum voluntatum. *Cap. Quia Cunctis, de concess. præbend. cap. si plurib. de præbend. lib. 6.* Gigas, *in tract. de pensionib. quæst. 27. num. 5.* sine causa revocari non possunt. Bald. *in l. in 5. not. Cod. leg.* ità sine causa concedi non possunt: & si sine causa justa conceduntur, vana & irrita habenda sunt.

20. Infero sextò, Principem non posse in jure quæsito, de jure gentium, tertio præjudicare. Gabriel. *in suis commun. conclus. tit. de jure quæsito non tollendo, conclus. 1. n. 1. vers. contrarium, & vers. tenendo, num. 6.* Hieronym. Gabriel, *in cons. 193. num. 13. vol. 2. Rota decis. 10. lib. 2.* Albert. Leonius *in Constit. 97. n. 9. centuria 1.* Camill. Borrell. *in consil. sine controvers. cap. 14.* cum aliis pluribus hîc non allegatis ad tædium Lectoris tollendum.

21. Infero septimò, Principem, qui per altum dominium aufert rem uni etiam prætextu Capitulationis pacis, & dat alteri, teneri providere de æquivalenti ex cambio, *l. servi. 2.* ubi Bald. *Cod. pro quibus caus. serv. pro præm. libert. accip.* Innocen. *in cap. Nisi cùm pridem, col. 2. vers. nos dicimus, de renunciation.* Abb. *in cap. Constituens, num. 12. de Religios. dom.* Archi. *in cap. per principalem, 3. quæst. 5.* & alii plures.

Infero octavò, Regem auferentem feudum alicujus ex causa publicæ utilitatis, si cessat causa, teneri illud restituere, si potest. Felin. *in cap. Quæ in Ecclesiarum, num. 29. in princ. de constitut.* & ibi Imol. Ias. *in l. 1. num. 61. vers. quarto adde, ff. de officio ejus, in consil. 92. v. Illustrissimus, num. 11. vol. 5.* Dixi, si potest restituere. Triaquell. *in tract. cessante causa, p. 1. n. 20.* 21.

Infero nonò obiter, nefas esse Judici in judiciis dicendis, acceptare personas: nàm Judex adeò custos est justi, ut justicia ipsa appelletur animata. Aristot. *5. Ethic.* Cicer. *lib. de leg.* Propterea acceptando in judiciis dicendis personas, perindè esset, ac si ipsa se justitia suis manibus dilaniaret. Debet enim Judex, ut ibi ait Cicero, non ut homo, sed ut Ratio dominari. Ratio verò imperat justitiam non esse corrumpendam à Judice: at justitiam corrumpit Judex, si personas acceptat in judicando. 23.

Infero decimò obiter, graviter peccare eum, qui indignis personis, ob humanas, mundanasque causas, honorem exhibet; quia gravem infert dignis injuriam, quibus talem honorem denegat. Asserit enim Aristot. *4. Ethic cap. 3.* honorem maximum esse externorum bonum, quo reverà solus bonus dignus est; nam honor à voce, Honestum, derivatur: honestas autem uni competit virtuti. Atque ideò Romanus ille Marcus Marcellus ea lege, Honori, in media Urbe, templum erexit, ut nemini illuc nisi per ædes virtutis pateret aditus. 24.

Infero undecimo etiam incidenter, graviter peccare Electores, si elegerint indignum, vel dignum, prætermisso digniori. Covarr. *in Reg. peccatum, §. 7. sub n. 4.* ubi testatur communem opinionem. Abb. *in cap. Constitutis, num. 7. & 8.* Gomez, *in cap. 2. num. 22. de constitut. lib. 6.* D. Thom. *2. 2. quæst. 63. art. 1.* & aliorum plurimorum. Valebit tamen electio in foro exteriori, si dignus eligatur, prætermisso digniori. Glossa *in versic. qui non offenderit, l. cùm quidam, ff. de leg. 2.* ubi Bart. *num. 6.* Molin. *de primogen. Hisp. lib. 2. cap. 5. sub num. 46.* ubi testatur communem opinionem, ampliatque procedere sive in electione procedente ex dispositione hominis, sive legis. 25.

XIII. DIFFICULTAS.

Princeps injustum gerens bellum, factus est egenus: dubitatur, an possit justè imponere suis Subditis tributum.

NOtandum primò, triplicem esse egestatem. Prima dicitur absoluta, & est illius rei, sine qua individuum conservari non potest. Secunda, rei illius est, sine qua vita sustineri potest, sed incommodè notabiliter. Tertiam egestatem appello proficuam, & est illius rei, sine qua vi- 1.

ta conservari potest, sed sine decore propriæ conditionis, & sine utilitate, tùm propria, tùm publica.

2. Notandum secundò, Principem Supremum non posse alienare quæ ad Regiam Coronam spectant. Ità disponit Text. *in cap. intellecto, de jurejur.* ubi Joan. Andr. Innocentius, Hostien. Abb. & alij. Cyn. *in l. digna vox, Cod. de leg.* Bald. *in cap. Licèt, §. in generali, si de feud. defunct. & in cap. 1. vers. si possideant. de pace Constantiæ.* Isernia, *in cap. 1. §. Præterea, de prohibit. Feud. alienat.* & communiter DD. *in cap. 1. de probat. in l. prohibere, §. Planè, ff. quod vi, aut clam, & in l. Bene à Zenone, Cod. de quadrien. præscript.* Idem dicendum puto de Summo Pontifice, scilicet non posse alienare jura Regiæ, & Pontificiæ potestatis, inter quæ est jus appellationum, cùm teneatur omnia, quæ ad Regiam, & Pontificiam Dignitatem attinent; illæsa omninò servare, quod habetur, *in cap. Grandi, de supplem. negligent. Prælat. in 6. & in dict. cap. intellecto.*

3. Notandum tertiò, Principem non esse Dominum rerum Subditorum, nisi quantùm ad protectionem. Undè, si Princeps fert legem generalem, qua res Privatorum tollantur, illis tenetur persolvere pretium, ut per Text. *in l. Servi, Cod. pro quibus cau. servi liber. accip.* & docet Jas. *in l. Barbarius, num. 41. in fin. ff. de off. Prætor.* Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 113. num. 2.* Dec. *cons.* 418. Menoch. *cons. 975. n. 27.*

4. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Princeps, ob bellum injustum, factus egenus, possit justè imponere novum tributum Subditis, respondent aliqui, si laboret egestate secunda, aut tertia; in primo not. explicata, partem negativam posse suaderi. Primò, quia Severus, & Antoninus Imperatores sanxerunt, non esse temerè imponendam novorum vectigalium exactionem, nisi summa exigente Patriæ necessitate, ut habetur *in l. 1. Cod. Vectigalia nova imponi non posse:* & hodiè imponi posse non videtur sine facultate Summi Pontificis, quam non concedit, nisi priùs re in Concistorio discussa, & benè inspecta propter Bullam Cœnæ id expressè prohibentem in favorem pauperum Subditorum. Propterea asserunt communiter Doctores peccare Principem in tributis, & gabellis imponendis, & exigendis, præsertim, quando supra vires onerantur Subditi; ob quam causam sæpissimè ortæ sunt in Civitatibus seditiones, ut refert Nicolaus Boerius, *in tract. de seditionibus.* Tùm quia, huic opinioni favere videtur dispositio jurium, *ff. de po. l. bona fides, Cap. Ex parte, de consuet. cap. Non satis, distinct. 86. cap. considerandæ,* ibique Gloss. *in verb. maximè;* ubi sancitur cadenti sua culpa in egestatem non esse subveniendum, adeóque subditos in casu culpabilis egestatis Principis non debere contribuere, & sic neque fas esse Principi novum illis imponere tributum.

5. Veritas tamen est, Principem, si bello injusto, aut inutili, vel alia sua culpa, deveniat ad statum, in quo non habeat competentes sumptus ad defensionem, & conservationem Reipublicæ, atque ad splendorem, attenta qualitate status illius, & Reipublicæ; si debitam habuerit Sanctæ Sedis Apostolicæ facultatem, posse licitè imponere suis subditis nova tributa, ab illis, ob dictam causam, solvenda. Malderus, *in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 4.* Less. *lib. 2. cap. 33. dub. 6. num. 48.* Graff. *p. 2. decis. lib. 2. cap. 19. num. 31.* Molina *p. 1. tom. 3. de just. tract. 2. disp. 667. sub num. 4.* Turrian. *in 2. 2. tom. 2. disp. 44. dub. 2. num. 5.* Molfes. *in sum. tom. 2. tract. 12. de contractibus cap. 22. num. 12.* Barthol. à S. Fausto *in Specul. Confess. disp. 33. q. 11.* Vasq. *Opusc. de restit. cap. 6. §. 1. dub. 2. num. 24.* Ità etiam propendet Medina, *C. de restit. quæst. 13.*

Moveor primò, *ex Tex. Canon. 41. dist. Cap. Quiescamus, 86. dist. cap. Non satis: & cap. Considerandæ,* ubi habetur, existenti in necessitate subveniendum esse, etiamsi culpa inciderit in egestatem: ergo Subditi tenentur contribuere ad sumptus competentes Principi in egestate posito. Ergò Princeps licitè potest has contributiones ab illis exigere. 6.

Moveor secundò rationibus in jure fundatis; nam instituere nova vectigalia est effectus supremæ jurisdictionis, *l. 5. Cod. nova vectigal. & cap. Innovamus, de censib. & cap. Super quibusdam.* Item imponere munera, tributa, & collectas, *l. 5. Cod. de annon. & tribut.* Princeps verò, de quo loquimur, habet supremam jurisdictionem. Ergò ei licet nova tributa imponere, secundùm exigentiam suæ egestatis. Tùm quia, Princeps tenetur defendere, & conservare Rempublicam, atque splendorem sui status, & consequenter publicum malum avertere, cùm sit Dominus mundi quoad protectionem; ex alia parte non potest spectantia ad Regiam Coronam alienare. Ergò, ut provideat imminenti malo, quod ob suam inopiam potest oriri, cum detrimento totius Reipublicæ, licitum erit ei nova tributa imponere, vel antiqua augere. 7.

Moveor tertiò exemplo in Senatu Romano, totius Orbis Legislatore, qui, durantibus bellis, & deficientibus publicis sumptibus imponebat aliqua onera, licèt sciret, quòd vix plebs tolerasset: idem fecere Censores. Porrò necessitas, inquit Seneca, *Magnum humanæ imbecillitatis patrocinium, omnem legem (humanam scilicet, aut ad humana modum factam) frangit.* Et apud Curtium est, *In communi calamitate suam quemque habere fortunam.* Et ex Jure Canonico scimus necessitatem excusare à multis, *Cap. Pervenit, dist. 4. Cap. Discipulos, 5. dist. Cap. Si nulla, causa 23. quæst. 8.* 8.

Concludimus igitur, Principem, qui ob bellum injustum, ad paupertatem devenit, habita priùs à Sancta Sede facultate, posse justè suis subditis nova tributa imponere, ad se, suámque Rempublicam conservandam.

Ad argumenta in contrarium respondeo. Ad primum, peccare quidem Principem, nova vectigalia, & gabellas imponendo sine causa, aut necessitate urgente: Secùs verò, quando adest causa justa, ut egestas. 9.

Ad secundùm. Admittimus jura allegata, quæ vetant subvenire ei, qui incidit in egestatem cul- 10.

pa

pa sua, sed hoc intelligitur, quando inducitur ad peccandum, quia tunc nullo modo, nec quidem eleemosyna debet fieri. *5. q. 5. cap. Non omnis, Zab. in cap. Qua in Ecclesiarum, de Const. 7. opposi.* nisi necessitas pauperis extremè urgeat; adeóque si Princeps vellet uti tributis impositis ad continuandum bellum injustum, fatemur subditos non teneri; imò nec debere illa solvere, quia cooperarentur ad malum, quod nunquam licet. Cæterum jura nunquam intelligunt, quotiès Princeps nequit providere publico bono, & aliundè non habet: tunc enim volunt, ut sumptus ei sufficientes à subditis suppeditentur.

11. Infero primò ex dictis, subditos teneri solvere hujusmodi tributa, & contribuere ad sumptus competentes Principi, non solùm ratione publici boni, quia scilicet tales sumptus computantur inter res necessarias Reipublicæ, sed etiam ex quadam pietate naturali, debita cuilibet, præcipuè proprio Principi; nàm inter omnes adversitates fortunæ, infelicissimum genus infortunii est, fuisse felicem, Boethius apud Gloss. *in cap. Consideranda, dist. 86.*

12. Infero secundò, teneri Principem illud damnum extraordinarium, culpa sua, datum populo ex tali impositione, eidem populo resarcire, cum ad meliorem fortunam pervenerit. Med. *q. 15. de restit.* Molsel. *tom. 2. Sum. tract. 11. cap. 22. num. 72.* Less. *d. cap. 33. num. 28.* Molin. *p. 1. tom. 3. tract. 2. disp. 667. sub num. 4.* cùm damnum culpa propria alteri datum sit resarciendum, dum habentur vires adimplendi obligationem.

13. Infero tertiò, Principem in tali casu contentum esse debere mediocribus sumptibus, & consequenter teneri omnes sumptus parùm necessarios excidere, & in posterùm se abstinere à prodigalitatibus. Less. Molin. *loc. cit.* quod valdè notare debent Confessarii, & Consiliarii Principum, & Regum, ut eorum conscientias rectè regant.

14. Infero quartò, tùm Principem, tùm ejus Ministros debere oculatim examinare egestatem, aut aliam causam, ob quam tributum imponunt, nè cæco dictamine procedant: nàm si egestas esset levis, vel causa non esset justa, peccarent mortaliter, & impositio esset nulla cum onere restitutionis. Cajet. *verb. vectigalia, 5.* Petr. Navarr. *lib. 3. de restit. cap. 1. num. 255.* & alii, quos citat & sequitur Molsesius, *loc. cit. num. 73.*

15. Infero quintò, subditos habentes conscientiam de injustitia belli, quod Princeps per impositionem tributorum vult prosequi, non teneri solvere tributa, nec debere bellum sequi. Victor. *Relect. 5. de jure belli, num. 23.* quia nemo tenetur agere, quoq intrinsecè malum est, nec parere Superiori injustè præcipienti, *caus. 11. q. 3. cap. Si Episcopus quis fortè.*

16. Inferò sextò, Principem sive in casu egestatis, sive in aliis casibus, imponentem justas respectu Laicorum gabellas super Bona Ecclesiastica, incurrere excommunicationem, aut Bullæ Cœnæ, ut docent Gabriel. S. Antoninus, Angelus, Tabiena, Suarez, & alii, quos citat, & sequitur Thom. del. Bene, *p. 1. de Immunit. Eccles. cap. 5. dub. 30. sect. 1. n. 1.* aut Papalem, *in Cap. Quamquàm, de censib.* à qua, satisfacta parte, per Bullam Cruciatæ, absolvi potest, semel tamen in vita, & semel in morte, si delictum fuerit publicum. Dian. *in Summa, circa Bullam Cruciatæ, num. 31.* ut putant alij apud eundem Thom. del Bene, ibidem.

17. Infero septimò, Principem non incurrere excommunicationem Canonis Octavi Bullæ Cœnæ, si ob periculum certum, vel ferè certum indigentiæ imminentis, ut suo Loco consulat, prohibeat victualia, seu alia extrahi, & ad Romanam Curiam convehi minimè indigentem, vel detineat navem frumentariam, ad Romanam Curiam pergentem, si ventorum vi ad sua loca deveniat, frumenti penuria laborantia, Ugolinus in explicatione *d. Can. 8. num. 2.* Duardus, *in Bull. Cæn. lib. 2. Can. 8. q. 4. num. 1.* & adducunt Textum *in l. Prases, Cod. de servit. & aqu. & Cap. Discipulos, dist. 5.* Et ratio est, quia in tali casu necessitas excusaret à mortali, cùm tempore necessitatis omnia sint communia, *Cap. Sicut, dist. 47.* præsertim cibaria, *ex l. 2. §. Cum in eadem navi, in fin. ff. ad leg. Rhodiam, de jac.*

18. Infero octavò, licere extremè calamitoso alienis rebus sibi succurrere, sive clàm sublatis, sive palàm. Soto, *de just. & jur. lib. 5. quæst. 3. art. 4.* & hanc esse communem Theologorum sententiam, non tantùm quia rei Dominus, ex charitatis regula, rem egenti dare tenetur, sed etiam, quia res omnes in Dominos distinctæ, cum benigna quadam receptione primitivi juris videntur.

19. Infero nonò, non ligari excommunicatione, in Canone quarto contenta, naufragorum bona Surripientes, propter absolutam famis, aut vestium necessitatem. Duardus, *in Bull. Cæn. lib. 1. cap. 2. q. 4. conclus. 1. num. 3.*

20. Infero decimò, accipientem bona aliena in extrema necessitate, non posse à Domino impediri, quòd si impediat, eum repellendo, injustus est, & hanc injustitiam potest accipiens propellere, si non possit sibi aliter providere. Less. *lib. 2. cap. 12. dub. 12. num. 69.* Coninch. *disp. 27. dub. 10. num. 169.*

21. Infero undecimò, habentem superflua teneri sub peccato mortali dare eleemosynam non solùm laboranti extrema necessitate, ut omnes fatentur, sed etiam laboranti gravi necessitate, quando non est ei omninò probabile, & aliquo modo moraliter certum, se deficiente, alium ei succursurum. Covarr. *lib. 3. var. resolut. cap. 14. num. 5.* Bellarm. *lib. 3. de bonis operibus, cap. 7.* Richard. *in 4. d. 15. artic. 2. quæst. 2* Valent. *2. 2. disp. 3. quæst. 9. punct. 4. §. Quæ sint controversia.* Azor. Torr. & alij plures asserentes, peccare mortaliter non succurrentem de superfluis, si commodè potest facere, graviter indigenti, cùm gravis necessitas sit vera necessitas.

22. Infero duodecimò, habentem superflua suo statui teneri facere eleemosynam, non solùm extremè indigenti, si occurrit, sed etiam præcisè, scilicèt, cui voluerit, non occurrente extremè indigente. Cajet. *in Summa, verbo Eleemosyna,* Navarrus, *cap. 24. num. 5.* & alij; quia & alij

Chri-

Christus, Lucæ 11. ait, Pharisæis. *Quod superest, date eleemosynam*; Tùm quia, ex lege charitatis, proximo tenemur subvenire.

13. Infero decimo tertiò, existentem in extrema necessitate si surripit rem alicui, qui subtractione illi' rei patitur extremam necessitatem, teneri illam rem tunc suo Domino restituere, quia melior tunc est conditio possidentis: Secùs verò, si creditor subtractione illius rei non est conjectus in extremũ illud discrimen, sed aliundè incidit. Cajet. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. Soto, Trullen. *tom.* 2. *in Decal. lib.* 7. *cap.* 15. *dub.* 1. *num.* 6. quia tunc, quoad usum, cessat jus, & potestas dominij jure gentium introducti, & perindè se habent res, ac si nunquam divisæ fuissent.

14. Infero decimoquartò, neminem teneri restituere bona inferioris ordinis, cum detrimento in bono superioris ordinis; ut famam, cum periculo vitæ, & bona temporalia cum periculo famæ: undè, si restitutio non potest fieri per Confessarium, vel alium virum fidelem, potest pro tunc differri, & suspendi; si damnum, quod patitur creditor, non sit æquale cum illo, quod patitur debitor. Trullench. *loc. cit. n.* 14.

15. Infero decimoquintò, Principem in casu suæ egestatis, vel alio casu, non posse alterare, aut immutare, aut etiam alienare aliqua bona subditorum; quia inter Principem, & subditum adest, si non contractus expressus, saltem tanquam quidam quasi contractus tacitus, ut alter alterius conditionem duriorem non faciat, Host. & Jo. Andr. *in cap. Dilecti, de major. & obed.* Bald. *in cap. Generalis, si de feud. fuerit controvers.* undè subditi possunt contradicere, si Dominus vult eos, vel terram alijs subijcere, quia ipsorum interest non mutare Dominum, ut latiùs declarat Nevizan. inter consilia Alberti Bruni, *consil.* 12. *col.* 2. *in princ. vers. quartò probatur.* Tùm quia Princeps in rebus singularum personarum licèt habeat altum dominium, tamen non habet dominium proprietatis, & possessionis, ut alibi demonstratum est. Sufficiat igitur Principi, si sua culpa, sive fortuitò, in egestatem inciderit, posse suis subditis tributa imponere, quæ tamen, cessante causa, ob quam imposita sunt, debent cessare. Molina, *loc. cit. n.* 6.

XIV. DIFFICULTAS.

An liceat Principi, tempore belli, imponere novas gabellas, aut augere impositas, inconsulto Summo Pontifice.

1. NOtandum primò, duplex esse fundamentum nostræ difficultatis, jus scilicèt Pontificium, & jus Cæsareum; utrumque prohibens, sub pœnis sibi proportionatis, impositionem gabellarum. Pœna Juris Pontificij est excommunicatio, Pontifici reservata, *Can.* 5. *Bul. Cœn.* cum onere carendi communione Fidelium, donec præstita sit satisfactio. *Cap. Si quis Romipetas, caus.* 24. *q.* 3. *cap. Invocamus, de cens. & cap. Quamquam, eodem tit. in* 6. quæ excommunicatio est antiquissima, una ex illis ante Clem. V. in Bulla Cœnæ contentis, ut patet *ex Glos. in Clem.* 1. *ver. Generales, de Judic.* Jure verò Cæsareo damnatur nova pedagiorum & gabellarum impositio, ut *in l.* 1. *Cod. Vectigal. nov. inst. non poss.* & legem violanti imponitur pœna centum aureorum cum nota infamiæ, *leg. una, ff. ad leg. Jul. de amb.*

2. Notandum secundò, gabellam posse dupliciter sumi, latè scilicèt, & strictè. Gabella latè sumpta comprehendit sub se quamlibet publicam exactionem, nempè pensionem, censum, tributum, pedagium, guidagium, portorium, vectigal, tallias, collectas, præstantias, angarias, perangarias, munus &c. Syl. *in Sum. v. Gabella.* 1. Gabella verò strictè considerata dicitur omne tributum, quod solvitur pro mercibus, quæ de loco ad locum deferuntur, aut indè auferuntur, seu venduntur.

3. Notandum tertiò, imponere nova pedagia, seu gabellas, esse effectum supremæ jurisdictionis, *l.* 5. *C. nova vectigal. cap. Innovamus, de cens. cap. Super quibusdam,* & ibi Doctores, *de verb. signif.* Undè non omnes possunt in Terris suis imponere tributa, seu gabellas in casibus à jure permissis, sed tantùm illi, qui in temporalibus Superiorem non habent, ut sunt Summi Pontifices, Imperatores, Reges, Respublicæ, & omnes Civitates liberæ, merum & mixtum dominium habentes, omnes supremi Principes, ut Dux Sabaudiæ, Magnus Dux Ethruriæ, Dux Parmæ, Dux Mutinæ, & similes habentes hanc facultatem imponendi gabellas ex immemorabili consuetudine, Thes. *tom.* 1. *cap.* 4. & plures alij.

4. Notandum quartò, non licere Principibus tributa, seu gabellas ad suum placitum imponere, sed tantùm in casibus sibi à jure, seu speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis. Qui autem sint casus, in quibus licitum est supremis Principibus hujusmodi tributa imponere, non est alioquo jure scripto definitum, ut notat Suar. *in explic. Can.* 5. *Bulla Cœnæ, disp.* 21. *de censur. sect.* 2. *n.* 36. Undè opus est, ut legitima subsistat causa.

5. Notandum quintò, quòd tributa justè dicuntur imponi, quando justæ sunt omnes causæ concurrentes ad impositionem, scilicèt, causa efficiens, formalis, materialis, & finalis. Duardus, *in Bullam Cœn. lib.* 2. *in Can.* 5. *quæst.* 5. Causa efficiens, quando imponens habet potestatem, ut est Papa, Concilium generale, Imperator, Rex, & quivis Superiorem non recognoscens. Bertach. *in repert. in verſ. gabell. fraudes, num.* 2. Causa formalis, quando adest æqualitas in oneribus, ità ut non magis gravetur inops, quàm dives; qui si in aliquo majus gravamen pateretur, admitti potest compensatio, *l. eum, qui de jurejur.* Causa materialis, quando constituitur super rebus, quæ mercantur, non verò super id, quod necessarium est ad proprium usum. Cajet. *in Sum. v. vectigalia.* Tolet. *lib.* 5. *Sum. sub tit. Notanda sunt plura, cap.* 74. *leg. omnium, l. universi, C. de vectigal.* & imponitur Laicis, non Ecclesiasticis, quibus si imponitur, prævia requiritur licentia Romani Pontificis, ut in *cap. Non minus, & toto tit. de Immun. Ecclesi.* Causa finalis, quando agitur de publico bono; ut scilicèt Respublica liberetur, aut sublevetur à malis, vel præsentibus, vel immi-

nentibus, Pelin. *in cap. Cùm dilecta*, *n. 20. de rescrip.*

6. His annotatis, ad propositam difficultatem, quam in terminis à nemine hactenùs agitatam reperi, nempè, an Principi Superiorem non recognoscenti liceat in Terris suis, durante bello, imponere novas gabellas, aut augere impositas, citrà ullam Sedis Apostolicæ licentiam, respondeo affirmativè. Est contra Martam, *de Jurisd. p. 1. cap. 5. num. 2.* cujus sententiæ libenter adhærerem; nisi obstaret praxis Principum in contrarium, nec non periculum contemptus Pontificiæ Potestatis: & nisi Auctor esset damnatus.

7. Moveor primò juribus, *in l. 3. C. nov. vectigal. cap. Innovamus, de censib. cap. Super quibusdam, de verb. signific. & l. 3. C. de Annon. & trib.* & ibi Gloss. & Doctores, ubi habetur, instituere nova vectigalia, esse effectum supremæ jurisdictionis; adeòque potest Princeps supremus novum tributum imponere in casibus à jure sibi permissis, quando causa finalis est justa, & justæ sunt cæteræ causæ. At bellum est causa justa, quando est justum.

8. Moveor secundò rationibus, nàm Bellum justum ordinatur aut ad Rempublicam tuendam, *causf. 23. q. 1. cap. Quid culpatur*; aut ad bonum promovendum, & malum vitandum. *Cap. Militare, ead. causa, & quæst.* aut ad malos coercendos, & bonos sublevandos, *Cap. Apud veros, eadem causa, & quæst.* aut ad ampliandam Rempublicam pro fide Christi, *causf. 23. q. 4. cap. Si non: cap. Displicet, & quæst. 2. cap. Noli.* Ergò bellum justum adnumerandum est inter casus à jure permissos. Undè fas est Principi, durante bello, aliàs justo, ratione omnium causarum, nova tributa imponere, sine Sedis Apostolicæ licentia; præcipuè si publica necessitas urgeat, & aliæ gabellæ non sufficiant, & subditi supra modum minimè onerentur. Tùm quia tributorum finis est, ut potestates publicæ habeant undè possint publicum bonum, & bonos tueri, & malos coercere. Ad Rom. *cap. 13. num. 3. 4. 6. 8.* Defensio autem publici boni, coërctio malorum, & sublevatio bonorum securiùs habetur, mediante bello; & bellum securum non habetur, nisi stipendia militi præbeantur; & stipendia præberi non possunt, nisi tributa imponantur. Dicebat enim S. Aug. *lib. 22.* contra Faustum. *Cap. 74. Ad hoc tributa præstamus, ut propter necessaria, militi stipendium præbeatur.* Petilius Cerealis quoque apud Tacitum pro Romanis, apud Lingonas, aliosque Gallos, *hist. 4.* sic disserit. *Nos quamquàm totiès lacessiti iure victoriæ, id solùm vobis addidimus, quo pacem tueremur; nàm neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendijs, neque stipendia sine tributis haberi queunt.* Et Senatus Romanus olim totius Orbis Legislator, durante bello, tributa imponebat, non obstante vi Plebi inferenda. Hoc ferebant Censores. Hoc Tribuni dissimulabant, cognoscentes Rempublicam sine bello non posse defendi; & bellum sine stipendijs durare; & stipendia sine gabellis haberi.

9. Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi quotidiana Principum etiam timoratæ conscientiæ, qui tempore belli, absque ullo scrupulo, imponunt in suis Terris nova tributa, & imposita augent: Et hoc sciens Sancta Sedes, nullatenùs de illa conqueritur; nec aliud in contrarium unquam decrevit.

Concludimus igitur, posse Principes supremos licitè imponere nova tributa, aut illa augere, tempore belli, inconsulto Pontifice, absque periculo incidendi in excommunicationem *Canonis quinti Bull. Cœna*, si necessitas ità urgeat; quamvis tutiùs sit pro hujusmodi impositione facultatem petere à Sancta Sede, cui Principes Christiani, omnesque Fideles venerationem habere, & demonstrare tenentur. 10.

Infero primò ex dictis, peccare mortaliter, cum onere restituendi, Fraudantem in quantitate notabili justas gabellas: ut etiam tenent Sylv. Gab. Tabie. & alij communiter, quos refert Duardus, *in Bull. Cœn. lib. 2. Can. 5. q. 12. n. 1.* Diana, *p. 1. tract. 10. de leg. Ref. 19.* Filiuc. *tom. 2. tract. 28. cap. 7. quæst. 3. num. 116.* nàm Regibus, & Principibus de jure naturæ & divino tributa debentur. Princeps enim debet procurare, defendere, & sustinere bonum publicum, & particulare; adeòque aliquod pro suis laboribus illi debetur congruum ejus dignitati stipendium: undè dicit Christus, Matth. *cap. 22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ DEI DEO*, & ante *cap. 10.* dixit; *Dignus est Operarius mercede sua.* Fraudantes igitur justas gabellas Principem justo stipendio privant. Et sic peccant mortaliter, cum onere restitutionis, fraudantes in materia notabili ad furtum mortale sufficienti. Contrarium videntur sentire Lessius, *lib. 2. cap. 33. dub. 8. n. 55.* Bonacina, *de contractibus, disp. 2. quæst. 9. punct. 1. num. 3.* Angel. *in verb. pedagium, num. 6.* Cajet. Host. & alij, apud Azor. *tom. 3. lib. 5. cap. 22. quæst. 2.* Navarr. in *Man. cap. 17. num. 200, & cap. 23. num. 54.* Becc. *in respons. p. 1. cas. 25.* Duard. & Diana *loc. cit.* & alij, quorum opinio duplici ratione fulcitur; primâ, quia probabilis est opinio asserens omnem legem pœnalem sive purè pœnalem, sive mixtam, non obligare in conscientia, ut probant nonnulli Doctores, quos recenset, & sequitur Diana, *p. 1. tract. 10. Ref. 17. & Ref. 20.* & inter leges pœnales humanas & civiles enumerant quodamodùm gabellæ, seu vectigalia, & alia tributa etiam per modum collectæ. Secunda, quia videtur ità esse in praxi etiam apud viros timoratæ conscientiæ, absque ullo scrupulo, gabellam fraudantes. Hujus opinionis Auctores asserunt, eis non obstare damnum, quod pateretur gabellarum Conductor, vel Emptor defraudatione; cùm damnum possit facilè evitari vigilando, & Ministris vigilantibus utendo, ut Fraudantes in eorum fraude comprehendantur: undè, si non vigilant, aut ministros idoneos non adhibent, ipsismet damnum imputabitur, non fraudantibus. Deindè, qui emunt gabellas, sub tali conditione solent emere; præterquam quòd, pluriès fraudantes gabellam in eorum fraude comprehenduntur, & cùm amittant merces, aut teneantur solvere pœnam, damnum solutione pœnarum compensatur. Quod etiam probat Fraudantes gabellam non peccare mortaliter, nec teneri restituere; nàm quemadmodùm 11.

Gabellarij deprehendendo fraude deferentes merces, in foro interiori justè illas sibi retinent, nec tenentur restituere; ità neque peccabunt fraudantes tributa, & sibi retinentes portionem illam Gabellarijs debitam, adeóque neque restituere tenebuntur; aliàs statuta illa non æqualiter se haberent in ordine ad bonum commune, ut docet Sylvest. *in Sum. in verb. lex, quæst. 5.*

12. Infero secundò, quòd quando Cives ex communi consensu sibi præscribunt gravamina, seu tributa Principi bellaturo solvenda, & promittunt solvere absque impositione pœnarum, quod fieri potest, ut per Tex. *in l. 1. Cod. quòd cujus univers. nom.* tunc si aliquis ex tali Communitate tributa illa, seu gabellas fraudaret, peccaret mortaliter, cum onere restituendi, quia pactum jure naturali, & divino, sub pœna peccati mortalis in re gravi, debet servari, ut notat Panorm. *in cap. 1. de pactis*, D. Tho. *2. 2 quæst. 110. artic. 3. ad. 2.*

13. Infero tertiò, quòd Pœnitentes sequentes opinionem probabilem, asserentem fraudantes gabellas non peccare mortaliter, nec teneri restituere, probabile est, posse à Confessarijs absolvi, si se accusent de hujusmodi fraudatione, absque onere restitutionis, si nolunt restituere. Ità docent Cajet. *in Sum. verb. vectigalia*, Sà, *verb. gabella, n. 6.* Malder. *in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 15.* & alij.

14. Infero quartò, nimis scrupulosam fuisse opinionem cujusdam Theologi, qui Duci Sabandiæ illum consulenti, in hoc ultimo bello, an poterat, sine Pontificis licentia, augere gabellam salis, & alia tributa imponere, respondit negativè: impositio enim gabellæ salis, secundùm multos, pertinet ad supremam jurisdictionem, quæ in Ducibus Sabaudiæ adest. Lissimachus Rex Thraciæ, & Martius Rex Romanorum fuerunt primi in imponenda hac gabella salis, quam posteà auxit Livius Censor, qui propterea appellatus est Salinator, teste Aucteno, *in lib. 3.* & Livio, *in lib. 9. decad. 3.*

15. Infero quintò, Principes, Marchiones, Comites, Barones, aliosque Superiorem recognoscentes, cùm non habeant facultatem saltem ex immemorabili consuetudine imponendi nova tributa, ea imponendo in Terris suis, sine Sedis Apostolicæ licentia, aut Imperatoris, aut alterius eorum supremi Principis, incidere in excommunicationem Canonis quinti Bullæ Cœnæ. Duard. *in d. Bullam. lib. 2. Can. 5. quæst. 6. num. 2.*

16. Infero sextò, imponere munera, collectas, & alia ejusmodi onera, esse effectum supremæ jurisdictionis, *l. 3. C. de ann. & trib.* adeóque licere supremo Principi illa imponere, absque periculo Pontificiæ excommunicationis. Præterquamquòd, taxa, tallia, collecta, seu præstantia significat pretium quoddam, quod solvitur à singulis subditis proportionaliter ad totam substantiam cujuscunque, ut docet Cajet. *in Sum. v. Excommunicatio, cap. 17.* Alph. Suarez, & alij.

17. Infero septimò, etiam Principes supremos peccare, & incidere in excommunicationem dicti Canonis, si nova tributa imponant, non causa publicæ necessitatis, sed ad suam ingluviem explendam; & ad thesaurizandum, parvipendendo lacrymas, gemitus, miserias subditorum, quod est signum potiùs tyrannidis, quàm supremæ jurisdictionis; propterea sanxerunt Severus & Antoninus nova tributa non esse imponenda, nisi Respublica extraordinario exigeret auxilio adjuvari.

Infero octavò, Principem supremum imponentem, tempore belli, vel alio tempore, in casibus à jure sibi non permissis tributa Ecclesiasticis, citrà Romani Pontificis licentiam, peccare; & incurrere excommunicationem d. Canonis, ut *in cap. Non minùs, & toto tit. de Immun. Eccles.* 18.

Infero nonò, exigentem per se, vel alium à Clericis, & alijs personis Ecclesiasticis hujusmodi tributa, si particularis est, de jure esse excommunicatum ipso facto. si verò sit Universitas, Civitas, Collegium, Castrum, aut Villa, subjici interdicto, donec restituerint extorta. Oppositum tamen docent magis communiter Doctores, inter quos Ugolin. *in explicat. d. Can. v. seu imponi, §. 1.* Suar. *disp. 21. de censur. sect. 2. num. 43.* asserendo, exigentem nova pedagia, aliàs justa ex parte causarum, sed tantùm injusta respectu personarum, à quibus exiguntur, non incurrere excom. d. Can. 5. 19.

Infero decimò, exigentem tributa injusta, si sciret tallias esse, peccare mortaliter, incurrere excom. Canonis, cum onere restituendi, sive spontè exigat, sive à Dominis illa exigere vi, aut metu, compellatur, ità docent Angel. *in Sum. v. pedagium, num. 5.* Syl. *v. gabella, 3. num. 7.* Armilla, *v. gabella, num. 8.* & alij: asserentes, exigere pedagia illicita esse rapinam committere, & cùm sit rapina, esse intrinsecè malum in utroque Testamento damnatum; adeóque nunquàm esse licitum, etiam ad aliquod grave malum vitandum, ut est Tex. *in cap. Super eo, de usur.* 20.

Infero undecimò, Milites, seu Equites, S. Lazari, & S. Stephani gaudere exemptione gabellarum, quidquid in contrarium asserant alii apud Dianam, *p. 3. tract. 1. de Immun. Eccles. Resol. 61.* ubi illos reprobat, docendo nostram sententiam, quia hi Equites connumerantur inter Personas Ecclesiasticas, & profitentur Religionem approbatam à Summo Pontifice. Bonac. *tom. 3. in Bull. Cœn. disp. 1. quæst. 16. punct. 3. num. 16.* Navarr. *cons. 12. de Regular.* Barbosa, *de off. & pot.* Ep. *p. 2. alleg. 12. num. 45.* Et circa Religionem S. Lazari, Pius IV. confirmando anno 1565. illius privilegia, eximit ipsam ab omnibus casibus, in quibus est exempta Religio S. Joannis Hierosolymitani, ut notat Diana, *loc. cit.* Idem dicendum est de aliis Militibus, seu Equitibus veram Religionem approbatam à Sancta Sede profitentibus. 21.

Infero duodecimò, imponere gabellam, tempore belli, & in casibus à jure permissis, in mari, spectare ad supremum Principem, prout latè scribit Cacheranus, *in decis. 155.* adeóque contra omnia jura agere, qui non habens supremam potestatem in mari, vel in terra, gabellam imponit. 22.

* *
*

XV. DIFFICULTAS.

An Princeps victor possit post partam victoriam, tributa, & alia onera imponere Victis, si bellum fuerit justum.

1. NOtandum primò, duplicem esse victoriæ speciem, moderatam, scilicèt, & rigorosam. Rigorosa est, quando omne in victos exercetur imperium: hoc sensu Isocrates locutus est ad Philippum. *Barbari hactenùs edomandi sunt, quantùm sunt, quantùm satis erit, ut tuam Regionem in tuto colloces.* Moderata verò est victis aut Principibus, aut Populis relinquere quod habuerant imperium. Sic Persæ Reges victis Regibus Regnum non eripiebant. *El. lib.* 4. Regnumque Cyrus reliquit Armenio; sic Poro Alexander. Hero. *lib.* 7. quod summoperè laudat Seneca, *Clem. lib.* 1. dicens; *Nihil ex Rege victo præter gloriam sumere.* Rigorosa respicit jura; Moderata clementiam, seu humanitatem; propterea à Polybio Antigoni bonitas celebratur, qui cùm Spartam haberet in potestate, reliquerit ipsis Rempublicam majorum, ac libertatem.

2. Notandum secundò, relinquere victis populis res, Regibus imperium, non tantùm humanitatis esse, sed etiam consilii; cum aliquando acquisitum majori difficultate retineatur, quàm proprium, ut optimè scribit Florus dicens. *Difficiliùs est, Provincias obtinere, quàm facere; juribus parantur, jure retinentur.* Cognoverunt hoc Lacedæmonii, & initio Athenienses, qui inceptas civitates nullum sibi vindicabant imperium, tantùm eas Republica uti volebant ad suam accomodata Thucydides. 1. *l. soc.*

3. Notandum tertiò, impensarum nomine intelligi non solùm sumptus belli, sed etiam justam mercedem pro laboribus, quos Victores subierunt, & periculis, quibus se exposuerunt, quatenùs belli sumptibus, non fuerunt hæc persoluta. Molina, *tom. 1. de just. tr.* 2. *d.* 117.

4. Notandum quartò, licere Principi occupare ex bonis hostium omnia ea, quæ correspondent impensis belli, & omnibus damnis ab hostibus injustè illatis. Vict. *Relect. de jure belli, num.* 17. quia omnia illa tenentur restituere hostes: quemadmodum debitor si non satisfacit, potest creditor, si alia via non patet, debitoris bona occupare.

5. Notandum quintò, in bello justo licitum esse per accidens spoliare innocentes inter hostes bona, rebusque eorum, quibus hostes adversùs ipsos Spoliatores usuri sunt, ut armis, navibus, machinis, & similibus. Vict. *Relect. de jur. belli, num.* 39. aliter finis belli, qui est victoria, non erit consequibilis; licitumque esse similiter, propter eam rationem, accipere pecunias innocentium (nisi sint de exceptis *in cap. Immolamus, de treugua, & pace,* Sicuti sunt Clerici, & Monachi, seu Regulares, & Advenæ) cædere, comburere, corrumpere frumenta, occidere equos, si opus fuerit ad debilitandum hostium vires, nec aliter superari possint. Vict. *loc. cit.* & alii.

His annotatis, ad propositam difficultatem, scilicèt, an hoste debellato, & victoria jam obtenta, possit Princeps imponere victis tributa, affirmativè respondetur. Ità Victoria, *Relect.* 6. *de jure belli, n.* 19. & 57. Molina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 121. §. *Quarta conclusio,* Suarez, *de char. disp.* 13. *de bello, sect.* 7. *num.* 7, Castropalaus, *de char. tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 4. *num.* 17. Coninch. *disp.* 31. *de bello, dub.* 7. *num.* 129. Diana, *p.* 6. *tract.* 4. *Res.* 22. & ità communiter sine controversia. 6.

Moveor primò juribus, *in cap. Dominus, causa* 23. *quæst.* 2. ubi Aug. ait. Justa bella definiuntur, quæ ulciscuntur injurias, si gens, aut civitas plectenda est, quæ vindicari neglexit, quod à suis improbè factum est: Et facit Tex. *in l. locum, ff. de tabul. exhib.* § *pen.* Et favet, *cap.* 20. *num.* 11. Deut. ubi habetur. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo.* Hocque jus, & usus belli obtinuit. 7.

Moveor secundò rationibus: nàm Princeps, qui justam victoriam obtinuit, totum id potest, facere in hostium bonis, quod necessarium est, tùm ad compensationem damnorum omnium, omniumque impensarum belli; tùm ad injurias ab hostibus illatas vindicandas, & ad tranquillam pacem in futurum conservandam. Ergò potest victis imponere tributa, cùm tributorum impositio, seu indictio ordinariè non tàm ad factorum sumptuum compensationem, quàm ad punitionem hostium victorum, nec non securitatem victoris pertineat. Petilius Cerealis enim apud Tacitum pro Romanis apud Lingonas, aliosque Gallos, *hist.* 4. sic differit. Nos quanquàm totiès lacessiti jure victoriæ, id solùm vobis addidimus, quo pacem tueremur: nàm neque quies gentium sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Revera enim nec pax, nec tranquillitas, quæ est finis belli, aliter haberi potest, nisi hostes malis & damnis afficiantur. Tùm quia, justus Judex potest delinquentes punire pœnis non solùm criminalibus, sed etiam civilibus, ut est exactio pecuniæ, impositio tributorum, occupatio arcis, & similia: & his pœnis potest punire etiam injuriam sibi illatam, ut notant *in cap.* 1. *de pœnis in* 6. & *in cap.* 1. *de offic. deleg.* Alexand. *consil.* 33. 1. *vol.* Graff. *in addit. ad* 2. *p. Decis. in lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 16, Atqui Princeps jure belli est hostium judex, in eosque authoritatem habet, utpotè sibi tanquàm Judici proprio obnoxios, ut probat Victoria, *Relect. de jure belli, num.* 14. & 46. Ergò illos potest punire, quando illos vincit, illis imponendo tributum, aliasque pœnas, quæ compensationem damnorum, vel quantitatem delicti non excedant. 8.

Movent tertiò exemplo Græcorum, qui solebant, hostibus profligatis, illis quantum securitas pacis, vel compensatio damnorum exigebat, tributa imponere, ut scribit Cicero, *l.* 1. *ad Qu. frat. epist.* 1. Simul illud Asia cogitet &c. Id autem imperium cùm retineri sine vectigalibus nullo modo possis, æquo animo, parte aliqua suorum fru- 9.

ctuum pacem sibi sempiternam redimat, atque otium. Et idem fecerunt Christianissimi Principes, & Religiosissimi Imperatores, ut notat Victoria, *loc. cit.*

10. Concludimus igitur, licere Principi victori, post partam victoriam, tributa, & alia onera, aut pro compensatione damni, aut pro punitione contumaciæ, aut alia de justa causa imponere.

11. Infero primò ex dictis, parta victoria, ea omnia licere, quæ necessaria sunt, vel ad plenam satisfactionem pro injuriis, & damnis acceptis, ac impensis factis toto tempore belli, vel ad pacem, & securitatem imposterùm stabiliendum; qualia sunt privare victos etiam innocentes suis bonis, & libertate, si sunt infideles: extruere in eorum terris munitiones, ac præsidia. Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 7. n. 129.*

12. Infero secundò, posse Victorem secundùm merita punire victos etiam morte, id tamen non semper, sed quando pax aliter firmari non posset. Valentia, *tom. 3. in 2. 2.* D. Tho. *d. 3. q. 16. de bello, punct. 3. §. Primò.* Molina, *tom. 1. de just. tr. 2. disp. 122.* nam aliquando hoc redundaret in magnum Reipublicæ detrimentum, ut si essent in magna multitudine, ut integra Civitas, & Provincia &c. propterea D. Ambrosius justè reprehendit Theodosium propter communem cædem, quam fieri jussit Thessalonicæ.

13. Infero tertiò, ad reparationem injuriæ acceptæ, illamque vindicandam, ad securitatem imposterùm futuram, licere Principi non solùm Victorum hostium, qui sunt nocentes, Arcem, & Civitatem occupare, ab illis summam pecuniæ exigere, illisque tributa in futurum solvenda imponere, sed etiam bona innocentium, si necessaria sunt ad eosdem fines vindictæ, & securitatis; quia tunc non puniuntur innocentes, sed punitur Respublica in ipsis, cujus sunt partes. Sic Victoria, *Relect. 6. de jure belli, num. 40.* Covarr. *in Reg. peccatum, p. 2. §. 9. num. 4.* Suarez, *disp. 13. de bello, sect. 7. num. 12.* Molina, & alii.

14. Infero quartò obiter, posse impensas necessarias deduci à bonæ fidei possessore cum titulo, *l. quæ ratione, in princ. ff. de acqui. rer. dom. §. Sed certè illud, instit. de rer. divis.* Tiraq. *de retr. convent. §. 7. glo. 1. num. 2. & 4.* Bart. *in l. in fundo, num. 6. ff. de rei vend.* & alii.

15. Infero quintò, posse consequi impensas necessarias etiam eum, qui sciebat rem esse restitutioni, causa fideicommissi, suppositam, *leg. domos, ff. de leg. 1.* Bell. *consil. 65. num. 12.* Menoch. *d. remed. 15. num. 507. & 508.* ubi respondit ad Tex. *l. ul. §. Emptor, C. comm. de lega.* 1. facie contrarium.

16. Infero sextò, impensas necessarias posse deduci etiamsi non fuissent factæ ab ipso possessore, sed ab amico ejusdem possessoris contemplatione, Menoch. *d. remed. 15. num. 509. & 510. per l. idemque, ff. mand. l. sed, & si plures, §. In arrogato, ff. de vul. & pupil. subst.*

17. Infero septimò, non posse denegari retentionem rei pro impensis utilibus possessori bonæ fidei; Peregr. *in tract. de fide, comm. art. 50. num. 55.* Bart. *in l. in fundo, num. 16. ff. de rei vendit. l. cùm fundus, ff. de vi, & vi arm. l. Paulus, ff. de except. doli, l. quæ ratione, §. Literæ, ff. de acqui. rer. dom. l. si prædium, C. de præd. min.*

Infero octavò, Victores memores debere esse Christianæ Clementiæ in spoliatione bonorum, ac libertatis, præsertim innocentium, tùm etiam in occisione nocentium. Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 7. num. 129.* quod & apud Gentiles in praxi reperio. Cyrus victos Assyrios jubebat bono esse animo, eandem ipsorum sortem fore, quæ fuisset, mutato tantùm Rege; mansuras ipsis domos, agros, jus in uxores, in liberos, ut fuissent hactenus Xen. de Cyri *instit. lib. 4.* Quintius Ætolis petentibus pro pace firmanda Philippum Macedonem Regno privatum, respondit, id petere immemores Romanorum moris victis parcendi; addens hanc sententiam scitu dignam, *Adversùs victos mitissimum quemque maximum animum habere.* 18.

Infero nonò, erepto victorum imperio, posse illis relinqui circa res privatas & publicas minores suas leges, suosque mores, & magistratum. Sic in Pithynia proconsulari Provincia Apamæa Civitas privilegium habuit ad suum placitum Rempublicam administrandi. Plin. *lib. 10. epist. 48. & 84. & 117.* 19.

Infero decimò, teneri victorem relinquere apud victos veram Religionem, nempè Catholicam, si falsa apud ipsos esset Religio, nè vera opprimatur; adhanc complectendam eos prudenter curabit victor inducere, ut fecit Constantinus fractis Licinii partibus, & post eum Franci, aliique Reges & Principes. 20.

Infero undecimò, victos, post deditionem puram, qua ipsi hosti de se arbitrium permiserunt, nihil debere pati; adeòque non posse à victore occidi, nec bonis spoliari, nisi in pænam justam patrati delicti. Nicolaus Syracusanus apud Diodorum, *lib. 13.* de deditis loquens ait, „Tradiderunt „se cum armis confisi Clementiæ victoris, quare „indignum foret eos decipi spe nostræ humanitatis: & posteà, Quis unquam Græcorum eos „qui se Clementiæ victoris permitterent, indeprecabili supplicio puniendos censuit? Præterquam quòd, clementer tractare victos in magnam redundat gloriam, & utilitatem Victoria. Dicebat „enim Camillus apud Livium, lib. 8. firmissimum „Imperium esse, quo obedientes gaudeant. Hermocrates apud Diodorum *lib. 13.* pariter dicebat. Non tàm vincere pulchrum quàm Victoria clementer uti. In Cæsaris quoque Dictatoris Epistola scribitur. Hæc nova sit ratio vincendi, „ut misericordia, & libertate nos muniamus. Concludit Tacitus asserendo, quod maximè observandum est à Christianis Principibus, de hoste triumphantibus. Bellorum egregii fines „quoties ignoscendo transigitur.„ 21.

* * *

XVI.

XVI. DIFFICULTAS.

An Principes Seculares possint, sine violatione immunitatis Ecclesiasticæ, cogere parentes Clericorum, ut patrem, fratres & similes, dum cum dictis Clericis degunt, ad recipiendos in hospitio milites.

1. NOtandum primò, immunitatis Ecclesiasticæ nomen, in Ecclesia DEI, esse antiquissimum Duardus *in Bullam Can. lib. 2. in Can. 15. quæst. 28. concl. 4.*

2. Notandum secundò, significatum immunitatis esse quasi muneris vacationem; ponr munus inter cætera significat onna, cujus remissio, seu liberatio immunitatem præstat *l. munus, ff. de verbor. signif.* ideòque immunitas Ecclesiastica sic definitur. Est jus, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ à communi onere, seu obligatione liberæ & exemptæ sunt. Tho. del. Bene, *part. 1. de immunit Eccles. cap. 1.*

3. Notandum tertiò, immunitatem Eccles. variè à Doctoribus nominari, videlicet, libertatem Ecclesiasticam, exemptionem Ecclesiasticam, *arg. cap. adversus, de immunit Eccles.* tradunt Sylv. *verb. immunitas, in princ.* Covarr. 2. *resol. cap.* 20. & alij.

4. Notandum quartò, immunitatem Ecclesiasticam triplicem esse; localem, realem, personalem. Primam competere Ecclesijs, alijsque similibus Ecclesiasticis locis: secundam competere rebus, bonisque Ecclesiasticis: tertiam competere Ecclesiasticis personis, communiter Doctores scribunt.

5. Notandum quintò, satis communem esse opinionem Theologorum, Canonistarum, & Juristarum, libertatem Ecclesiasticam esse de jure naturali, seu jure gentium primævo, & etiam de jure divino, vel saltem de jure positivo, jure divino dictante: Ita probat Duardus *in Bull. Can. lib. 2. in Can. 15. quæst. 18. §. Secunda conclusio* Tho. del Ben. *part. 1. de immunit. Eccles. cap. 2. dub. 2. sec. 1.* ubi referunt innumeros Doctores, & plura jura Canonica, & civilia, quibus eorum opinio fulcitur.

6. Notandum sextò, Clericos teneri quidem, secundùm mensuram suarum facultatum, ad hospitalitatem. Text. *cum glos. in cap. de Monachis, de præb.* & ibi Abb. *num.* 3. & 4. post. Inn. non verò cogi posse à principibus ad recipiendos in hospitio Legatos principum, Capitaneos gentium armorum, & quosvis alios. Ità communiter Doctores, & jura.

7. Notandum septimò, nullam consuetudinem hospitandi posse gravare Ecclesiasticos ad hoc, immò hujusmodi consuetudinem esse contrà libertatem Ecclesiæ; & non valere, ut post Inn. probant Jo. And. & Ancharam, Abb. & alii, neque ad hoc posse cogi etiam stante maxima & gravissima necessitate, prout scripsit Octavian. Vulpell. *in tract. de libertate Eccles. lib. 2. num.* 47. cùm hæc sint contrà libertatem Ecclesiasticam, & illi egregio titulo repugnantia.

His ex Oceano immenso immunitatis Ecclesiasticæ annotatis, ad difficultatem propositam, an Parentes Clericorum cum ipsis degentes, possint à Principe sæculari cogi ad recipiendos in hospitio suos milites, videtur affirmativè respondendum; nàm Bellum justum respicit bonum publicum. Ergò omnes tenentur contribuere tùm Laici, tùm Clerici, quæ est doctrina Bart. *in l. cunctos populos, num. 29. Cod. de summa Trinit.* Ergò non solùm parentes Clericorum, sed & ipsi Clerici tenentur recipere in hospitio bellantes. Dicit enim Ancharan. *in cap. 1. de immunit. Eccles. lib. 6. vers. sed ulterius, circa hoc quæro*, quòd ubicunque tractatur de communi utilitate Clericorum & Laicorum simul, & permixtim, Clerici tenentur contribuere simul cum Laicis. Tùm quia, ex Tex. *in cap. Pervenit, de immunit. Eccles.* habetur, secundum intellectum Abbatis, quòd tempore magnæ necessitatis nemo potest se excusare à murorum, seu Civitatis custodia. Ergò si Clerici ex illo textu tenentur impendere onus personæ, multò fortiùs onus Domus, cui præfertur persona. Tertiò, quia ex Tex. *in l. ad instructiones. Cod. de Sacro-Sanct. Eccles.* habetur, quòd Ecclesia tenetur conferre, & contribuere ad instructores pontium, & viarum. Ergò etiam ad præstandum militibus hospitium. Dicit enim Andr. *in cap. 1. vers. illicitas*, quòd ubicumque utilitas, vel necessitas publica exigit, non servatur immunitas Clericis, vel Ecclesiæ: exemplificat in pontibus, portibus, muris custodia Civitatis, aëris salubritate &c. Et Purpurat. *in consil.* 50. subdit, in his, & similibus casibus, utilitatem publicam respicientibus, pro Clericis gravandis, non esse necessariam summi Pontificis auctoritatem; asserens hanc esse veram, & æquam opinionem Juristarum, Canonistarum, & Theologorum. Propterea, si tenentur Clerici contribuere, à fortiori Clericorum parentes cùm illis habitantes. Ergò, stante necessitate belli justi, cogi possunt à Principe, vel ejus ministris, sine violatione immunitatis Ecclesiæ, ad recipiendos milites in hospitio. 8.

Veritas tamen est, in hoc casu violari immunitatem Ecclesiasticam, & Principem cogentem &c. incurrere censuras à juribus præscriptas immunitatis Ecclesiasticæ violatoribus. Antonius de Marinis, *resolut. quotid. cap. 167. num. 4.* Paul. Squillan. *de privileg. Cler. cap. 9. nu. 4.* Riccius, *part. 3. resolut. 28. num. 1. & 2.* Carolus de Grassis *de effect. Cleric. effect. 3. num. 122.* & alij penès ipsum. Molfesius, *in sum. tom. 2. tract. 12. cap. 22. num. 166.* Diana, *pars. 4. tract. 1. resol. 32.* Cespedes, *in dub. milit. dub. 21.* Thom. del Bene *part. 1. de immunit. Eccles. cap. 2. dub. 2. sect. 1. num. 2.* 9.

Moveor primò juribus *in l. 1. Cod. de Episc. & Cleric.* & ibi Gloss. cum DD. communiter, ubi expressè habetur, Clericos non posse cogi ad hospitandum. Ergò neque possunt cogi ad hospitandum milites Clericorum parentes, pater, mater, sorores, fratres, nepotes, in una domo cum ipsis commorantes, Socius enim, ut docet Gloss. *in l. fin. Cod. de muner.* Surdus latè *Consil.* 301. *num.* 8. consequitur immunitatem ab oneribus con- 10.

conceſſam ſuo conſocio, & eſt doctrina communis. Ergò ſi Clerici cogi non poſſunt hoſpitari milites, neque eorum parentes cùm ipſis babitantes.

11. Movens ſecundò ratione, quia Clerici vi jurium non poſſunt cogi ad hoſpitandum milites, ne ab illis perſonaliter ſuſtineant incommoda. Atqui, ſi Clericorum parentes, cum ipſis in una domo commorantes, tenerentur milites hoſpitari, Clerici perſonaliter gravarentur, cum incommoda unius domus ſint communia habitatoribus, & ſic jura finem ſuum non haberent: Ergò ut Eccleſiaſtici gaudeant favore jurium domus, in quibus commorantur, cogi non debent ad ſuſcipiendum milites in hoſpitio, ſive ſint propriæ, ſive ſint parentum, dummodò in illis habitent.

12. Moveor tertiò exemplo, probante præcipuè Eccleſiaſticus nullatenùs eſſe laicæ poteſtati obnoxios, in ConſtantinoMagno Imperatore, ad quem cùm delati fuiſſent proceſſus contra perſo-,, nas Eccleſiaſticas, ſe excuſavit, dicens. Vos ,, à nemine judicari poteſtis, quia ad Dei judi-,, cium reſervamini, ex Text. *in cap. Futuram, cau. 12. quæſt. 1.* In Artaxerſe Rege Perſiæ, qui immunes fecit Sacerdotes Ebræorum, Levitas, & alios Templi Miniſtros ab oneribus Laicis impoſitis. Eſdr. *cap. 7.* ductus, absque dubio, lumine naturali, quod immediatè procedit à Deo, & eſt lex ſcripta in cordibus noſtris, & participatio legis æternæ; oſtendens Clericos nullo onere eſſe à principe gravandos. Atqui gravarentur ſi Princeps cogeret eorum parentes cum ipſis habitantes ad hoſpitandum milites. Nec non, & in Joſeph, qui totam terram Ægypti Regi ſubjiciens, & tributariam reddens, excepit Terram, in qua habitabant Sacerdotes, quibus etiam ex publico alimenta dabantur. Gen. 47. Unde colligit Urbanus Papa, *Cap. Tributum cau. 23. q. 8.* Agros Eccleſiæ non eſſe Imperatorum exactionibus ſubjiciendos. Propterea ſi Sacerdotes veteris Teſtamenti ab oneribus Principum erant exempti, quare exemptionem non habebunt Sacerdotes, & Miniſtri novæ Legis; nobiliores in dignitate Reipub. Principibus, Orbique toti utiliores?

13. Concludimus igitur, Principes ſæculares nullatenùs poſſe, absque violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ, cogere Clericorum parentes in una domo cum ipſis commorantes, milites hoſpitari, cùm hoc ſit Clericis non leve perſonale gravamen.

14. Ad argumenta in contrarium reſpondeo, ad primum, quod doctrina Bart. eſt communiter reprobata, ut optimè probat Socin. *in conſ. 59. viſo decreto, vol. 1.* ubi ſubdit, quòd contra Bart. ipſe conſuluit, & multi DD. Bononienſes, & Peruſini ſe ſubſcripſerunt, & latiùs firmat in *conſ. 14. circa dub. data vol. 4.:* quæ procedunt contra Bart. etiam ſi lex Principis ſæcularis reſpiceret Bonum publicum, quia ejus invaliditas dependet ex defectu juriſdictionis, & poteſtatis, quæ non poteſt conferri à publicæ utilitatis ratione.

15. Ad ſecundum, quòd neque tempore neceſſitatis poteſt Princeps ſæcularis obligare per ſuas leges Eccleſiam, & Clericos. Ita docet Accur. *in d. l. ad inſtructiones.* Eamdem opinionem tenet Gloſſ. *in Cap. Generaliter* §. *Noverint cauſa 10. quæſt. 1.* Idem tenet Joan. And. *in cap. non minùs, vol. fin. de immunit Eccleſ.* cum alijs aſſerentibus nulla lege Digeſtorum aut Codicis, vel Authenticorum poſſe in hoc aſtringi Clericos, & Eccleſiam, cùm Imperator ſuper illis ſtatuere non poſſit, niſi Summo Pontifice approbante, *Cap. Eccleſia S. Mariæ & Cap. Benè quidem, Diſt. 95.* Pontifex verò has leges non approbavit, imò potiùs reprobavit, ut referunt Doctores.

16. Ad Tertiùm, licèt poſſit eodem modo reſponderi, dicendo, leges Codicis tanquàm conditas ab Imperatoribus juriſdictione carentibus in Clericos, nullius eſſe virtutis, vel efficaciæ, tamen ſtrictiorem dando, ad magis intellectum convincendum, reſponſionem, aſſero, quòd *d. l. Ad inſtructiones*, fuit correcta per Authen. *item nulla communitas Cod. de Epiſ. & Cler.* ubi Eccleſia; & Eccleſiaſtici facti ſunt exempti ab omni onere impoſito, & imponendo, & pro rebus, & poſſeſſionibus ſuis, ſive tempore belli, ſive tempore pacis, quæ Authent. eſt lex nova Federici Imper. ità probat Abb. *in d. Cap. Non minùs 18.* propè fin. Cacher. *in d. dec. 181. num. 3.* & alij communiter, oſtendentes Eccleſiaſticos hodiè exemptos eſſe ab oneribus concernentibus ſivè publicam utilitatem, ſive privatam; adeóque domus, ubi commorantur cum ſuis parentibus Eccleſiaſtici, non poſſe à Principe aſtringi ad recipiendos in hoſpitio milites, cum hoc ſit onus perſonale ipſis Clericis.

17. Infero primò ex dictis, Eccleſiaſticos non poſſe à Principe cogi hoſpitari in ſuis Domibus, vel in Domibus Eccleſiarum Legatos Principum, Comites, Judices publicos, vel Miniſtros, Executores privatorum, Gentes armorum, & ſimiles. Ità ſancitum eſt in *Cap. 2. de immunit. Eccleſ.*

18. Infero ſecundò, Eccleſiaſticos etiam ſtante maxima neceſſitate belli, & ubi bona Laicorum non ſufficerent, ad nihil teneri vigore alicujus ordinis Laicorum, cùm ſit contra libertatem Eccleſiaſticam, niſi Summus Pontifex declararet; vel, in certis caſibus, Epiſcopus, qui debet eſſe valdè cautus in diſpenſando, ne Eccleſiæ, vel res Sacræ periculo exponantur deturbationis.

19. Infero tertiò, immunes eſſe à munere perſonali, ſeu militari, omnibúsque oneribus, & tributis Principum, non ſolum ipſas Eccleſias materiales, Domus illis adjunctas, ſed etiam vineas, hortos juxta poſitos. Item prædium, ex quo panis, & vinum pro Sacrificio Miſſæ conficiendo, vel pro alijs rebus ad divini Cultus miniſterium neceſſarijs colliguntur: quia, cùm non ſint ordinata niſi ad Sacra Miniſteria, nullo prorsùs alio onere gravari debent, aut ſervitio: imò ſi antea gravata erant; liberari debent, ut infertur *ex Cap. Secundum; Cap. Sancitum eſt, cauſa 23. q. 8. cap. 1. de cenſib.* Idem notatur à Doctoribus, & ab Innocent. *in Cap. Non minus, de immunit. Eccleſ.* Suarez. *lib. 4. defen. cap. 19. num. 2. & cap. 20. num. 17.*

20. Infero quartò, non poſſe gravari tributis, vel alio onere prædium, vel feudum, quod nunc

eſt

eſt Eccleſiæ, vel Loci pij, vel Perſonæ Eccleſiaſticæ, licèt antequàm perveniret ad Eccleſiam, vel Eccleſiaſticos, fuiſſet obligata ad hoc munus perſonale, ſeu militare, puta exercitus, vel hoſpitium (quod eſt patrimoniale) vel aliud ſimile. Tùm quia leges Codicis dum inferunt præjudicium Eccleſijs, non cenſentur approbatæ per Summum Pontificem ; & factæ à non habente facultatem, nullam habent efficaciam reſpectu Eccleſiaſticorum, ut docent communiter Canoniſtæ *in cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ.* Tùm quia, Princeps non habet jus imponendi tributum, ſeu vectigal prædio, vel Feudo, niſi quamdiù illud pertinet ad locum vel perſonam non habentem privilegium immunitatis. At hoc ipſo quod tranſit ad Eccleſiam, vel perſonam fruentem immunitate, amittit hoc jus, ut probat Thom. del Bene, *part. 1. de immunit. Ecclef. cap. 5. dub. 1. ſect. 3. num. 1.* ubi addit, quòd Principes Chriſtiani jam à mille, & ampliùs annis, in hoc conſenſerint, ut patet *ex l. Sancimus C. de Sacroſan. Eccleſijs*, quæ eſt Juſtiniani, & tot ſæculis idem ſervaverint.

21. Infero quintò, exempta eſſe ab omni tributo, & vectigali tàm mobilia, quàm immobilia Eccleſiarum bona, quæ à Fundatoribus, vel alijs Fidelibus ad Dei honorem oblata, vel donata ſunt, eſſeque ab omni exactione Sæcularium Principum libera debere, habetur *in Cap. Non minùs Cap. Adversùs, de immunit. Ecclef. cap. 1. eod. tit. in 6. Clement 1. eod. tit. cap. 1. de cenſib. cap. Quamquàm eod. tit. in 6.* quia ex voluntate Fidelium hujuſmodi bona Deo offerentium habetur, ut non niſi in pios uſus convertantur: adeóque omnes exactiones Principum Sæcularium, quibus illa gravantur, redundant in irreverentiam Dei, nec non Divini Cultus diminutionem.

22. Infero ſextò, violatorem immunitatis Eccleſiaſticæ varias penas incurrere : Primò, de jure civili incidere in crimen læſæ Majeſtatis : Secundò, illi injungi de jure Canonico pœnam 90. ſolidorum, præter pœnitentiam publicam ab Epiſcopo injungendam : Tertiò, incurrere excommunicationem ipſo facto, Pontifici reſervatam, ut patet ex Bulla Gregor. XIV. & ex decreto Sacræ Congregationis, Bonac. *in ſum. verb. Eccleſ. immunit. num. 183.*

23. Inferò ſeptimò, incurrere excomm. Bullæ Cœnæ, imponentes collectas, decimas, taleas, præſtantias, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, & eorum bonis, fructibus, & proventibus, ſine licentia Pontificis ; nec non eadem tributa, ſeu onera exigentes : vel recipientes, aut ad illorum exactionem concurrentes ſuo conſilio, vel favore. Bonac. *tom. 3. diſp. 1. quæſt. 19. p. 141.*

24. Infero octavò, ad incurrendam hujus Canonis cenſuram, non eſſe ſatis imponere Eccleſiaſticis onera, ſed etiam requiri eorum exactionem, quia utrumque copulativè exprimitur in Bulla : incurrere verò hanc cenſuram eum, qui ſolum exigit ; licèt non impoſuerit, etiam ſi ſponte tradantur, & concedantur. Bonac. *loc. cit.*

25. Infero nonò, vinculo excommunicationis ligari imponentes onera graviora Conſanguineis, vel Affinibus Clericorum, qui cum illis habent bona indiviſa ; undè ipſi Clerici etiam damnum ſentiant, nec non excommunicari ità gravantes colonos Eccleſiaſticorum collectis, ut Eccleſiaſtici cogantur illis locare viliori pretio, quia in Bulla excommunicantur imponentes, vel exigentes onera ab Eccleſiaſticis directè, vel indirectè.

Infero decimò, excommunicari in Bulla Cœnæ imponentes, & exigentes ab Eccleſiaſticis illa onera, quæ à ſubditis ſolvuntur Principibus pro capite, vel eos obligantes hoſpitari Principes vel eorum Legatos, vel milites: quia ab iſtis oneribus exempti ſunt : nec ulla conſuetudo derogat huic exemptioni, cùm Eccleſiaſtici immunes ſint à Laica Poteſtate quoad bona, & perſonas. Ità communiter Doctores. 26.

XVII. DIFFICULTAS.

An Principi, tempore belli, liceat Epiſtolas, ſeu litteras intercipere tàm ſubditorum quàm exterorum, illaſque legere.

NOtandum primò, quòd Epiſtolæ vox eſt 1.
græcanica, quaſi miſſoria. Miſſam interpretatur Iſidorus, & Plaut. Miſſivæ nomen apud Caſſiodorum reperio. Apud Priſcos appellabantur Epiſtolæ, ſeu litteræ, tabulæ, tabellæ, codicilli ; nàm antequàm eſſet in uſu chartha, membrana, in delatis ex ligno codicillis colloquia inter abſentes ſcribebantur, ut obſervavit Iſidor. *lib. 7. de Orig.* Undè Portitores vocabantur Tabellarij.

Notandum ſecundò, certum fuiſſe Epiſtolarum initium : Initium enim Platoni fuit antiquiſſimum, à quo incæperint, non conveniunt Scriptores. 2.

Notandum tertiò, de natura epiſtolæ ſemper fuiſſe ſecretum: colligitur ex Epiſtolæ definitione, & fine, & forma. Epiſtola enim ſic definitur. Eſt animi nuncium ad abſentes, aut quaſi abſentes ſcriptum. Libanius cum Cicerone vocat epiſtolam congreſſum abſentis cum abſente. Ab alijs vocatur Epiſtola muta ſecretorum mutua narratio. Finis verò epiſtolæ eſt affectus, teſtatio, aut ſignificatio alicujus rei, quam abſentes ſcire volumus, quod aut noſtra, aut ipſorum interſit, ex quibus conſtat, ad naturam epiſtolæ pertinere ſecretum : Propterea D. Baſilius *Epiſt. 55.* cenſet, reputandum eſſe inter dona Dei epiſtolæ uſum, quo alteri à nobis diſtanti cor noſtrum communicamus, quoque remotiſſima abſentibus fiunt præſentia. Quod pariter manifeſtat Veterum conſuetudo per tabellas plicatas ultrò, citróque miſſas, certiores faciendi abſentes : undè apud Homerum, *Iliad. verſ. 169.* Prætus litteras tradit Bellerophonti ſcriptas in tabella duplici, ſeu plicata, inducta cera ex fago, abite, buxo, citro, ebore. Formam denique epiſtolæ ſi ſpectes, idem indicat, nàm epiſtola olim nonniſi transverſa charta ſcribebatur ; ſed Cæſar Primus formam mutavit Suet. *in Cæſ. cap. 6.* 3.

Notan-

4. Notandum quartò, varia esse epistolarum genera, quibus etiam antiqua Fidelium communicatio, prout exigebat temporum necessitas, utebatur. In primis, extant epistolæ communicatoriæ, quæ dicuntur formatæ, quarum usum esse antiquissimum testatur Baronius, *tom. 2. Annal. anno Christi* 142. & in Concilio Niceno harum epistolarum forma est instituta, nè fraus aliqua irreperet. Communicatoriæ literæ Canonicæ epistolæ dicebantur, teste Attico, *tomo secundo Concil.* post Concilium Chalcedonense.

5. Erant pacificæ literæ, seu epistolæ, quæ dari solebant à recenter ordinato Episcopo ad Collegas, Theodor. *in Photij Nomocanone.*

6. Aliæ sunt epistolæ commendatitiæ, quæ ab Episcopis dari solebant tantùm ijs, qui essent in Ecclesia opere clariores, Concil. Chalcedonense, *cap.* 11. Verum est, quòd epistolæ commendatitiæ dabantur etiam personis, quæ essent suspectæ, ut habetur 2. Cor. *cap.* 3.

7. Aliæ sunt epistolæ confessoriæ, quæ à Christianis, qui pro Christi nomine detinerentur in carcere, pro commendatione Lapsorum ad Episcopos dari solebant, de quibus mentio habetur in Concilio Eliberitano, & Arelatensi Primo; & tempore persecutionis frequens erat harum usus, ut constat ex multis S. Cypriani literis.

8. Aliæ sunt epistolæ, quæ dicebantur memoriales, seu commonitoriæ, quibus Legati quid in suscepta Legatione deberent agere, per singula admonebantur, Baron. *loc. cit.*

9. Aliæ epistolæ dicuntur synodicæ, quæ ad diversos dabantur à Synodis, Bar. *ibid.*

10. Aliæ epistolæ encyclicæ, hoc est, circulares erant, quæ vel à Synodo, vel à Summo Pontifice ad omnes Fideles scribebantur.

11. Aliæ epistolæ dicuntur dimissoriæ, quibus scribebatur, Clericum, de voluntate sui Antistitis, aliquò esse profectum. Lax. *de Rep. Rom.*

12. Aliæ epistolæ dicuntur decretales, quibus Romani Pontifices ad interrogata respondebant, & vitanda, sequendavè decernebant, Gelas. *in Concil. Rom. de lib. authent.*

13. Aliæ epistolæ dicuntur Apostolicæ, quæ Apostolica auctoritate à Romanis Episcopis dari consueverant, quarum diversa sunt genera: frequentiores illæ, quæ Breves nuncupantur, Bar. *loc. cit.* seu Brevia, ad differentiam Bullarum, quæ à Bulla plumbea illis appensa sic appellantur. Duard. *in Bull. Cœn. in Can.* 13. *lib.* 2. *quæst.* 1. *sub num.* 1.

14. Inter Epistolas Ecclesiasticas, aliquæ reperiuntur, quas S. Aug. *conc.* 11. *in Psalm.* 36. vocat Tractatorias, quibus Episcopi certiores faciebant alios rerum gestarum; & differunt ab epistolis, quæ dicuntur Tractoriæ, & olim commendatoriæ, quibus Episcopi evocabantur ad Concilium, cum auctoritate utendi cursu, & stativis publicis, S. August. *epist.* 219. ad Victorinum, Baron. *tom.* 3. *ex epist.* Constantini ad Ablavium.

15. Hæc notavi in gratiam Curiosorum, qui si alia communia epistolarum nomina scire desiderant, legant Annales Baronij, præcipuè *tom.* 2. *anno Christi* 142. aut libros Erasmi, & Lippi Birandolini *de conscribendis epistolis.*

Redeo nunc ad nostram difficultatem, quæ 16. nullo modo comprehendit epistolas memoratas, quas ut evitetur æquivocatio, & confusio, hic adnotavi. Extenditur igitur dumtaxàt nostra difficultas ad epistolas communes, seu usuales, quibus aliquid absentes, seu quasi absentes scire volumus, quod aut nostra, aut ipsorum, aut aliorum interest: & dubitamus, an Principi, tempore belli, liceat has sive subditorum, sive exterorum intercipere, & legere.

Negativè videtur respondendum; nàm Navar- 17. rus, *cap.* 18. *num.* 53. Lopez, 2. *part. instruct. cap.* 43. Sà, *v. litera*, Bonacina, & alij communiter affirmant peccare mortaliter eum, qui aperit, & legit literas sigillo munitas, aut quæ servabantur in secreto loco, si prævideat aliquod notabile damnum oriturum; aut si ille, qui clausas literas mittit, vel asservat, valdè cupiat, quæ continentur in literis occulta retineri, nàm qui legit has literas, vel damnum grave infert proximo, vel gravem injuriam, vel saltem se exponit periculo hujusmodi damni, & injuriæ; tùm quia destruit humanum commercium jure naturæ introductum; & jure gentium conservatum. Ergò jus belli non facit licitum, quod alijs juribus opponitur cum notabili detrimento universi. Ergò tempore belli Principi minimè licet intercipere literas, illasque legere. Hanc opinionem tanquàm falsam puto esse omninò reijciendam, & contrariam, seu affirmativam sustinendam cum Graff. *p.* 1. *Decis. lib.* 2. *de falsitate, cap.* 35. *num.* 34. Navar. *cap.* 18. *num.* 53. & *in cap. Sacerdos, num.* 16. *ubi*, *quæ ad* 21. *de pœn. dist.* 6. Regin. *l.* 24. *num.* 60. Cespedes, *dub. milit. dub.* 62. Molina, *tom.* 5. *disp.* 36. *num.* 2. De Lugo, Bonac. & alij, quos citat, & sequitur Trullen. *tom.* 2. *in Decal. lib.* 7. *cap.* 10. *dub.* 32. *num.* 7.

Moveor primò juribus, *in l.* 1. *ff. solv. matr.* & 18. *l. unica*, §. *Hac autem, Cod. de cadu. toll.* ubi commune bonum bono privato antefertur. Et è contrario sensu, *in l. oratio, ff. de sponsa, l. pupilli*, §. *Sed & si per interpositam, ff. de auctor. tut.* ubi habetur, quòd prohibito fine, censetur etiam prohibitum principium, & omne medium, quo ad finem pervenitur: & ideò quando finis est licitus, licitum etiam erit medium ad ipsum conducens.

Moveor secundò rationibus; est enim doctri- 19. na communis Theologorum, Victor. *Relect. de jure belli, num.* 37. Sylv. *v. bellum,* 1. *concl.* 2. & 3. Valent. *in* 2. 2. *disp.* 3. *quæst.* 16. *punct.* 3. Molin. *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 117. Suar. *de char. disp.* 13. *sect.* 7. *num.* 6. Bonac. Coninch. & aliorum, in bello, & post bellum licere Principi, & de ejus mandato, Ducibus, & Militibus omnia ea, quæ ad finem belli consequendum sunt necessaria, vel convenientia judicantur, ad injuriam vel reparandam, vel vindicandam, aut ad pacem, & pacis securitatem firmandam. Atqui interceptio literarum, earumque lectio tempore belli potest esse medium necessarium, vel saltem conveniens ad consequendum belli finem; in ijs enim possunt detegi insidiæ, stratagemmata, machinationes hostium, aut subditorum proditiones; & similia. 20. Ergò absque ulla difficultate licet Principi, suisque

que Ministris, de ejus mandato, literas hostium, & non hostium intercipere, legere, occultare, comburere. Tùm quia, omnia jura, ultra allegatum, concedunt bono particulari & privato esse præferendum bonum commune & publicum. Ratio in illo Jamblichi dicto continetur. Non disiuncta est privata utilitas à publica, imò in bono communi singulare etiam continetur. Literæ autem personarum privatarum, sive hostes sint, sive Amici, aperiuntur ob bonum commune & publicum à Principe, ut videat, an in illis aliquid contineatur, quod possit, aut pacis consecutionem, aut reparationem, sive vindicationem injuriæ impedire. Aperiat igitur Princeps literas, si id sibi expedire videatur ad claudendam hostibus viam, ad evitandum Reipublicæ exitium.

20. Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi. Scimus enim tempore belli literas passim intercipi, de mandato Principis aperiri, & legi, & à Theologis minimè, aut Principes mandantes, aut Ministros aperientes damnari.

21. Ad argumentum contrarium respondetur, allegatos Doctores asserere esse peccatum mortale aperire literas cum periculo notabilis detrimenti, & injuriæ, quando non adest justa causa: Bellum autem justum, justa causa est.

22. Concludimus igitur, licere Principi, tempore belli, epistolas seu literas intercipere tàm subditorum, quàm exterorum, easque legere.

23. Infero primò ex dictis, peccare mortaliter eum, qui animo graviter lædendi, comburit, vel lacerat, vel occultat literas alicujus, nè appareant, & teneri ad restitutionem damnorum, Bart. *in l. Paulus, ff. de fals. & in l. qui tabulas, ff. de fur.* dicique pariter falsarium, ut habetur *ex Glo. approbata, in cap. Olim il secundo, de offic. delega.* esseque furem: quia utitur re aliena, invito Domino, *l. 1. ff. de fur.* huncque esse obnoxium secreti servandi, Domin. Sot. *deteg. & deteg. secr. memb. 1. q. 1. concl. 2. verb. atqueadeò.*

24. Infero secundò, licere intercipere, & aperire literas, tempore belli, omnibus Arcium Gubernatoribus, exercitus Ducibus, & omnibus Principis Ministris de ejus mandato, Graff. *loc. cit.*

25. Infero tertiò, non peccare nè quidem venialiter eum, qui aperit, & legit literas ex consensu expresso, vel rationabiliter præsumpto mittentis, vel ejus, cui mittuntur. Graff. ibidem, *num. 34.*

26. Infero quartò, excusari ab omni peccato maritum, qui legit literas uxoris, patrem, qui aperit literas filiorum; Prælatum, vel Abbatissam aperientem literas, quæ suis subditis mittuntur. Sylv. *v. falsarius, §. 1.*

27. Infero quintò, non solùm immunem esse ab omni culpa, sed magna dignum laude Amicum, qui literas amici, vel socij aperit, nè aliquod præjudicium ejus negotia patiantur; Supponitur enim adesse in tali facto amici voluntatem.

28. Infero sextò, graviter peccare aperientem alienas literas animo graviter nocendi, Rodriq. *tom. 2. q. 36.*

29. Infero septimò, peccare venialiter eum, qui vel aperit imprudenter literas alienas, putans eas ad se missas, vel non continere res magni momenti, vel legit sine periculo gravis injuriæ, aut notabilis damni, sed ob curiositatem, causa sciendi nova, aut ridendi, ob stylum ineptum, ignoratoriam dictaminis. Nav. *loc. cit.* Truil. *tom. 2. in Decal, lib. 7. cap. 10. dub. 32. num. 6.* & alij.

Infero octavò, non peccasse eum, qui literas laceratas, & in publicum rejectas collegit, earumque fragmenta univit, ut posset illas legere, solùm ad præcavendum proprium periculum, quod sibi timebat, aut ut suis commodis studeret, absque gravi detrimento alterius. Sylv. *verb. Emptio, quæst. 17.* Diana, *p. 2. tract. 6.* Misc. *Res. 55.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. p. 1. cap. 4. num. 4.* 30.

Infero nonò, legentem literas alienas in casu sibi permisso, vel prohibito, teneri vel ex charitate, vel ex justitia, non manifestare secreta in illis contenta, si manifestatio cederet in damnum proximi. Laym. *loc. cit.* 31.

Infero decimò, aperientem injustè alienas literas, teneri ad restitutionem damni, quod indè orietur; quia inferret damnum contra justitiam, Bonac. *disput. 2. de restit quæst. 1. punct. unic. num. 7.* 32.

Infero undecimò, peccare eum, qui furtivè scripta alterius secreta, ipso invito, legit; peccare quidem peccato curiositatis, si hoc facit animo discendi, non animo nocendi; peccato injustitiæ, si legit animo nocendi, quia quisque habet jus celandi suum secretum in suis scriptis, quæ alijs non vult esse communia. Nav. *cap. 5.* Molin. *tom. 5. disp. 36. num. 2.* Reginal. *lib. 24. cap. 6. num. 119.* & aliquandò posse esse peccatum mortale, si fiat cum notabili damno, & injuria gravi alterius. Baldel. *d. 11. v. etiam.* Card. de Lugo, & alij. 33.

Infero duodecimò obiter, non licere famulis deferre literas amatorias concubinæ Domini, maximè si contineant verba turpia: Diana, *p. 5. tract. 7. Resol. 27.* ubi plures Doctores citat, & sequitur: quia, quæ continentur in illis, sunt intrinsecè mala, quorum cooperatio est peccaminosa. Idem dicitur de alijs, qui servi non sunt, cùm sit par ratio. 34.

Infero decimotertiò, peccare mortaliter famulum, vel quemvis alium scribentem vel pro se, vel pro alijs, literas provocativas peccati, seu excitativas amoris pravi, licèt has scribens non deferret meretrici. Diana, *p. 3. tract. 6. & misc. 2. Res. 46.* quia idem cooperandi modus in utroque ministerio invenitur; scilicèt, sive scribat, sive deferat: pariterque peccare eos, qui mediatores, vel mediatrices quærunt ad consequendum effectum suæ concupiscentiæ. Filliuc. *in Decal, tract. 30. quæst 10. num. 222.* 35.

Infero decimoquartò; incurrere excommunicationem latæ sententiæ eum, qui Cardinalibus in Conclavi existentibus, vel eorum alicui mittit secretò literas, vel nuncium, vel aliam scripturam, *Cap. ubi periculum, de elect. in 6.* dummodò, ut ex vi dicti Textus, litera, scriptura, vel nuncius perveniat ad eum, ad quem mittebatur, vel saltèm ad eum, qui in illa contenta significet ei, quia 36.

verba cum effectu intelligenda sunt, *l. 1. §. Hæc verba, ff quod quisque juris, l. quotiès, ff. qui satisd. cog. & cap. Si à Judice, de appell. lib. 6.* Atque adeò neque si lata sit excommunicatio contra Scribentes epistolam Monialibus, incurrit à Scribente, si epistola ad Moniales casu non perveniat: nàm ad hoc intentio Scribentis est ordinata. Dicastill. *de censur. disp. 2. dub. 11. num.* 129. Navar. *de Dat. & Promis, conclus.* 60. Avil. *de censur. 2. p. cap. 5. disp. 3. dub. 5.*

37. Infero decimoquintò, non incurrere excommunicationem Constitutionis Pij IV. *in Bullar. 63. in ordine*; quæ incipit: *Intelligendis Ecclesiarum Prælatis. §. literas* Sedi Apostolicæ reservatam, deferentem literas, seu scripta ad Conclave; incurrere tamen excommunicationem. *d. cap. Ubi periculum*, si secretò loquatur cum eo, ad quem literas defert. Bonac. *tom. 3. de excomm. in particulari, extrà Bull. Cœn. disp. 2. quæst. 2. punct. 34. proposit. 2. num.* 12.

XVIII. DIFFICULTAS.

An in bello justo liceat Principi procurare pecunia, aut largis promissis traditionem Arcis, aut Urbis, quam obsidet à Gubernatore illius, aut ab alio Officiali.

1. NOtandum primò, difficultatem hanc à nemine apud Doctores, quos evolvi, agitatam reperiri; propterea eam libentissimè omisissem, nisi indecorum judicassem Lectori meo non satisfacere in ra tàm necessaria.

2. Notandum secundò, de fide esse, ut alibi etiam diximus, licitum esse bellum cuilibet Reipublicæ, etiam Christianæ, debitis servatis conditionibus, à nobis suo loco expressis, & exprimendis; ut optimè probat varijs locis Sacræ Scripturæ, validis rationibus, & plurium auctoritate Theologorum, Castropalaus, *p. 1. tract. 6. de charit. disp. 5. punct. 1. num. 3.*

3. Notandum tertiò, non solùm licitum esse bellum, sed etiam aliquandò esse in præcepto; quia Principes ex præcepto charitatis & justitiæ tenentur Bono publico prospicere, ad cujus finem sæpè necessarium erit bella movere, & injurias vindicare, & res ablatas acquirere. Suarez, *disp. 13. de charit. sect. 1. num. 4.* Molina, *tom. 1. de just. disp. 99. vers. statuenda nihilominùs, & vers. ad testamenta*, & alij.

4. Notandum quartò, causam justam, justumque titulum bellandi triplicem esse, nimirùm, injuriam imminentem impedire, illatam resarcire, & illam vindicare. Ità habetur ex D. Tho. ab omnibus recepto, *2. 2. quæst. 40. art. 1.* & ante illum, ex S. August. relato, *in cap. Dominus, causa 23. quæst. 2.*

5. Notandum quintò, in bello justo licitum esse adhibere insidias, & stratagemmata, quando apta reputantur ad victoriam consequendam; habetur ex *cap. Dominus, causa 23. quæst. 2.* exemplo Josue 8. cui præcepit Dominus insidijs uti, ad expugnandam Civitatem. Et ità demonstrat Castropalaus, *loc. cit. punct. 4. num. 4.* ubi excipit casum, quo fides liberè, & non coactè data fuisset hosti non utendi insidijs, & meritò; cùm tunc debeat fides servari, & promissum impleri, ut docet D. Tho. *2. 2. quæst. 40. art. 3.*

His annotatis, ad difficultatem propositam, an in bello justo liceat Principi procurare pecunia, aut largis promissis, traditionem Arcis, aut Urbis, quam obsidet, à Gubernatore illius, aut ab alio officiali, affirmativè sentire videntur Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 22. quæst. 6. & cap. 24. quæst. 14.* Less. *lib. 2. cap. 9. num.* 122. Rebell. *quæst. 14. à num.* 49. Sylvest. Suarez, Diana, & alii; nàm in *cap. Dominus, causa 23. quæst. 2.* habetur, licitum esse in bello justo insidiis uti, nec non & dolo, & simulatione, ut per Tex. *in cap. utilem, causa 22. quæst. 2.* per insidias, & per dolum possumus nostros vincere hostes, & res nostras ab eis ablatas recuperare. Et ità communiter Doctores. Atqui procurare pecunia, aut blanditijs, Arcis obsessæ traditionem inter insidias enumeratur. Tùm quia, non obligamur continere nos ab actionibus, in se non malis, nec speciem mali habentibus. Procurare autem Arcis, aut Urbis traditionem non est actio in se mala, imò bona, rationabilis, & justa, supposita justitia belli: si enim licitum est Principi illam armorum vi procurare, quare non ei licebit illam procurare pecunia, aut blanditijs, præsertim quando illius Gubernator paratus est illam tradere, nè bombis evertatur, & cum illius eversione milites, alijque habitatores fame, aut minis pereant? Præterquam quod, tradere hosti Urbem, aut Arcem facilè ab eo expugnandam, in se non est actio peccaminosa: fatentur enim omnes, Gubernatorem Arcis minimè peccare, imò virtuosè, & prudanter se gerere, quando armorum hostilium violentia coactus illam tradit: pecunia verò non immutat intrinsecè actionem: undè si actio traditiva, ratione armorum non est peccaminosa; neque erit peccaminosa ratione pecuniæ: & sic Princeps procurando pecuniâ traditionem Arcis, quam obsidet, non cooperatur cum illius Gubernatore in actione in se peccaminosa, imò cum eo cooperatur in malo evitando, ut sunt Arcis ruinæ, copiosa sanguinis effusio, suorum militum nec non & hostium interitus, quibus omnibus, ob Arcis traditionem, mediante pecunia, aut blanditijs, adhibitis, immunitas communis, seu ex utraque parte manifestè habetur. 6.

Quamvis hanc opinionem improbabilitatis, & falsitatis censura notare non audeam; contrariam tamen, quæ probabilior, & vera videtur, puto esse sustinendam, Principi, nampè, nequaquàm licere, nec in bello justo Urbis aut Arcis, quam obsidet, traditionem ab illius Gubernatore, aut alio officiali procurare. Ità sentire videntur Navar. *in sum. cap. 21. num.* 26. Suarez. *tom. 3. in 3. p. disp. 18. sect. 2. conclus. 2. & de caritate. disp. 19. sect. 3. num. 2.* Sanchez. *lib. 1. in* Decal. *cap. 7. nu.* 15. Valent. *22. disp. 5. quæst. 21. part. 4. vers. non satis erit.* Bonac. Vasq. & alii omnes, qui tenent, non posse à peccato mortali excusari eum, qui cooperatur ad actionem peccaminosam. 7.

8. Moveor primò juribus *in l. 1. ff. de pactis* ubi habetur, grave esse fidem fallere, *& l. juris gentium*, §. *Praetor ait, ff. eod.* ubi dicitur pacta esse omninò servanda, & hoc quidem non solùm à privato erga privatum, & Principem, sed etiam à Principe erga privatum, & sibi subjectum, ut per Tex. *in l. digna, Cod. de leg.* & tradunt plures Jurisconsulti, quos recenset & sequitur Menochius *in consil. 27. num. 29. & in consil. 150. numero 22. l. conventionem ff. de pactis.* ubi apparet quòd fides etiam hostibus est servanda. Intervenit, absque dubio, quando Princeps quempiam elegit in suæ Arcis, aut Civitatis Gubernatorem pactum de illa custodienda, undè illius traditio hostibus sequi non potest sine violatione pacti, & fidei datæ.

9. Moveor secundò rationibus, nàm communis doctrina asserit, esse peccatum cooperari in actione ipsa peccaminosa. Procurare autem pecuniæ Arcis traditionem est cooperari alterius peccato, & quidem proximè, & immediatè: Gubernator enim tradens, ob aviditatem pecuniæ, aut alium favorem promissum Arcem, Principi inimico, peccat contrà fidelitatem, contrà justitiam, & forsitan contrà Religionem. Contrà Fidelitatem, quia Arx ejus custodiæ credita est. Contrà Justitiam, quia vendit & dat, quod suum non est. Contrà Religionem, quia violat juramentum, quod solet præstari in hujusmodi casibus fidelitatis. Tùm quia, noster Princeps procurando hanc traditionem, causa est alterius perditionis, seu quod alius hic, & nunc peccatum mortale committat, aliàs non commissurus, ut est infamatio sui nominis, & suæ familiæ, & læsio Regiæ Majestatis, & translatio in elium dominii rei non suæ. Amor verò Divinus, & misericordia in proximum nos obligat vitare, quantumcumque alius ex malitia peccet, peccata nostra, & aliena, quæ commodè possumus.

10. Moveor tertiò exemplo, seu praxi. Scimus enim venditionem Arcis, seu traditionem illius, mediante pecunia, factam à Gubernatore, aut alio Officiali, confiscatione bonorum, & pœna capitali puniri; & omnia pœna supponit delictum, & à delicto, seu peccato non potest liberari, qui cum delinquentibus in delicto cooperatur.

11. Concludimus igitur, nequaquàm licere Principi, etiam justè bellanti, procurare pecunia, aut largia, promissis Arcis aut Urbis traditionem, quam obsidet à Gubernatore illius, aut alio Officiali.

12. Ad rationes in contrarium respondemus, Ad primam, non esse verum inter insidias enumerari procurationem Arcis per traditionem pecuniariam, ut constat ex juribus allegatis in primo motu.

13. Ad secundam, & tertiam patet responsio ex dictis.

14. Neque obstat, quòd Gubernator Arcis, illam hosti tradendo, non prodit, sed tantùm permittit executionem alterius juris; undè, sicut Princeps justum gerens bellum, non peccat occupando vi armorum illam Arcem, neque peccabit illam occupando pecunia; quia usus occupandi arces in bello justo per arma, est à jure permissus; secùs verò usus arces occupandi per pecuniam.

Neque obstat, quòd occupatio arcis, quomodocumque occupetur, sit unum ex mediis accommodatis ad victoriam obtinendam, atque adeò ad assequendum belli finem, qui est licitus: quia non semper media sunt licita, quando licitus est finis, ut patet in eo, qui furatur, ut faciat eleemosynam; furtum enim, quod est medium, est illicitum secundùm omnes, quamvis eleemosyna, quæ est finis, sit licita & sancta. Sic in casu nostro: præsertim cùm possit Princeps aliis mediis uti, ut est armorum jus, ad obtinendum finem suum nempè Arcem, & cum Arce victoriam. 15.

Infero primò ex dictis, proditorem esse Vassallum, qui arcem, sivè fortilitium suæ fidei commissum, tradit hostibus, vel aliter violat juramentum fidelitatis. Ita etiam tradit Molfes. *in sum. part. 1. tract. 11. cap. 19. num. 40.* 16.

Infero secundò, quòd ille prodat Principem, vel Rempub. qui vadit ad hostes, vel mittit ad eos Nuncium, sivè litteras in damnum Principis, vel Reipubl. Ita ex Gloss. *in Cap. Clericus. dist. 46.* Bar. Alex. *in l. respiciendum*, §. *Delinquunt. ff. de pœnis* Afflict. Ruit. penes Molf. *loc. cit. n. 38.* 17.

Infero tertiò, illum dici de jure proditorem, qui prodit illum, quem in fide suscepit, vel violat jura charitatis, aut proximum callidè seducit, vel illum trahit in periculum salutis. *Cap. Transferunt, Causa 24. quæst. 3.* vel prodit socium, vel amicum illius, revelando secretum sibi commissum, ut *in cap. Clericus, dist. 46.* vel amicum, vel socium occidit, vulnerat, vel aliter offendit sub specie amicitiæ. 18.

Infero quartò Principem, qui opinionem probabilem habet, dummodò non sit minùs probabilis, sibi licere urbem ab alio possessam occupare; posse quidem bellum pro illius occupatione movere, Castropal. *par. 1. de conscien. disp. 2. punct. 7. num. 1.* non tamen intentare possessionem per viam proditionis. 19.

Infero quintò, non esse licitum, ob fines bonos, offerre delinquentibus occasionem delicti committendi, quia id non est permittere malum, sed ad malum cooperari. Ita tenet Sà, *verb. peccatum, num. 7.* Sanch. *lib. 10. de matr. disp. 12. num. 59.* Bonac. *de peccat. disp. 2. quæst. 4. punct. 2. §. Unico, num. 28. & 34.* Contrarium, licèt limitatè, tenet Petr. Nevarr. *lib. 3. de restit. cap. 4. par. 2. dub. ult. num. 104. in 2. edit.* ubi existimat licere, sed rarò offerre delinquentibus occasionem peccandi; ut si pater volens deprehendere filium, vel servum furantem, relinquat clavem in arca: vel si mulier volens se liberare ab importunitate Juvenis sollicitantis, utatur æquivocatione aliqua, qua sollicitanti videatur annuere, in re tamen non annuat, ut puta, si dicat: placet mihi, ut tali hora, & tempore venias: ostium apertum erit; cum hæc verba sint indifferentia. Ità Navar. apud Castropal. *de charit. tract. 6. disp. 6. part. 5. n. 6.* 20.

Infero sextò, non licere marito pacisci cum uxore, ut amasio ejus castitatem violare tentanti conniveat, concedens tempus, & locum, non ut adulterium perficiat, sed ut in crimine deprehen- 21.

datur; cum talis oblatio sit tacitâ, imò expressâ acceptatio adulterii intentati, quod de se est illicitum; ità etiam Bonac. & alij apud Castropal. *loc. cit. num. 5.*

XIX. DIFFICULTAS.

An Princeps, pro salute totius Reipublicæ, vel Civitatis, possit tradere Tyranno illam obsidenti, innocentem expetitum ad necem.

1\. Notandum primò, posse aliquem dupliciter dici innocentem; primò, revera, & legitimè, quia non probatur nocens: secundò tevera, sed non legitimè, & est quando quia re quidem innocens est, sed legitimè probatur nocens. Sot. *de just. jur. & lib. 5. quæst. 1. art.* 7. De innocente primo sensu agitatur difficultas.

2\. Notandum secundò, dupliciter occidi hominem; uno modo ex intentione, & certo proposito: ut cùm judex intendit privare vita delinquentem: alio modo, præter intentionem, non solum casu, & involuntariè, sed etiam propter alium finem, quem si posset interficiens aliter consequi, non interficeret; ut quando quis, ad defendendum se vel Rempub, interficit invasorem, cui vitam non auferret, si alio modo posset se defendere. Vict. *Relec.* 10. *de homicidio n.* 17.

3\. Notandum tertiò cùm D. Tho. 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 3. duplicem esse cooperationem, directam, scilicet, & indirectam; directam vocari voluntarium directum, ut est præcipere, consulere, stabilire peccatum, aut subministrare materiam peccati, quæ nullum usum præter malum habeat: Indirectam vocari voluntarium indirectum, & est, quando quis non agit, seu non impedit malum, quod potest & debet impedire; sicut Gubernator Arcis cooperatur amissioni Arcis, quam potest, & debet gubernare, si ex odio, vel negligentia eam permittit ab hostibus occupari.

4\. Notandum quartò, hoc esse discrimen inter cooperationem directam ad malum, seu peccatum, & cooperationem indirectam, quòd prima est intrinsecè mala, & nullo metu mortis excusatur. Secunda, potest esse secundùm se moraliter bona, vel saltem indifferens, ità ut possit ad bonum, vel malum usum ordinari.

5\. Notandum quintò tria requiri, ut cooperatio indirecta sit mala, primum, ut prævideatur futurum peccatum proximi, aut damnum temporale ipsius. Secundum, ut possit peccatum impediri non omittendo, aut non agendo actionem illam ex se indifferentem. Tertium, ut adsit obligatio impediendi, ieu ut non sit justa causa non impediendi. Cajet. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 4. Navarrus *in Manual. cap.* 21. *n.* 24. Laym. *lib.* 2. *tract.* 4. *cap.* 13. *n.* 4. & alia.

6\. His prænotatis; ad difficultatem propositam, an Princeps, pro salute totius Reipub. vel Civitatis, possit tradere Tyranno, illam obsidenti, civem innocentem, expetitum ad necem, respondeo partem affirmativam esse probabilem; quam tuetur Victoria, *Relect.* 10. *de homicidio*, Molina, *tom. 4. de just. & jur. tract. 3. disp.* 10. *num.* 4. Less. *lib. 2. cap. 9. dub. 7. num.* 39. Valent. *tom. 3. disp. 5. quæst.* 8. *punct.* 2. Laym. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 1. *num.* 4. De Lugo *de just. tom.* 1. *disp.* 10. *sect.* 4. *num.* 113. quorum fundamenta præcipua duo sunt. Primum, quia Respublica jus habet exponendi suos cives patenti morti pro salute totius, sicut totum suas partes, ut patet in bello. Secundum, quia ipsemet innocens civis tenetur aliquando, etiam non jussus pro salute totius Civitatis se hosti tradere. Ergò pro salute totius Reipubl. fas Reipubl. est ipsum ad id cogere. Atque ità Phocion Demosthenem atque alios hortabatur ad exemplum Leii filiarum, & Hyacinthidum potiùs mortem ipsi subirent, quàm malum irreparabile patriæ inferri finerent. Diod. *lib.* 17. Et apud Livium, *lib.* 45. de Molossis quibusdam dictum legitur. „ Equidem pro patria qui „ lethum oppetiissent, sæpe fando audivi; qui „ patriam pro se perire æquum censerent, hi primi inventi sunt. Quibus probatur tradi in manus hostium posse civem innocentem, ut vitetur imminens alioqui Civitatis excidium.

Ego verò sententiæ negativæ, quæ mihi probabilior videtur saltem ex rationibus intrinsecis, omnino adhæreo cùm Cordub. *lib.* 1. *quæst.* 37. *in* 13. *ratione, pro* 3. *opinione.* Turrian. *de just. disp.* 26. *dub.* 2. *num.* 35. Less. *de just. lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 7. *num.* 40. Sot. *de just. & iure, lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 7. quibus etiam Diana videtur adhærere, *part.* 11. *tract.* 6. *& misc.* 6. *resol.* 51. 7.

Moveor primò juribus *in l. Imperator*, ff. *de statu homin*, ubi Nocenti vita ad tempus relinquitur, ne Innocens pereat: & in Sacra Scriptura *Exod.* 23. ubi habetur, *Insontem, & justum non occides*; quod Doctores exponentes, asserunt, hoc præceptum esse juris naturalis, & non positivi; sicut etiam alia præcepta Decalogi. Quod patet, quia in lumine naturali semper fuit notum, occisionem innocentis esse culpabilem, & illicitam in omni casu, & tantùm in casu, quo vel probatur esse nocens, vel ex divina revelatione juberetur occidi licitum esse occidere innocentem affirmat D. Thom. 22. *quæst.* 64. *art.* 6. & alij communiter. Ratio, quam adducunt, est, quia innocens potiùs promovet bonum commune, & homicidium in tantùm est licitum, in quantùm vita illius obstat bono communi. Tradere verò innocentem Tyranno occidendum, est idem ac cooperari ad ejus occisionem, est, inquam, innocentem occidere. Ergò Princeps, etiam si agatur de salute totius Reipub. non potest licitè tradere hostibus innocentem, quatenùs innocentem, ab ipso expetitum ad necem. 8.

Moveor secundò rationibus, tùm quia Princeps, non est absolutè Dominus vitæ civium, Deus enim solus Dominus vitæ est atque mortis, & ideò in innocentis vitam non Princeps, sed solus Deus potestatem habet. Ergò fas Principi non est Tyranno Civem innocentem tradere, vita privandum. Tùm quia, sicuti nemini licet, illi jubente Tyranno, eruere sibi unum oculum, ut alterum servet, ut probat Sot. *loc. cit.* ità neque potest licere Principi, seu Reipub. innocen- 9.

nocentem morti tradere, ut cæteros servet. Tùm quia, (qua ratione meliùs explicatur ratio primi motus) interficere innocentem, qui legitimè non probatur nocens, sine Dei jussu, est intrinsecè malum, injuriosumque, tàm ipsi innocenti interficiendo, quàm Deo, cujus est vita illius; nec non quinto Decalogi præcepto, quod juris est naturalis. Ergò nulla de causa, ad nullumque bonum consequendum, fas est innocentem Tyranno tradere ad occidendum.

10. Moveor tertiò exemplo, nàm in Æthiopia Schismatici, comparato exercitu, aggressi sunt Erafzelachristum Catholicum Imperatoris fratrem, ac Proregem, petentes eis tradi quinque Patres Societatis, Catholicæ Fidei Præcones. Catholici verò noluerunt tradere, sed fortiter bellantes, modico suorum sanguine, circa sex millia Schismaticorum interfecere. Ità scribit Thomas de Barros in Epist. ad P. Vitelleschum, Generalem Societ. ex Æthiopia die 26. Julij, Anno 1622. Quod multa cum laude fuit non solum à Catholicis illius Regionis, sed etiam hìc Romæ approbatum; quia Schismaticorum petitio erat in contemptum innocentiæ, & fidei, cujus virtus obligat etiam cum periculo non obedire Tyranno, aliquid præcipienti in contemptum fidei, atque innocentiæ.

11. Concludimus igitur, nefas esse Principi, etiam pro salute totius Reipublicæ, vel Civitatis, tradere Tyranno illam obsidenti, Innocentem expetitum ad necem.

12. Ad argumenta in contrarium respondet Sot. *loc. cit.* Ad primum, quòd Princeps, sive Respublica potest exponere civem, quando necessarius ad pugnandum est, & resistendum hosti, quia tunc est per se necessarium medium; non autem quando est tantùm necessarius ex malitia alterius; quoniam, cùm homicidium per se non sit bonum, nunquàm fit licitum, nisi ex fine, cujus est per se medium.

13. Ad secundum, quòd quamvis civis teneatur tunc proprio se offerre periculo, ut publicum caveat; non tamen ad id jure cogi potest; quoniam tenetur non de justitia, sed de charitate. Sicut stat, me in gravi necessitate ad eleemosynam teneri, ad quam cogi non possum.

14. Nostræ conclusioni non obstat argumentum à pari, nempè eodem modo se habere singulos cives ad totum Reipublicæ corpus, quod ex eis constat, sicut membra corporis ad totum hominem: licere autem homini membrum offerre illud petenti, & mortem comminanti, si non traderet, ut vitam servaret, licèt medium illud non sit necessarium, nisi ex malitia alterius: adeóque etiam Reipublicæ licere civem innocentem tradere pro malo communi vitando: quia membrum non habet esse distinctum ab esse totius, nec ullo modo est propter se, sed propter totum; neque per se est capax juris, vel injuriæ. Innocens verò civis quamvis sit pars Reipublicæ, est nihilominùs, & suppositum propter se ipsum existens, atque adeò per se capax injuriæ, quam Respublica non potest illi irrogare, eum Tyranno tradendo ad necem, præcipuè, si innocens expetitus insigni aliquo beneficio sit de Republica benemeritus, ac ob utilitatem Reipublicæ, Tyranni odium incurrerit; tunc enim titulo gratitudinis debet defendi etiam cum certo periculo omnium civium: neque tunc tenetur ob Reipublicæ utilitatem, seu incolumitatem se offerre Tyranno: quod etiam fatentur Auctores contrariæ sententiæ.

Infero primò, illicitum esse tradere Tyranno 15.
aliquam virginem, ab ipso expetitam deflorandam; ad tuendam Rempublicam, neque in tali casu puellam teneri ire, licèt Respublica possit illam ex Urbe excludere, & non tueri, cùm non teneatur cum tanto suo incommodò eam protegere, vel apud se retinere; dummodò exclusio ejusdem Virginis ab Urbe non censeatur moraliter traditio illius in manus Tyranni. Quod etiam docet Dicastil. *de just. lib. 2. tract. 2. disp. 10. dub. 12. num. 142.*

Infero secundò, nefas esse Civitati obsessæ in- 16.
terficere innocentem, illiusque caput mittere ad Tyrannum, illud expetentem, & jurantem se omnes de illa Civitate, cùm ad suas pervenerit manus, interfecturum, si negat: quia interficere innocentem, absque jussu Dei, est intrinsecè malum. Molina, *de just. & jur. tom. 4. tract. 3. disp.* 10. ubi asserit hanc esse communem Doctorum sententiam.

Infero tertiò, Evangelij Prædicatorem experi- 17.
tum ad necem à Tyranno, comminante internecionem toti Civitati, non teneri se ultrò offerre martyrio: cùm non sit certum teneri innocentem se sponte offerre Tyranno pro salute Reipublicæ: quia non teneri probabiliter, docet Corduba, *loc. cit.* Tùm quia, Civitas titulo gratitudinis tenetur eum defendere cum suo periculo. Ergò ipse non obligatur ad se sponte offerendum.

Infero quartò, quemlibet teneri defendere vi- 18.
tam innocentis, si quis velit per violentiam illum interficere; quando id possit sine gravi periculo propriæ vitæ. Proverb. 24. ubi habetur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & eos, qui trahuntur ad interitum, liberare non cesses*; adeóque reum esse homicidij illum, qui potest eripere Innocentem de manu invasoris, & non eripit. Est contra Victoriam, *Relect. 10. de homicid. num.* 25. ubi asserit, nos non semper teneri defendere vitam proximi, etiam quandocunque licet; ut patet de Petro Apostolo, quem Dominus reprehendit, quia volebat eum eripere de manu Judæorum.

Infero quintò, nos teneri defendere bona tem- 19.
poralia innocentis à latrone, & raptore, quando possumus id facere sine periculo nostro: ità docet Vict. *loc. cit.*

Infero sextò, illicitum esse se ipsum interfice- 20.
re pro salute proximorum; quod docet ipsum lumen naturale, ut patet ex Aristot. *3. Ethic.* dicente: „Quòd non est magnanimi mortem sibi „consciscere, sed pusillanimis, & non potentis „ferre vitæ labores. Samsonem verò, qui se interfecit, hac ratione excusari dicit S. Augustin. quia Spiritu Dei motus hoc fecit, propterea illum Paulus retulit inter justos.

21. Infero septimò, esse probabiliùs non licere Judici condemnare juxta allegata, & probata eum, quem scit innocentem esse, nec Ministris publicis interficere condemnatum, quem innocentem esse sciunt. Filliuc. *tract. 29. in 5. praecept. Decal. cap. 3. quaest. num. 32.* ubi asserit, debere Judicem in sententia contraria, seu affirmativa, antequàm condemnet, inire omnes vias, & rationes, quibus eum liberare valeat. De qua re agit Azor. *cap. 2. quaest. 11.* Less. *lib. 2. cap. 29. dub. 10.*

22. Infero octavò, non licere personae privatae, ob bonum commune, occidere Tyrannum, si sit verus Dominus, & habeat verum jus, & titulum, licèt tyrannicè gubernet, omnia referens in suam utilitatem cum damno communi. Ità definitum est in Concilio Constantiensi, *Sess. 15.* in qua damnatur articulus Joannis Huss, qui dicebat, „ Quilibet Tyrannus licitè potest à quocunq; sub„ dito interfici. Et ratio est, quia non amittit dominium ex sua malitia: nàm cùm adhuc sit verus Dominus, est illi obediendum à subdito, & reverentia exhibenda.

23. Infero nonò, Principi non licere addicere morti, quem novit certò deliquisse, sed secretò, hoc est privata scientia, seu occulta, ità ut probari crimen non possit. D. Thom. 2. 2. *quaest. 67. art. 3. ad 3.* Cajet. ibi. Sot. *de just. lib. 3. quaest. 1. art. 3.* Navarr. *cap. 25. num. 6.* & alij; quia id videtur esse juris gentium, sub cujus onere Respublica censetur transtulisse in Principem suam potestatem. Sententiam oppositam esse probabilem, censet Filliuc. *tract. 29. p. 2. in quartum praecept. Decal. cap. 2. quaest. 7. num. 28.*

24. Infero decimò, neminem teneri impedire malum alterius, quando proprium malum, seu damnum praeponderat curae, quam debet habere de salute, aut damno proximi; quando verò proprium damnum praeponderat curae de damno proximi, sex considerantur conditiones, quas videre est apud Doctores, hanc materiam tractantes.

25. Infero undecimò, cuilibet aggresso licere se defendere etiam cum periculo innocentis, quo Aggressor se protegit, quando defensio est moderata, seu cum moderamine inculpatae tutelae; in quo casu licet cuique occidere aggressorem suum, ad se defendendum, ut est communis & certa apud Doctores sententia. Ratio est, quia aggressus habet jus se tuendi, quo illum non privat innocentis interpositio: in quo tamen casu aggressus ex charitate tenetur fugere, si posset. Cordub. *lib. 1. quaest. 38.* Petrus Navar. *lib. 1. cap. 3. num. 147.* Less. *cap. 9. dub. 6.*

26. Infero duodecimò, nemini licere, extra casum spiritualis detrimenti, pro privata persona ponere vitam. Contrarium tamen putat probabilius, & laudabile Vict. *Relect. 10. de homicid. num. 25.*

27. Infero decimotertiò, licere invaso praetermittere sui defensionem, quando invasor, vel est Princeps à quo pendet Bonum commune, vel est Pater, à quo vitam recepit; quia praeceptum charitatis, quod obligat hominem ad se defendendum, est affirmativum, quod non obligat in omni casu. Secùs verò, si invasor esset persona vulgaris. Filliuc. *tract. 29. in 5. precept. Decal. cap. 3. quaest. 5. num. 43.*

XX. DIFFICULTAS.

An liceat Principi concedere suis subditis Militibus Repressalias.

Notandum primò, in hac difficultate de Repressalijs, quae valdè celebris est apud Theologos, Canonistas, & Jurisconsultos, quatuor comprehendi. Primum, scilicet, hoc nomen, Repressalia. Secundum, significationem. Tertium, Concessionem. Quartum, Motivum, seu causam concessionis. 1.

Notandum secundò, quòd Repressaliae, si nomen spectes, ità vulgò dicuntur, secundùm Italos: à Saxonibus, & Anglis vocantur Witthernamiae: à Gallis Marchae, seu arrestationes: à Graecis Androlepsiae: à Latinis pignorationes, vel clarigationes. *Cap. 1. de injur. lib. 6.* Covarr. *in Reg. peccatum. p. 2. §. 9. vers. hinc denique*, Bart. *in tract. de Repressal. in princ. num. 1.* Bald. *in Auth. omninò, Cod. de act. & oblig.* Tiraq. *in leg. si unquàm, vers. susceperis liberos, sub num. 147. Cod. de revoc. donat.* & alij plures. 2.

Notandum tertiò, id, quod significant Repressaliae, esse litteras, quae jure dantur à Principe suis subditis, quibus illis conceditur potestas expoliandi subditos alterius Principis, pro compensatione rerum sibi ab illius subditis injustè ablatarum. Sylv. *verb. Repressalia, quaest. 1. in fin.* Vict. *de jur. belli, Relect. 6. nu. 41.* Covarr. *in reg. peccatum, §. 9. n. 4.* & alij. 3.

Notandum quartò, quòd Repressaliae conceduntur, quando Princeps in suis subditis laesus, à subditis alterius Principis, non valens obtinere satisfactionem à nocentibus, permittit, ut etiam aliquorum innocentium bona occupentur. Valent. *tom. 3. in 2. 2.* D. Tho. *disp. 3. quaest. 16. punct. 5.* Castropalaus, *de charit. tract. 6. disp. 5. punct. 4. num. 22.* 4.

Notandum quintò, Motivum, quo Repressaliae conceduntur, esse jus denegatum; v. g. si Monferrini, qui sunt subditi Ducis Mantuae, praedas facerent in Agro Astensium; qui sunt subditi Ducis Sabaudiae, vel è contra: & Dux Mantuae nolit cogere illos ad restitutionem cùm possit; possunt Astenses, & alij subditi Ducis Sabaudiae ejus authoritate spoliare Monferrinos Mercatores, Agricolas, quoscunque viventes in Ditione Ducis Mantuae, exceptis Ecclesiasticis, & Advenis, quantumcumque innocentes. Ità Victoria, *loc. cit.* & alij elleg. Doctores. Et hanc executionis violentae speciem, sive pignorationem inter populos diversos, recentiores Jurisconsulti vocant jus Repressaliarum. 5.

Notandum sextò pro majori claritate, Repressalias, seu pignorationes vocari bona, quae innocens Respublica, & injuriam passa, assumit à Civibus Reipublicae nocentis, in pignus satisfactionis sibi, suisque Civibus debitae. Ità Castropal. *loc. cit.* 6.

7. His annotatis, ad propositam difficultatem, an liceat Principi concedere suis subditis Repressalias, videtur cum aliqoibus, quos refert Covarr. *in reg. peccatum, p. 2. §. 9. verf. hinc. ni fallor*; negativè respondendum, nec in foro contentioso, nec in foro conscientiæ, ut patet *in cap. 1. Authen, ut non fiant pign. collat. 5. novella 52. & l. un. Cod. ut nullus ex Vicaneis.* Et ratio est, quia istæ Repressaliæ videntur repugnare naturali rationi. *Cap. 1. de injur. & damn. dat. lib. 6. cap. Locupletari, de reg. jur. lib. 6. 1. dist. in princ. Cap. Dilecti, extrà, de major. & obed.* Id verò, quod rationi naturali repugnat, nemini facere licet, seu ut clariùs dicam: iste modus compensationis, natura sua injustus est, quia nocet innocentibus, unumque punit pro peccato alterius, quod fieri humana justitia non patitur, non minùs in bonis externis, quàm in personis. Auth. *habita, Cod. nè fil. pro patre, l. 1. Cod. ut nul. ex vi, pro alie. vic. debit. ten. lib. 11. l. providendum, C. de decur. lib. 10. Auth. Quæ jura considerans*, Petrus Lorca negavit, *in 2. 2.* D. Tho. *q. 40. art. 1. sect. 3. disp. 52. in append. num. 15.* Repressalias esse licitas.

8. Veritas tamen est, licere Principi, tùm in foro contentioso, tùm in judicio Animæ, concedere suis subditis Repressalias. S. Aug. super Josue, *q. 10.* D. Tho. *2. 2. quæst. 66. art. 8. ad 1.* Albe. *in tract. stat. par. 1. quæst. 55. num. 23.* Burs. *cons. 345 num. 53. vol. 4.* Guid. Pap. *quæst. 32. sub num. 1.* Villalob. *in Sum. tom. 2. instit. diff. 4 num. 16.* Franc. Marc. *decis. 372. num. 8 & decis. 358 num. 5.* Victor. *Relect. 6. de jur. bell num. 41.* Valentia, *in 2. 2.* D. Tho. *tom. 3. disp. 3. quæst. 16. punct. 3.* Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 121.* Castropal. *de charit. tract. 6. disp. 5. punct. 4. num. 22.* Diana, *par. 4. tract. 4. Miscell. Res. 72.*

9. Moveor primò juribus, *in cap. Dominus, causa 23. quæst. 2.* ubi habetur, justa bella definiri, quæ ulciscuntur injurias, si Gens, aut Civitas plectenda est, quæ vindicare neglexit, quod à suis improbatè factum est: Et *l. locum, ff. de tabul. exhib. §. pen.* ubi actio conceditur in hostem, ad restitutionem rei ablatæ, vel ad puniendam contumaciam.

10. Moveor secundò rationibus; nàm ubi alia remedia non adsunt contra debitorem, capi possunt non solùm res, sed etiam homines liberi, in quibus debitor jus habebat. Glos. *in l. pro herede, §. Si quid tantùm, ff. de acquir. hæred.* Scimus autem Principem justitiam facere negligentem, vel recusantem, debitorem esse justitiam postulantis: atque adeò & subditi, & res subditorum capi possunt: Et sic Princeps creditor concedere potest jus ad capiendum. Tùm quia, Princeps si negligit, vel recusat vindicare, quod à suis injustè factum est, seu non compellit suos ad præstandam debitam satisfactionem pro injuriis illatis alterius Principis civibus, culpabilis existit. Ergò Princeps innocens, & injuriatus in suis civibus potest punire Principem injuriantem ejus cives innocentes, si opus est, gravando, & bonis privando; cùm Princeps, ut dicunt Doctores in materia de bello, qui habet justum bellum fit ipso jure Judex hostium, & possit eos juridicè punire, & condemnare pro qualitate injuriarum.

Tùm quia, omnes fatentur in bello justo posse innocentes eorum bonis spoliari, exceptis iis, qui excipiuntur *in Cap. Immolamus*, quando urget necessitas pro satisfactione obtinenda: adeóque id fieri potest per executionem juris Repressaliarum: est enim par ratio, juris, inquam, non quidem natura introducti, sed moribus passim recepti, quo corpora, aut res subditorum ejus, qui jus non reddit, capi possunt, ut supra probatum est.

Moveor tertiò exemplo. Apud Homerum. 11.
Iliados, 5. legimus, quòd Nestor ob ereptos Patri equos, Elidiensium pecora, & armenta cæpit. Sequitur deindè in narratione convocari edicto ad jus suum persequendum, omnes eos, quibus aliquid ab Elidiensibus debebatur, nimirùm:

Nè quis justa sibi parte careret.

Refert Livius, *lib. 2. hist.* quòd Cumis Aristodenius, Tarquiniorum hæres, retinuit Romanorum naves pro bonis Tarquiniorum: Famulos verò, jumenta, pecunias, & alia fuisse terentes dixit Halicarnassensis, Halic. *lib. 7.* Ex quibus constat jus Repressaliarum esse vetustissimum, adeóque minimè nostris temporibus censurandum.

Concludimus igitur, licere Principi bellanti 12.
concedere suis subditis militibus Repressalias in utroque foro conscientiæ, scilicèt, & contentioso; dummodò duo concurrant, Superioris, nempè, auctoritas, & causa justa: auctoritas, inquam, Superioris, quia non licet alicui suâ auctoritate jus sibi dicere; ut per Tex. *in l. non est singulis*, ubi Dec. *num. 1. ff. de reg. jur. leg. extat, ff. quod met. caus. l. nullus, Cod. de Juda. cap. 1. §. 1. de pace juram. firma.* Causa verò justa; quia si auctoritas Superioris non interponeretur ex justa causa, decretum esset ipso jure nullum, *l. Cum verò, §. Subventum, ff. de fideicomm. libert. l. 1. §. Hæc verba, ff. nè vis fiat eis*, & tradunt Menoch. *cons. 244 sub n. 43.* Bart. *tract. de repr. quæst. 2. num. 4.* Burs. *consil. 138. n. 22. volum. 1.* & alij plures Jurisconsulti. Causa justa, & legitima dicitur, si constet injuriam esse manifestam, & notabiliter gravem: si jus esse negetur ex voluntate, & non necessitate: si facultas capiendi Repressalias post recursum ad Principem supremum Reipublicæ læsæ, & causam ab ipso cognitam, concedatur: si damnum, quod infertur, non excedat debitam satisfactionem: si à decreto excindantur Ecclesiastici, & alii, qui recensentur, *in Cap. Immolamus, sup. cit.* Tandem, quæ est præcipua conditio, si Respublica, Populus, Princeps requisitus justitiam facere, neglexerit. *Cap. Dominus, causa 23. quæst. 4.* Authen. *habita, in fin. Cod. nè fil. pro patre, l. nullus, Cod. de Jud. l. nè quid, ff. de incend. rui. & naufra. l. si alius, §. bellissimè, ff quòd vi, aut clam.* Burs. *cons. 345. num. 46. vol. 1.* & alij plures Jurisconsulti; necnon & Theologi, Castropal. *de charit. tract. 6. disp. 5 punct. 4 num. 22.* Diana, *par. 4. tract. 4. & Miscell. Resol. 72.*

Ad fundamentum contrariæ opinionis respon- 13.
deo, concedendo in juribus allegatis dici alium pro alio non debere gravari: sed hoc intelligendũ est, quando gravamen sequitur non ex faculta-

te

re Principis, concurrentibus dictis conditionibus, sed ex propria authoritate; adeoque negamus modum satisfactionis, mediantibus Repressaliis, esse natura sua injustum, quando concurrunt omnes conditiones, & præcisè quando compensatio aliter obtineri non potest, tunc enim innocens, cùm sit pars Reipublicæ offendentis, cui sua bona obstricta sunt, fit gravamini obnoxius, & ulteriùs licèt non posset puniri ob aliorum peccatum, potest tamen cogi ad satisfaciendum pro debito, quòd suum est, cùm ipse sit pars Reipublicæ, quæ debet satisfacere, quod æquitati naturali minimè contrarium est, ut notat Castropalaus, *loc. cit.* Præterquam quòd, aliquando ex divino judicio, ex causis homini occultis, & latentibus, afficitur innocens, ob alterius culpam, pœna corporis, & bonorum, ut patet in Sac. Scriptura, Exod. *Cap.* 20. ubi DEUS de se ipso dicit. *Ego sum DEUS Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios usque ad tertiam, & quartam generationem*; undè pro peccato Cham Chanaam filius ejus maledictus est. Gen. 7. 2. Reg. *cap.* 10. Gen. *cap.* 19. Num. *cap.* 17. Quod etiam referunt Sancti Patres, S. Aug. super Josue, *quæst.* 8. D. Tho. 2. 2. *quæst.* 108. *art.* 4. Si igitur à divina justitia alius pro alio aliquando punitur, idem potest efficere humana justitia, quæ est participatio divinæ, non quidem semper, sed tantùm in casu belli, & Repressaliarum; nàm licèt aliquis nunquàm possit, secundùm humanum judicium, puniri sine culpa pœna flagelli, ut occidatur, vel mutiletur, vel verberetur; pœna tamen damni punitur aliquis etiam, secundùm humanum judicium, sine culpa, sed non sine causa. D. Tho. *loc. cit.*

14. Infero primò, posse moveri bellum ab Habentibus supremam auctoritatem, contra Provincias Principis negligentis, propter delictum suum, facere justitiam. Auth. *Si verò Dominus temporalis, Cod. de hered.*

15. Infero secundò, privatis militibus nunquàm licere prædari, aut incendere Domos, & Agros, sine Ducis licentia; quia bellum non geritur authoritate privata, sed publica. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 29. *in Decal. cap.* 9. *quæst.* 7. Propterea contra omnes subditos Principis nolentis milites deprædantes punire, posset indici bellum à Principe, in cujus dominio fiunt prædæ, & incendia.

16. Infero tertiò, Repressalias non facere jus expoliandi Clericos: quod habetur *in Cap. unico, de injuriis, lib.* 6. *Decretalium*, & ibi Glos. *verb. Pragravatur.*

17. Infero quartò, in bello justo licitum esse expoliare innocentes subditos Principis, contra quem bellatur; dummodò non sint de exceptis, quod est medium ad duplicem finem, & ad vindicandam injuriam in rebus, quæ subsunt universali dominio Principis offendentis, & ad magis pacem stabiliendam; cùm hoc modo debilitentur vires Adversariorum.

18. Infero quintò, esse justam causam belli, si Princeps, vel Respublica vindicare negligat, quòd à suis improbè factum est. Victor. *de jur. bell. num.* 42. Covarr. *in reg. peccatum*, *par.* 2. §. 9. *num.* 4.

Infero sextò, Hospites, Peregrinos, Legatos, in casu belli, vel Repressaliarum, non posse eorum bonis expoliari, nisi constet de culpa eorum; quia non sunt partes Reipublicæ adversæ. Molina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *q.* 120. 19.

Infero septimò, licitum esse imponere Reipublicæ adversæ tributum ab omnibus suis partibus solvendum, & etiam ab omnibus successoribus; esto cooperati non fuerint ad Reipublicæ delicta; quia Respublica est hostis. Ergò licet illam punire in omnibus suis partibus etiam futuris. Molina, *loc. cit. disp.* 121. 20.

Infero octavò, in casu Repressaliarum non obligari vitam innocentium subditorum Reipublicæ adversæ; quia jus vitæ, ut docet tutior Theologia, ad Rempublicam non potest transferri; si verò occidantur qui juris executionem volunt per vim impedire, hoc fit per accidens, & non ex intentione; & si prævideatur, tenemur ex lege charitatis omittere potiùs juris prosecutionem, quàm innocentes vita privare, cùm pluris esse debeat vita hominis, quàm res nostra. 21.

Infero nonò, in foro conscientiæ Repressalias esse illicitas, si intentio illas habendi fuit prava, licèt intervenerit authoritas Superioris, & justa causa bellandi. D. Tho. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. *in corp.* Bart. *in tract. de Repressaliis, in princ. sub n.* 3. S. August. *tom.* 6. *lib.* 22. *contra Faustum.* Esto non adsit restitutionis obligatio, cùm bellum supponatur justum. 22.

Infero decimò, quòd licet quandoque aliquis puniatur in temporalibus bonis, absque culpa; cùm pœna possit considerari in quantùm est medicina, non solùm sanatura delicti præteriti, sed etiam præservatura à peccato futuro, vel etiam promotura in aliquod bonum; nunquàm tamen potest aliquis puniri in spiritualibus bonis sine propria culpa, neque in præsenti, neque in futuro; quia ibi pœnæ non sunt medicinæ; sed consequuntur spiritualem damnationem, quæ sequi non potest sine propria culpa. D. Thom. *loc. cit. in corp.* 23.

XXI. DIFFICULTAS.

An liceat Principi justè bellanti offerre, aut acceptare in persona sua, aut aliquorum suorum, duellum ad resolvendum bellum dubium.

NOtandum primò, quòd olim certamen singulare, ad controversias resolvendas in gravissimam populorum perniciem redundantes, erat in usu; sic de Peloponneso Hyllus, & Echemus: de Iba Corbis & Orsua; de Regione ad Inachum, Hyperochus & Rhemius; eodem modo de pluribus aliis. Nunc verò, licèt rarò, aut nunquàm iste casus contingat, saltèm inter Catholicos; quia tamen potest accidere; ideò videndum est, an sit repudiandus, vel permittendus. 1.

Notan-

2. Notandum secundò, duellum, hoc est duorum bellum, seu singulare certamen, strictè sumptum, quod ortum & initium habuit à Gentilibus in Orbe, & posteà à Longobardis in Italia, ut refert Azor. *Instit. moral. p. 3. lib. 2. cap. 5.* quodque in jure Monomachia appellatur, posse hoc modo describi: Duorum bellum ex condicto; id est designando ex composito, arma, locum, & horam. Quocircà, si aliquis accepta injuria, & calore iracundiæ provocet offendentem statim ad pugnam, non dicitur commisisse duellum; quia non fuit pugna ex condicto, ut benè probat Farin. *ex verbis Bullæ, lib. 1. consil. 9. num. 35.* Sanchez, *num. 28.* Secùs verò, si accepta injuria, diceret offendenti, Exeamus hinc, ubi possumus impediri, & eamus in Agrum, & pugnabimus. Talis enim pugna cùm sit ex condicto, hoc est, ex pacto, & conventione, loco, & tempore signato, erit duellum; ac proindè subjecta jurium pœnis. Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 5. cap. 2. dub. 13. num. 22.*

3. Notandum tertiò, omne privatum duellum, id est, quod aliquo modo non continet omnes conditiones justi belli, esse intrinsecè malum. Est communis Doctorum sententia, ut notat Suarez, *disp. 13. de bello, sect. ultima, num. 2.* & ratio est, quia provocare ad privatum duellum, sua propria authoritate, privata est aggressio ad occidendum: occidere autem hominem, privata authoritate, est intrinsecè malum, præterquàm in propriam sui, suarumque necessariam defensionem.

4. Notandum quartò, licitum esse duellum, si causa aliqua inveniatur legitima, sicut & bellum, quod licet, legitima causa intercedente. Castropalaus, *de charit. tract. 6. disp. 5. punct. 7. num. 3.* ubi notat ad suscipiendum duellum octo causas occurrere posse.

5. His breviter notatis, ad propositam difficultatem, an liceat Principi bellum resolvere in duellum, negativè respondent Sylv. *in verb. duellum, q. 2.* Michaël Salon, & alij, existimantes in nullo casu licere duellum. Primò, quia exponuntur innocentes periculo mortis, quod per se videtur malum. Secundò, quia tollitur libertas defendendi positos in extrema, vel saltem gravissima necessitate ipsos insontes; quod videtur prohiberi jure naturæ, quo tenemur defendere extremè indigentes, quando absque nostro gravi incommodo possumus. Tertiò; si bellum sit justum, alter invitatur, & provocatur ad id, quod non potest, sine peccato, acceptare; ideòque hujusmodi inductio est peccaminosa. Quartò denique, quia duellum generaliter damnatur ab utroque jure, civili, scilicèt, & Canonico, ut per Tex. *in l. 1. Cod. de Gladiat.* & in Triden. *Sess. 25. de reform.* ubi pœna excommunicationis, & alijs plurimis pœnis puniuntur pugnantes, consulentes, nec non spectatores. In Bulla Pij IV. *edita anno 1562. Idibus Novemb. quæ est 25.* in ordine ejusdem Pontificis, confirmata à Clemente VIII. in Bulla, quæ incipit: *Illius vices, anno 1592. Kalend. Septemb.* reservatur ea excommunicatio Pontifici; præterquàm in Persona Imperatoris, & Regis, ut notat Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 5. cap. 2. dub. 13. num. 12.* Et licèt hæc jura videantur solùm loqui de duello publico, tamen Gregorius XIII. in sua Constitutione, quæ incipit, *Ad tollendum*, in ordine 78. extendit id ipsum ad privata certamina singularia, quamvis non reservet excommunicationem, quod advertit Suarez, *Tract. de fid. spe, & charit. disput. 13. de bello, sect. ult. n. 2.*

Fateor hanc opinionem mihi valdè placere. 6.
Contrariæ tamen, quæ verior, & communior est, libenter adhæreo, & dico Principi licere bellum justum, sed dubium in duellum resolvere, dummodò tamen servetur hæc conditio, scilicèt, ut per duellum non trahat victoriam ad statum magis dubium, quàm per bellum. Cajet. *2. 2. quæst. 95.* Petr. Navar. *lib. 2. de Restit. cap. 3. n. 294.* Suarez, *loc. cit. num. 8.* Filliuc. *tract. 29. in quintum precep. Decal. cap. 8. n. 154.* Castropalaus, *tract. 6. de charit. disp. 5. punct. 7. num. 15. & 16.* Trullen. *loc. cit. num. 8.* Sanchez, *lib. 2. cap. 39. num. 15 & 16.* Valent. *in 2. 2. disp. 3. quæst. 17. punct. 1. vers. Talis autem casus.* Coninch. *disp. 32. dub. 2. num. 28.* ubi affirmat hanc esse communem, & veriorem sententiam, quando adsunt circumstantiæ in nostris motibus tangendæ. Et ità etiam sentire videntur, Bald. *in l. ex hoc jure, ff. de just. & jur.* Dec. *in consil. 487. num. 3 & cons. 686. num. 7.* & alij plures, quos, brevitatis gratia, libenter ommittimus.

Moveor primò juribus, *in cap. Duo mala, dist. 13. & cap. seq.* ubi habetur ex auctoritate Concilij Toletani, quòd inter duo mala instantia sic, quòd alterum necesse sit fieri, minus debet eligi; & majus vitari. Quis autem non videt ex bello majus malum imminere, cædes nempè plurimorum, pluraque alia damna; ex duello verò minus malum, paucorum, videlicèt, cædes, & damna? *Ex cap. Quod David, cap. Si aliquid, cum duob. cap. seqq causa 22. quæst. 4.* 7.

Moveor secundò rationibus; nàm duellum est species belli, ut docent Joan. de Lignan, & Jacob de Castillo, & Jul. Ferrer, *in tract. de duello, omnes in princ.* Andreas Alciat. *in tract. de sing. certamine, in princ.* atqueadeò si bellum, intercedente causa justa, auctoritate Principis, & recta intentione, licitum est, ut tradunt Covar. Arias, & alij, quos recenset, & sequitur Menochius, *in cons. 701. num. 84.* etiam pars, seu species belli licebit. Tùm quia duellum in tantùm est illicitum, in quantùm periculusè consulitur saluti alicujus: in nostro verò casu potiùs bello res perditur, & duello lucratur. Præterquam quòd, in dicto casu, per duellum bono communi providetur, ingentia damna, utrinque contingentia in bello vitantur: idcircò apud Livium, *lib. 5.* Metius Tullum sic alloquitur: Ineamus aliquam viam, qua utri utris imperent sine magna clade, sine multo sanguine, utriusque populi decerni possit. Strabo vetustam hanc fuisse, inquit, Græcorum consuetudinem: ex quibus constat, licitum esse in duellum resolvere bellum. 8.

Moveor tertiò exemplo, non dico in Ænea, & Turno apud Virgilium, qui æquum fuisse, ait, ut inter se, eo modo res definiretur: aut in veteribus Francis, multotiès Bono communi singulari certamine providentibus, apud Agathium, *lib. 1.* 9.

ubi morem hunc summoperè laudat: sed in Davide, qui Philisthæis contra Israelem ad pugnam congregatis, Goliath Gigantem, in armis, & fortitudine confidentem, armatus baculo, funda, & lapidibus, aggrediens, occidit. 1. Reg. *Cap.* 17. Quod omnes laudant, cùm David divina ordinatione iverit, pugnaverit, nullumque fuerit aliud remedium occidendi, & discrimen inter Israelem, & Philisthæos terminandi.

10. Concludimus igitur, licitum esse controversiam suam bellicam terminare duello, publica auctoritate indicto, in ijs circumstantiis, in quibus creditur aut necessarium, aut valdè utile ad bellum feliciter finiendum, aut promovendum; ut si Princeps, qui bellum justum gerit, paucas habens vires, crederet posse bello indicto succumbere, totum exercitum, vel saltem majorem partem perire, vel saltem multo sanguine victoriam esse obtinendam: duello verò rem totam committendo, paucorum sanguine, victoriæ quoque spem habere, aut majorem, aut æqualem.

11. Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, fatendo quidem per duellum periculo mortis Innocentes exponi: sed hoc etiam fieri posse interdum pro Bono communi dubitat nemo, cùm etiam in integro bello multò plures Innocentes eidem periculo exponantur.

12. Ad secundam dicimus, obligare se ad non defendendum innocentem in casu aliquo, non esse intrinsecè malum; ideóque licere, quando ex defensione magnum & commune incommodum oriretur: in tali enim casu quispiam innocentem si non defenderet, prudenter egere censeretur.

13. Ad tertiam, negamus, Principem duellum indicentem, cooperari peccato alterius: non enim provocat ad malum, sed minus malum eligit, ad majus malum, & maximam cædem avertendam: ideóque directè petit jus suum.

14. Ad quartam respondet Sayr. *in sua Clavi Regia, lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 17. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 8. *quæst.* 12. *num.* 164. quod Concil. Trident. Gregorius XIII. & Clem. VIII. non videntur damnare duella, quæ jure naturæ licita sunt; sed quæ solùm jure naturæ sunt illicita; ideóque quando licitum est duellum, jurium pœnæ minimè incurruntur; cùm pœna supponat culpam, quam actio licite non admittit. Undè hujusmodi pœnæ incurruntur duntaxat ab injustè, & illicitè duellum committentibus, & consulentibus, & auxilium illis dantibus, aut permittentibus.

15. Infero primò ex dictis, in casu resolutionis belli in duellum, licitam esse, ex parte utriusque duellantis conditionem, apponi solitam in duello, ut nullus ex Circumstantibus opem alterutri ferat. Filliuc. *loc. cit. quæst.* 9. *num.* 155. cùm bonum commune exigat, ut fides servetur etiam inter hostes.

16. Infero secundò, tempore belli, licere Principibus concedere partiales pugnas militibus, ut quinque contra quinque, vel unus contra unum, si ità postulaverit finis justi belli. Trullen. *loc. cit. num.* 8. nàm cùm liceat finis, licita sunt etiam media ad finem ordinata.

Infero tertiò, graviter peccare Principem adversùs suam Rempublicam, si certam victoriam, aut quasi certam, quam bellando acquireret, in incertam per duellum commutaret; peccare pariter contra duellantes, cùm eos periculo mortis exponeret absque legitima causa. Castropaleus, *de charit. tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 7. *num.* 15. 17.

Infero quartò, innocentem damnatum ad mortem à Judice, posse oblatum duellum acceptare ab Accusatore falso de consensu Principis; dummodò nullum aliud sit remedium tuendi vitam, vel membri mutilationem vitandi. Cajetan. 2. 2. *quæst.* 95. *artic.* 8. Trullen. *tom.* 2. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 13. *num.* 9. Filliuc. *tract.* 29. *cap.* 8. *quæst.* 10. *num.* 157. & 158. In isto enim casu potiùs est ista defensio, quàm duelli conflictio. Est contra Sylv. *v. Duellum, num.* 2. Sal. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 3. *contr.* 5. *concl.* 3. Castropal. & alios. 18.

Infero quintò, licitum esse duellum, quando vir armatus aggreditur alterum inermem, illique mortem minatur, nisi oblata arma accipiat, secùmque pugnet. Trullen. *loc. cit. num.* 9. nàm hoc in rigore non est duellum, sed potiùs defensio justa, & licita. 19.

Infero sextò, licitum esse aliquandò consulere alicui ad faciendum peccatum minus, v. g. furtum, seu fornicationem, si talis omninò decrevit majus committere, v. g. homicidium, vel sodomiam, quando alia via non apparet, qua omninò à peccato is everti possit. Thom. Tamb. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 1. *de charit. prox. deb.* Contrarium tenet. Valant. 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 21. *pun.* 4. Sà, *v. peccatum, num.* 8. Cajet. & alij, quia illud minus peccatum est, ideóque non suadendum. 20.

Infero septimò, illicitum esse duellum offerre, aut acceptare ad vires ostendendas, ad vitandam ignominiam, dedecus, aut infamiam; ad terminandam litem civilem, aut criminalem, ad acquisitionem nominis, ad indagandam veritatem, ad causandam voluptatem spectatoribus, ad vindicandam injuriam factam, vel illam reparandam, ad defendendum honorem, amittendum sine duello recusato: quia hæc cùm fiant authoritate privata, sunt intrinsecè mala. Castropal. *de charit. tr.* 6. *disput.* 5. *punct.* 7. *num.* 4. Trullen. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 13. *num.* 3. 4. 5. 6. 21.

Infero octavò, varias pœnas esse impositas duellantibus absque causa legitima à Concilio Trid. *Sess.* 25. *cap.* 19. *de Reformat.* & præcipuè excommunicationem, ipso facto, cuilibet Domino temporali, sive Rex sit, sive Imperator, si locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserit; eumque privari jurisdictione & dominio Civitatis, Castri, aut Loci, ab Ecclesia obtenti, in quo, vel apud quem duellum fieri permittit, seu concedit. Ità admonet Castropalaus, *loc. cit. num.* 17. 22.

Infero nonò, excommunicari ipso facto pugnantes authoritate privata in duello, eorumque Patrinos, ipso facto, & incurrere pœnam pro- 23.

scri-

ſcriptionis bonorum, & infamiæ, & eſſe ut homicidas puniendos, & in ipſo conflictu decedentes, eſſe Eccleſiaſtica ſepultura perpetuò privandos. Excommunicationis pariter, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneri illos, qui in cauſa duelli conſilium dant, aut ſpectaculo interſunt de induſtria, & ex compoſito, non verò obiter. Suarez, *tom. 5. in 3. partem, diſp. 25. ſect. ult. num. 11.* Navarr. *cap. 27. num. 150.*

24. Infero decimò, ex Trident. *loc. cit.* deduci etiam Civitates, vel Loca, ubi conceditur locus duelli, authoritate privata, & ſine cauſa legitima indicti, privari dominio. Trullen. *loc. cit. num. 11.*

25. Infero undecimò, excommunicationem, quam duellantes, eorumque ſocij, & Patrini, & Principes concedentes locum, ſeu non impedientes, cùm poſſint, & quicunque alij ad id auxilium, vel conſilium præſtantes, incurrunt, eſſe Pontifici reſervatam ex Bulla Clementis VIII. poſſe tamen ab ea abſolvi ab Epiſcopo virtute Trident. ſi duellum occultum fuerit; quia non intelligitur ex tali Bulla hoc Trident. decretum abrogatum. Sanchez, *lib. 2. cap. 30. num. 27.* Bonac. *de cenſur. diſp. 2. quaſt. 6. punct. 2. num. 15.* Barboſa, *3. p. alleg. 50. num. 120.*

XXII. DIFFICULTAS.

An liceat Principi in bello juſto, & præcipuè in violenta Urbis expugnatione, præcipere inſontium mortem.

1. NOtandum primò, appellatione inſontium ſeu innocentium, jure quaſi naturali, venire Infantes, Mulieres, Senes, Ruſticos ad agriculturam euntes, & redeuntes, & in Agro laborantes, & quoſcunque ad arma incapaces: jure gentium, Legatos, Oratores Peregrinos, Exteros, & Mercatores; jure poſitivo inter Fideles, Religioſos, Sacerdotes, &c. *in Cap. Noverimus, de trenga, & pace, & in Cap. Illi qui, 23. quaſt. 4.* Cajetanus verò, *verb. Bellum*, putat hoc eſſe derogatum conſuetudine, cui ſtandum eſt.

2. Notandum ſecundò, finem belli juſti eſſe, primò defendere nos & noſtra: ſecundò, recuperare res ablatas: tertiò, vindicare acceptam injuriam: quartò, pacem & ſecuritatem procurare. Vict. *Relect. 6. de jur. belli, num. 44.*

3. Notandum tertiò, quinque eſſe culpanda in bello, quæ notantur *in Cap. Quid culpatur, cauſ. 23. quaſt. 1.* Primum eſt nocendi cupiditas: undè bellantibus dicit Joannes, *Neminem concutiatis*, Luc. *cap. 3.* Secundum eſt crudelis libido ſe vindicandi. Tertium eſt implacabilitas. Quartum eſt feritas bellandi, quæ fuit in Abſalone contra Davidem Regem patrem ſuum, ob quod peccatum fuit ad mortem punitus. 2. Reg. 15. Quintum eſt libido dominandi, quæ regnavit in Alexandro, aliena Regna occupante. 1. Mac. 1.

4. His annotatis: ad propoſitam difficultatem, an in bello juſto liceat Principi, præcipuè in oppugnatione Arcis, præcipere inſontium mortem; affirmativè videtur reſpondendum; nàm Deut. 20. præcipitur Iſraelitis, ut cùm expugnaverint aliquam Civitatem, interficiant omnes puberes: non eſt autem præſumendum, quòd omnes eſſent nocentes. Item Joſue 6. & 1. Reg. 15. Bellatores à Deo miſſi, ſine culpa, occiderunt omnes Incolas Urbis Jericho, & Amalecitas etiam infantes. Et Judic. 20. Filij Iſrael interfecerunt ex Tribu Beniamin, quotquot potuerunt ſine diſcrimine; etiam citrà victoriam. Deus item dum Sodomam, & Gomorrham flammis ſubvertit, infantes etiam interfecit. Gen. *cap. 19. num. 25.* Aquæ præterea diluvij tot infantes innocentes ſuffocaverunt. Gen. *cap. 7. nu. 23.* Ergò licet Principi in bello juſto præcipere mortem nocentium, & inſontium. Præterea, juſta eſt occiſio, ſeu Judex non peccat, qui juſtè aliquem interfici præcipit, ſi adſunt illa tria requiſita, nempè, juſtus ordo, juſta cauſa, juſtus animus. Aſtenſ. *in quint. præcept.* Graff. *p. 1. lib. 2. de homicid. cap. 42. num. 18.* Atqui quando bellum eſt juſtum, adſunt dicta requiſita. Adeſt juſtus ordo, quia Princeps, ut Doctores dicunt in materia de bello, qui habet juſtum bellum, fit ipſo jure Judex hoſtium, & poteſt eos juridicè punire. Adeſt juſta cauſa, quia non poſſet juſtè oppugnare Arcem, aut Civitatem, in qua conſtat unà cum nocentibus adeſſe multos innocentes. Adeſt juſtus animus, quia Princeps occidit non libidine lucri, vel vindictæ, ſed amore juſtitiæ. Ergò Princeps in bello juſto juſtè præcipit interfici inſontes.

Veritas tamen eſt, nunquàm licere Principi per ſe, & ex intentione præcipere in bello juſto inſontium mortem. Covarr. *regul. peccatum, p. 2. §. 3. num. 4.* Major. *in 4. diſt. 15. quaſt. 20.* Sylv. *v. bellum, 1. quaſt. 10. concluſ. 3.* Suarez, *diſp. 13. de bello, ſect. 7. num. 15.* Victor. *de jur. belli, Relect. 6. num. 35.* Molina, *tom. 1. de juſt. tract. 2. diſp. 119.* Valent. *diſp. 3. quaſt. 16. de bello, punct. 3. verſ. Tertiò infero*, Coninch. *diſp. 31. de bello, dub. 7. num. 111.* Diana, *p. 6. tract. 4. Reſol. 11. nu. 2.* & communiter Doctores. 5.

Moveor primò juribus, *in Cap. Quid culpatur, cauſa 23. quaſt. 2.* ubi dicit Aug. Bellum eſſe culpandum, ſi fiat animo nocendi, & crudelitatem exercendi. Crudelitas ſanè eſt per ſe, & ex intentione nocere, ſeu mortem inferre Innocentibus, nocendi incapacibus. Propterea in Sacra Scriptura expreſsè prohibetur, ut patet Exod. 23. ubi habetur: *Inſontem, & juſtum non occides.* Deuter. 20. ubi mandatur filijs Iſrael, ut cùm vi ceperint Civitatem, alios quidem interficiant, parcant autem mulieribus, & infantibus. 6.

Moveor ſecundò rationibus: Juſtè interfici poteſt nemo, niſi aut in pœnam juſtam, aut quatenùs abſque eo, vitam, & res noſtras tueri non poſſumus: pœna juſta ſupponit delictum; atqui innocentes non ſupponuntur delinquentes, aliàs non eſſent inſontes. Ergò Princeps non poteſt juſtè præcipere in ſuo bello juſto illos interfici, cùm poſſit abſque illis ſe, & ſua defendere. Tùm quia, occidere innocentem, quando id neceſſarium non eſt ad victoriam, eſt intrinſecè malum. Suarez, *loc. cit.* Ergò non licet Principi inno- 7.

innocentis interfectionem præcipere. Tùm quia, Principi non licet in propria Civitate occidere innoceotam pro alterius delicto; ergò nequa illi licebit in aliena, quando contra aam justè bellat, interficere innocentem pro peccatis illius. Hoc idem asserit Polybius, *lib.* 5. dicens: Bo„ norum virorum est atiam cum minùs probis, „ non internecinum garere ballum, sed hacte„ nùs ut dalicta farciaotur, atqua amendentur: „ neque insontes cum sontibus una pœna invol„ vere, sed insontium causa etiam sontibus par„ cere.

8. Moveor tertiò axemplo, sau facto Ambrosij, qui gravi excommunicatione fulminavit Theodosium, eique in templum impedivit ingressum, propter similes insontium cædes: ut scribit Baronius, *in suis Annal. Anno* 390.

9. Concludimus igitur, per se, & ex intentione, nefas essa Principi, in bello quamvis justo, Innocentibus interniceonem inferre.

10. Ad argumenta opposita respondetur. Ad illud Deuter. 20. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 105. *art.* 3 *ad* 4. axponens textum, dicit, daram asse facultatem occidandi omnes, qui noluerunt consentire paci, & Victor. *de jur belli, Relect.* 6. ad argumentum respondet, quod illud Dominus dixit, quia reverà omnes puberes reputantur in Civitate inimica nocentes, & non possunt distingoi innocentes à nocentibus, ideò possa omnes interfici.

11. Ad illod Josue 6. & 1. Reg. *cap.* 15. respondet Soarez, *loc. cit. num.* 16. dicendo, solum DEUM potuisse id præcipera, atqoe adeò fuisse speciale judicium Dei ad terrorem illarum gentium, & propter earum iniquitatem: valdè enim iratus, & indignatus DEUS contra populos illos, voluit perdare omnes: quemadmodùm eadem ratione misit ignem in Sodomam, & Gomorrham, qui devoraret tam innocentes, quàm nocentes: in manu enim Dei est vita, & mors omniom, cùm sit omnium Dominus.

12. Ad illud Judic. 20. respondet Abulens. textum exponendo de Filiis Israel, *quæst.* 37. quòd malè fecerunt Israalitæ nemini parcendo, quòd prudens misericordia non exigit. Dicit enim Diodorus „ Siculus, *lib.* 27. In summo imperio victis mi„ sericordiam impertiri solius prudentiæ opus „ ast. Imò apud Curtium, lego, Alexandrum pepercisse non solùm innocentibus, sed etiam „ nocantibus: Alexander, ait Curtius, quan„ quàm belli auctoribus poterat irasci, tamen omnibus venia data.

13. Ad ultimom respondeo, Principem habentem justum bellom fieri qoidem ipso jura jodicem hostium, possequе illos juridicè punire, & condemnare, sed nonnisi pro qoalitata injuriarum. Atqui ab innocentibus nullam injuriam recepit Prioceps, ut sopponitur, aliàs non essent innocentes, & sic deficit justa causa, seu meritum, sine quo nemo potest justè occidi. Præterquamquòd, ex interfectione innocentium arguitur abesse justum animum, adeóque Principem, seu Judicem occidere, non amore justitiæ, sed libidine vindictæ, & impulsu crudelitatis.

14. Huic veritati non officit, quòd Innocentes possunt in futurum armari, pugnare, & Rempublicam parturbara: licèt anim hoc periculum possit aliquo modo timeri; tamen talis timor non est cadens in virum constantem, seu prudentem, qui dalictum facit probabile, & excosabile, & duobus malis concurrentibus, libertatam dat minus aligendi, ad majus fugiandum, Covarr. *in epit. de Sponsa, part.* 2. §. 4. *cap.* 3. *nu.* 2. D. Thom. *in* 4. *sent. dist.* 29. *art.* 2. Sylv. *verf. metus, quæst.* 1. quia poterit huic pericoio occurri, redigendo, nimirùm, aos in servitutem, & captivitatem, si sont infideles, quòd jura gentium in bello licet. Si varò sunt Christiani, possuot duci captivi non quidem in servitutem, cùm inter Christianos videatur receptum, ut Christiani jure belli non fiaot servi, sed ut pro illorum redemptione recipiator pacunia, val pro illis fiat inimicis restitutio captivorum, vel potest dari illis exilium. Deinde qoale periculum potest in futurum imminere à Senibus, à Fœminis, ab Infantibus, Agricolis, Raligiosis, &c. Hujusmodi ergò metus est ex illis, qui dicuntur non cadentes in constantem virum, *l. vani timoris, ff. de reg. jur.* Dec. *in leg. in omnibus causis, l.* 1. *num.* 1. *ff. eodem, l. metum autem. ff. de eo, quod met. caus.* adeóqoa non facit licitam in bello justo insontium occisionem; & sic non licat Principi justè bellanti illam præcipere.

Infaro primò ax dictis, non solùm in bello 15. contra Christianos, sed nec in bello adversùs Turcas, & Saracanos, fas assè interficera eorum infantes, na fortè posteà adultiores facti repugnant Christianis, exemplo Majorum suorum, Vict. *Relect.* 6. *de jur. bell, num.* 38. Molin. *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 119. Valent. *disp.* 3 *quæst.* 16. *de bello, punct.* 3. Dicebat enim Seneca. Nom„ quis irascitur pueris, quorum ætas noodum „ novit rerum discrimina? *De ira,* 2. *cap.* 9. & „ apud Lucanum.

Crimine, quo parvi cadem potuere mereri?

Et Camillus, apod Livium, ait: Arma ba„ bemus, non adversùs eam ætatem, cui, eti„ am captis Urbibus, parcitur, sed adversùs Ar„ matos.

Infero secundò, nequa fœminas in bello justo 16. posse licitè interfici. Deus enim in ballis Hebræorum, etiam post pacem oblatam, & repudiatam, parci vult fœminis. Dauter, *cap.* 20. *n.* 14. & cùm muliares Madianitidas vellet occidi, ob proprium ipsarum crimen, excepit virgines intactas. Non esse fœminas occideodas in bello, dummodò non bellent, vel ipsum naturæ lumen suadet: propterea Alexander apud Curtium se declaravit, dicens. Cum captivis, & „ fœminis gerere bellom non soleo; armatus „ sit oportet quem oderim. Meritò igitor Ne„ roni, hostem vocanti Octaviam, in tragædia fuit dictum. Fœmina hoc nomen capit?

Infero tertiò, in bello justo, nequa senes assa 17. licitè occidendos. De senibus enim pronunciavit Papinius:

Nullis

Nullis violabilis armis
Turba, Senes.

Sunt enim senes inermes. Sic Josephus æquum, ait, ut in pugna pœnas dent, qui arma cœperunt, insontibus non nocendum. Camillus, Vejis debellatis, edixit; ut ab inermi abstineretur.

18. Infero quartò, neque Agricolas in bello esse interficiendos, tanquàm ad publicum Bonum necessarios, nec non & ad belli felicitatem. Refert Plutarchus de antiquis Corinthiis, & Megarensibus. Nemo Agricolas ullo afficiebat malo. Diodorus Siculus quoque Indos laudat; scribendo. In prœliis quidem hostes; alii alios interficiunt, at Agricolas relinquunt intactos; tanquàm in commune utiles. Et Cyrus Regi Assyriorum nunciari præcepit. Paratum se eos, qui Agros colerent, illæsos, indemnesque sinere.

19. Infero quintò, inter cæteros, in bello non posse licitè occidi Religiosos, omnesque, qui sacra curant. Sic Philisthæi hostes Judæorum non nocebant Collegio Prophetarum, quod erat Gabæ, ut videre est, 1. Reg. 10. & Cretenses, refert Plutarchus, cùm bellis intestinis vexarentur, omnem noxam abstinuisse à Sacerdotibus, & iis, qui mortuos humabant. Abstinent enim se ab ab armis Religiosi; pro mortuis Sacrificia offerunt; pro vivis DEUM orant, ideóque illis parcere fas est; nè vivorum, & mortuorum Animæ utilitate priventur.

20. Infero sextò, præter pueros: & mulieres, & Presbyteros, præsumendos quoque esse innocentes, & consequenter immunes ab occisione bellica, Monachos, Clericos, Conversos, Peregrinos, Mercatores, Rusticos euntes, & redeuntes, & animalia, quibus arant, & semina portant ad agrum. Ità declaravit Summus Pontifex Alexander III. *in Cap. Innovamus, extrà. de treuga, & pace.* Quibus adduntur etiam Legati, sive Oratores, *in Cap. Paternarum, causa 24. quæst. 3.*

21. Infero septimò, licitum esse juste bellanti mœnia subvertere, ac turres, in quibus multos innocentes certò novit esse interimendos, Victor. *Relect. 6. de jure belli, num. 37.* Suarez, *disp. 13. de bello, sect. 7. num. 17.* Molina, *tom. 1. de just. disp. 119. §. Secunda conclusio.* Duard. *in Bull. Cœn. in Can. 7. lib. 2. quæst. 36. num. 36.* Valent. *disp. 3. q. 16. de bello, punct. 3.* Quia Princeps per se primò non intendit innocentium perditionem, sed tantùm victoriam, sui, suarumque rerum defensionem. Deindè, qui habet jus ad finem belli, per se loquendo, habet etiam jus ad media, ut sunt aliquando incendia Civitatum, eversiones Arcium, &c. Mors autem innocentium, quæ necessariò cum talibus mediis conjuncta est; non est tunc per se intenta, sed per accidens sequitur; ideò non censetur voluntaria, sed permissa ab utente jure suo, tempore necessitatis; aliàs esset impossibile perficere bellum.

22. Infero octavò, excusari eum à peccato, qui indirectè conculcat infantem, fugiendo per angustum iter, si non potest aliter se defendere ab hoste persequente. Navar. *lib. 2. cap. 5. n. 147.* Cordub. *lib. 1. Quæstionar. q. 38. dub. 2.* Cajet. *2. 2. q. 67. art. 2.* quia fugiens per se, & propriè, & directè intendit mortem vitare, vitam conservare; mors verò infantis sequitur per accidens.

Infero nonò, mulierem ægrotantem, habentem in utero filium, posse uti medicina necessaria ad suam vitam, & directè tendente in curationem illius; etiam si sciat indè consequendam per accidens mortem filii. Suarez, *loc. cit.* & Diana, *in Sum. verb. Abortus, num. 14.* Addit tamen Duardus, *loc. cit. num. 40.* dummodò fœtus nondùm sit animatus, vel dubitatur an sit animatus; tunc enim ait non licere prædictam medicinam adhibere periculosam fœtui, quamvis ex sua natura sit morbi matris sanativa; cùm salus spiritualis præferenda sit propriæ corporali. D. Antonin. *3. p. tit. 7. cap. 2. §. 2.* Sylv. *v. medicina, quæst. 4.* & plures alii apud Duard. *loc. cit.* 23.

XXIII. DIFFICULTAS.

An Princeps, nondùm elapso termino constituto, possit ad libitum dimittere militem, sub ejus signis pugnantem.

NOtandum primò, contractum esse pactum, ex quo, vel utrinque, vel altera tantùm ex parte, nascitur obligatio, *l. labeo, ff. de verb. signif.* 1.

Notandum secundò, contractum in jure sumi tribus modis. Primò, latè pro actione inter duos, sive ex ea oriatur obligatio, sive non. Secundò, strictè pro actione, ex qua utrinque nascitur obligatio, & sic definitur, *in l. labeo, cit.* Ultrò, citróque obligatio. Tertiò, pro actione inducente obligationem saltèm ex altera parte, ut deducitur ex *l. si donationis, Cod. quod metus causa.* 2.

Notandum tertiò, contractum in genere perfici quattuor præcipuè modis, consensu, verbis, scriptura, & re ipsa. Hoc modo perficitur emptio, & venditio, locatio, & conductio, & societas, & mandatum. *Instit. de oblig. ex consensu, § uni.* 3.

Notandum quartò, contractum dividi, Primò, in nominatum, & innominatum. Secundò, in contractum bonæ fidei, & stricti juris. Tertiò, in lucrativum, & onerosum. Nominatum, *ex l. juris gentium, in princ. ff. de pactis*, esse eum, qui nomine generali pactionis, aut contractus non stat, sed in proprium, & specificum nomen contractus transit. Talia est venditio, locatio, societas, mutuum, commodatum. Innominatum verò esse eum, qui proprio, & specifico nomine contractus caret: & sunt quattuor in genere. *Do, ut des. Do, ut facias. Facio, ut facias. Facio, ut des, l. naturalis, in princ. ff. de præscrip. v. Tractatus.* Contractum bonæ fidei esse eum, in quo locum habet quædam æquitas, & benigna justitia, & consequenter arbitrium Judicis intrà limites tamen justitiæ. Contractum verò stricti juris eum esse, in quo Judex secundùm dictum, conventumve tenetur judicare, adhærendo verbis, ac dispositioni contrahentium. Contractum bonæ fidei esse emptionem, & venditionem, 4.

locationem, & conductionem, mandatum, depositum, commodatum, pignus. Contractum stricti juris esse mutuum, stipulationem, donationem, feudum, & similes. *Institut. de actione, §. Actionum.* Glos. ibi, & Doctores. *Cap. Cùm venerabilis, de except.* quæ divisio locum habet in foro externo, ut notat Sylv. *verb. Contractus, q. 2.* Molin. *d. 259.*

5. Notandum quintò, in dubio, an contractus sit nominatus, vel innominatus, censendum esse innominatum, *l. 1. & 2. ff. de præscript.*

6. Notandum sextò, pactum dupliciter dividi, in nudum, & vestitum. Nudum consistit tantùm in conventione, & caret omni alio firmamento, ut donatio, mutuum antequàm re perficiatur, & omnis innominatus contractus, antequàm ex altera parte impletus sit. Vestitum dicitur, quod habet aliquid ampliùs, undè jure civili firmetur.

7. Notandum septimò, varias esse sententias circa contractum inter Principem, & Milites; aliqui Doctores relati à Crispolto, *in suis casibus militar. cas. 1.* asserunt esse contractum innominatum. Sylvest. *in Sum. v. Bellum, 1. num. 8. vers. 4.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 116.* & alii sustinent esse contractum locationis. Cespedes, *in dub. militar. dub. 3.* Crispoltus, *loc. cit.* affirmant militiam esse quemdam contractum similem contractui Religionis.

8. His adnotatis; ad propositam difficultatem, an Princeps nondùm elapso termino constituto, possit pro suo placito dimittere militem, videtur affirmativè respondendum cum Molina, *de just. & jur. tom. 1. tract. 2. disp. 116.* Crispolto, *loc. cit. num. 22.* & aliis communiter. Tùm quia, ità se habet militiæ natura; neque Princeps milites conducit ad certum, & determinatum tempus, sed tantùm ea lege, & conditione, ut bellent quousque Principi bellando eorum opera uti expedire videatur. Ergò si Principi videbitur, poterit pro suo placito illos dimittere. Tùm quia, Princeps, etiam sine causa, potest uti plenitudine potestatis. Peregr. *in tract. de fideicom. art. 12. num. 125.* Jas. *cons. 8. num. 50.* Atqui plenitudo potestatis est arbitrii plenitudo, nulli necessitati subjecta, nullisque juris regulis limitata. Bal. *in l. 2. num. 4. Cod. de servi. & aqua.* Curr. sen. *cons. 48. num. 56.* adeòque militibus jus etiam quæsitum auferri potest per Principem, qui non agnoscit Superiorem, ex vi supereminentia dominij; & consequenter licebit Principi, prout illi expedire videbitur, dimittere militem.

9. Fateor hanc opinionem esse probabilem. Contrariæ tamen, quàm veriorem, & probabiliorem esse arbitror, libenter adhæreo, nempè nullo modo licere Principi sine sufficienti causa, nondùm elapso termino constituto, dimittere militem. Pro hac conclusione, in terminis, nullum habeo auctorem, deductivè verò multos, ut ex motibus nostris nominatim patebit.

10. Moveor primò juribus, *in l. Cæsar, ff. de publicanis, & vectigalibus,* ubi habetur, posse Principem cum suis subditis contrahere: quamvis dubitent Doctores, an quando contrahit, obligetur tantùm naturaliter, an etiam civiliter: *Et in l. labeo, §. contractum, ff. de verb. signif.* ubi habetur, in contractibus alternatim, & coæqualiter oriri inter contrahentes actionem, & obligationem.

Moveor secundò rationibus, quia miles, sine licentia Principis, non potest deserere militiam, tenetur enim servare stationem, defendere Arcem, & alia, quæ jubentur, præstare; aliter peccat mortaliter. Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 116.* & pœna ordinaria plectitur, *l. omne delictum, §. Contumacia, ff. de re militar. l. desertorem, §. Qui stationis munus, ff. eodem tit.* Et hoc quidem ex vi contractus inter Principem & Militem; sive contractus sit innominatus, sive sit contractus locationis, sive qualiscunque sit contractus. Ergò si militi, quando sibi placet, non licet deserere militiam, neque licebit Principi, quando sibi placet, dimittere militem; & id, quia, ut diximus, in contractibus alternatim, & coæqualiter oritur inter contrahentes actio, & obligatio, *l. labeo, §. Contractum, ff. de verb. signific.* Tùm quia, contractus militiæ, qualiscunque sit, continet promissionem externam acceptatam, quæ obligat sub peccato mortali, quando fit seriò, animo promittendi; & res, quæ promittitur, notabilis est. Nav. *cap. 18. n. 6.* Sot. *l. 7. quæst. 2. art. 1. ad 1.* Ricar. Antonin. & communis Canonistarum ex Less. *cap. 18. num. 55.* & omnes hæ circumstantiæ sunt in casu nostro. Verba enim contractus in hæc resolvuntur. Promitto tibi stipendium, dicit Princeps, ut tempore belli belles, pugnes, occidas, vincas, ò Miles. Accepto promissionem, dicit miles, ò Princeps; tibi serviam, ut stipendio promisso fruar; miseria mea sublevetur, fortuna mea augeatur. Ergò ex vi promissionis utrinque acceptatæ, miles tenetur militare & Princeps uti opera militis. Ergò sicut non potest miles, nondùm elapso termino constituto, deserere militiam, seu Principem; neque Principi licebit dimittere militem, nisi utilitas publica, aut alia legitima causa aliter persuadeat. Tùm quia, Auctores contrariæ sententiæ, & præcipuè Crispoltus, *in casib. militar. cas. 1. num. 23.* asserunt contractum militiæ similem esse contractui Religionis. Atqui, sicut Monachus, professione emissa, non potest pœnitentia ductus, Religionem deserere, ita ut neque ad alium Ordinem, sine debita licentia, migrare fas sit. *Authen. ingressi, Cod. de sacrosanct. Eccles.* ubi Gemin. & Franc. *Cap. Licet. de Regular.* ità neque Religio potest sine legitima causa, & non adimpletis Canonicis circumstantiis, dimittere Monachum, ut certum est apud omnes, ità disponente ratione contractus, & jure Canonico: excepta Jesuitarum Religione, quæ potest suos dimittere subditos, ex speciali approbatione S. Sedis, & semper interveniente causa legitima. Ergò ex principiis Auctorum negativæ sententiæ clarè constat, Principi nequaquàm licere pro suo placito dimittere militem. 11.

Moveor tertiò exemplis Principum, & in specie Ducum Sabaudiæ, qui in tot bellis, nec unum quidem militem, pro eorum placito, dimiserunt, nondùm elapso termino constituto, nisi aut in pœnam, aut causa senectutis, vel infirmitatis, 12.

quo

quo casu etiam aliquod stipendium dimissis præscripiere, donec vivant, vel quod simile, ut Historiæ omnes testantur. Ex quibus constat, fas non esse Principi, ex vi supereminentis dominii, dimittere militem.

13. Huic veritati nonobstat, quod stipendium sit donum quoddam promissum, nullam inducens obligationem; nàm præterquàm quòd stipendium non est donum simpliciter promissum, sed promissum, durante tempore belli; & promissio externa acceptata, in materia notabili, obligat in conscientia sub peccato mortali, ut probatum est; pactum donationis, quo promittitur alicui donum, licèt antiquitùs nullam produxerit efficacem obligationem; Justiniani tamen singulari quadam lege postmodum efficax indè producta est obligatio, & actio. §. *Alia autem*, *vers. & ad exemplum*, *Instit. de donationib. & l. quis argentum*, *35. in princ. & §. 1. Cod. eod. tit.*

14. Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum, negando, quòd Princeps non conducat militem ad certum tempus: conducit enim, durante tempore belli, quod est certum tempus: aliàs quisquam relinqueret domum, artem, officium, studium, &c. & se periculo exponeret mortis ad militandum, si sciret se non esse bellaturum, durante tempore illius belli; sed tantùm ad placitum Principis? Ut ergò milites inveniat Princeps, non debet ei licere ex lege militiæ, sine causa, dimittere militem.

15. Ad secundum respondetur, quòd licèt Princeps in foro exteriori possit uti plenitudine potestatis, etiam sine causa: tamen in foro interiori non potest, absque peccati labe, in tertii præjudicium. Peregr. *in tract. de fidei commiss. d. art. 52. sub num. 125.* Bal. *in l. si Testamentum, Cod. de testam.* Host. *in rub. qui fil. sint legitim. col. pen. vers. quamvis autem*, Paul. de Cast. *consil 34. col. pen. vol. 2.* Alciat. *consil. 5. num. 15. vol. 4.*

16. Concludimus igitur, Principi nequaquàm licere, termino constituto nondùm elapso, militem sub ejus signis pugnantem dimittere, sine causa sufficienti.

17. Infero primò, ex dictis, non licere militi ex vi contractus, sine Ducis, aut Principis facultate, relinquere Castra, præcipuè quando plus imminet prælium; eo enim plus indiget Princeps, præsertim si multi Castra deserant, posset periclitari Exercitus, & consequenter Resp. Molina, *tom. 1 de just. tract. 2. disp. 116.*

18. Infero secundò, militem, instante pugna, non posse renunciare militiæ. Coninch. *disp. 25. de ord. char. dub. 7. n. 102.* Et deserendo pugnam, si causa est damnorum, teneri de justitiæ rigore ea restituere, Molina, *loc. cit.*

19. Infero tertiò, Dominum, qui absque gravi causa, domo expellit famulum, nondùm elapso termino constituto, teneri integram pensionem persolvere, modò famulus interim alteri suas operas non locaverit, Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 7. cap. 23. dub. 5. n. 8.*

20. Infero quartò, famulum deserentem domum sui Domini, ante finitum tempus, non amittere totam mercedem, sed tantùm pro rata temporis futuri; teneri tamen damnum ex eo sequutum Domino compensare, nisi fuerit justa causa illius domum deserendi. Bonac. *disp. 3. quæst. 7. punct. 4. num. 11.* & alii.

Infero quintò, Principes, Duces, aliosque in suo servitio accipientes pueros, qui vulgò dicuntur *Paggi*, sine ulla conventione, tacita, vel expressa de stipendio, satisfacere, si eis victum, & vestitum tribuant, secundùm statum suum. Lopez, *2. part. Inst. cap. 8.* Bonac. *loc. cit.* Filliuc. & alii. Verùm si expressè conveniunt, servanda est conventio; itidem si tacitè. 21.

Infero sextò, teneri Episcopum dare integrum salarium annuum suo Vicario, si Vicarius amotus fuit culpa ipsius Episcopi. Si verò culpa sua cessavit, tantùm deberi ei salarium pro rata temporis, Riccius, *in praxi aurea, Resolut. 169.* & alii affirmant. 22.

Infero septimò, teneri solvere integrum stipendium eum, qui conduxit navem Indias usque, si Nauta medio itinere detentus est, eò quod in navi essent merces prohibitæ ipsius conductoris. Bonac. *loc. cit. num. 20. 21.* quia totum impedimentum fuit ex parte ipsius conductoris. Secùs verò, si navis, tempestate suborta, aut quia capta à Pyratis, aut quia periit, non pervenit ad Indias; tunc teneri solùm solvere conventum stipendium ad ratam itineris; quia pro illo tempore navis inservivit mercatori; undè si in medio itinere periit, teneri ad dimidium stipendium, vel paulò minùs solvere. Idem dicendum puto, si navis medio itinere profecta; violentia ventorum, reversa est ad portum. Bonac. *supra num. 20.* 23.

XXIV. DIFFICULTAS.

An Principi Christiano bellum gerenti cum alio Principe Christiano, fas sit in auxilium suum accersere Infideles.

Notandum primò, in infidelitate, quæ negatio est veritatis Fidei Christi, triplicem posse considerari speciem, seu negationem; negationem, nempè, veritatis fidei nondùm susceptæ, aut professæ; & hæc convenit Paganis, & Saracenis: negationem veritatis fidei susceptæ, & professæ in sui figura: & hæc convenit Judæis; negationem denique veritatis fidei Christianæ susceptæ in Baptismo, & manifestatione ipsius; & hæc convenit Christianis, & hæresis nuncupatur. 1.

Notandum secundò, Infidelitatem esse profectò peccatum, & maximum omnium peccatorum, cùm fidei opponatur, quæ virtus est; veram pariens DEI cognitionem, quod docet D. Thom. *2. 2. quæst. 10. art. 1. & 3.* Non tamen puniri Jure Civili, aut Canonico, in omnibus Infidelibus: Cùm ab Ecclesia tolerentur Judæi, & non afficiantur ulla pœna Pagani. *Cap. Et si Judæos, de Juda. & toto illo titulo*: & etiam *Cod. de Pagan.* 2.

Notandum tertiò, necessitatem illam dici, quæ principium habet necessarium, quemadmodùm sentit Baldus, *in consil. 20.* Tiraq. *de retract. consang.* 3.

ſang. §. 1. Corneus, *conſ.* 292. *num.* 5. *lib.* 2. Cravet. & alii.

4. Notandum quartò, neceſſitatem à multis, alio„ quin prohibitis, excuſare, multaque contra „ regulas juris inducere, ut latè tradunt Gloſ. & „ Doctores, *in Cap. Querelam, de jurejur.* Gloſ. *in Cap. ult.* 34. *quæſt.* 1. Archi. *in Cap. Pauper.* 11. *quæſt.* 3. Luca Pen. *in l.* 1. *col.* 2 *Cod. de dela. lib.* 10. & alii plures, quos recenſet, & ſequitur, Tiraq. *de pæn. leg. cauſa* 33. *n.* 4.

5. Notandum quintò, in bello juſto, & præſertim contra alios Infideles, licere Chriſtianis militare cum Infidelibus, eoſque juvare. *Cap. Quid culpatur, cauſa* 23. *quæſt.* 1. *Cap. Julianus, cauſa* 11. *quæſt.* 3. & docet Tiber. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *de Infidelit. cap.* 10. *n.* 3.

6. His annotatis, ad difficultatem propoſitam, an Principi Chriſtiano bellum gerenti cum alio Principe Chriſtiano, fas ſit in auxilium ſuum accerſere Infideles, negativè reſpondent, Lorca, *in* 2. 2. D. Tho. *ſect.* 3. *diſp.* 51. *num.* 4. Granad. *in* 2. 2. *controverſ.* 3. *tract.* 12. *q.* 4. *ſect.* 6. *num.* 56. Becanus, *Opuſc. de fide Hæreticis ſervanda, lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. ut patet ex pluribus Sacræ Scripturæ Locis, Exod. 23. *verſ.* 52. & *cap.* 34. *verſ.* 52. Deuteron. *cap.* 7. ubi DEUS prohibet fœdus iniri cum Infidelibus, Jo. 4. *verſ.* 9. refert non fuiſſe inter Judæos, & Samaritanos commercium, 2. Cor. *cap.* 6. *verſ.* 14. ubi Doctor Gentium nos admonet, dicens, *Nolite jugum ducere cum Infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* Tùm quia, ex advocatione Turcarum, aut Hæreticorum, aliorumque Infidelium ad Caſtra Chriſtianorum, ſuboriri ſolet in Chriſtiana Republica maximum ſcandalum, cùm ſoleant Turcæ, ſive Hæretici nimiam exercere crudelitatem, Templa deprædari, Res ſacras contemnere, Sacerdotes lædere, Virgines violare, & ſimilia crimina perpetrare. Et quod magis deplorabile eſt, ob hujuſmodi advocationem, creſcunt inter Fideles vitia, ſerpunt hæreſes, dilatantur errores: undè de Hæreticis loquens D. Cyprianus, in epiſt. ad Cornelium, „ ſic ait: Nulla cum talibus commercia, nulla „ convivia, nulla colloquia miſceantur, ſimus„ que ab illis tàm ſeparati, quàm ſunt illi ab Ec„ cleſia. Hinc magnus evoluti temporis Heros Franciſcus Primus, Galliarum Rex, ut refert Georgius Schonborner, *in politic. lib.* 4. *cap.* 34. moriens, viviſſimum Animi demonſtravit dolorem, eò quod in bello, contra Imperatorem Carolum Quintum, fœdus cum Solimano Turcarum Tyranno contraxiſſet, de quo fœdere mentionem faciunt Genebrardus, *in Chronic. lib.* 14. *art.* 15. Biſcar. *in Com. rer. Gall. lib.* 23. *num.* 22. Herman. Goeh. *de iur. pub. & priv. p.* 2. Firer. 1. *quæſt.* 10. Additur, prohibitum eſſe Catholicis communicare cum Hæreticis, utpotè excommunicatis. *Cap. Sæpè, cauſ.* 28. *q.* 1. Et in prima excom. Bull. Cœn. nominatim excommunicantur Lutherani, & quidam alij. Greg. XV. in Bulla incip. *Romani Pontificis, edita,* 2. *Julij anno* 1662. ſtatuit, nè Hæretici apud Italos morari poſſint; & ſequi non poſſe hæreticorum advocationem, abſque communicatione cum eis, verbis, & actionibus certum eſt. Nemo igitur dicet Chriſtianis Principibus licere Hæreticorum, aut Turcarum operam, etiam in bello juſto, ad debellandos Hoſtes Fideles, adhibere cùm teneantur in eorum Statibus viam vitijs præcludere, & præcipuè erroribus, hæreſibusque, ſplendorem Fidei Orthodoxæ obſcurantibus.

Affirmativè verò reſpondent Doctores mox citandi, modò hæc quatuor concurrant. Primum, quòd tunc temporis, quando Princeps Chriſtianus accerſit Infideles, non vigeat bellum inter Chriſtianos, & alios Infideles nec activè, nec paſſivè. Secundum, quòd juſtum ſit bellum, & neceſſarium. Tertium, quòd nullo alio modo poſſit Princeps Chriſtianus ſe, & ſua tueri, niſi Infideles in auxilium ſuum advocando. Quartum demùm, ſi nullum adſit ſcandalum, & periculum fidei. Anan. & Felyn. *in cap. Ad liberandum, de Judæ.* Corſer. *in tract. de poteſt. Reg. p.* 4. *princ. quæſt.* 83. Oldrad. *in conſ.* 71. Pan. *in cap. Quod ſupra, de voto,* Matthæus de Afflict. *de feudis, tit. de pac. vir. firm. verſ. conventicula, num.* 32. Farin. *in praxi, quæſt.* 125. *num.* 90. Petr. Gonzalez de Salzedo, *tract. de leg. politic. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 23. Tiber. Dec. *loc. cit.* D. Anton. *p.* 1. *titul.* 4. *Hiſtor. Machab. cap.* 4. §. 11. Joan. Major. *in* 4. *diſt.* 15. *quæſt.* 20. Joan. de Carthag *lib.* 3. *de jure belli Rom. Pontificis, cap.* 2. Molina, *tom.* 1. *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 112 §. *Deindè,* Bonac. *de reſt. diſp.* 2. *punct. ult.* §. 2. *num.* 6. ubi alios etiam citat Alter. *in Bull. Cœn. diſp.* 8. *lib.* 5. *cap.* 5. *col. pen.* & alij, quos allegat Mancin. *de jurib. Principatuum, lib.* 6. *cap.* 17. 7.

Moventur primò ex Sacra Scriptura, Gen. *cap.* 8.
14. *verſ.* 13. ubi habetur Abrahæ fœdus cum Aner, Eſchol, & Mambre Gentilibus initum, eoſque ſecùm ducentis in bellum; 3. Reg. *cap.* 5. *verſ.* 1. ubi refertur Davidis amicitia, quam cum Hiram Rege Tyri contraxit; 1. Machab. *cap.* 14. *verſ.* 18. ubi fœdus deſcribitur, quod Simon Summus Sacerdos cum Romanis, & Spartiatis renovavit.

Moventur ſecundò juribus, *in cap. Noli, cauſa* 9.
23. *quæſt.* 2. ubi dicitur, quòd bellum rectè ſumitur cauſa neceſſitatis, ut, ſcilicet, pax, & ſalus acquiratur, vel conſervetur, & *in cap. Sicut, de conſec. diſt.* 1. ubi dicitur, quòd neceſſitas non habet legem, & not. Gloſſ. *in l.* 1. *in verb. expedire, ff. de offic. conſulis,* & Gloſſ. *in l. generaliter,* §. *Spurios, ff. de Decur.* Et *cap. Si nulla, cauſa* 23. *quæſt.* 8. ubi notant Doctores, ob neceſſitatem, fieri licitum, quod aliàs erat illicitum. *Cap. Ad lumina, cauſa* 30. *quæſt.* 1. ubi apparet, quod, urgente neceſſitate, ſit, culpabile non eſt. *Cap. Erit autem, diſt.* 4. ubi habetur, quod lex debet eſſe de poſſibili. Neceſſitas verò ſupponit impoſſibile quoddam, ideóque ſemper habet diſpenſationem annexam, propter quam non ſubditur legi, præcipuè quando agitur de periculo vitæ evitando, & Patriæ ſalute conſervanda, vel violentia hoſtis potentioris repellenda: Tunc enim, cùm bellum ſit juſtum, & licitum. *Cap. Juſtum, cauſa* 23. *quæſt.* 2 etiam media ad tale bellum ſunt licita, & juſta.

Mo-

10. Moventur tertiò rationibus: nam Turcæ, Saraceni, Hæretici, alijque Infideles, si sponte sua præstant auxilium Principi Christiano, injustè ab alio Principe Christiano læso, & cum eo justum bellum gerenti, rectè agunt, ut optimè probat ratione, & exemplis Sacræ Scripturæ. Alter. *loc. cit.* adeóque licitè Princeps Christianus potest hujusmodi auxilium suscipere, imò & petere; quod enim alij possunt sponte rectè facere, illud rectè possumus ab eis petere, propterea Machabæi, ut suprà diximus, petierunt auxilium à Romanis, à vera fide alienis. Tùm quia, quod ex necessitate fit, juxta jura allegata, licitè fit: sic David famis necessitate ductus, licitè panes comedit propositionis, quos tantùm comedere Sacerdotibus licebat. Sam. 21. *vers.* 6. Sic Judæi, ut se defenderent, die Sabbati licitè bella gesserunt, quod erat eis prohibitum Machab. *cap.* 2. *vers.* 41. Sic possumus in necessitate constituti, cum moderamine inculpatæ tutelæ, hostem aggressorem interficere, quamvis occisio sit à DEO prohibita. Matth. *cap.* 5. Cur ergò Principi Christiano non licebit Turcas, Hæreticos, aliosque Infideles, in necessitate constituto, & bellum justum gerenti cum alio Principe Christiano, advocare, si aliter se, & sua tueri non possit? Sanè defensio jure naturæ concessa est, *l. ut vim, ff. de just. & jur. cap. Dilecto, de sent. excomm. lib.* 6.

11. Moventur quartò, exemplo Principum laicorum, qui cùm bellum agerent adversùs Principes Christianos, Infidelium auxilio usi sunt. Sic Imperator Carolus Quintus usus est in suo Exercitu Germanis hæreticis. Sic etiam Ferdinandus Secundus, Philippus Tertius, & Philippus Quartus, Pueron *in Comment. ad Bull. Cœn. cap.* 7. §. *Ad Sarac. Turcas &c. num.* 17. Et pijssimi etiam nostri temporis Principes, nempè Leopoldus Primus Imperator electus, Carolus Secundus Hispaniarum Monarcha, felicis record. Victorius Amedeus Sabaudiæ Dux, in bello contra potentissimum, & admirabilis prudentiæ virum, toti ferè Terrarum Orbi formidabilem, Galliarum Regem Ludovicum XIV. ope Hæreticorum, quos ut hæreticos odio summoperè habent, usi sunt: nec Sancta Sedes hoc sciens, prohibuit, cùm potuerit prohibere, si aliundè causa prohibitionis extitisset.

12. Auctores hujus sententiæ ad fundamenta contrariæ respondent. Ad exemplum Sacræ Scripturæ dicunt, quòd intelligitur universaliter, quando adest periculum perversionis Fidelium, & seclusis alijs præfatis circumstantijs: non verò in certis casibus, quando adsunt unitæ dictæ circumstantiæ, & abest præfatum periculum.

13. Ad secundum, quòd non semper sequuntur dicta mala, teste forsan ipso experimento.

14. Ad tertium, concedunt conversationem, seu communicationem cum Infidelibus, sive Hæreticis, prohibitam esse, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, Jure Ecclesiastico. *Cap. Si quem fortè, causa* 24. *quæst.* 1. sed dicunt hanc prohibitionem fuisse olim, non verò post Bullam Martini Quinti, editam in Concilio Constantiensi, quæ incipit. *Ad evitanda*, ut advertunt plurimi

Quoad primam excommunicationem Bullæ Cœnæ, respondent Ugolinus, *de censur. Pap. reserv.* 2. §. *cap.* 14. quòd illa denunciatio est generalis, & ideò non imponit Fidelibus obligationem illos hæreticos vitandi, ut docet praxis: nàm in Terris Catholicorum, & hìc Romæ quoque Fideles etiam timoratæ conscientiæ, cum Hæreticis cognitis liberè conversantur. Bulla verò Gregor. XV. non comprehendit Hæreticos milites, ut notat Diana, *tom.* 9. *tract.* 13. *Res.* 9. sed tantummodò excludit ab Italia Hæreticos, domicilium ibi habentes; milites verò, qui sunt in Exercitu non propriè domicilium, aut habitationem dicuntur habere; sequuntur enim exercitum, vagando hùc, vel illùc, juxtà Ducis imperium: & domicilium propriè acquiritur, quando animus adest manendi perpetuò in loco electo. Alij tandem respondent, prohibitionem communicationis Fidelium cum Hæreticis, intelligi partim de consortio spirituali, non politico, & civili, ut arguit perspicuè. *Cap. Ecce, caus.* 23. *quæst.* 4. *Cap. Non licet, caus.* 1. *quæst.* 1. & partim de communione non necessaria, ut docent Martinus Becanus, *Apolog. veter. Test. cap.* 17. *quæst.* 6. Laym. *lib.* 2. *tract.* 3. *sect.* 7. *num.* 25. Valentia, *tom.* 3. *disp.* 3. *quæst.* 16. *punct.* 2. Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 1. *disp.* 90 *num.* 2. Bannes, Caspen. & alij, asserentes non obstare excommunicationem, quando urget necessitas opera utendi Hæreticorum ad bellum.

Ad fundamenta verò sententiæ affirmativæ, 15. pluribus modis respondent Auctores contrarij. Ad primum enim dicunt, Exempla desumpta ex Sacra Scriptura non esse ad rem. Abraham enim Gen. 4. duxit quidem secum Gentiles, sed contra alios Gentiles. Ex amicitia Davidis cum Hiram, 3. Reg. *cap.* 5. non colligitur, quòd in bello aliquo secum illo unierit contra Hebræos: nec idem colligitur ex fœdere Simonis Summi Sacerdotis cum Romanis, & Spartiatis. Macab. 14.

Ad secundum, quòd Jura, quæ allegantur ad 16. probandum, ob necessitatem, fieri licitum, quod aliàs erat illicitum debent intelligi de eo, quod est illicitum, solùm quia est prohibitum aliquo jure positivo, non autem de eo, quod est illicitum ab intrinseco, sicuti videtur esse advocare Infideles in auxilium contra Fideles.

Ad tertium, pariformiter, quòd exempla, quæ 17. adducuntur ex Sacra Scriptura, probant solùm in casu necessitatis fieri posse licitè, quæ sunt prohibita jure tantùm positivo, non autem quæ sunt mala ab intrinseco, & ex natura sua.

Ad quartum denique, non multùm fidendum 18. esse exemplis Principum sæcularium, seu laicorum. Ex quibus potiùs experientia compertum est, quot mala oriri soleant in Christiana Republica ex advocatione Turcarum, Hæreticorum, aliorumque Infidelium, ad Castra Christianorum.

Quæ verò ex hisce oppositis sententijs sit pro- 19. babilior, & in conscientia tutior, attenta temporis, quo scribimus, circumstantia, apertè non definimus, docti & prudentis lectoris judicio rem istam lubenti animo submittentes.

Infertur primò ex dictis in secunda sententia, 20. non esse illicitum per se communicare cum Ex-

communicatis, adeóque etiam cum Hæreticis communione politica; exceptis duobus casibus, nimirùm, si quis nominatim esset excommunicatus, & denunciatus; aut notorius percussor Clerici. Henriq. *lib. 13. cap. 5. num. 1.* Suarez, *3. p. 5. 5. disp. 9. sect. 2.* Tolet. *lib. 1. Sum. cap. 9.*

21. Infertur secundò, Catholicos non peccare contra leges excommunicationis in convictu civili cum Hæreticis, aut in mercatura, aut in alijs negotijs politicis. Ità etiam tenet Hurtadus, *Tract. de fide, tom. 1. disp. 76. sect. 1. §. 11.* Secùs verò, si adesset scandalum, & periculum moraliter certum perversionis. Quidquid dicant Salas. *1. 2. tract. 8. disp. unic. sect. 2.* Sotus, *lib. 2. de just. q. 1. art. 6.* tenentes, posse Fideles cum infideli communicare, etiam cum periculo subversionis, si necessitas urgeret.

22. Infertur tertiò, in eadem sententia, immunem esse ab excommunicatione Bullæ Cœnæ Principem Christianum, qui justè bellando cum alio Principe Christiano, non valens aliâ via se defendere, necessitate ductus, auxilium petit à Turcis, & Saracenis, illisque ad hunc finem arma, & alia instrumenta bellica subministrat. Ità Alter. *loc. cit. col. ult.* ubi addit, teneri Principem, qui socios advocavit Infideles, ad evitandam excommunicationem, omni diligentia curare, ut completo bello, auferat ab ipsis Infidelibus arma, & alia bellica instrumenta eis tradita, nè illis, ullo unquàm tempore, in perniciem Christianorum uti valeant. Quod etiam notat Navar. *in cap. Ità quorumdam, notab. 4. num. 15. in fin. & num. 25.*

23. Infertur quartò, esse Infidelibus subveniendum, tempore famis, & evidentis necessitatis, ut per Text. *in cap. Quiescamus*, & ibi Turrecrem. *42. dist. cap. Non satis, 86. dist.* Et tradunt Oldrad. *cons. 87.* Alex. *cons. 99. sept. vol.* Decian. *loc. cit. num. 4.*

24. Plures ex dictis in prima sententia fierent illationes, nisi calamus in expediendis Difficultatibus ad inceptam methodum prosequendam revocaretur.

XXV. DIFFICULTAS.

An Summus Pontifex possit concedere Principi Catholico facultatem ineundi fœdus cum Infidelibus, in bello justo, contra Principem Catholicum.

1. NOtandum primò, fœdera inter Bellantes, passim tùm ad bellum, tùm ad pacem reperiri, & quasi necessaria adhiberi: adeóque quamdam hujus nominis etymologiam manasse putant aliqui à Fecialibus, per quos fiebant fœdera. Fecialium enim Collegium à Numa Pompilio fuit institutum, qui de belli, pacisque jure consulerentur. Gell. *cap. 4. lib. 16.* Neque enim bellum licebat inferre; nisi hi ex justa causa susceptum declaravissent, & priùs indixissent. Varro. Quale fuerit Fecialium munus, Plutarchus, *in Num. & in Camil.* testatur. Ritum, & formulam antiqui fœderis, inter Populum Romanum, & Albanorum Dictatorem verè describit Livius *lib. 1.*

Notandum secundò, fœdus multipliciter sumi; aliquando pro fide; undè Ennius, ut est apud Varronem, fidus dixit pro fœdus: aliquandò pro necessitudine illa, quæ est inter amicos. 2.

Fœdus amicitiæ non vis carissime nostræ,
Nec si fortè velis dissimulare potes.
Ovid. *3. Trist.*

Aliquandò pro pace, quæ inter dimicantes feritur. Plaut. Verùm fœdus propriè accipitur pro pacto, seu conventione.

Notandum tertiò, plura fuisse fœderum genera, quibus Populi, & Reges mutuas amicitias inibant. Unum, quando pares bello æquo fœdere in pacem, atque amicitiam veniebant; redditis per conventionem ijs rebus, quarum bello, turbata erat possessio. Alterum, cùm qui hostes nunquam fuissent, ad amicitiam sociali fœdere inter se jungendam coibant. Liv. *lib. 34.* Præcipuùm verò fœderum genus, illud videtur esse, quod varias conventionum species, æquales, & inæquales continet. Æquales conventiones aut ad commercia pertinent, aut ad belli communitatem, aut ad res alias æquales (relictis inæqualibus ad rem nostram minimè spectantibus) Conventiones sunt, quæ utrinque eodem modo se habent. Sic in bellica societate, ut auxilia præstentur paria, equitum, peditum, armorum, navium ad omne bellum, quod explicat Thucydides, eosdem hostes, & amicos habere: sive ad tuendos fines dumtaxàt, sive ad certum bellum, sive ad certos hostes, aut in omnes quidem, sed exceptis socijs, ut in fœdere inter Pœnos, & Macedonas, quod apud Polybium habetur. 3.

Notandum quartò, delationem armorum, & aliorum, quæ ad usum bellicum pertinent, ad Christiani & Catholici nominis hostes prohiberi, non solùm vi Canonis septimi Bullæ Cœnæ, sed etiam de jure communi, tùm Canonico, tùm civili, ac etiam jure divino, saltèm naturali, ut notat Duardus, *in Bull. Cœn. Can. 7. quæst. 1.* prohiberi jure civili, ut *in l. 1. & 2. Cod. quæ res export. non deb. l. cæteri. ff. de publ. & vectigal. & l. fin. Cod. de pœn.* 4.

Notandum quintò, non omnem delationem eorum, quæ per Canonem sept. Bull. Cœn. & alia jura prohibentur, esse jure naturali, aut divino prohibitam, sed illam dumtaxàt, quæ hîc, & nunc considerata, tendit in damnum, & impugnationem Christianorum; adeóque si aliquod privilegium super hujusmodi delatione concederetur, foret nullum, & invalidum. Duard. *loc. cit. q. 38. sub. num. 37.* 5.

Notandum sextò, Summum Pontificem, in ordine ad finem spiritualem, habere amplissimam potestatem temporalem supra omnes Principes, & Reges, & Imperatores, qua uti potest, quando & quantùm necesse est ad finem supernaturalem. Card. Cajet. *Tract. de potest. Papæ, & Concilij, cap. 13. in resp. ad 8. arg.* Victor. *Relect. 1. de potest. Ecclesiæ, cap. 8. vers. octava propositio*, Navarrus, & alij, quia temporalia ali- 6.

que

quo modo sunt necessaria, & ordinata ad finem spiritualem.

7. Notandum septimò, Summum Pontificem posse in omnibus casibus dispensare, in quibus non exprimitur à jure contrarium, Graff. *p. 1. decis. lib. 2. de dispen. cap. 31. num. 6.* adeòque posse dispensare, seu interpretari, non solùm in iis, quæ sunt juris Canonici positivi, sed etiam in iis, quæ sunt juris naturalis, & divini; juris naturalis quidem, non quoad prima principia rerum agendarum, qualia sunt, Bonum esse amplectendum, Castè vivendum, Quod tibi non vis alteri non esse faciendum, & similia. D. Thom. *in quodlib. 4. art. 13. in 4. Sent. dist. 27. quæst. 3. artic. 2.* Sylv. *verb. Consuetudo, quæst. 9.* Graff. *loc. cit. num. 10.* Sed quoad ea, quæ necessariò ex primis principiis deducuntur, scilicet quoad ea, quæ etiam sunt de jure naturali; tamen ob eorum aventus, æquum fuit relinqui in Ecclesia potestatem eximendi aliquem ab eorum obligatione, Papa potest dispensare, seu proprius interpretari tunc non adesse obligationem. D. Thom. *1. 2. quæst. 94. art. 4.* Graff. *loc. cit. num. 10.* Filliuc. *tract. 31. de just. & jur. cap. 2. num. 16.* Sylv. *verb. Pap. quæst. 16. vers. 4. & verb. Consuetudo, quæst. 9.* Dixi, Summum Pontificem etiam in jure divino posse dispensare, vel potiùs interpretari, & declarare, non quidem quoad articulos fidei, & sacramenta; non enim potest Papa dispensare, ut aliquis sine Baptismo salvetur, vel sine Confessione. Sotus, *in 4. Sent. dist. 18 quæst. 1 artic. 5. concl. 1.* Sed quoad ea, quæ ex voluntate non divina, sed humana nascuntur, ut sunt vota, juramenta, matrimonia rata & similia, & quidem quando adest justa causa. Graff. *loc. cit. num. 18.* Filliuc. *loc. cit. num. 19.* & etiam quoad ea, quæ Apostoli tradidere. *Cap. Nuper, cap. fin. de bigam.* dummodò sit magna, & ardua causa, sicut habetur *in Cap. Lector, in* Gloss. *dist. 34.* Sylvest. *verb. Bigamia, quæst. 6.* & plures alii.

8. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Summus Pontifex possit concedere Principi Catholico facultatem ineundi fœdus cum Infidelibus, in bello justo, contra alium Principem Catholicum, negativè respondent Doctores, qui sentiunt esse per se, & ex natura rei, illicitum Principi Catholico inire fœdus cum Infidelibus, & Hæreticis; nàm ventilare, an Summus Pontifex possit concedere Principi Catholico facultatem ineundi fœdus cum Infidelibus in bello contra Fideles, cùm hic non sit sermo de fœdere, quatenùs fœdus significat vel pacem, vel amorem, vel fidem, sed pactum juratum de mutuo auxilio præstando, idem est ac quærere, an Papa possit pro isto Principe Canonem septimum, & alia jura dispensare, & sic reddere licitam delationem armorum, pecuniarum, aliorumque auxiliorum, ad Christiani nominis hostes, in perniciem Christianorum, cùm hæc omnia importet fœdus strictè dictum, de quo loquimur, quod mutuum juvamen significat. Approbando igitur Summus Pontifex hoc fœdus, approbaret utrique destructionem mystici Corporis Christi, qui sunt Christiani. *Vos autem estis Corpus Christi, & membra de membro.* 1. Cor. *cap. 12. num. 27.* & sic Vicarius Christi, Christum læderet, destrueret Christianos, si non omnes, multos; atqui multorum malum sentiunt omnes, juxta illud, 1. Cor. *cap. 12. Et si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra.* In quo casu ad praxim esset deducendum, quod docet Turrecremata, *lib. 3. cap. 10. de utilit. Concilior.* Sylv. *in verb. Papa, §. Quod si Papa, &c.* Vict. *Relect. 4. de potestate Papæ, & Concilii, cap. 23. num. 24.* nempè, propter injustas dispensationes, vel alia mandata ad destructionem Ecclesiæ tendentia, posse convocari, & congregari Concilium generale, contra voluntatem Papæ, ut ei resisteret, & resistendo malis remedium opponeretur. Quot enim mala ex hujusmodi Papæ dispensatione, & fœdere Christianorum cum Infidelibus, Reipublicæ Christianæ oriventur? Meritò Fulco Archi-Episcopus quondam Rhemensis Carolum simpliciter sic admonuit. Quis „ non expavescat vos inimicorum Dei amicitiam „ velle, ac in cladem, & ruinam nominis Christiani pagana arma, & fœdera suscipere detestanda? Nihil enim distat contrarium, quis se Paganis societ, an abnegato Deo, idola colat. Et apud Arrianum istud extat dictum. „ Graviter eos delinquere, qui adversum Græcos Barbaris militarent contra Græcorum jura. Magnum profectò delictum est Infidelibus commilitare, adversum Fideles. Grassante enim armis confœderatis, hoste infideli, ab illo Christianorum Terris occupatis, Christiani occiderentur, Templa ruerent, Fides deficeret, ut habetur ex 10 Ecclesi. Qualis enim est Rector Civitatis, tales & Habitantes in ea, quod semper experientia docuit: nàm quia Hieroboam Rex idololatra fuit, maxima etiam Regni pars continuò idola colere cœpit. 3. Reg. 12. & post Christi adventum, regnante Constantino, florebat Fides Christiana. Regnante verò Constantio, florebat Arianismus. Regnante Juliano, iterum refloruit Ethnicismus: & in Anglia, regnante Henrico, & postea Eduardo, in toto quodammodò Regno Fides defecit. Regnante Maria, iterum totum Regnum Ecclesiam Romanam recognovit. Regnante Elizabetha, iterum regnare cœpit Calvinismus, & vera exulare Religio, Ne igitur Ecclesia hujusmodi iterum obnoxia sit detrimento, asserendum est ejus Capiti, quod est Pontifex, minimè licere facultatem concedere Principibus Christianis, qui dicuntur Romanæ Ecclesiæ Defensores. *Cap. Boni Principes, 96. dist. Cap. Tributum, Cap. Principes, causa 23. q. 8. Cap. Maximianus, ead. caus. quæst. 3. Cap. Christianus, caus. 11. quæst. 1.* ineundi fœdus cum Infidelibus in bello justo contra Fideles; cùm idem sit ac dispensare in omnibus juribus, Christiani nominis hostibus auxilia præstare prohibentibus.

Auctores verò oppositæ sententiæ, asserentes nempè per se, & ex natura rei, licitum esse inire fœdus cum Infidelibus, affirmativè respondent, posse scilicet Summum Pontificem, in aliquibus casibus, in Canone septimo Bullæ Cœn. & in aliis juribus, auxilia Infidelibus præstare vetantibus, dispensare, seu interpretari; & suc- 9.

cessivè concedere Principibus Christianis justè contra Principem Catholicum bellantibus, facultatem ineundi fœdus cum Infidelibus. Ità Alter. *Tract. de Excomm. Bulla Cœn. disp. 8. lib. 5. cap. 11. dubit. 2.* Duard. hìc, *lib. 2. in Can. 7. quæst. 37. conclus. 1.* & alij.

10. Moventur primò juribus, *in Cap. Proposuit, de Concess. prabend. Cap. Cuncta, caus. 3. quæst. 3.* ubi habetur, quòd Summus Pontifex est super omne jus positivum, & cunctis Superior, quorum scientiam supponitur habere. *Cap. 1. de Constit. in 6.* ubi de Papa dicitur habere in scrinio pectoris sui omnia jura, *& l. 1. in fin. Cod. de Sum. Trinit. & Fid. Cath.* ubi Papæ judicium cæleste arbitrium appellatur. Cùm igitur jura prohibentia auxilia præstare Infidelibus, sint positiva, Papa in illis potest arbitrari, & dispensare.

11. Moventur secundò rationibus: nàm legitimus Superior, & Legislator potest in suis legibus dispensare circa ea, quæ non sunt intrinsecè mala, ut per Tex. *in Cap. Per venerabilem, qui fil. sint legit.* atque adeò Summus Pontifex, qui est legitimus Superior, & supremus Legislator, potest in Constitutionibus Pontificiis dispensare, & sic in nostra, præsertim, cùm non omnis rerum prohibitarum delatio ad Infideles sit intrinsecè mala, contra jus naturale, aut divinum. Dispensatio enim, & abrogatio legis, tempore & loco opportuno, ut supponit nostrum assertum, est pascere Gregem; nàm omnis actus jurisdictionis est actus Pastoris. Atqui Summus Pontifex est Pastor universalis, juxtà verba Joannis. *cap. 21. Pasce oves meas.* Et in Concilio Chalcedonensi acclamatum est Pontifici Leoni Apostolicæ Æcumenico, id est universali Pastori. Prætereà Summus Pontifex in jure naturæ & divino potest ex justa causa dispensare, vel potiùs interpretari, & declarare, quod suprà notatum est, & nunc confirmatur. Nàm reddere depositum, est de jure naturæ; deducitur enim ex principio juris naturalis, rationi esse obediendum: & tamen Papa, vel lex, aut consuetudo potest in aliquo casu interpretari depositum non esse reddendum; ut puta, si miles petat gladium depositum ad Regem occidendum. D. Thom. *1. 2. quæst. 94. art. 4.* ratio naturalis id dictat. Lex est naturalis. *Non occides.* Præcepta enim Decalogi, quamvis tradita sint in veteri lege, sunt tamen naturalia, ut docet D. Tho. *2. 2. quæst. 122. art. 1.* Azor. *cap. 3. quæst. 2. in 3. dist. 37.* Filliuc. *tract. 31. de just. vir. & dom. rer. cap. 2. num. 15.* Et tamen homicidium in bello justo, vel ad propriam defensionem commissum, minimè prohibetur, *l. ut vim, ff. de just. & jur. & in Cap. unico, de homicid. lib. 6.* quia ratio naturalis defensionem omnibus permittit, Votum est de jure divino: potest tamen Pontifex ex aliqua justa causa dispensare, id est vovente eximere propria dispensatione à voto etiam continentiæ, atque à voto paupertatis; ut sic exemptus à Voto, & Religione, uxorem ducere valeat, atque testari; si evidens Reipublicæ Christianæ utilitas id exigat, & ratò fiat. Sic Cælestinus Tertius Summus Pontifex dispensavit cum Remigio Monacho, & Sacerdote, ex familia Aragoniæ, ut uxorem duceret, deficientibus talis Familiæ omnibus masculis. Graff. *part. 1. lib. 2. de dispen. cap. 31. sub nu. 18.* Sic Constantia filia Rogerij V. Regis Monialis per Papæ dispensationem, ut testatur Archi-Episc. Florent. *in 3. p. tit. 19. cap. 6.* nupsit Henrico Augusto, & peperit Federicum II. in publico, cunctis cernentibus, ne de partu supposito suspicaretur, quia tunc agebat annum quinquagesimum quintum. Item accipere relictam fratris, est prohibitum jure divino, ut patet, Levit. 18. Uxorem fratris sui nullus accipiat, & tamen Papa dispensat in isto, & alijs gradibus. Innocentius enim XII. his diebus dispensavit cum Francisco Primo Duce Parmæ, ut posset accipere in uxorem Hedwigem Elisabetham Amaliam Neoburg, quæ fuit uxor Ranuccij II. Ergò etiamsi ferre auxilia Infidelibus contra Fideles bellantibus, prohibeatur jure naturali, & divino, in aliquibus, & ex justa causa Papa potest quoad hoc dispensare, seu potiùs declarare talia jura in hoc, vel illo casu non obligare.

Moventur tertiò exemplo in Martino V. Summo Pontifice, qui de facto dispensavit cum Venetis, & Genuensibus, quibus permisit auxilia præstare Infidelibus, ut ex Arch. refert Sylv. *in Sum. verb. Excommunicatio, 7. sub num. 18.* Teste etiam Tabiena, *verb. Excomm. 6. nu. 5.* Toler. *cap. 23. nu. 14.* Bonac. *de censur. in Bull. Cœn. disp. 1. quæst. 8. punct. 4.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 7. quæst. 37. n. 12.* 12.

Cùm igitur præcipua ratio, per quam nefas est Principi Catholico inire fœdus cum Infidelibus, proveniat ex obligatione illis auxilia præstandi, quam necessariò importat natura fœderis, seu pacti jurati de bellica societate. Dicunt Auctores hujus sententiæ, quòd si Summus Pontifex potest per suam dispensationem illum eximere à tali obligatione, potest etiam concedere Principi Catholico facultatem fœdus ineundi cum Infidelibus, in bello justo contra Fideles. 13.

Ad fundamentum negativæ sententiæ, nempè, quòd si Pontifex concederet facultatem tale ineundi fœdus, adeòque & privilegium deferendi bona, vi tot jurium prohibita, ad Hæreticos, & alios Infideles Christiani nominis hostes, contra Fideles, concurreret ad destructionem Ecclesiæ, seu mystici Corporis Christi, quod nefas est Christi Vicario, respondent prædicti Auctores affirmativæ sententiæ, hoc esse per accidens, nempè præter ejus intentionem. Secundò, hoc minimè sequi in casibus, in quibus adesset justa causa concedendi tale privilegium; ut v. g. Imprimis. Si Turcæ molirentur Catholicum Imperium invadere, posset Papa ad removendum periculum, illorumque violentias impediendas, concedere Imperatori facultatem fœdus ineundi cum hæreticis, illisque auxilia præstandi, ad bellandum contra Principem Catholicum, qui Turcas ad nefarium facinus foveret, & summopere adjuvaret: ad vitandum enim majus malum, minus est tolerandum, ut *in l. Gracchus, Cod. ad l. Jul. de adult. & in leg. unica, Cod. de concubin.* Secundò, si Princeps aliquis Christianus bello continuò conquassaret Italiam, & nullum appareret remedium ad pacem obtinendam, & conservandam, 14.

dam, posset Papa concedere facultatem Duci Sabaudiæ, Venetis, & alteri Principi Catholico, fœdus ineundi cum Infidelibus, illisque auxilia præstandi; dummodò non tendat in perniciem Christianæ Reipublicæ, ad bellandum contra talem Principem, ejusque vires reprimendas, & tollendas, quia, ultra supradictam rationem, Summus Pontifex debet curare Italiam, ut ait D. Bernardus *in lib. 5. de consideratione, ad Eugenium Papam.* In his enim casibus, & similibus potest Papa interpretari dicta jura non obligare, Graff. *p. 1. lib. 2. cap. 31. num. 11.*

15. Ad fundamenta verò secundæ sententiæ responderi potest ex probationibus primæ sententiæ oppositæ. Ad primum enim dicendum est, quòd licèt Summus Pontifex sit supra omne jus positivum, non est tamen supra jus naturale, & divinum. Præstare autem auxilia Infidelibus, non solùm prohibetur jure positivo, sed etiam jure naturali, & divino, in quo videtur, quòd Summus Pontifex non possit dispensare; cùm nulla justa causa cohonestari possit hujusmodi dispensatio de præstando auxilio Infidelibus, in præjudicium & damnum inevitabile Reipublicæ Christianæ.

16. Ad secundum responderi potest, quòd licèt supremus Legislator possit dispensare in suis legibus, & consequenter etiam Summus Pontifex in Constitutionibus Pontificiis, circa ea, quæ non sunt intrinsecè mala; nullus tamen dispensare potest in legibus naturæ, aut divinis, & circa ea, quæ sunt mala ab intrinseco; sicuti videtur esse præstare auxilium Infidelibus in præjudicium Fidelium, aut in damnum alicujus Principis Catholici.

17. Ad tertium denique dicendum est, quòd si verum sit exemplum de Martino V. Summo Pontifice, qui dispensare dicitur cum Venetis, & Genuensibus, illis permittendo, ut auxilia præstarentur Infidelibus: hujusmodi dispensatio fuit cum aliqua limitatione, ut dicit Sylvester, *in Sum. verb. Excomm. 7. num. 58.* Nec præsumendum est, quòd extendatur ad præstandum auxilium Infidelibus in detrimentum, vel damnum fidelium, aut alicujus Principis Catholici. Et ità pariter respondit Reverendissimus Pater Antonius Franciscus Saluthio, ex Clericis Regular. Minorib. sui Ordinis Lector jubilatus, Sacræ Indicis Congregationis Consultor, tàm in morum religiositate, quàm in scientiarum sublimitate egregij nominis Vir, mihi charissimus, quem circa hanc materiam consului.

18. Cæterùm, quidquid sit de utraque sententia, negativa, scilicet, & affirmativa, nos summam Sanctæ Sedis Auctoritatem, quæ cæleste Arbitrium, *l. 1. in fin. Cod. de Sum. Trinit. & Fid. Cath.* nuncupatur, omnimodè venerantes, perscrutari ejus extensionis terminos minimè audemus, scientes, quòd *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à Gloria.* Prov. *cap. 25. n. 27.*

19. Infertur primò ex dictis in secunda sententia, non peccare, nec incurrere excommunicationem eum, qui obtento à Papa privilegio, transmitteret bona jure prohibita ad Infideles, dummodò adsit causa legitima, v. g. ut redimeret Captivos, & præcipuè aliquem Principem Reip. impensè utilem; ut haberet ab eisdem frumentum necessarium ob famem ingruentem, & caritatem universalem, & ut faveret alicui publicæ utilitati. Duard. *in Bull. Coen. lib. 2. Can. 7. quæst. 37. conc. 1. num. 15.*

20. Infertur secundò, quòd licèt Papæ, quando dispensat super prohibitis à jure positivo (dummodò dispensatio non sit in præjudicium tertij) sufficiat ejus voluntas pro causa. *Cardinal. in Repet. cap. Perpendimus, col. 9. de sent. excomm.* Anton. de But. *in cap. 1. in ult. col. de constit.* & ibi Imola, *in 18. col.* tamen sine gravi causa non potest concedere privilegium deferendi res dictis juribus prohibitas ad Christiani nominis Inimicos, & concedendo peccat, quia offendit æqualitatem, quam justitia erga omnes servari petit, *Cap. Justum, d. 4.* (Quod dicitur de quovis Principe dispensante sine legitima causa in propriis legibus) & peccant illo utentes, licèt non incurrant excommunicationem, cùm tale privilegium sit validum, si non tendit in perniciem, & impugnationem Christianorum; secùs erit ipso jure nullum; quia Romanus Pontifex est supra omne jus positivum, de quo jure sunt censuræ omnes quoad applicationem, & institutionem, ut notat Duard. *loc. cit.*

21. Infertur tertiò, Prælatos inferiores, dispensantes sine causa, etiam in lege Superioris ex ejusdem commissione, peccare, & irritas esse eorum dispensationes, quia quotiès Superior committit inferiori potestatem dispensandi in suis legibus, semper intelligitur cum causa justa existente. Ità Sanchez, *lib. 8. de matrim. disp. 17. quæst. 1. sub num. 4.*

22. Plura ex dictis in prima sententia possent inferri, quæ brevitatis gratia omittuntur.

XXVI. DIFFICULTAS.

An, si Pontifex donaret Principi Catholico Regnum alicujus Regis infidelis, injuriam Innocentibus inferentis, liceret Principi Catholico bello petere Regem infidelem, Regnum ei donatum nolentem dimittere.

1. Notandum primò, tres esse Sectas Infidelium; alteram Judæorum, à Juda Patriarcha, Gen. *cap. 49.* D. Thom. ad Roman. *cap. 2. in lect. 4.* non à Juda Macchabæo, ut quidam dicebant; nàm ante illum Judæorum nomen inventum est. Esther. *Cap. 8.* Quæ Secta non habet jurisdictionem; cùm ejus Regnum defecerit sub Vespasiano, & Tito, quadraginta annis post Passionem Christi Domini. Alteram esse Saracenorum, vulgò dictam, sed veriùs, Agarenorum, utpotè originem trahentem ab Agar Ancilla, non à Sara libera. Alteram Hæreticorum.

2. Notandum secundò, Romani Pontificis potestatem, exigente fine spirituali, aut Catholicæ Fidei Bono, indirectè ad quæcunque temporalia extendi. Ità D. Thom. 2. 2. *quæst. 10. art. 10. & quæst. 60. art. 6. ad 3.* Bord. *in S. Trib. cap. 5. quæst.*

quæst. 8. Carena, *Tract. SS. Inquis. tit. 1. §. 5. num. 52.* Diana, *p. 10. Tract. de potest. exanthorandi Reges, Res. 8.* ubi assertum probat ex Decretis duorum Conciliorum, Lateranen. sub Innoc. III. *cap. 3.* & Lugdun. sub Innoc. IV. *cap. 1.* Et unanimiter omnes Catholici.

3. Notandum tertiò, Romanum Pontificem habere directam temporalem jurisdictionem in universum Orbem, scribere, & probare gravissimos Theologos, & præcipuè Alexand. de Ales. *in Sum. 4. p. quæst. 10. p. 2. §. 2. verb. Pro Rege nostro.* Hug. de Sancto Victore, *3. p. operum, de Sacramentis, l. 2. p. 2. c. 4.* S. Bonav. *in 4. dist. 37. in exposit. littera, dub. 4. & lib. de Ecclesiast. Hierarch. p. 2. & opusc. de auctorit. Pap.* & alios plures: Inter Jurisperitos, Bart. *in l. 1. §. 1 ff. de requirend. reis. in l. finali, in fine, Cod. de leg. & in Extravag. ad reprimendum, verb. totius Orbis, n. 9.* Bald. *in l. non ambigitur, num. 6. ff. de legibus,* ubi Castrens. *num 6.* Oldrad. *cons. 180. num. 12.* Glos. *in Cap. Novit, de judicijs,* ubi Abb. *in cap. 21. & in cap. Venerabilem, num. 18. de elect. & in Cap. Causam, quæ est secondo. qui filij sint legitim.* Glos. & Jo. And. *in Cap. Ad nostram, de hæreticis,* aliosque Civilistas, & Canonistas innumeros, quorum fundamentum videtur esse, quia Christo Domino, quatenùs Homini conveniit jurisdictio temporalis directa in universum Orbem, prout de Regno temporali Christi communiter affirmant SS. PP, cùm sit simul Rex, & Sacerdos secundùm Ordinem Melchisedech; & cui omnis potestas data est à Patre. Math, *cap. 16,* & ità tradunt S. Irenæus, *lib. 4.* adversùs hæreses, *cap. 37.* S. Athan. *lib. 5. cap. 4.* S. Aug. *lib. 2. de concupisc.* D. Thom. *lib. 1. de regim. Principum,* & alii plures. Et cum in uno corpore esse debeat unum tantùm caput, à quo omnes actiones vitæ sive corpori, sive spiritui servientes, tanquàm à primo fonte procedant; & cùm Ecclesia sit unum corpus mysticum, postulat unum supremum Gubernatorem in utroque ordine, imò utramque potestatem in una persona: ideòque dicendum est hujusmodi potestatem Christum Petro suo Vicario dedisse; cùm id etiam videatur exigere finis politici regiminis, qui est felicitas politica, & pax Reipub. Arist, *lib. 1. moral. Nicomach.* non consequenda, si adessent plures Potestates temporales, uni supremæ temporali residenti in Christi Vicario minimè subordinatæ.

4. Notandum quartò, non posse Summum Pontificem, toti Ecclesiæ leges proponentem quoad mores, errare, etiam si id faciat solus, & sine Concilio; & oppositum esse hæreticum putant, Suarez, *de fid, disp. 5. sect. 8, n. 4.* ubi ait esse certum de fide. Cajet. *de potestate Papæ, cap. 9.* Turrecrem. *lib. 2. Sum. cap. 109.* Can. *lib. 6. de loc. Theolog. cap. 4,* & alii, hoc probantes ex Concilio Lateranensi, sub Leone X. qui damnavit tanquàm hæreticum articulum 24. Lutheri, qui hanc veritatem negabat. Item patet ex Concilio Viennensi. *in Clem. unic. de Summa Trinit.* Concil. Florent. *Sess. 25. in fin.*

5. Notandum quintò, peccata Infidelium, quæ in Innocentium injuriam cedunt, non esse per se idololatriam, fidei recusationem, rerum alienarum contrectationem, & alia scelera cùm lumine naturæ pugnantia; sed esse innocentes immolare, aut eos occidere, ut eorum carnibus vescantur; aut quovis alio modo eos injustè perimere; aut eos tyrannicis legibus opprimere; aut alia simili ratione eos divexare. Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 106. conclus. 3.*

Notandum sextò, movere bellum esse proprium Principis dumtaxat supremi, ut dicit Tex. *in l. 1. Cod. ut armorum usus, lib. 11.* & ibi probant Luc. de Pen. & Joan. de Pla. & habetur *in Authen. de armis, & Cap. Quid culpatur, causa 23. quæst. 1.* 6.

His annotatis, ad difficultatem propositam; an, si Summus Pontifex donaret Principi Catholico Regnum alicujus Regis infidelis, injuriam Innocentibus inferentis, liceret eidem Principi Catholico, bello petere Regem infidelem, Regnum ei donatum nolentem dimittere: negativè videtur respondendum; nàm infideles Principes sunt veri Principes; cùm dominium non fundetur in gratia, & fide; sed in libero arbitrio, teste Aristotile, *lib. 1. politic.* ibi asserente, ordinem principandi unius super alterum esse beneficium naturæ, quod non debet subtrahi propter peccata. Tùm quia, *in Cap. Charitas, de pæn. dist. 2.* habetur, quòd proximos diligimus, sicut nos ipsos, & ibi dicitur, quòd proximi sunt, qui sunt naturæ nostræ participes; & Glos. ibi infert: Ergò Judæi, & Saraceni proximi sunt, & diligendi à nobis, ut nos. Prætereà Summus Pontifex tolerat Saracenos in eorum matrimoniis. *Cap. Gaudemus, de divort.* atque adeò magis tolerare dicitur in eorum Dominijs, Regnis, & Bonis, quæ possident, quia bona sequuntur conditionem personæ, *Cap. 1. de Jure patron. lib. 6.* Authen. *Ingressi, Cod. de Sacros. Eccles.* Denique, quia Innoc. *in cap. Super his, de voto,* dicit, quòd Papa sine causa non potest eis bona auferre. Ex quibus apparet, non adesse in Pontifice potestatem Infidelibus Regna auferendi, & consequenter Principi Catholico, cui à Pontifice conceduntur, illos bello petere, nolentes dicta Regna dimittere, nequaquàm licere. 7.

Fateor hanc opinionem primo aspectu probabilitatem habere: verùm attentis injurijs, quas Reges infideles Innocentibus inferunt; contrarium, quod verius videtur, firmiter sustineo, cum Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 106. conclus. 3.* ibi citante Vict. *Relect. de Ind. p. 2. num. 15.* Valentia, *tom. 3. disput. 1. quæst. 10. de infid. punct. 7. §. Nihilominùs,* Covar. *in Relect. supra regulam peccatum, p. 2. §. 10.* Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 2, num. 14.* & Bann. *in 2. 2. quæst. 10. art. 10.* Lorca, *in 2. 2. quæst. 10. art. 10.* 8.

Moveor primò juribus, *in cap. Quid in omnibus, causa 32. quæst. 7. cap. Displicet, causa 23. quæst. 4.* sed clariùs, *in cap. Si de rebus, ead. caus. quæst. 7.* ubi habetur, quòd ad omnes impios, & iniquos illa vox Domini valet: *Auferetur à vobis Regnum, & dabitur genti facienti justitiam.* Et *l. ut vim. ff. de just. & jur.* ubi dicitur, nobis licitum esse defendere nos, alios, ut etiam notat Glos. *in l. cùm fundum, in verb. postea, ff. de vi arm.* Et §. *Cùm igitur, in Authen.* 9.

de

de non eligen. secun. nuben. ubi declaratur privationem sui juris esse pœnam delicto debitam; *Cap. In Scripturis, causa 8. quæst. 1.* ubi apparet, quòd Christus commisit Petro, & ejus Successoribus omnem jurisdictionem, *& cap. Pro humani. de homicid. in 6. & cap. Per venerabilem; qui fil. sint legit.* Ideóque si Summus Pontifex donat Regnum Infidelium, injuriam Innocentibus inferentium Principi Catholico; justè, & validè donat; & Princeps fidelis utpote acquirens virtute donationis Pontificiæ verum jus in Regnum donatum, potest licitè Regi infideli bellum indicere, Regnum dimittere nolenti.

10. Moveor secundò rationibus: nàm Summus Pontifex, justa causa existente, potest Infidelium Provincias Principibus Catholicis donare; & de facto Sedes Apostolica, ut testantur omnes Historiæ, donavit Catholicis Regibus Indiarum Regna; & tunc è Petri Cathedra Romanus Pontifex definivit, licere Regibus ea Regna acquirere, Indis eorum mandatis parere, suorumque Infidelium Principum excutere jugum; ex qualibet parte Mundi militibus ad eam expeditionem confluere; Fidelibus contra illas Gentes militare. Atque adeò: si Summus Pontifex donaret alicui Regi fideli Provincias Infidelium, injuriam Innocentibus inferentium, ei licebit illos bello petere, nolentes Provincias dimittere. Tùm quia, ex mandato DEI, Ecclesiast. 17. *Unusquisque tenetur proximum suum adjuvare*; & Proverb. cap. 24. præcipitur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Quivis igitur naturali jure amovere potest ab Innocentibus injuriam illatam, aut certò inferendam, ut esset tyrannica oppressio, superstitiosa, & crudelis hominum immolatio &c. quódque ad Principes spectat, potissimùm verò ad Summum Pontificem, cui inter omnes incumbit innocentes defendere, pessimos Infidelium ritus, iniquas consuetudines destruere, atque barbaras leges abrogare: bellum, si ad id opus fuerit, vel per se, vel per alium, Principibus iniquis inferendo, eosque deponendo, & alios, si necessitas postulaverit, creando. Ex quibus constat licitè posse Infideles, injuriam Innocentibus inferentes, bello peti, ut dominia, quæ possident, amittant. Præterquam quòd aliàs ostensum est, cuilibet Principi, Superiorem non recognoscenti, jure armorum licere, rem illam acquirere, ad quam habet jus.

11. Moveor tertiò exemplo, in Ludovico Hispano, qui anno 1345. subjicere curavit, quamvis irrito conatu, Insulas fortunatas noviter repertas, & à Clemente VI. ei donatas, ut refert Odericus Raynaldus, *in suis Annal. Eccles. tom. 16. anno 1644. §. 39.* Turita, *tom. 4. lib. 10. cap. 39.* nec non in ipso Clemente VI. qui, ut scribit alleg. Raynaldus, *anno* 1344. §. 47. Epistolas scripsit ad universos Christianos Principes, & Reges, illos obsecrando, ut milite, navibus, commeatu; armis, Ludovicum pro conficienda illa sacra expeditione contra Infideles adjuvarent, & euntibus ad eam, plenariam Indulgentiam largitus est.

12. Concludimus igitur, licere Principi Catholico arma contra Infideles, injuriam Innocentibus inferentes, movere; nolentes ab illa desistere, & recusantes Regnum, seu Provincias dimittere, ei à Summo Pontifice donatas.

Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, negari à pluribus Principes infideles esse veros Principes, cùm non recognoscant dominium, nec jurisdictionem à Pontifice, in quem, secundùm ipsos, Principatus omnis, omnis jurisdictio, & dominium translata sunt: propterea Baldus, in prima Constitutione Codicis, *Præterea*, ait, Constantinus Imperator, post ejus „ Baptismum, in resignatione regalium, quam „ fecit B. Sylvestro, resignavit sibi ensem, osten- „ dens se illuc usque non legitimè usum fuisse gla- „ dii potestate, nec legitimè eò usque habuisse „ imperium. Sed esto, quòd Principes infideles essent veri Principes, quod nos concedimus, & infrà probamus; non sequitur, illos immunes esse à privatione Regni, seu Principatus per Summum Pontificem, saltem indirectam temporalem jurisdictionem in universum Orbem habentem, si injuriam Innocentibus inferrent. 13.

Ad secundam: quòd *cap. Charitas*, juxta 14. communem intelligentiam, procedit de vera dilectione, quæ respicit bonos mores proximi, & vitam æternam, ut Textus ipse declarat *in vers. Proinde*: ideóque vera, & summa charitas est dare Infidelibus Principem Catholicum, & Rectorem; qui Innocentes ab injuria, juxta notata, defendat; seu qui innocentium oppressiones, immolationes, internecciones impediat. Dein, non tenemur diligere Infideles qua tales: dicebat enim David, *Iniquos odio habui*, Psal. 118. *num.* 113. Et quamvis charitas nos cogeret illos adamare; major tamen erga Innocentes amor est ostendendus.

Ad tertiam; quòd licèt Ecclesia ritus infide- 15. lium toleret; in matrimoniis tamen non approbat. Dicit enim Textus, *Quod enim permittimus, volentes præcipimus*, id est Glos. *permittimus, quia malas hominum voluntates, ad plenum prohibere possumus. Cap. Hac ratione, caus. 31. q. 1.* In dominio verò, & jurisdictione non tolerat semper, quia nimis toleraret in præjudicium Innocentium: rationabilis enim minimè esset tolerantia, si toleraret Innocentium injuriam, quam facilè potest amovere, injuriantium dominium Principi Catholico concedendo.

Ad quartam, quòd Ecclesia amplectitur opi- 16. nionem Hostiensis, quæ contraria est opinioni Innocentii, eam ad praxim reducendo, quando videtur expediens. Meritò igitur Oldrad. *in consil. 72.* affirmat opinionem Hostiensis esse veriorem. Præterquam quòd hujusmodi ratio non est contra nos, nàm injuria illata Innocentibus justissima est causa Infidelium injuriantium dominium ad Principes Fideles transferendi.

Infero primò ex dictis, posse licitè cogi Infide- 17. les dimittere imperium, antequàm injuria Innocentium per ipsos sequatur, nec non & dominium sive politicum, sive despoticum, quod habent in Fideles, si vellent illos legibus tyrannicis opprimere, dummodò constet de eorum pessima voluntate: non enim necesse est expectare, ut [illegible] In-

Innocentes ad mortem ducantur. Ita etiam tenet Molina, *loc. cit.*

18. Infero ſecundò, Principi Chriſtiano bellum Infidelibus indicenti, ob ſubveniendum Innocentibus, licere aliquid de bonis Adverſariorum accipere, nempè pro expenſis belli, pro recompenſatione injuriarum, & damnorum, quæ paſſus eſt inter bellandum, & pro juſto præmio ſui laboris, & induſtriæ. Ità etiam Molin. *tom. 1. de juſt. tract. 2. diſp. 106.*

19. Infero tertiò, rectè ſe geſſiſſe Alexandrum VI. dividendo Inſulas occidentales, quas Hiſtoriographi vocant Mundum novum, inter Reges Caſtellæ, & Luſitaniæ, cùm potuerit ei apparere injuria per Barbaros, illarum Habitatores, Innocentibus inferenda: atque adeò potuiſſe hos Reges virtute donationis Pontificiæ, debellare rectà via, & ante prædicationem Evangelij, Indorum infidelium Regna; cùm ex illa acquiſitione, omnem omninò juriſdictionem, ac omne imperium earumdem Provinciarum ſibi vendicaverint, non ipſo jure, nec jure belli, ſed Romani Pontificis auctoritate; unde juſtè poſſidere dicuntur, *arg. l. juſtè poſſidet, ff. de acquir. poſſeſſ.*

20. Infero quartò, poſſe Summum Pontificem Provincias, & Regna, quæ fuerunt Chriſtianorum, & deinde fuerunt ab Infidelibus uſurpata, cui libuerit indubitanter concedere, dummodò non exiſtant priores Domini, aut legitimi eorum Succeſſores, ſive Hæredes. Diana, *p. 6. tract. 4. Reſol. 18.*

21. Infero quintò, licitam fuiſſe conceſſionem Regni Jeruſalem, factam à Summo Pontifice Regi Carolo, cùm fuerit in poteſtate Chriſtianorum. Ità docet Bart. *in l. liber homo, ff. de verb. oblig.* Molfeſ. *in Sum. p. 2. tract. 12. cap. 5. nu. 51.* unde Rex Hiſpaniarum meritò Rex Jeruſalem vocatur.

22. Infero ſextò, Terras, Provincias, & alia, quæ aliquando fuerunt ſub noſtro dominio, & poſteà ad alienas manus pervenerunt, poſſe alienari cum clauſula, *ſi ad noſtram devenerint facultatem, ſive poteſtatem, Cap. Abbate ſanè de ſent. & re judic. in 6.* & ſic Dux Sabaudiæ poteſt cedere, ſeu vendere Regnum Cypri, cùm fuerit in ſua facultate, antequàm à Turcis uſurparetur, ut teſtantur Odoricus Rinaldus, *in ſuis Annal. anno Chriſti* 1460. *à num. 65. uſque ad finem.* Pater Antonius Foreſti, *in ſua Hiſtoria univerſali, tom. 4. p. 2. cap. 13.* & alij.

23. Infero ſeptimò, Summum Pontificem juſtè eligere Epiſcopos, qui dicuntur Epiſcopi Titulares in Terris, quæ fuerunt Chriſtianorum, & nunc de facto in ditione ſunt Infidelium. Ità etiam docet Bald. & Angel. *in d. l. liber homo*, latè Roderic. Suar. *ad leg. 10.*

24. Infero octavò, poſſe permitti rapere bona Infidelium; quod fit hodiè paſſim contra Saracenos, ſciente Summo Pontifice, & permittente; undè furantes Saracenis, propter dictam permiſſionem, non teneri ad reſtitutionem, cùm non peccaverint furando: nam Exod. 3. & 12. Judæi exeuntes de Ægypto, tulerunt ſecum bona Ægyptiorum ex præcepto Domini, in quo non peccaverunt, ut ibi notat Nicolaus de Lyra, & habetur *in Cap. dixit Dominus, cauſ. 24. quæſt. 5. & in Cap. Legimus, diſt. 36.* & probat D. Thom. *in 1. 2. quæſt. 100. art. 8. ad 3.*

25. Infero nonò, non eſſe occupanda bona Infidelium particularium, nec illos ad ſervitutem cogendos, ſi hoc prohibeat ſuo edicto Princeps Catholicus, cujus ſunt ſubditi: in quo ſenſu intelligenda eſt declaratio Pauli III. Hic enim, cùm aliqui occupaſſent injuſtè bona Indorum, illoſque ad infelicem ſervitutem compuliſſent contra expreſſum Regis Hiſpaniarum edictum, declaravit non poſſe Indos rerum ſuarum dominio, nec libertate privari, eò quòd Infideles exiſterent: & ratio videtur eſſe, quia dominium, & libertas particularium non afferunt propagationi fidei impedimentum, quod ſolùm affert Ethnicus Principatus.

26. Infero decimò, aliqua Regna Indiarum, quæ injuſtè & contra expreſſiſſimas Regis Catholici inſtructiones, fuerunt vi armorum ſubjugata, modò ſeu hoc tempore, quo Fidem Chriſtianam profitentur, juſtè ab Hiſpanis poſſideri: tùm quia, non adeſt modò legitimus Dominus, cui eſſet facienda reſtitutio. Tùm quia, eſſet contra Bonum Fidei dare ijs Populis facultatem ſibi eligendi alium Regem; dum poſſent Regem infidelem eligere, & ſub ejus dominio à fide deficere. Vict. *Relect. 5. de Indis, n. 14.* Ant. Corduben. *in ſuo Quæſtionario theolog. lib. 1. q. 57. dub. 6. verſ. quod ſi major pars populi.*

27. Infero undecimò, ſæpè in jure Canonico, per indirectam juriſdictionem Eccleſiæ erga temporalia, rectè ab Eccleſia diſponi de temporalibus, ut patet ex Text. *in cap. Valentinus, & cap. Hadrianus, 63. diſt. cap. Duo, & cap. Conſtantinus 69. diſt. cap. Sacerdotibus, cauſa 11. quæſt. 1.* & pluribus aliis juribus. Undè per hanc indirectam poteſtatem Romanus Pontifex à Græcis tranſtulit occidentale Imperium ad Francos, ſic exigente Catholicæ Fidei bono, propter hæreſes Græcorum Imperatorum, ut ſcripſit Baronius, *anno* 800. *§. 17. & anno* 870. & rurſùs à Francis ad Germanos. *Cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi.*

28. Infero duodecimò, poſſe Summum Pontificem auferre Regna ab hæreticis, & dare Principibus Catholicis. Ità etiam diſponit Text. *in cap. Ad abolendam, §. Statuimus, de hæret. cap. Vergentis, eodem tit.* & ibi Gloſ. & omnes Doct. Director. Inquiſitor. *in 3. par, q. 97. col. 9.*

29. Infero decimotertiò, depoſito Rege ex delicto, licere Pontifici concedere Coronam cui ipſi placuerit; undè non teneri Papam deferre coronam Hæredibus, nec tribuere Regno electionem novi Regis. Sic Zacharias Papa, depoſito Chilperico, filio Dagoberti, Francorum Rege, Pipinum Caroli Imperatoris Patrem in ejus locum ſubſtituit, atque omnes Francigenas à juramento fidelitatis abſolvit, ut refertur *in cap. Alius, cauſ. 15. q. 6.* Julius II. Joanni Regi Navarræ Regnum abſtulit, & Ferdinando Caſtellæ, & Aragoniæ Regi conceſſit. Ità Azorius, *part. 2. lib. 11. cap. 5. q. 8.* Pius V. conceſſit Regnum Angliæ cuicunque acquirenti, depoſita Elizabetha illegitima, & hæretica. Ità Sanderus, *de Schiſmate Anglic.*

gliæ, lib. 1. Germon. *de Sacrorum Immunit, lib. 3. cap. 13. num. 41.* & ità fecerunt alij Pontifices. Quare Augustinus de Ancona, *Tract. de potest. Papæ, quæst. 46. art. 3.* inquit. Potest Papa ex „ justa causa in quolibet Regno Regem institue„ re.

30. Infero decimoquartò, licere Summo Pontifici dare Barbaris conversis ad Christum, sive jure, sive injuria, dummodò verè essent Christiani, Principem Christianum, & auferre alios Dominos infideles, si ita expediret ad conservationem Religionis Christianæ, & rationabiliter timeret,
31. ne sub Dominiis Infidelibus deficiant à Fide; vel occidantur; quia Papa habet indirectè jurisdictionem in Principes laicos, & super eorum negotia. Vict. *Relect. 5. de Ind sect. 3. n. 14.*

XXVII. DIFFICULTAS.

An liceat Principi Christiano, sive Papæ Infideles sibi non subditos, bello invadere, eorum Terras occupare, eosque vitâ privare, propter solam Infidelitatem, aut propter alia peccata cum lumine naturæ pugnantia.

1. NOtandum est primò, inter Infideles, alios esse sine Baptismo, ut sunt Hebræi, Turcæ, Gentiles, & similes; & alios esse baptizatos; hujusmodi sunt Lutherani, Calvinistæ, omnésque Hæretici.

2. Notandum secundò, plures Infideles esse subjectos Principibus Christianis de facto, & de jure ut sunt Judæi in Italia, & alij habitantes in Terris Christianorum; & plures esse subjectos de jure, sed non de facto, ut sunt Turcæ, & alij iniquè occupantes Terras, in quas Christiani jus habent: alios demum nec Baptizatos, nec Principibus Christianis subjectos.

3. Notandum tertiò, in Infidelibus, tam non baptizatis, quàm baptizatis, præter infidelitatem, & hæresim, alia peccata graviora adesse posse, & contra legem naturæ, & contra legem divinam, ut est esus carnis humanæ, concubitus indifferens cum matre, sororibus, & cum masculis, innocentium oppressio, &c.

4. Notandum quartò, nunquam bellum esse justum, ubi nulla præcessit injuria, ut docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 40. art. 1.* adeóque justè bellandum requiri causam justam.

5. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Principi Christieno sive Papæ liceat invadere bello Infideles sibi non subditos, eorum Terras occupare, eosque vitâ privare, ob solam infidelitatem, aut propter alia peccata cum lumine naturæ pugnantia affirmativè videtur respondendum cum Host. *in cap. Quod super his, extrà de voto*, Panorm. ibidem Alvar. Pelag. *lib. de planctu Ecclesiæ, lib. 1. art. 37. circa med.* ubi refert opinionem Host. & videtur approbare. Jo. Major. *in 2. Sent. dist. 44. quæst. 3.* & alijs; nam Adventus Christi abstulit ab Infidelibus rerum suarum dominium, & transtulit in Christianos, ut patet ex Ecclesiast. 10. ubi habetur. *Regnum à gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.* Tum quia, à D. Gregorio, Pontifice, *lib. 1. Registri, epist. 73.* laudatur Gennadius Exarchus Africæ, quòd bello Infideles lacesseret, ut apud eos in potestatem redactos posset prædicari, & propagari Fides Christiana. Tum denique quia Populi Israelitici multorum Gentilium Regna, & Provincias occuparunt, idque Deo approbante propter infidelitatem illarum Gentium. ut patet, Deut. 22.

Fatemur hanc opinionem magnam habere probabilitatem: contrariæ tamen, quam longè veriorem esse arbitramur, & communiter in Scholis Theologicis receptam videmus, firmiter adhæremus. Cajet. 2. 2. *quæst. 66.* circa responsionem *ad secundum*, Vict. *Relect. 1. de Indis, p. 1. num. 19.* Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 106. conclus. prima*, Valent. *tom. 3. disp. 1. quæst. 10. de infid. punct. 7. §. Nihilominùs*, ubi alios allegat. Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 2.* Palaus, *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 3. num. 7.* Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 5. dub. 3. cap. 2, num. 6.* & alij plures. 6.

Moveor primò juribus, *in Cap. Dispar, caus. 23 quæst. 8.* ubi Alexander Secundus asserit, justè bellum geri contra Saracenos, quia Christianos persequuntur, non autem contra Judæos, *cùm sint*, inquit, *servire parati*; adeóque ex sensu Pontificis apertè deducitur, injustè bellum moveri adversùs Infideles, nihil mali Christianis inferentes. Et *in l. Christianis, Cod. de Pagan. & Sacrif.* ubi decernitur, ut ponderat Covarr. *in Reg. possessor. p. 2. §. 10. num. 1.* Barbosa, *Collect. in lib. 1. Cod.* bellum contra Infideles propterea solùm, quia infideles, & scelerati sunt, etiam auctoritate Imperatoris, vel Papæ, justè indici non posse. 7.

Moveor secundò rationibus: nam Infideles hujusmodi, non obstante infidelitate, & alijs criminibus, sunt veri Domini suarum rerum, ut habetur, Daniël, *cap. 2.* Matth. *cap. 22.* Rom. 15. atque adeò in Constantiensi, *Sess. 8.* absolutè damnatur inter alios articulos, Wicleph *art. 15.* quòd scilicet: *Nullus est Dominus civilis, dum est in peccato mortali.* Ergo jure suo per vim privari non possunt ab ijs, qui ipsorum superiores minimè sunt; nec sunt vel in se, vel in proximis ab eis læsi. In Principe enim Christiano, vel Papa non est jurisdictio super infideles, qui illi non subsunt, vel sunt extra Ecclesiam, ut optimè probat Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 105.* Quomodò igitur potest Princeps Christianus, vel Papa ab Infidelibus minimè læsus, illos justè bello lacessere ad puniendum, vindictámque sumendam de illis, pro eorum infidelitate, alijsque criminibus? Cùm coactio, vel punitio sine jurisdictione nequaquam sit justa, ut notat Suarez, *de Charit. disp. 18. sect. 4. num. 3.* Deinde scimus bellum rem adeò horrendam esse, ut eam nisi summa necessitas, aut vera charitas honestam efficere nequeat. Princeps verò Christianus, vel Papa nullam habet necessitatē Infidelium crimina puniendi, quorum Judex non est, sed solus Deus, ut habetur, *in 1. ad Cor. cap. 5.* ubi commemoratis peccatis, etiam idololatria, ait Apostolus. 8.

Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt judicare? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit: quem textum explicans Molina, *loc. cit.* ait: Qui foris sunt, id est extra Ecclesiam. Deficit igitur undequaque Principi fideli justa causa bellum indicendi Infidelibus, sibi non subditis, quia infideles sunt, vel scelerati, dummodò eorum crimina non cedant in Innocentium injuriam, juxta ea, quæ infrà dicemus.

9. Moveor tertiò, exemplo veterum Principum Christianorum, qui nunquam, ut notat Valentia, *loc. cit* §. *Quarto*, leguntur bellum movisse contra Infideles non subditos propter solam infidelitatem; quamvis multùm apud eos gratia, & auctoritate Sancti Patres valuerint, ut Sylvester Papa apud Constantinum, Ambrosius apud Theodosium, & alij apud alios, qui absque dubio Principibus illis hujusmodi rem suasissent, si licita esset.

10. Concludimus igitur, non esse licitum Principi Christiano, sive Papæ Infideles sibi non subditos, nec de jure, nec de facto, bello invadere, eorum Terras occupare, eosque vita privare propter solam infidelitatem, aut propter alia peccata cum lumine naturæ pugnantia: dummodò tamen non obsistant prædicationi Fidei, nec aliquos, qui ad fidem converti velint, impediant, nevè injuria aliqua Fidem, aut Fideles afficiant.

11. Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, quòd Ecclesiasticus tantummodò indicat eventum, qui solet contingere, nempe translationem Regnorum de gente in gentem propter peccata, Deo ità volente, vel permittente; non verò vaticinium translationis dominij ab Infidelibus ad Christianos, Deo ità disponente, aut imperante.

12. Ad secundam, quòd D. Gregorius laudavit bella Gennadij contra Infideles, qui erant Hæretici, & Apostatæ, ut apparet ex eodem Gregorio in illo *lib. epist*, 72. ad eumdem Gennadium. Posse autem Infideles, qui antea fidem professi sunt, ut adimpleant, quod promiserunt, compelli, ostendemus in sequenti Difficultate.

13. Ad tertiam, populos Israël id fecisse ex peculiari voluntate, & mandato Dei, & sic non esse imitandum id factum, sine peculiari voluntate, & mandato Dei.

14. Infero primò ex dictis, Infideles, qui neque Ecclesiæ, neque Christianis Principibus subjecti sunt, non posse bello, aut alio violento modo cogi ad eum finem, ut fidem suscipiant; quantumcunque sit eis probabiliter, & sufficienter annunciata. Et ità etiam docet D. Thom. 2. 2. *quæst*, 10. *art*. 8. Victor, *Relect*. 5. *de Indis*, *num*, 15. ubi dicit hanc esse communem sententiam Doctorum, etiam in jure Canonico & civili.

15. Infero secundò, Principes Christianos expoliantes sine justa causa Infideles nullatenùs eis subjectos eorum bonis, teneri ad restitutionem, Ita etiam sentit Trullen, *tom*. 2. *in Decal. lib*. 5. *dub*, 9. *num*. 6. Imò Barbosa, *Collect. in lib*. 1. *Cod. de Pagan, & Sacr. l. Christianis*, asserit turbantem Infideles quietè viventes, eorumque bona diripientem, teneri cum ablata re duplum restituere.

Infero tertiò, non licere Summo Pontifici debellare Infideles nullo modo sibi subditos, & eos in suam recognitionem compellere, per se, vel per alios Principes fideles, propereà solùm quòd recognoscere nolint eum tanquam Dominum suum temporalem, & totius Orbis. D. Thom. 2. 2. *quæst*. 12. *art*. 2. & alij apud Barbos. *de off. & pot. Episc. tit*. 3. *cap*. 2. 16.

Infero quartò, nullo modo licere Principi Christiano cogere armis, vel alio modo, Infideles non subditos ad fidem audiendam. Ita etiam Suarez, *de fid. spe, &c. disp*. 18. *sect*. 1. *num*, 6. 17.

Infero quintò, non posse Infidelium Infantes, nondùm usum rationis habentes, baptizari, invitis parentibus, neque privata auctoritate, neque publica, D. Tho. 2. 2. *quæst*, 10. *art*. 12. Suarez, *in* 3. *p*. D. Tho. *quæst*, 68. *art*. 10, *sect*. 2. ubi citat, & sequitur multos alios. Secùs verò si habent usum rationis, & incipiunt esse suæ potestatis, & consentiunt. Turrecrem. *in cap. De Iudæis*, 45. *dist*. §. *Ad tertium*. 18.

Infero sextò, Indos occidentales, injuriam Innocentibus minimè inferentes, non esse vi privandos rerum suarum dominio. Quod etiam asserit Innoc, *in cap. Super his*, *de voto*, *num*. 1. Archid. *in cap. Si de rebus*, 2. Et ità fuisse definitum à Paulo Tertio, fertur, ut notat Valentia, *loc. cit*. 19.

Infero septimò, licere Principibus Christianis, de consensu tacito, vel explicito Summi Pontificis, invadere bello Infideles ad privandos eos terris, quæ jure pertinent ad Christianos; & consequenter non peccare Christianos navigantes, qui bona Turcarum, terras ad Christianos spectantes injustè possidentium, rapiunt, neque teneri ad restitutionem, Valent, *loc. cit*. Trullen, *tom*. 2. *in Decal*, *lib*. 5, *cap*. 2. *num*. 6. 20.

Infero octavò, Infideles, qui nunquam susceperunt fidem, quique sint alioqui subditi Principibus Christianis, non posse bello, aut alio modo, compelli ad professionem fidei. Et est sententia communis Theologorum, quam ferè niti Ecclesiastica traditione asserit Valent, *tom*. 3. *disp*. 1. *quæst*. 10. *de infidelitate*, *punct*. 6. Contrarium nihilominùs tenent. Scot. *in* 4. *dist*. 4. *& quæst*. *unic*. Gabriel. *in ead. dist*, *quæst*. 2. *dub*. 5. *in fine*. Alphonsus à Castro, *lib*. 2. de justa Hæreticorum punitione, *cap*. 14. 21.

XXVIII. DIFFICULTAS.

An liceat Principi Christiano cogere armorum vi, vel alio modo, infideles sibi subditos, qui antea Fidem professi sunt, ut adimpleant, quod ipsi, vel ipsorum Progenitores promiserunt, & perseverent in vera Fide, quam vi, vel necessitate susceperunt.

NOtandum est primò, Infidelem posse dupliciter intelligi: uno modo, quia ipse Christo non vult consensum præstare: & hoc pertinet ad speciem infidelitatis Paganorum, & Judæorum. Alio modo, quia, quamvis intendat Christo assentire, non eligit tamen ea, quibus Christo assen- 1.

ſentiat, cùm eligat ea, quæ propria mens ſuggerit, non verò ea, quæ ſunt verè à Chriſto tradita. Undè D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 8. *in corp.* optimè diſtinguit Infideles, qui nunquàm ſuſceperunt fidem, ſicut Gentiles, & Judæi, ab Infidelibus, qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur, ſed non eo modo, quo debent, ſicut Hæretici, & quandoque Apoſtatæ: & benè hæreſim eſſe infidelitatis ſpeciem pertinentem ad eos, qui fidem Chriſti profitentur, ſed ejus dogmata corrumpunt, docet idem D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 1. *in corp.*

2. Notandum ſecundò, Apoſtaſiam ſimpliciter dictam, eam nimitùm, per quam aliquis diſcedit à fide, & ſic omninò à DEO retrocedit, ad infidelitatem pertinere. D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 12. *art.* 1. *in corp.*

3. Notandum tertiò, Ritus Hæreticorum, Judæorum, Paganorum, aliorumque Infidelium aliquandò tolerari à Principibus Chriſtianis, quorum ſubditi ſunt, ad aliquod malum evitandum, ſcilicèt ad evitandum ſcandalum, vel diſſidium, quod ex hoc poſſet provenire, vel impedimentum ſalutis eorum, qui paulatim ſic tolerati convertantur ad fidem. Turrecrem. *in cap.* *Qui ſincera*, 45. *diſt.* Valentia, *diſp.* 1. *quæſt.* 10. *punct.* 7. ubi advertunt, Ritus infidelium Judæorum, qui Eccleſiæ ſubditi ſunt, licitè poſſe permitti, quia in illis olim præfigurabatur veritas fidei, quam profitemur, atque adeò nobis argumentum contra ipſos Judæos ſuppeditant: & ità determinatum eſt à Gregorio, ſcribente Paſcaſio Epiſcopo Neapolitano, *d. cap.* *Qui ſincera*, 45. *diſt.* Et propterea non fuiſſe Judæos ab ipſo DEO extinctos, ſed permiſſos diſpergi per Mundum, ſcribit S. Aug. *lib.* 18. *de Civit. DEI*, *cap.* 46.

4. Notandum quartò, Principes, qui ſunt legis divinæ quaſi Cuſtodes, & Propugnatores, debere illius obſervationem, rectâ tamen ratione, modoque conſentaneo, tueri, ac promovere. Valent. *loc. cit. punct.* 6.

5. His annotatis, ad difficultatem propoſitam, an liceat Principi Chriſtiano cogere armorum vi, vel alio modo Infideles ſibi ſubditos, qui anteà fidem profeſſi ſunt, ut adimpleant, quod ipſi promiſerunt, aut Progenitores ipſorum, & perſeverent in vera fide, quam vi, vel neceſſitate ſuſceperunt, negativè videntur reſpondere. D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 8. *ad* 2. Riccard. *in* 4. *diſt.* 6. *art.* 3. *quæſt.* 3. & Palud. *diſt.* 4. *quæſt* 4. *art.* 3. Sot. *diſt.* 5. *quæſt.* *unic. art.* 10. & alij. Nam credere, cùm ſit actus voluntatis, ſecundùm D. Tho. *loc. cit.* debet eſſe omninò voluntarium: atque adeò illicitum cenſetur ad hunc finem metum incutere, à quo involuntarium, ſaltèm ſecundùm quid, efficitur. Præterea veritas fidei, & ſic aſſenſus illius eſt extra ſphæram naturalis rationis, ſeu ſuperat humanum captum. Quomodò ergò poterit aliquis licitè vi compelli ad id, quod naturaliter non cognoſcit? Deindè ità videntur diſponere Decreta in jure Canonico. *Cap.* *Sicut Judæi*, *extra de Juda. & Sarac. Cap.* *De Judæis*, 45. *diſt. Cap.* *Majores*, *extrà de Baptiſ. Cap.* *Qui ſincera*, *ead. diſt.* ubi prohibetur Infideles cogi ad Fidem, atque adeò ab ejuſmodi prohibitione illicita redditur omnis coactio.

6. Veritas tamen eſt, licere Principi Chriſtiano cogere armorum vi, vel alio modo, Infideles ſibi ſubditos, qui anteà Fidem profeſſi ſunt, ut adimpleant, quod ipſi promiſerunt, vel ipſorum Progenitores, & perſeverent in fide vera, quam vi, vel neceſſitate ſuſcepere. D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 8. *in corp.* Turrecrem. *in cap.* *Quis nos*, *cauſa* 23 *quæſt.* 4. Scot. *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt. ult.* Molina, *tom.* 1. *de juſt. tract.* 2. *diſp.* 166. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 10. *punct.* 7. Suarez, *de fid. diſp.* 18. *ſect.* 4. *num.* 6. & alij plures, ſed ante omnea. S. Auguſt. *epiſt.* 50. *ad Bonifacium*, ubi illud Lucæ, 14. *Exi in vias, & ſepes, & compelle intrare*, exponens, dicit Hæreticos, & Schiſmaticos compellendos eſſe intrare rursùs in Eccleſiam Catholicam.

7. Moveor primò juribus, *in cap.* *Quis nos*, *cauſ.* 24. *quæſt.* 4. *& cap.* *De Judæis*, *diſt.* 45. ubi dicitur, quòd illi, qui olim coacti fidem ſuſceperunt, quia conſenſerunt, fidem retinere cogendi ſunt; & *l. nemo, la prima*, *Cod. de Pagan.* ubi prohibetur ad priſtinam redire malam Sectam quoquo modo relictam; & *l. quicunque*, *Cod. de Hæret.* qua pœna mortis per Valentinianum, & Marcianum laudatiſſimos Principes punitur, qui à Fide Catholica diſcedit.

8. Moveor ſecundò rationibus: nàm agere, quod juſſit Chriſtus fieri, non eſt illicitum. Atqui Chriſtus mittens ſecundò ſervos ad invitandum, juſſit compellere intrare; & per eos, qui jubentur compelli intrare, intelliguntur illi, qui ſemel fidem Chriſti ſuſceperunt; quemadmodum per illos, quos primò ſervi invitaverunt, deſignantur illi, qui fidem non ſunt profeſſi, ita S. Auguſt. contra Donatiſtas, relatus à Turrecrem. *loc. cit.* Tum quia, certum eſt ex fide, ut patet ex Bulla Leonis X. per quam Articuli Lutheri damnati ſunt, poſſe Eccleſiam cogere Hæreticos, & Apoſtatas proteſtari fidem, quam ſuſceperunt; eoſque punire ob fidei deſertionem, quod negavit Lutherus, ut videre eſt in *art.* 33. illius apud Roffenſem: ut latè probat S. Aug. *in epiſt.* 48. *ad Vincentium*, *&* 50. *ad Bonifacium*, *& lib.* 2. contra duas Epiſtolas Gaudentij, *cap.* 17. *&* 26. & habetur in Concilio Conſtantienſi, *Seſſ.* 15. ubi contrarius error Hus damnatur, & *in cap.* *Ad abolendam*, *extra de hæret. & in cap.* *Super eo*, *de hæret. in* 6. Convenit enim communi Bono id exigente, eſſe in omni Republica, ac proindè in Chriſtiana, poteſtatem cogendi timore pœnæ ad officium præſtandum eos, qui ſponte nolunt, & flagitioſos cæteris perniciosos de medio tollendi: Atque adeò, jure optimo, licebit, non tantùm Eccleſiæ, ſed etiam Principibus Chriſtianis, qui Defenſores ſunt Eccleſiæ, ut alibi oſtenſum eſt, & legis divinæ quaſi Cuſtodes, & Propugnatores, ut ſuprà in 4. Not. Hæreticos, & Apoſtatas cogere armorum vi retinere fidem, quam ſuſceperunt, eoſque punire id recuſantes.

9. Moveor tertiò exemplo in Gennadio Exarcho Africæ, qui ſummoperè laudatur à D. Gregorio, *in lib.* 1. *Regiſtri*, *epiſt.* 72. propterea, quia bella

adversùs Infideles, qui erant Hæretici, & Apostatæ, ut apparet ex eodem D. Gregor. *loc. cit.* constantèr gessit; Et nostris temporibus in Ludovico XIV. Christianissimo Rege, Ugonotos, seu Hæreticos ad Fidem Catholicam cogente redire, è suo Regno, ac Provincijs eijciente omnes ei parere nolentes: & in Victorio Amedeo II. Sabaudiæ Duce, qui consilio, & ope tanti Regis, è Valle Lucernæ Valdensis, vulgò, Barbetos, sibi subditos Fidem Catholicam nolentes amplecti, vi armorum ejecit; quamvis posteà, ut alibi innuimus, necessitate ductus, eos revocaverit; obstrictos tamen rigorosis decretis eorum Sectæ respicientibus destructionem.

10. Concludimus igitur, licere Principi Christiano cogere armorum vi, aut alio modo, Infideles sibi subditos, qui antea Fidem professi sunt, ut adimpleant, quod ipsi, vel ipsorum Progenitores promiserunt: & perseverent in vera fide, quam vi, vel necessitate susceperunt.

11. Ad objecta respondemus: Ad Auctoritates, quòd allegati Doctores loquuntur de Infidelibus, qui fidem veram nunquam habuêre, nec subditi sunt Christianis Principibus; quos & nos concedimus, non esse ad fidem cogendos.

12. Ad rationes: quòd ad summum probant, nullo modo esse cogendos ad fidem, qui nullo modo fidem acceperunt. Præterquam quòd, ad primam respondet D. Thom. *loc. cit. ad 3.* quòd sicut vovere est voluntatis; reddere autem necessitatis: ita accipere fidem est voluntatis; sed tenere eam acceptam, est necessitatis.

13. Ad secundum dicit Valent. *loc. cit.* esse infirmam, cùm possit naturali ratione evidenter cognosci quòd doctrina fidei sit digna creditu, propter motiva credibilitatis illius, quæ naturaliter cognosci possunt; quamvis veritas ipsa fidei, atque adeò assensus illius superet naturalem rationem.

14. Ad jura allegata respondetur, ijs duntaxat prohiberi, Infideles, qui nunquam fidem accepere, cogi ad Fidem, & Ecclesiam.

15. Infero primò ex dictis, laudabilitèr se gerere illos Principes Christianos, qui de sua ditione expellunt Hæreticos, maximè suo exemplo, vel exhortatione nocentes, cùm Religionem corrumpant, in qua salus Animæ reperitur.

16. Infero secundò, fas esse proprijs Principibus Infidelium, qui temporalem jurisdictionem in eos habent, prohibere eis peccata, quæ in solam DEI offensam, & perniciem cedunt peccantium, Ita etiam Molin. *loc. cit.*

17. Infero tertiò, Apostatantes à fide posse rigorosè puniri, & facientes à fide Apostatare servum, vel liberum, capite esse puniendos. Ità etiam disponit, *l. eum, qui Cod. de Apostat.*

18. Infero quartò, Apostatantes à fide perdere omnia, etiam à jure communi Christianis concessa: & adest Tex. *in leg. hi, qui, Cod. de Apostat.*

19. Infero quintò, licere Principi bello infestare usque ad ultimum exterminium suos subditos à Fide Catholica deficientes, & alios secùm trahentes in eamdem hæresim; cùm hoc modo turbent pacem Ecclesiæ, & dissensionem faciant in Republica. Sic Moyses bello aggressus est illam partem populi, quæ vitulum adoravit, & interfecit quasi viginti tria millia hominum. Exod. *cap. 32. num. 28.* Docet etiam Diana, *punct. 6. tract. 4. Ref. 19. num. 2.*

Infero sextò, Regem Ethnicum, id est non Christianum, si habet cognitionem unius DEI, posse licitè cogere suos subditos ad idem credendum, & consequenter posse illos cogere ad abstinendum ab idolis, & omnibus superstitionibus, cæterisque peccatis, rationi naturali contrarijs. Suarez, *de fid. disp. 18. sect. 4. num. 6.* 20.

Infero septimò, licitè à Fidelibus bellum moveri contra Infideles non sibi subditos, si hoc faciant non quidem, ut eos ad credendum cogant, sed ut eos compellant, nè Christi fidem impediant, vel blasphemijs, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus. D. Tho. *loc. cit.* Turrecrem. *in cap. Quis nos, causa 24. q. 4.* 21.

Infero octavò, Barbaros ad Fidem Catholicam conversos, si vi, vel metu cogantur ad pristinos errores redire, esse à Summo Pontifice, & Principibus Christianis adjuvandos, & si opus fuerit, bellum esse contra pertinaces Infideles movendum, sic Constantinus in Maxentium, & in Licinium, alijque Romani Imperatores in Persas, & arma sumpserunt, & capere minati sunt; & hoc quidem titulo, non solùm Religionis, sed etiam amicitiæ: ex eo enim, quòd Barbari amplexati sunt Fidem Catholicam, facti sunt amici, & socij Catholicorum. 22.

Infero nonò, Principem Apostatantem à fide posse per sententiam Ecclesiæ cogi ad amittendum dominium in subditos; & consequenter subditos non teneri in tali casu eis obedire. Ita quoque D. Thom. *2. 2. quæst. 10. art. 2.* 23.

Infero decimò, licere Christianis Principibus imponere suis subditis infidelibus tributa, & onera alioquin justa, ea intentione, ut ad redimendam molestiam, licèt justè alioqui illatam, convertantur ad fidem. Ita Valent. *tom. 3. disp. 1. q. 10. punct. 6.* 24.

Infero undecimò, licere Duci Sabaudiæ movere bellum adversùs Genevenses, ut eos cogat ad amplectendam Fidem Catholicam, quam jam pridem confessi sunt, & ad suum recognoscendum dominium: nàm Genevenses sunt subditi Ducis Sabaudiæ de jure, quamvis non de facto. 25.

Infero duodecimò, justè concedi à Summo Pontifice Indulgentiam omnibus ad bellandum contra Turcas, pro recuperatione Terræ Sanctæ, & Provinciarum à Turcis possessarum, quas olim Principes Christiani possidebant. 26.

XXIX. DIFFICULTAS.

An princeps teneatur sub mortalis culpæ reatu cedere juri belli, quod gerit contra Principem Catholicum, pro consecutione Provinciæ pretensa, & bellare contra Hæreticos, hæresibus Rempublicam probabiliter contaminaturos.

NOtandum primò, quòd Difficultas hæc supponit, Principem non posse, ex defectu virium, 1.

um, duo bella eodem tempore sustinere; ideóque aut bellum justum contra Principem Catholicum esse omittendum; aut contra Hæreticos non esse bellandum.

2. Notandum secundò, ut facilè enodetur difficultas, cum Victoria, *de jure belli, Relect. 6. num. 35.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 107.* & alijs, evenire aliquando posse, ut bellum aliquod sit justum, & licitum per se, & illicitum per accidens, scilicèt, ratione circumstantiarum; ut si Princeps ob res suas aut sibi debitas persequendas, vel de injuria sibi illata, justam vindictam sumendam bellaret; ex quo bello gravissima damna suæ Reipublicæ, vel Bono communi, vel Catholicæ Religioni indè oriterentur: hujusmodi bellum justum alioqui per se atque licitum, illicitum per accidens nuncuparetur.

3. Notandum tertiò, ad bellum justum, & licitum non sufficere, quòd Princeps credat se habere justam causam; potest enim errare vincibiliter, & affectatè, ut notat Victoria, *loc. cit. num. 20.* & ad actum bonum non sufficere sententiam cujusque, sed oportere, ut fiat secundùm judicium Sapientis, ut patet, *2. Ethic.*

4. Notandum quartò, Principem in bello inferendo non minùs posse esse injustum adversùs alienam Rempublicam, cui illud inferre parat, quàm adversùs suam: adeóque non solùm esse illi attendendum, an justè, & licitè bellet contra alienam Rempublicam, sed etiam an injustè, & illicitè se gerat contra suam, ejusmodi bellum movendo. Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 102.*

5. Notandum quintò, hæreticum dici illum, qui post fidem susceptam, in ijs, quæ sunt fidei, erravit, vel etiam determinationem Ecclesiæ falsam putavit, ut admonet Tex. *Cap. Hæc est, caus. 24. q. 1.* D. Tho. *2. 2. quæst. 1. art. 2. in corp. & ad tertium.* Qua de causa, dicitur hæresis ab electione erroris, quòd scilicèt eam quis sibi eligat disciplinam, quam putat esse meliorem. *Cap. Hæresis, causa 24. quæst. 1.* Vel dicitur hæreticus ab erro, erras, vel hæreo, hæres, quia nimirùm adhæret suæ opinioni: vel ab ercisco, quod idem significat, ac divido, quia per falsam doctrinam, quam primò elegit, & cui electæ pertinacitèr adhæret, ab alijs sanè sapientibus, dividitur & elongatur.

6. Notandum sextò, dubium in fide esse hæreticum, si scientèr, & pertinacitèr dubitet de decisis à Fide Catholica. Secùs verò, si ignoranter, vel ex primis motibus, & paratus sit corrigi. Graff. *p. 1. Decis. lib. 2. cap. 8. num. 15.*

7. Notandum septimò, illum non dici propriè hæreticum, qui Fidem Catholicam ore negat, timore, aut cupiditate victus, si mente verum credat. Ita declarat Tex. *in cap. Sicut sanius, caus. 32. quæst. 4. cap. Potest,* & ibi Turrecrem. *de pænit. dist. 1.* Gloss. *in cap. Non solùm, 11. quæst. 3.* Cajet. *2. 2. quæst. 12. art. 1.* Et ideò Marcellinus Papa licèt peccaverit sacrificando idolis timore victus, non tamen commisit peccatum hæresis, ut sustinet Turrecrem. *in d. cap. Potest. & cap. Nunc autem, 21. dist.*

8. His annotatis, ad difficultatem propositam, an Princeps teneatur sub lethalis culpæ reatu cedere juri belli, quod gerit contra Principem Catholicum, & bellare contra hæreticos hæresibus Rempublicam probabiliter contaminaturos, respondeo affirmativè cum Vict. *de jur. belli, Relect. 6. num. 33.* Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 107.* Suarez, *disp. 13. de bello, sect. 4. num. 8.* Valentia, *22. disp. 3. q. 16.* Coninch. *disp. 31. dub. 4. num. 72.* Castropal. *de charit. tract. 6. disp. 5. punct. 3. num. 18.* & alii.

Moveor primò juribus, *in l. si quis filium*; ubi Jas. *Cod. de inoffic. testam.* ubi habetur, quòd Princeps debet habere subditos loco filiorum, & ut tales eos tractare: & sic eorum commoda quærere. Differt enim Princeps à Tyranno per hoc, ait Aristot. *lib. 8. politic. cap. 10.* quòd Tyrannus suum ipsius commodum spectat, & quærit, at Rex subditorum; ideóque Claudianus ad Honorium, 9.

In civem, patremque geras; tu consule cunctis,
Non tibi, nec tua te moveant, sed publica damna.

Adeóque, si Princeps videns hæreticos Rempublicam invasuros, populumque hæresibus contaminaturos, contra ipsos non bellat; contra Principem Catholicum bellum, pro recuperatione prætensæ Provinciæ, prosecuturus, commoda quærit sua, non subditorum. Commodum enim subditorum est vitare hæresum pestem, quæ ad inevitabilem mortem disponit Animas, cùm sit gravissimum peccatum, inducatque excommunicationem latæ sententiæ, Summo Pontifici reservatam. *Cap. Excomm. 5. & 2. cap. Ad abs olv. de hær. Bull. Cæn.* Ergò suum munus non implet, dum non curat Bonum commune Religionis, quod est maximum subditorum Bonum, Ergò mortaliter peccat.

Moveor secundò rationibus; nàm Princeps tenetur omittere bellum quamvis justum, quando propter illud oporteret gravare subditos supra vires, & eos expoliare. Salon. *2. 2. tom. 2. q. 77. art. 3. controvers. 6.* Villalobos, *tom. 2. tract. 8. diff. 13. num. 5.* Diana, *p. 1. tract. 3. resol. 5.* & alii. Ergò à fortiori omittendum erit bellum alioqui justum, quando propter illud possent subditorum Animæ hæresum pondere gravari, & gravatæ ad abyssum præcipitari. Tùm quia, cùm Fides, quam Princeps Catholicus profitetur, immediatè respiciat defensionem honoris DEI, strictissimè illum obligat, etiam cum jactura omnium bonorum, ac ipsius vitæ. Defenditnè Princeps honorem DEI, si videns hæreticos Rempublicam invasuros in perniciem Ecclesiæ, & Fidei, & detrimentum spiritale Fidelium, adversùs ipsos non bellat, dum potest, juri belli contra Principem Catholicum cedendo? Ergo non faciendo id, quod debet in materia tàm gravi, graviter peccat. 10.

Moveor tertiò exemplis Principum, qui propria commoda minimè spectando, bellum contra Infideles, Christianam Rempublicam erroribus, aut crudelitate invadentes, susceperunt. Sic 11.

Justinianus Imperator in somno divinitùs admonitus, ut Christianos in Lybis à Vandalorum crudelitate liberaret, author fuit Vandalici belli suscipiendi, contra ipsos mittendo Beilisarium, qui bellum susceptum, magna cum alacritate, tribus mensibus, capto Gilunero eorum Rege, confecit. Niceph. *lib.* 17. *c.* 12: Procop. *de bello Vand. lib.* 3.

12. Childebertus Francorum Rex proprium commodum minimè curans, bellum movit contra Amalaricum Vestgothorum Regem Arianum, quia uxorem suam propriam sororem Clotildem ob Christianismum acerbè insectabatur, quem vicit & interfecit. Procop. *l.* 1. Turonensis, *lib.* 3. *cap.* 9.

13. Trebellius Bulgarorum Rex, conversus ad Christum, juri belli non cessit contra Infideles bellaturus, verum filium suum an Gentilitatem redire cupientem, maluit Regno, oculisque privare, quàm infidelitatem videre in filio suo regnare, fierique Regnum infidele. Fulgos. *lib.* 5. *cap.* 8. & Sab. *lib.* 3. *cap.* 3.

14. Concludimus igitur, Principem Catholicum teneri juri belli cedere, contra infideles, seu Hæreticos bellaturum, nè jura hæreticorum injusta contra bonum commune Religionis prævaleant.

15. Infero primò ex dictis, non ob quamvis causam, aut ubi jus satis compertum est, bellum licitum esse existimandum, aut statim suscipiendum, etiam Aristoteles monet, & Polybius, sed justam causam belli magna diligentia esse examinandam à probis, & sapientibus viris, qui cum charitativa libertate, absque ira, vel odio particulari, aut cupiditate, vel alio humano respectu loquantur, & ipsam veritatem aperiant. Molfesius, *in Sum. p.* 2. *tract.* 12. *cap.* 3. *num.* 161.

16. Infero secundò, posse à Summo Pontifice bellum alioqui per se justum, & licitum prohiberi, si cognoverit esse illicitum per accidens, id est tendere in damnum Catholicæ Fidei. Sotus, *in* 4. *dist.* 25. *q.* 2. *art.* 1. *conclus.* 4. Lorca, 2. 2. *q.* 40. *sect.* 3. *disp.* 53. *num.* 1. Conineb. *de charit. disp.* 31. *num.* 72. Castropalaus, *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 2. *num.* 6. Vict. *Relect.* 1. *de Indis*, *num.* 29. Dians, *p.* 6. *tract.* 4. *resol* 2.

17. Infero tertiò, Principem non teneri restituere, si non bellet contra Hæreticos, jus suum contra Principem Catholicum prosecuturus. Suarez, *disp.* 13. *de bello*, *sect.* 4. *num.* 8. Ratio est, quia tunc „ peccat tantùm contra charitatem Ecclesiæ debi„ tam; & ille alius justus titulus illum ab obliga„ tione restituendi liberat.

18. Infero quartò, posse Principem eripere bona hæreticorum, contra quos bellum gerit: Tùm quia, bellum est justum. Tùm quia, Hæreticus à die commissi criminis incurrit confiscationem bonorum, ut asserunt communiter Doctores, & est determinatio. Directo. *lib.* 3. *tit.* 9. *& in Summa Baptistana*, *in verb. absol.* §. 17. & videtur definitum, *in cap. Cùm secundùm leges*, *de hæreticis*, & videtur haberi, *ex l.* 4. *Cod. de hæret.* ubi interdicitur hæreticis venditio, & donatio, & omnis contractus bonorum suorum. Contrarium tenent Sylvest. *verb. Hæresis*, §. 8. Vict. *Relect.* 5. *de Indis*, *num.* 14. Cajet. *in Sum. verb. Pœna.* Sed nihil contra nos, cùm hi asserant hæreticum non privari dominio suorum bonorum antequàm condemnetur; quia cùm Princeps sit hostium legitimus judex, ut alibi notavimus, habet jus pronunciandi sententiam, & hæreticos, contra quos bellat, ad privationem vitæ; & bonorum damnandi.

Infero quintò, Principem posse, imò teneri bellare contra Helcesaitas Rempublicam Fidelium invasuros, quia debent judicari hæretici, cùm affirment aliquem in tormentis, seu in necessitate, Christum negare posse sine peccato, dummodò corde crederet, ut refert Euseb. *lib.* 6. *Historia Ecclesiastica*, *cap.* 31. & Niceph. *lib.* 5. *cap.* 24. 19.

Infero sextò, Principem non posse justè bellare contra illos titulo hæresis, qui cùm fuerint parvuli, fuerunt baptizati, & posteà capti ab Infidelibus, & inter eos sine ulla Christianæ Fidei notitia educati, posteà redempti sunt à Christianis, & inter eos reducti, quia nec hæretici, nec excommunicati sunt, si nullum unquàm habuerint errorem in intellectu; ità Alphon. de Cast. *lib.* 1. *de justa hæret. punit. cap.* 8. *dub.* 2. Graff. *p.* 1. *Decis. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 3. ubi ait: Hinc adorare dæmones, baptizare imagines, thurificare dæmones; dæmones consulere, & eorum responsa suscipere; Corpus Christi mittere ad canes, & alia hujusmodi, quæ horrent aures, nisi sit error in intellectu, non faciunt hominem hæreticum. Arch. Flor. 3. *par. Sum. tit.* 12. *cap.* 4. D. Thom. *1. Sent. dist.* 33. *q.* 1. *art.* 5. *in corp.* Secùs verò, existente in intellectu aliquo errore: & tunc errorem adesse intellectualem, credibilius est. 20.

Infero septimò, neque titulo hæresis posse Principem gerere bellum contra proferentes jocosè verba hæreticalis, cùm non sint dicendi hæretici, dummodò non habeant errorem in intellectu, & pertinaciam in voluntate, quæ faciunt hæreticum: cùm factum jocosum pœnam non mereatur, *l.* 1. §. *Divus*, *ff. de Sicar. l. obligationum substantia*, §. *fin. ff. de actio. & oblig. l. sicut semel*, *Cod. de liber. causa*, *cap.* 1. *de sent. excom.* Quæ tamen jura non sunt indistinctè, & universaliter intelligenda, cùm proferentes joco blasphemias hæreticales, si talem habeant consuetudinem, cogantur abjurare de levi, cum præcepto se abstinendi, & nonnunquam ex circumstantijs, & conditione personæ, forsitan cum tortura, debeant abjurare devehementi. 21.

Infero octavò, hæreticum posse, ubique locorum reperiatur, puniri. Farin. *q.* 7. *n.* 17. Intrigliol. *Tract. de cas. conscien. cas.* 88. *num.* 48. ubi refert plures Canonistas, & Jurisconsultos. Crimen præcipuè hæresis non relinquat impunè Princeps, si cupit Rempublicam florere. Tebanis enim mirantibus Lacedæmoniorum Rempublicam florere respondit T. Philonius Philosophus, illuc missus causam investigaturus, eis ostendens virgas, laqueos, secures rotas, & alia hujusmodi. Enocites Thebani quid Laconum disciplinam sauciat. Nemo apud ipsos vitiosus est impunè. Dressel, *de damnatorum rogo*, *cap.* 9. 22.

XXX. DIFFICULTAS.

An, ob bellum justum contra infideles, possit licitè Summus Pontifex concedere Decimas Principi Catholico, adversùs illos bellanti.

1\. NOtandum primò, quòd Decima, si nomen inspectes, bonorum, seu fructuum omnium, partem decimam significat. *Cap. Decimam, de decimis*, quæ DEO datur, & cui dandam ratio ipsa naturalis suadet. Scimus enim Græcos, Carthaginenses, & Romanos Dijs suis Apollini, Herculi, Jovi Feretrio decimam de præda sacrasse; existimantes ex decimarum solutione majora à Dijs recognitis bona recipere: unde Lucullo, ob satisfactionem voti decimarum patrari auctas opes Veteres credidere, teste Plutarcho *in Lucullo* apud Azor. *lib. 7 Instit. moral. p. 1. cap. 2. q. 2.* Mirum igitur non est, si Abrahamus rationis lumini fidem habens conjunctam, ex spolijs à quinque Regibus acceptis, decimam DEO vero dederit, Gen. 14. Heb. 7. 4. Ex quibus constat decimarum solutionem rem esse antiquam, confirmante hoc Ulpiano. *in l. 2. ff. de pollic.*

2\. Notandum secundò, decimas dividi in prædiales, personales, & mixtas. Host. *in Sum. de decim § 3.* Bonacin. *de censur. in Bull. Cœn. disp. 1. q. 19. punct. 1. 2. & 3.*

3\. Notandum tertiò, decimas, collectas, taleas, præstantias, gabellas, & cætera hujusmodi onera, quamvis habeant diversum nomen, re tamen coincidere, ut notat Sylv. *in Sum. verb. Gabella*, 4 Duardus, *in Bull. Cœn. in Canon. 18. quæst. 2. num. 12.*

4\. Notandum quartò, onera in triplici esse differentia; alia nempè personalia, alia merè realia, alia denique mixta. Personalia in sola hominis industria, & labore consistere, absque sumptu rei familiaris, ut est munus tutelæ, curationis, & alia de quibus *in l. 1. §. Illud tenendum est, & l. fin. ff. de muner. & honor*: Merè realia esse, quæ sumptibus patrimonij, ac damnis exolvuntur, ut *in d. §. Illud, & d. l. fin. §. Patrimoniorum*: Mixta esse quæ laborem corporis, & sumptus rei familiaris complectuntur.

5\. Notandum quintò, nos hìc non loqui de decimis, prout sunt pars decima Deo data, & divina constitutione debita, ut *in cap. 1. cap. Parochianos, & cap. Non est, de decim.* & quatenùs determinatè debentur quoad quotam Ministris Ecclesiasticis, in eorum sustentationem, ut patet ex authoritate Ecclesiæ, quæ contra hæreticorum errores id lege sanxit, ut videre est in Decretalibus, titulo de decimis, permulta capita, *& can. 16. q. 1. cap. Decimas, & cap. Revertimini, & cap. Decimas*; & in Concilio Constantiensi, *Sess.* 8. ubi error contrarius Wiclephi damnatus est, & in Concilio Trident. *Sess. 25. cap. 12. de reform.* ubi subtrahentes, aut impedientes decimas, excommunicantur: sed nos hìc loqui tantùm de decimis, quatenùs sunt onus quoddam super bonis, vel personis Clericorum, sive sit pars decima fructuum, & rerum ex artificio, aut scientia quæsitarum; sive duodecima, sive vigesima, juxta ea, quæ tradit Thes. *tom. 1. cap. 22.* Syl. *in verb. decima, q. 4.*

Notandum sextò, Ecclesiasticos esse immunes 6.
à laica potestate; non solùm in causis Ecclesiasticis, & spiritualibus, ut communiter concedunt Doctores, sed etiam in temporalibus, tam quoad personas, quàm quoad bona sua, licèt quoad qualitatem juris circa talem immunitatem non conveniant Doctores; quorum aliqui putant Ecclesiasticos esse exemptos in temporalibus jure civili, & Canonico, non verò jure divino, ut notat Bonacina, *de censur. in Bull. Cœn. disp. 1. q. 19. punct. 3. §. 2.* Alij existimant esse exemptos in spiritualibus causis jure divino, quia potestas in spiritualibus, & supernaturalibus collata fuit à Christo non sæcularibus, sed Apostolis, eorumque Successoribus, ut colligitur *ex cap. Quamquam de censib. in 6. & cap. Si Imperator, 96. dist.* item ex Concil. Constant. *Sess.* 8. ex Innoc. III. *cap. Ecclesia Sanctæ MARIÆ*, ex Eugen. III. *cap. Decernimus, de judic.* Quoad verò personas, esse exemptos à laica potestate jure civili, Canonico, & divino, fusè probat Bonacina, *loc. cit.* Esse verò exemptos quoad decimas, & alia onera, à laica potestate jure humano, civili, Canonico, & divino, constat ex Authent *nulla Communitas, Cod. de Episcop. & Cleric.* ubi prohibetur exigere ab Ecclesiasticis collectas; *& l. placet, Cod. de Sacrosanct. Eccles. & l. 2. Cod. de Episcop. & Cleric.* ubi Clerici, & eorum bona ab oneribus, gabellis, collectis, & similibus eximuntur.

His annotatis, ad difficultatem propositam, 7.
an ob bellum justum contra Infideles, liceat Summo Pontifici concedere decimas Principi Catholico, adversùs illos bellanti; negativè videtur respondendum: nàm decimæ, & redditus omnes Ecclesiastici donantur ipsi Deo, & Deus est Dominus illorum; & Pontifex est tantùm dispensator. Ergò non licet Papæ illos concedere, cui vult. Præterea, si decimæ, & redditus sunt Ecclesiarum, quibus bona collata sunt, ut est probabilissimum, non possunt dispensari, nisi in illos usus, in quos ex prima institutione debentur. Ergò si Papa, qui est tantùm administrator, in alios usus concedit, facit contra justitiam, & contra jus naturale. Ergò ei non licet illos concedere Principi.

Præterea, licèt ante Concilium Lateranense 8.
potuerit Papa ex justa causa concedere laicis jus decimandi; postmodùm verò non potest. Sic videtur disponere Tex. *in Cap. Cùm Apostolica de his, quæ fiunt à Prælatis.* Ergò non licet Pontifici, neque ob bellum justum contra Infideles concedere Principi decimas.

Contrarium tamen verius esse arbitramur; & 9.
sic est sustinendum. D. Thom. *2. 2. quæst. 87. art. 4.* DD. *in cap. Quamvis, de decimis, & in cap. Causam, quæ, de rescript. in cap. 2. de judic.* Graff. *p. 2. lib. 2. de bello, cap. 20. num. 43.* Filliuc. *Tract. 28. p. 2. de præc. jejn. capit. 7. num. 158.*

Moveor primò juribus, *arg. in l. sancimus, Cod.* 10.
de Sacrosanct. Eccles. & Cap. Sicut, causa 12. quæst. 2. ubi habetur, pro redemptione Captivorum posse

posse alienari res sacras, & sanctas. Cur ergo non licebit Pontifici decimas concedere, ob bellum contra Infideles, cùm tendant ad redemptionem Captivorum, & Ecclesiarum, quæ ab illis occupantur, & ad defensionem aliarum, quibus melius est providere ante tempus, quàm post, ut disponit, *C. in quibus cauf. in integ. rest, non est necesse, l. fin.* Oldr. *conf. 71. num. 4.*

11. Moveor secundò rationibus, *Can. 18. Bull. Cœn.* prohibetur imponi Personis Ecclesiasticis hujusmodi onera, absque Summi Pontificis speciali, & expressa licentia. Ergo signum est, licere Summo Pontifici concedere Principi, bellanti contra Infideles, horum onerum, seu decimarum impositionem Personis Ecclesiasticis. Tum quia, bellum contra Infideles est actus pius, cùm tendat ad defensionem, & ampliationem Fidei, & ad recuperandas Regiones, quæ erant Christianorum, & in quibus colebatur Christus; ideoque talis actus sufficit ad justificandam, seu ad licitam faciendam concessionem decimarum. Præterea, finis talis belli est communis utilitas tam Ecclesiasticorum, quàm Laicorum, & Ecclesiarum; & sic tenentur omnes contribuere in onere, *arg. ff. ad l. Rhod. de jact. l. 2. §. Æquissimum.*

12. Moveor tertiò exemplo: nam in Hispania, justa intercedente causa, bona pars decimarum ex Papæ privilegio applicatur Regi: & hìc in Italia, anno 1620. sex decimæ fructuum, & pensionum Ecclesiasticarum Italiæ fuerunt applicatæ in subsidium Imperatoris Ferdinandi: atque adeò, stante bello adversùs Infideles, quod est causa justissima, potest licitè Summus Pontifex concedere Principibus, contra Infideles bellantibus, decimas: nam licèt Laico non competat jus spirituale, est tamen capax fructuum decimarum, quæ res temporales sunt. Papa verò est earum Dispensator supremus.

13. Concludimus igitur, licere Summo Pontifici, ob bellum justum contra Infideles, concedere decimas Principibus Catholicis, adversùs illos bellantibus.

14. Ad rationes in contrarium patet responsio ex dictis. Concedimus enim Ecclesiasticorum Bona, quæ Deo data, & consecrata sunt, esse juris divini, adeóque non posse à Laicis converti in proprios usus, sed quando non adest justa causa, qua posita, Papa licitè dispensat super jure divino, & super aliis juribus: quod habetur *in cap. Super eo, de usur. Cap. Gaudemus, de divort.* & de plenitudine potestatis dispensat in jure divino quoad statuta Apostolorum, non quoad ea, quæ sunt de jure naturali, vel quæ ordinantur ad mandata Dei. *Cap. Lector, dist. 34.* & ibi Gloss. *verb. Sic ergo*, & D. Thom. *in 4. dist. 27. q. 3. art. 3. ad 4.* Contra verus Testamentum, in decimis non dandis. *Cap. Ex parte, de decim. il primo.* Item in voto, *cap. 1. de voto, & voti redempt.* Item in juramento, *capit. 2. caus. 15. q. 6. & cap. Constitutus, de rescript.*

15. Ad illud de Concilio Lateranensi, respondemus, quòd Concilium non loquitur de Papa, sed solùm de Prælatis, seu Episcopis. Præterquamquòd Concilium non potest impedire, quin ipse Papa possit ex justa causa jus decimandi, & decimas concedere Laicis, quia Papa est suprà omnia Concilia. *Cap. Sicut, 15. dist. Cap. Quodcunque, caus. 24. q. 1.* Statuta enim Conciliorum interpretatur, & tollit, *d. cap. Sicut, & cap. Nec licuit, dist. 17. cap. Statutum, de elect. lib. 6. cap. Statutum, de Rescript. lib. eod.* Clem. *Ne Romani, §. Sanè, de elect. cap. Constitutionem, & cap. Statutum, de sent. excom. in 6.* quia Concilia ipsa corrigit, & mutat, *d. cap. Statutum,* & per Doct. *in cap. Significasti.*

Infero primò ex dictis, *ex vi Can. 18. Bullæ Cœn.* nullo modo posse Principem imponere Ecclesiasticis personis decimas, aut alia onera ex concessione Pontificia, nisi in ipsa fiat specialis Ecclesiasticorum mentio; nam ubi requiritur specialiter aliquid fieri, ut est in hoc Canone, non satis est, si generatim illud fiat, ut per Gloss. *in l. 1. verb. Specialiter, ff. si quis in vel. voc. non fer.* ubi etiam Bar. *n. 4.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 18. q. 3. num. 1.* 16.

Infero secundò, imponentes sine licentia expressa Pontificis, onera personis Ecclesiasticis, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, & aliorum jurium, *Cap. Quamquàm, de censib. l. 6. cap. Non minùs, & cap. Adversùs, de immunit. Eccles.* ubi habetur eadem excommunicatio, dummodò tamen subsequatur exactio, quam requiri negant: Tolet. *in explicatione Can. 18. Bull. Cœn. num. 4.* Sayr. *in explic. ejusdem Can. in princ. lib. 3.* Thes. *tom. 1. cap. 22.* Suarez, *disp. 22. de censur. sect. 2. num. 99.* Ugol. & alij, contra nos opinionem oppositam censentes veriorem; adeóque secundùm nos ad incurrendam excommunicationem hujus *Canon. 18.* requiri, non tantùm impositionem onerum, sed etiam exactionem. Verum tamen est, ut ait Bonac. quòd ad incurrendam excommunicationem *Can. 15. ejusdem Bullæ*, satis est imponere onera Personis Ecclesiasticis. Ex eo, quia impositio hujusmodi onerum nihil est aliud, quàm ordinatio quædam, qua Ecclesiastica libertas læditur, & *in dicto Can. 15.* vetitum est sub excommunicatione quomodolibet facere ordinationes contra libertatem Ecclesiasticam. Bonac. *de censib. in Bulla Cœnæ, disp. 1. q. 19. punct. 1. num. 4.* 17.

Infero tertiò, sine licentia expressa Papæ, non posse Ecclesiasticis imponi, vel tolerari ex consuetudine onus hospitandi Principes, vel ipsorum Legatos, vel milites: quia hujusmodi onus imponitur, vel ratione personæ, vel ratione bonorum. Ecclesiastici verò exempti sunt à laica potestate quoad bona, & quoad personam. Ita Bald. Panormitanus, & alij apud Quarantam, *verb. Vectigal. vers. sexto*, apud Beilerum, *de exempt. q. 1. §. 3. n. 4.* 18.

Infero quartò, ad imponendum Ecclesiasticis decimas, vel alia onera, non sufficere consensum Episcopi, & Clerici. *Cap. Clericus, & cap. Adversùs, de immunit.* nisi casus magnæ necessitatis superveniat, & periculum sit in mora; ita ut accessus ad Pontificem pro tunc sit impossibilis; & adsint tres conditiones. Prima, si deficiant facultates laicorum, ut in *cap. Non minùs, & in cap. Adversùs, de immunit.* Secunda, si cau- 19.

causa, ob quam imponuntur onera, respiciat immediatè Ecclesiasticos, & non generali solùm ratione. Sylv. *verb. Immunitas, 1. num. 10.* & alij apud Bonacin. *de excommunic. part. d. 1. quæst. 19. punct. 3.* Tertia, consensus Clericorum, quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. Clement. 1. *de cens. & cap. Ad hoc, de offic. Archid. & cap. Quod omnes, de regul. jur. in 6.*

20. Infero quintò, applicationem decimarum, factam à Pontifice sine causa, esse nullam. Suarez, Abb. Antonin. apud Filliuc. *tract. 27. p. 2. de præcept. jejun. & decim. cap. 8. num. 159.*

XXXI. DIFFICULTAS.

An Bellum sive offensivum, sive defensivum, quod gerit Princeps Christianus adversùs Turcas, & Saracenos, sit justum.

1. NOtandum primò, circa Turcarum, & Saracenorum originem, & appellationem, magnum esse inter Historicos discrimen: nam circa Turcas, putant nonnulli hanc denominationem sumi ab Urbe quadam antiquissima, quæ Trocونia dicebatur; & ejus populi Troconi nuncupabantur; sed posteà Scithæ Regionem illam habitantes, eamque Urbem Turciam appellantes, Turcæ dicti sunt. Hoc tamen admittens sententia magis recepta, Turcas asserit, originem, & nomen trahere à Togarma, de quo Gen. 10. appellarique etiam in Scripturis Magog. Magog enim Hebræis est Scithia, qui Ottomani Tyranni dominium recognoscunt: proptereà plurimi ex veteribus, & recantioribus voluerunt nomine Gog, & Magog, in Scripturis significari Turcas, & Saracenos. Alii ad Parthos genus eorum referunt. Alii ex Turca Persiæ Civitate ortum habuisse volunt.

2. Notandum secundò, Saracenos, secundùm aliquos, sic appellari tanquàm genus trahentes à Sara. Alii verò, quia Saraceni antiquitùs Agareni dicebantur, credunt originem habuisse ab Ismaele Abrahæ filio ex Agar Ancilla suscepto; adeòque nullum esse discrimen inter Saracenos, Agarenos, & Ismaelitas, ut Arabes sunt, quod à veritate discedere omninò videtur. Verùm igitur puto, quod Stephanus Auctor Græcus, *lib. de Urb.* scribit, Saracenos nempè populos esse, post Nabathæos, in Arabia sic appellatos à Saraca Urbe Arabiæ, quorum multi, ut refert Paulus Emilius, *lib. 7. hist. Franc.* sub Heraclio Imperatore Christiano militarunt eo tempore, quo Cosroam Persarum Regem superavit, qui promissum stipendium minimè accipientes, Heraclio, Romanoque Imperio derelicto, Damascum occuparunt; & posteà, aucto imperio, in Ægyptum se transferentes, Mahometi falsi Prophetæ Sectam susceperunt. Omnium itaque Sectarum vinculum ita utramque gentem copulavit, ut Saraceni pro Turcis, & è contra, Turcæ pro Saracenis appellatione quasi communi vocati sint. Ideóque Ecclesia Romana per Saracenos, & Turcas, omnes Gentes intelligit, quæ Mahometanæ Sectæ adhærent, ut sunt Tartari, Mauri, alijque quamplures populi, partem magnam Christiani Imperij occupantes, Christianamque Religionem semper saltem habitu oppugnantes.

3. His annotatis, ad difficultatem propositam, an Princeps Christianus possit licitè contra Turcas, & Saracenos gerere bellum, negativè, absque ulla hæsitatione, respondet Lutherus, qui adversùs Catholicum Imperium; ex odio implacabili, semper omni suæ malitiæ conatu tentavit bellare, absolutè asserens, bellare contra Turcas esse repugnare, ac resistere DEO, qui eorum manu, seu armis, justè nos punit; adeòque illicitum esse; sicut esset reo illicitum repugnare ministro justitiæ, quo nititur Tribunal ad illum puniendum.

4. Prætereà, ait Lutherus, voluntatem DEI clarè apparere, non esse à Christianis contra Turcas pugnandum, ex eo, quòd nihil hactenùs Christianorum arma contra Turcas suis conatibus profecerunt.

5. Prætereà, subdit temerarius Ecclesiæ Romanæ Hostis, bellum contra Turcas non esse licitum, cùm à Principibus moveatur propter indulgentias, & sub auspicijs Romanorum Pontificum, qui Turcis ipsis pejores sunt, & Turcissimi (ut inquit) Turcæ.

6. Asserendum est igitur propriè contra Lutherum, justum omninò, & licitum esse bellum, quod Princeps Christianus movet adversùs Turcas, & Saracenos, & maximè, si accedat Authoritas Pontificia. Covarr. *in regul. peccatum, p. 2. §. 10. versic. primus*, Cardinal à Turrecrem. *in cap. Dispar, caus. 23. quæst. 8.* Innocen. *in cap. Quod super his, extrà. de voto*, Grast. *p. 2. lib. 2. de bello, cap. 20. num 15.* Valentia, *disp. 3. q. 16. de bello, punct. 1.* Diana, *tom. 7. tract. 7. de bello, Resol. 48. num 5.* Oldr. *cons. 72* Alber. *in rub. de haret. lib. 6. q. 8.* Menoch. *lib. 6. præsum. par. 2. præsum. 97. sub n. 6. vers. alia etiam.*

7. Moveor primò juribus, *in cap. Dispar, caus. 23. q. 8. arg.* Text. *in cap. Si de rebus, quæst. 7.* ubi firmatur, licitum esse contra Saracenos pugnare.

8. Moveor secundò rationibus, nam ex unanimi Canonistarum, & Jurisperitorum consensu habemus, tres requiri, ut bellum sit licitum, conditiones, nempè, legitimam authoritatem Indicentis, causam justam, & intentionem rectam; quas conditiones requirit etiam S. August. *lib. 22. contra Faustum, cap. 74. & cap. 75.* Atqui in bello, quod Princepa Christianus movet contra Turcas, & Saracenos adsunt hæ tres conditiones. Prima quidem, nempè legitima authoritas, ut supponitur, quia hic Princeps supponitur supremus. Secunda, scilicet, justa causa, quia Turcæ pugnant contra Christianos, *d. cap. Dispar*, unde sequitur, quòd vim vi repellere licet: nàm quod facimus in defensionem nostram, justè facere existimatur, *l. ut vim, de just. & inr.* Tertia tandem, id est, recta intentio, quæ non alia videtur esse, nisi vindicandi, & propulsandi gravissimas injurias, quas Turcæ per vim, & rapinas, & direptiones

nes florentissimorum Regnorum, & Provinciarum Christianis intulerunt, & quotidiè in terra, & in mari inferre conantur.

9. Moveor tertiò exemplo plurimorum Summorum Pontificum, qui probarunt, & promoverunt Principum Christianorum bella contra Turcas, & Saracenos, inter quos fuit Urbanus II. ante annos ferè 600. in Concilio Claromontano, & Successor ajus Paschalis II. & alij, quos profert Roffensis, *art.* 34. contra Lutherum: quibus adduntur Concilia generalia, Lateranense, sub Innocentio Tertio, Lugdunense, Viennense, &c. Quæ hujusmodi bellum promovere. Deindè scimus omnes, quòd Ludovicus Nonus, Galliarum Rex, qui vir fuit probatissimæ justitiæ, & sanctitatis, bellum Saracenis bis indixit, mare eum ingenti exercitu trajiciens, de illis triumphaturus. Et D. Bernardus ad bellum contra Turcas, seu Saracenos adhortatus est, ut videre est, *lib.* 2. *de consid. ad Eugenium*, *in principio*.

10. Nostræ assertioni non officit, quòd Turcæ, seu Saraceni actu non impugnant Christianos; quia si actu non impugnant, creduntur tamen habitu eos velle impugnare; si potentia, & opportunitas illis adsuerit: quapropter meliùs est prævenire, quàm præveniri, & ante tempus occurrere, quàm post causam vulneratam, remedium quærere. *C. in quibus cauf. rest. l. fin.* Unde licet nunc non bellent ex defectu potentiæ, vel opportunitatis, tamen potest rationabiliter timeri, quòd in futurum pacem perturbent; adeóque non est illis parcendum, *cauf.* 23. *quæst.* 1. *cap. Noli, in fin.*

11. Neque obstat juramentum, quod Turcæ fecere de pace nunquam violanda; semper enim justum erit bellum contra ipsos, quia detinent Provincias ad Christianorum Principum jurisdictionem spectantes, eorumque & Ecclesiæ dominio subjectas: nam totus Mundus fuit sub Christo, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium, Apoc. 18. & ipse de se dicit, *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.* Matth. 28. & de ipso habetur in Prophetis, quòd ipsa dominabitur gentium, Psal. 21. Et Regnum ipsius omnibus dominabitur. Psal. 102. & 46. *Et cap. Fundamenta, de elect. lib.* 6. Ad idem, *cauf.* 11. *quæst.* 3. *cap. Existimant.* Cùm igitur agatur de recuperatione dominij, quod olim justè possidebatur, quo nunc Ecclesia, seu potentia Christiana manet spoliata, licitum, & justum est bellum ad illud recuperandum. Sic putant Hostien. & Archid. *in cap. Si de rebus, cauf.* 23. *q.* 7. Oldrad. *consf.* 72.

12. Concludimus igitur, licitum & justum esse bellum sive defensivum, sive offensivum, quod Princeps Christianus contra Turcas, & Saracenos gerit.

13. Ad argumenta Lutheri respondetur: ad primum, nempe quod pugnare contra Turcas est resistere DEO, qui nos per illos punit. DEUS punit nos peste, fame, & alijs hujusmodi malis, & tamen illicitum non est uti contra hæc mala remedijs. Ergò idem dicendum est de bello contra Turcas. Roffen. *art.* 34. Alphonf. à Castro, *verb. Bellum, hæresi* 2. & alij communiter. Præterquam quòd, quando DEUS per Turcas, vel alia mala nos punit, non intendit in perpetuum spoliare nos rebus, & vita, ait enim per Ezechielem, *cap.* 18. *Non vult DEUS mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat*; ideòque post aliquod tempus, possumus supponere adesse voluntatem DEI; ut remedia adhibeamus contra mala, quibus usa est DEI punitura potestas. Deinde nobis non constat, velle DEUM nos punire per Turcas; possumus enim supponere omnia provenire à DEO permittente, & non volente. Re igitur ignota, jus habemus ad tuendum nos, & nostra, & consequenter ad indicendum Turcis bellum vindicativum, ad satisfactionem pro ablatis, & vindictam injuriarum D. Tho. 2. 2. *q.* 10 *art.* 8. Covarr. *loc. cit. verb. Secundus casus.*

14. Ad secundum scilicèt, quòd Christiani contra Turcas adhuc nihil profecerunt, & sic non esse voluntatem DEI, ut repugnentur, possem pro responsione mentionem facere de triumpho, quem Joannes X. Pont. Max. unàcum Alberico Hetruriæ Marchione, de Saracenis diversa Italiæ loca, maximè in Campania, occupantibus, Romam retulit. Volaterr. *lib.* 22. *Anthropol.* Taceo etiam victoriam navalem, quam Romani, auxilio Neapolitanorum, Amalfitanorum, & Cajetanorum, anno 849. de Saracenis Romam à Sardinia petentibus, ductu Leonis V. obtinuere. Omitto pariter illam insignem victoriam, quam de Selimo Turcarum Tyranno, multis claro victorijs, non tam armis, quàm precibus B. Pij V. M. Ant. Columna, Pontificius in eo bello Præfectus, ad Echinadas Insulas reportavit. Sigon. *lib.* 5. *Reg. Ital.* Quia tot erunt argumenti Lutherani impugnationes, quot victoriæ, nostris diebus ab Exercitu Leopoldi Primi Romanorum electi Imperatoris, & Hungariæ Regis, Innocentij XI. auxilijs aucto, & orationibus adjuto, præcipuè in defensione Viennæ, & expugnatione Budæ, aliarumque insignium Arcium è Turcis reportatæ, non sine manifesto indicio divini Patrocinij, nec non voluntatis divinæ volantis, & exigentis à Christianorum armis Turcarum oppugnationem.

15. Ad tertium, scilicet non licere bellare contra Turcas, cùm hoc fiat in gratiam Pontificum, qui Turcis pejores sunt; non respondeo, cùm non sit argumentum, sed convitium furore, & stultitia plenum. Notum est enim odium Lutheri contra Romanos Pontifices; quorum aliqui licèt peccaverint, quia Pontifex potest errare, non quà talis, cùm sit de Fide Pontificem quà talem, seu quando loquitur ex Cathedra præcipiendo, non posse errare, sed quà homo; tamen peccantes dici minimè possunt Turcis pejores, quia quodcumque peccatum Fidelium semper erit minus peccato infidelitatis, præterquam quòd, Turcæ, præter infidelitatem, multa, & maxima peccata habent.

16. Mirum igitur non est, si idem Lutherus in libro posteà visitationis Saxonicæ adeò bellum contra Turcas suasit, ut censura temeritatis notaverit eos, qui docent non esse Turcis resistendum; ubi se ipsum in primis censuræ temeritatis subjecit, dum id magna contentione egerat, *art.* 34.

17. Utinam igitur, dum bellum contra Turcas justum

ſtum eſt, & licitum, unirentur omnes Catholici Principes, qui diſſident inter ſe, ad illos oppugnandos, eorumque injuriam vindicandam; nec non barbarum eorum imperium deſtruendum. Expectanda tamen eſt opportunitas, nè malum occurrat, ubi bonum ſperatur. Hoc eſt, quod Auguſtus dicebat, bellum non ſuſcipiendum, niſi cùm major emolumenti ſpes, quàm damni metus oſtenderetur. Sæva res bellum eſt, inquit Plutarchus, cumulumque trahit injuriarum & inſolentiæ. præcipuè addo ego, cùm adversùs immaniſſimos hoſtes, quales ſunt Turcæ, bellatur: „ incurritque, ait Seneca, in pericula, ubi quie- „ ſcenti paria metuuntur: Adeòque aut nulla, aut rara belli contra Turcas, aut alios, ſumendi cauſa eſt, quæ omitti aut non poſſit, aut non debeat, puta, cùm jura ſunt, ut Florus loquitur, armis ſæviora. Quapropter de bello dicere ſole- „ bat Scipio Africanus, & L. Æmilius Paulus. „ Non decertandum eſſe, niſi ſumma neceſſitu- „ do, aut ſumma occaſio data eſſet. Hoc totum dico, ne Chriſtianorum arma, celeri zelo mota ad Turcas oppugnandos, periculo ſe exponant, loco antiquas injurias vindicandi, novas injurias patiendi.

18. Infero primò ex dictis, in ipſo actuali conflictu prælij contra Turcas, & alios hoſtes, vel in oppugnatione, aut defenſione civitatis, licitum eſſe indifferenter occidere omnes, qui contra pugnant, ſi alio modo non poſſit obtineri victoria. Non enim aliter poſſunt benè bellare Bellantes, niſi tollendo impedimenta ad finem belli, qui eſt victoria. Vict. *in Relect. 6. de jure belli*, *ſub num.* 45.

19. Infero ſecundò, non licere Principi Chriſtiano movere bellum contra Judæos, quia Judæi ſervi ſunt Chriſtianorum, & non hoſtes impugnantes, nec terrarum invaſores, vel occupatores, ut Turcæ. Secundò, quia Judæi portant nobis teſtimonium fidei, adeòque non ſunt occidendi. Turcæ autem ſatagunt extinguere fidem noſtram, & armis noſtros Fideles expugnare.

20. Infero tertiò, omnes Turcas, & Saracenos, tam infantes, & mulieres, quàm viros, cùm à Chriſtianis bellantibus capiantur, fieri mancipia Chriſtianorum. Diana, *tom. 7. tract. 7. de bello, Reſ. 29. num. 9.*

21. Infero quartò, juſtum, & licitum eſſe bellum, quod movet Princeps Chriſtianus contra Infideles, ejus imperium, & leges recuſantes. Covarr. *in regul. peccatum*, §. 10. *verſic.* 39. D. Thom. 2. 2. *q.* 66. *art.* 8.

22. Infero quintò, poſſe Papam, aliosque Prælatos Eccleſiaſticos de jure divino punire delinquentes, non ſolùm pœnis ſpiritualibus, ſed etiam temporalibus, quia Eccleſia utens poteſtate punitiva, meritò ex Concilio Toletano IV. *cap.* 59. dicit ſe id facere authoritate Pontificali, vel ſe id facere poteſtate ſibi tradita à Chriſto Domino, illis verbis: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, &c.* Thomas del Bene, *de Off. S. Inq. dub.* 154.

23. Infero ſextò, poſſe Summum Pontificem, ſine ullo ſcrupulo, concedere Principibus Chriſtianis facultatem indicendi bellum Turcis, & Saracenis, Chriſtianorum dominia occupantibus, quia Pontifex habet jure divino utramque poteſtatem, ſpiritualem ſcilicet, & temporalem: ita habetur *in cap. Omnes, diſt.* 22. ubi Gloſſ. *verb. Cæleſtis*, ait, „ Papa utrumque gladium habet, ſpiritualem „ ſcilicet, & temporalem. Item *in cap. Unam Sanctam, de majorit. & obedient.* Item *in cap. Venerabilem, de electione*, ex Innocentio III. aſſeritur, Electores habere jus eligendi Imperatorem ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ; quibus verbis ſatis explicatur Summi Pontificis poteſtas.

Infero ſeptimò, poſſe licitè indici bellum à 24. Principe Chriſtiano Infidelibus, ex titulo donationis obtentæ à Pontifice, de eorum Provincijs, ad Chriſtianæ Fidei, & Evangelij propagationem. & idolatriæ extirpationem; & ſic poſſe Regem Hiſpaniarum movere bellum, ob talem cauſam, contra Infideles occupantes aliquam Provinciam Orbis novi, cùm valida fuerit donatio facta ab Alexandro VI. Indiarum Occidentalium Catholicis Regibus, Ferdinando ſcilicet, & Iſabellæ, adeòque verum habere jus in Inſulis Indiarum Occidentalium, ut probat Malfertius apud Mandellum, *conſil.* 769. *volum.* 4. Borrellus, *de præſt. Regul. Cathol. cap.* 46. *num.* 224. & alij, quorum doctrina confirmatur, *argum. leg. juſtè poſſidet, ff. de acquir. poſſeſſ.*

Infero octavò, nullo modo eſſe permittendum 25. Infidelibus, ut acquirant in Fideles novum dominium; quod patet in multis Canonibus, *in Decreto, 45. d. & in Decretalibus, lib. 5. de Judæis, & Saracenis, per multa capita.* Hoc enim cederet in ſcandalum, & periculum fidei, cùm authoritas Superiorum infidelium poſſit facillimè Fideles ſubditos pervertere, ut notat Valentia, *diſp.* 1. *q.* 10. *de infidel. punct.* 8.

XXXII. DIFFICULTAS.

Movet Princeps Catholicus bellum contra Principem infidelem, impedientem ſuis ſubditis, vel alijs, amplecti Fidem Catholicam. Dubitatur, an hujuſmodi bellum ſit juſtum.

NOtandum primò, hic non vocari in controverſiam, an juſta ſint illa arma, quæ inferuntur populis aliquibus, eam ob cauſam, quòd illi Chriſtianam Religionem ſibi ſufficienter propoſitam amplecti noluerint. Demonſtravimus enim ſuprà, hac ratione minimè licere Infideles bello perſequi, qui nunquam ſuſceperunt fidem, ſicut Gentiles, & Judæi, quos D. Tho. 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 8. probat non eſſe compellendos ad fidem, quia credere ſpectat ad voluntatem; timor autem, quem parit armorum violentia, multùm minuit de voluntario. *Ariſt.* 3. *Ethicor.* ſed ſolùm controvertitur, an juſtè poſſit compelli à Principe Catholico Princeps infidelis, ut fidem non impediat malis perſuaſionibus, vel blaſphemijs, vel etiam apertis perſecutionibus, non ut ille ad credendum cogatur. 1.

Notandum ſecundò, ad bellum juſtum plura 2. requiri, auctoritatem Principis ſupremi, *cauſ.* 23.

q. 2. cap. Justum; rectam intentionem ex parte bellum indicentis, *ead. cauf. q. 1. cap. Quid culpatur. cap. Militare. cap. Apud veros, ead. cauf. quæst. 2. injuriam ulciscendam.* Graff. *p. 2. lib. 2. de bello, cap.* 20. Coerctionem malorum, & sublevationem bonorum; *ead. cauf. q. 1.*

3. His annotatis, ad propositam difficultatem, an justum sit bellum, quod movetur à Principe Catholico contra Principem infidelem, ne impediat suis subditis, vel alijs, amplecti Fidem Catholicam, pars negativa videtur sustinenda: Nam cogere Principem infidelem, ne impediat fidem, idem apparet, ac cogere eum, ut fidem teneat, quod non concedit. S. August. dicens apud D. Tho. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. Cætera potest homo nolens; credere verò nonnisi volens: sed voluntas cogi non potest. Ergo videtur, quòd Infideles non sint ad fidem cogendi. Tum quia, cogere armis Principem, ne impediat fidem, est indirectè cogere subditos ejus infideles, ut recipiant fidem, quod, præter dictam rationem, vetat Canon Concilij Tolerani. *Præcipit Sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult DEUS miseretur, & quem vult indurat. Cap. de Judæis, dist.* 45. Videtur enim DEUS sufficere vindicandis, quæ in se committuntur; undè dici solet. *Deorum injurias dijs curæ. & perjurium satis DEUM habere ultorem.* Deinde habemus in sacris literis, Christo veræ fidei Auctori omninò hoc placuisse, ut ad legem suam recipiendam nemo armis, aut eorum metu pertraheretur. Rom. 8. 15. Heb. 2. 15. Luc. 9. 54. Matth. 13. 24. Quam veritatem considerans Tertullianus, dixit. Lex nova non se vindicat ultore gladio. Et Procopius in arcana historiæ parte docet, à Sapientibus culpatum fuisse Justiniani Consilium, quod Samaritas vi, ac minis, ad Christianam Religionem compulerit: addit & incommoda insecuta, quæ possunt apud ipsum considerari. Tum quia, jurisdictio, & dominium unius super alterum, quod est beneficium naturæ, non subtrahitur alicui propter peccatum: & in hoc casu subtrahitur, si bellum movetur contra Principem infidelem, nè suis subditis Fidem Christianam amplecti impediat.

4. Veritas tamen est, justum esse bellum, quod Princeps Catholicus movet contra Principem infidelem, impedientem vel minis, vel terroribus, aut persecutionibus sive publicis, sive privatis, suis subditis, vel alijs, amplecti Fidem Catholicam. Ita D. Thom. 2. 2. q. 10. *art.* 8. Victor. *p. 2. de Indis, Relect. 5. num. 12.* Turrecrem. *in cap. Dispar. num. 3. cauf. 23. q. 8.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 105. litt. D.* Valentia, *disp. 1. q. 10. de infidel. punct. 7. litt. E.* Covarr. & alij.

5. Moveor primò juribus, *in l. omnium, Cod. de testam. & in cap. 1. de Constit. in 6.* ubi dicitur, omnia jura in scrinio pectoris sui Principem habere. *Et in cap. Dispar. cauf. 23. q. 8.* ubi habetur, licitum esse pugnare contra Saracenos. *Et cap. Quid culpatur, cauf. 23. q. 2.* ubi apparet, bellum esse justum, quando movetur à Principe supremo, ex recta intentione, ad avertendam injuriam illatam aut sibi, aut suis.

Moveor secundò rationibus: nam bellum est justum, quando sunt omnia requisita ad justitiam belli. In nostro autem casu sunt omnia requisita. Auctoritas Principis supremi, ut supponitur Recta intentio illius: Intendit enim, removere impedimenta fidei; & consequenter æternæ salutis. Injuria ulciscenda, si non propria, illata contra DEUM. Licèt enim possit DEUS injurias sibi illatas punire, tamen illæ ab hominibus rectè puniuntur, hoc omnibus concedentibus. Tandem causa justa, ut patet. Causa enim tria requirit, ut justa atque honesta dici possit. Quòd secundùm æquitatem licita sit. Quòd conveniens sit, secundùm honestatem. Quòd expediens sit, secundùm utilitatem, sive temporalem, sive spiritualem. Quæ omnia in hoc bello contra Infideles verificantur, ut attentè consideranti patet. Tum quia, Christianis jus competit denunciandi Evangelium ubique terrarum, ut patet manifestè ex illo Marci ult. *Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Item ex illo 2. Timot. 2. *Verbum Domini non est alligatum.* Atque adeò possunt cogi Infideles, non quidem ut Evangelium suscipiant, sed ne impediant, aut Concionatoribus illud denunciare, aut eorum subditis illud audire, illud suscipere, aut juxta illud vivere; atque adeò si Principes infideles contrarium, sive minis, sive terroribus, sive malis persuasionibus, effecerint, fas erit cuilibet Principi Christiano armis illos coercere, injuriamque Fidei, & Evangelio in parte illatam punire. Huc & illud pertinet Tertulliani. In Reos majestatis, & publicos hostes, omnis homo miles est. Tum quia, Princeps infidelis, dum impedit suis subditis, vel alijs amplecti veram Religionem, facit illis injuriam, & quidem gravem, quia, dum impedit veram Religionem, impedit eis omnia commoda, quæ secum fert vera Religio. Non enim sine causa Plato Religionem propugnaculum potestatis, & legum, & honestæ disciplinæ vinculum nuncupavit. Plutarchus similiter illam appellavit Cingulum omnis societatis, & fundamentum legislationis. A Philone vocatur Religio rerum privatarum, publicarum, & sacrarum Curatio, & unius DEI Cultus, efficacissimum Amatorium, & Vinculum indissolubile benevolæ amicitiæ. Unde Syl. Italicus ita cecinit:

Heu prima scelerum causa Mortalibus agris.
Naturam nescire DEI.

Quod optimè intelligit Pithagora, dum dixit. DEI cognitio & virtus est, & sapientia, & perfecta felicitas. Hinc Chrysippus Religionem, seu Legem dixit Reginam divinarum, humanarumque rerum: quæ omnia, & plura alia Religioni Christianæ magis conveniunt; quia Religio Christiana Christi est, qui Fons omnium bonorum est. Ideòque Princeps infidelis impediendo suis subditis amplecti veram Legem, seu Religionem Christianam, ipsorum com-

commodum impedit, quod justè impedire non poteſt. Princeps igitur Catholicus, ſi adversùs Principem, ſuis ſubditis hoc commodum impedientem bellat, justè bellat.

7. Moveor tertiò exemplo in tot Principibus Christianis, qui, ut referunt Hiſtoriæ, & nos ipſi videmus, frequenter contra Infideles bellum moverunt, & movent; non quidem ut eos ad credendum cogant; qui quamvis eos viciſſent, & Captivos nunc haberent, in eorum libertate relinquerent, an credere vallent; ſed propter hoc, ut eos compellant, ne Fidem Christi impediant; D. Thom. *loc. cit.*

8. Concludimus igitur, bellum eſſe juſtum, quod Princeps Catholicus movet adversùs Principem infidelem, impedientem ſuis ſubditis, vel alijs amplecti Fidem Catholicam.

9. Ad rationes in oppoſitum reſpondemus: Ad primam, ſecundam, & tertiam, quòd ſit falſum ſuppoſitum: Nam bellum movere contra Principem infidelem, impedientem ſuis ſubditis Fidem amplecti, non eſt illum, vel ſubditos cogere ad credendum, ſed tantùm removere, ſeu tollere minas, terrores, perſecutiones, & alia hujuſmodi, quæ Fidem impediunt. Durante enim bello, aut victoria obtenta, in libertate remanet quilibet ad amplectendum, vel non amplectendum Fidem Catholicam, quæ vitæ militantis victoria eſt.

10. Ad quartam reſpondetur, jurisdictionem, & dominium hominis ſuper hominem non eſſe beneficium naturæ, ſed potiùs contra naturam, ut dicit Iſid. *lib. Etym.* & habetur *cap. Jus naturale, 1. diſt.* ubi dicitur, quod jus naturale eſt omnium una libertas. Et ita ſentit S. Auguſt, dum dicit *lib. 19. de Civit. DEI.* Rationabilem hominem factum ad imaginem ſuam noluit, niſi irrationabilibus dominari, non hominem homini, ſed hominem pecori. Et optimè probat Turrecrem. *in cap. Diſpar, cauſa 23. q. 8.* ad reſponſiones; & ſic ruit conſeq.

11. Infero primò ex dictis, poſſe Judæos corporaliter cogi ad retinendam Fidem, quando illam acceperunt. D. Thom. 2. 2. *quæſt. 10. art. 8. ad 2.* ubi allegat S. Aug. dicentem: Legum enim terror ita profuit, ut multi dicant. Gratias Domino, qui vincula noſtra dirupit.

12. Infero ſecundò, poſſe Principem Catholicum, invitis Infidelibus, cum navibus, eo fine ad eos accedere, tamdiùque cum ea potentia in eorum Portubus, & Terris commorari, quamdiu, & quantùm neceſſe erit ad prædicationem Evangelij. Molin. *tom. 1. de juſt. tract. 2. diſp. 105.*

13. Infero tertiò, à Principe Christiano, ob finem dictum, bellante contra Infideles, nullam contrahi obligationem reſtituendi Hoſtibus damna illata ex defectu debitæ intentionis; ut puta, ſi ex odio bellet, aut ſiniſtra alia intentio admiſceatur; v. g. augendi gloriam, aut dilatandi imperium in Terris, ab infideli Principe uſurpatis. Ita communiter DD, apud Molin. *loc. cit.* quia culpa taliter Bellantium non eſt contra charitatem.

14. Infero quartò, capta in bello contra Principem infidelem, impedientem ſubditis fidem, fieri Principis Catholici vincentis. Hoc enim eſt jus generale gentium, ut capta in bello fiant Victoris, ut habetur *in l. ſi quid in bello, & l. Hoſtes, ff. de Captivis, & cap. Jus gentium, 1. diſtinct.* & expreſſiùs. *Inſtitut. de rerum diviſionibus. §. Item quia ab hoſtibus.*

Infero quintò, Eccleſiam poteſtatem habere 15.
privandi quoſcunque Infideles, etiam non ſubditos, dominio antiquo erga ſubditos, qui convertuntur ad fidem. Valentia, *de infidel. d. 1. q. 10. punct. 8.* quia ratione infidelitatis merentur privari eo jure, ne ſcilicet exerceant dominium ſuper iis, qui jam ſunt in libertatem filiorum DEI translati. Expedit tamen, ut advertit D. Thom. hîc *art. 10.* ad vitandum majus ſcandalum, Eccleſiam tali auctoritate non uti.

Infero ſextò, bella juſte inferri ijs, qui Chri- 16.
ſtianos, ob ſolam Religionem, crudeliter tractant. Ita etiam dixit Hug. Grotius, licèt hæreticus, *de jur. bell. lib. 2. cap. 20.* quia faciunt contra charitatem, & rationem. Quod notum eſt etiam Extraneis. Plinius Christianos Sacramento inter ſe obſtringi ait, ne furta, ne latrocinia committant, ne fidem fallant. Ammianus ea Religione nihil ait, doceri, niſi juſtum, & lene. Et vulgare eſt dictum: Bonus vir Cajus Sejus tantùm, quòd Christianus. Adeòque Princeps, qui habet juſtum bellum, fit ipſo jure judex hoſtium, & poteſt eos juridicè punire, & condemnare pro qualitate injuriarum. Victor. *p. 2. de Ind. Relect. 5. num. 8.*

Infero ſeptimò, teneri ſubditos juſſos, ſequi 17.
Principem ſuum in bellum adverſus Infideles, licet ſpeculative dubitent de juſtitia belli. Victoria, *de bell. Relect. 6. num. 31.* Bannez, *in 2. 2. q. 49. artic. 1. dub. 6,* Cajetanus, *in Sum. verb. Bellum;* & alij frequenter. In dubio enim tutior pars ſequenda eſt. Unde ſi ſubditi in caſu dubii non ſequantur Principem ſuum ad bellum contra Infideles, exponunt ſe periculo prodendi Rempublicam, & impediendi progreſſum fidei, quod multò gravius eſt, quàm bellare contra Infideles cum dubio ſpeculativo.

Infero octavò, Barbaros rogatos, & admoni- 18.
tos, ut audiant Concionatores Catholicos, ſi nollent audire, non excuſari à peccato mortali. Vict. *p. 2. de Ind. Relect. 5. num. 12.* quia neceſſarium eſt eis ad ſalutem credere in Christum, & baptizari. Marc. ult. *Qui crediderit, &c.* Sed non poſſunt credere, niſi audiant. Rom. 10. Ergo tenentur audire.

Infero nonò obiter, cogentes puellam ſive Im- 19.
puberem, ſive puberem, id eſt poſt annos duodecim, intrare Monaſterium, non incurrere excommunicationem latam in Conc. Trid. *Seſs. 25. de Reg. c. 18.* dummodo coactio nullo modo ordinetur ad ſuſcipiendum habitum Religionis, ſed tantùm ut ibi cuſtodiatur, & liberetur à periculis. Emanuel. Rodriq. *in Sum. tom. 2. cap. 8. num. 9.* Portel. *in addit. ad dub. Regul. verb. Monialis, n. 14.* Sanchez, *in Sum. tom. 1. lib. 4. cap. 4. n. 12.* quia puella in Monaſterio libera manet ad ſuſcipiendum habitum religioſum. Contraria opinio eſt probabilis, quam ſequitur Barboſa, *de potest. Epiſcopi, p. 3. Alleg. 104. & Collec. tom. 1. lib. 3.*

tit. 31. cap. 12. num. 4. & plures apud Dianam, *p. 2. tract. 15. Miscell. Resol. 56.*

XXXIII. DIFFICULTAS.

Princeps Catholicus gerit feliciter bellum contra Infideles. Alij Principes Catholici credentes probabiliter eum arma suscepturum contra ipsos, si ei potentia augeatur; Infideles armis, & favore adjuvant. Dubitatur num peccent, & excommunicationem incurrant Bullæ Cœnæ, aut aliorum Jurium.

1. NOtandum primò, quòd Difficultas supponit Infideles, contra quos bellum à Catholico Principe feliciter geritur, esse ex ijs, qui in Bulla Cœnæ comprehenduntur, ut sunt Turcæ, Asiam præcipuè, Mesopotamiam, Syriam, Arabiam, aliasque Orbis partes inhabitantes. Saraceni Mahumetanam Sectam profitentes, & in Alexandria Ægypti, vel etiam in Asia, præsertim versùs maritimas partes commorantes. Mauri, Tartari, Judæi habitantes in Terris Infidelium, Pagani, & alij oppugnantes saltem desiderio Ecclesiam, vel illam detestantes. Item hæretici declarati, etiam in genere, ut sunt Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani, Hussitæ. Item Athei, Apostatæ à Fide Christiana, ut notat Navarrus, *in cap. Ità quorumdam, de Judæis, notab. 64.* Reginal. *lib. 9. cap. 18. num. 293.* & alij. Nam Bulla non prohibet arma, & alia auxilia deferri simpliciter ad infideles, sed quatenùs sunt actu, vel habitu hostes Christianorum, scilicet, inquantum cum illis bellum gerunt, gesserunt, vel animo parati sunt ad illud gerendum. Filliuc, *quæst. 3. & 5. num. 129.* Duard. *q. 3. num. 6.* & alij. Infideles enim Christianis bellum moventes, non causa Religionis, sed ob injuriam ab illis acceptam, vel ob aliam justam causam, non dicuntur hostes Christianorum, quod notant Doctores citati.

2. Notandum secundò, distinguendum esse bellum, quod contra Fideles gerunt infideles jure politico, & civili; à bello, quod gerunt contra ipsos causâ Religionis, quatenùs scilicet sunt nominis Christiani hostes. In hoc secundo casu, sine dubio, adjuvantes armis, vel alio modo Infideles contra Principem fidelem, seu Catholicum, incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ; in primo verò dubitatur.

3. His annotatis, ad propositam difficultatem, an Principes Catholici, auxilia infidelibus præstantes contra Principem Catholicum, putantes probabiliter, quòd ejus aucta potentia in eorum damnum vertetur, incurrant excommunicationem Bullæ Cœnæ, aut aliorum jurium, negativè videtur respondendum. Nam conjunctio, quæ est inter homines sola sufficit ad opem ferendam, ait enim Seneca, *de ira, lib. 1. cap. 7.* Homo in adjutorium mutuum generatus est; *& de Clem. 2. 5.* Sapiens quoties poterit fortunæ intercedet. Tum quia, adjuvare auxilio indigentes, actus est justitiæ, dicebat enim S. Ambrosius, *de off. lib. 1. cap. 5.* Fortitudo, quæ defendit infirmos, plena justitia est. In hoc sensu puto esse interpretandum illud Tullij. Qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quàm si parentes, aut patriam, aut socios deserat. Ergo licitum est adjuvare Infideles, bellantes contra Principem fidelem, quando bellum est justum, & purè politicum, & civile.

Præterea, quando inter Bellantes inter se, sive sint Fideles, sive Infideles, causa belli est justa, potest pars, quæ injuriam passa est, petere à Fidelibus auxilium, & præmia victoriæ illis communicare; quod est causa justa belli pro socijs, & amicis. Cajet. *2. 2. q. 40. art. 1.* sic fecerunt Tulcathedani, qui cum Hispanis fidelibus composuerunt, ut eos juvarent ad debellandos Mexicanos. Victoria, *de Ind. p. 2. num. 17.* Et hac ratione Romani dilataverunt imperium suum; dum scilicet, socijs, & amicis extraneis auxilia præstando ad vindicandam inimicorum suorum injuriam; tali occasione justa bella suscipiendo, jure belli novas Provincias acquirebant: quod Romanum Imperium tanquam legitimum approbavit. S. Augustinus *lib. 5. de Civ. DEI.* D. Thom. *opuscul. 21.* Si ergo Romani venerunt in legitimam possessionem Orbis jure belli, cujus maximæ occasiones fuerunt defensio, & vindicatio sociorum; videtur licere cuique socios, & amicos, justè bellantes titulo mere civili, seu politico, defendere, & juvare ad dilatandum, ubi justitia permiserit, imperium suum. 4.

Præterea, cuique licitum est, se & sua tueri, & defendere, ut est Tex. *in l. ut vim, ff. de just. & jur.* At Principes Catholici, præstantes auxilium infidelibus contra Principem Catholicum, nè fiat fortior, & potentior, videtur se, aut sua tueri, cùm hoc faciant titulo politico, seu civili, & sine animo inferendi damnum Christianis, vel Catholicæ Religioni; quod vi dicti Canonis exigitur ad excommunicationem incurrendam, ut notat Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 7. q. 35.* Ergo nullatenus excommunicationem contrahunt. 5.

Confirmatur exemplo cujusdam Principis Catholici, qui fœdus cum Turcis inijt, ipsisque auxilium contra alium Principem Christianum præstitit, ut testatur Navarrus, *in cap. Ita quorumdam, notab. 4. num. 27. de Judæis*, Ugolinus, Duardus, & alij apud Bonacinam, *de censur. in Bull. Cœn. loco infrà allegando.* Cùm autem in facto Principis delictum præsumi non debeat, dicendum est illi licere fœdus cum Infidelibus inire, illisque auxilium præstare contra Principem Catholicum, cujus aucta potentia rationabilem timorem parit. Actio autem licita excommunicationis non est capax. 6.

Hæc opinio sua probabilitate non caret: contrariam tamen, quam veriorem, & tutiorem existimo, libenter amplector cum Ugolin. in explicatione *d. Canonis septimi, vers. illisque ad id auxilium, num. 4.* Duard, *in Bull. Cœn. lib. 2. quæst. 35. num. 2.* Bonacina, *de censur. Bull. Cœn. disp. 1. q. 8. punct. 4. sub n. 10.* & alij. 7.

Moveor primò, quia Summus Pontifex in Bulla absolutè prohibet, sub pœna excommunicationis, præstari quomodolibet opem Infidelibus, vel Hæreticis, à Sede Apostolica denunciatis: Un- 8.

de

de ex vi Bullæ excommunicatur qui Infideles adjuvat, pugnantes contra Principem fidelem, licèt non habeat animum nocendi Fidelibus. Nam ad contrahendam excommunicationem, non tam consideratur prava voluntas operandi, quam ipsa operatio, ut notant Canonistæ.

9. Moveor secundò juribus, *in cap. Ita quorumdam. de Judæis*, ubi indistinctè interdicitur Christianis, sub variis pœnis, favorem, & auxilium præbere Christianorum hostibus, aut aliquid agere, quo illi adjuventur. Quæ omnia lege naturali, ac etiam civilibus juribus prohiberi probant Doctores, *ex l. 1. & 2. Cod. quæ res export. non deb. l. pen. & fin. Cod. quæ res vend. non poss.* Si igitur jura omnia prohibent indistinctè opem tradi Infidelibus, sive bellent motivo purè politico, sive ut Christianorum hostes, qui eos adjuvat contra Principem Christianum, jura offendit, & jurium pœnas incurrit.

10. Moveor tertiò rationibus, quia Principes Catholici dicuntur Ecclesiæ Romanæ, sive Catholicæ Religionis Custodes, & Defensores, ideò Religionem armis tueri debent. *Cap. Boni Principes, distinct. 96. Cap. Tributum. Cap. Principes, caus. 23. quæst. 8. cap. Maximianus, ead. caus. q. 3. cap. Christianus, caus. 11. q. 1.* Unde Religionem Catholicam offendit, qui offendit Principem Catholicum. Regem enim offendit qui offendit Ministros Regis. Atqui auxilium Infidelibus præstitum contra Principem Catholicum, non solùm indirectè, sed directè ipsum Principem offendit, contra ipsum dirigendo sua arma, suos milites, suam pecuniam. Tum quia, Infideles utplurimùm injustè, & iniquè, sine causa, scilicet, ex odio, vel ex inordinata cupiditate possidendi, contra Christianos bellant. Nullo autem jure constat nobis licere cooperari actionibus iniquis, & injustis. Ergo nullo modo potest Princeps Catholicus contra Principem Catholicum adjuvare Infideles.

11. Moveor quartò exemplo, in Nicol. III. & Leo: IV. qui hortantur Francorum Exercitum, pro defensione Christianorum, contra inimicos Christianæ Religionis viriliter agere, ut habetur *in cap. Omnium, caus. 23. q. 5. cap. Omni timore, ead. caus. q. 8.* Negotium enim Domini Nostri JESU Christi agitur, cùm hostes Religionis Christianæ impugnantur, ut in Extrav. Joannis XXII. quæ incipit: *Copiosius*, & ibi Gloss. *verb. Negotium.* Si ergo Sancta Mater Ecclesia Gallos hortatur, & eorum exemplo omnes alios Christianos, ad impugnandum Infideles, pro defensione Fidelium, necessariò deducitur, operari contra intentionem directam Ecclesiæ eum, qui contra Fideles adjuvat Infideles.

12. Concludimus igitur, graviter, peccare, & incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, aliorumque iurium Principes Catholicos, qui cernendo Principem Catholicum feliciter bellare contra Infideles, & credendo probabiliter arma contra ipsum suscepturum, si ei potentia augeatur, Infideles armis, & favore adjuvant.

13. Ad præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ, quod est, intentionem Principis Catholici adjuvantis Infideles contra Principem Catholicum, non esse favendi Christianorum hostibus, qua tales sunt, sed tantùm se, & sua tueri; respondeo, concedendo jure naturali, civili, & Canonico, nobis permitti ea, quæ ad nostram defensionem necessaria sunt, *l. ut vim, ff. ad l. Aquil. cap. Si verò, de sent. excomm. & cap. Dilecto, eod tit.* sed quando oppugnamur, & vis nobis infertur, in quo casu possumus prævenire inimicum, sine transgressione moderaminis inculpatæ tutelæ. Nostra verò difficultas supponit Principem faventem Infidelibus non oppugnari, ideò non se, & sua tuetur, sed alios injustè oppugnat: & licèt non intendat favere hostibus in damnum Catholicorum, tamen re ipsa in eorum perniciem fovet, & favet, quod sufficit ad incurrendam excommunicationem Bullæ Cœnæ.

Responsio ad cæteras primæ sententiæ rationes deducitur clarè ex probationibus nostræ opinionis, & ex dictis in Difficultate IX. 14.

Infero primò ex dictis, cooperantes ad actionem intrinsecè malam, vel aliquo jure prohibitam, peccare graviter, vel leviter secundùm qualitatem materiæ, & teneri ad restitutionem, juxta regulas restitutionis, quando actio est injusta, dummodò damnum secutum sit, & adsit moralis certitudo de damno secuto. Casus verò, in quibus cooperatio invenitur, his carminibus exprimuntur: 15.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus;
Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.

De cooperatione ad malum tractant, Azor. 3. p. l. 4. cap. 10. Less. *lib. 2. cap. 13.* Vasq. *de restit. cap. 9. §. 1.* Lug. *tom. 1. de just. d. 19. sect. 2.* Molin. Bonacin. Laym. & alij.

Infero secundò, ligari excommunicatione Bullæ Cœnæ Principem, auxilium ferentem directè Infidelibus, contra Christianos, v. g. subministrando eis arma, milites, magistrum navium, & alia ad usum bellicum necessaria. Ugolin. *in explicat. Can. sep. Bull. Cœn. verb. illuque.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. q. 34.* 16.

Infero tertiò, ligari excommunic. Bull. Cœn. Principem, qui bellum infert adversùs alium Principem Christianum, bellantem contra Turcas, vel Arcem ipsorum obsidentem, ex hoc scilicet motivo, ut à bello, & obsidione desistat. Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. q. 34.* Bonacin. *de censur. Bull. Cœn. disp. 1. q. 8. punct. 2. nu. 19.* quia Infidelibus opem præstare dicitur in damnum Christianorum. Quam censuram Princeps contrahit etiam damno non secuto, ut notat Ugolin. *loc. cit.* quia Bulla solùm considerat auxilium datum. 17.

Infero quartò, Principem ligari ex excomm. Bull. Cœn. qui expostulatus, tacitè, vel expressè, concedit Infidelibus transitum per terras suas, addeprædandos Christianos proficiscentibus. Duard. Bonac. *loc. cit.* quibus additur Reginaldus, *lib. 9. sua praxis, num. 198.* quia tunc est eorum Fautor. 18.

In-

19\. Infero quintò, ligari excomm. Bull. Cœn. Principem, qui arma extrahi permittit ex suis portubus; scientem illa deferri Infidelibus contra Christianos, præcipuè si arma sunt ipsius Principis, aut Princeps tenetur ex justitia damnum Christianorum impedire. Duard, *loc. cit. num.* 4. Bonacin. *loc. cit. num.* 20. quia tunc dicitur favorem, & auxilium Infidelibus præstare.

20\. Infero sextò, eadem censura ligari Principem, vel quemvis alium, qui subministrat arma Catholicis Principi Infideli, vel etiam hæretico nominatim declarato subjectis, modò probabiliter credat Principem infidelem, delatione illorum armorum, potentiorem futurum ad impugnandos Christianos; vel quia subditos compelleret ad oppugnandos Catholicos, vel illos armis desolatis spoliaret; quia Bulla prohibet quomodolibet auxilium Infidelibus præstare contra Fideles. Bonac. *de censur. Bull. Cœn. disp.* 1. *q.* 8. *punct.* 4. *num.* 6. Quæ omnia clariùs à nobis explicabuntur, *lib.* 5 *diff. pert. ad arma.*

XXXIV. DIFFICULTAS.

An Princeps, qui bona fide bellat, putans justè bellare, teneatur damna restituere, si supervenerit mala fides.

1\. NOtandum primò, dari posse per accidens, vel saltem apparere posse bellum ex utraque parte justum, quod contingit, quando utraque pars, vel ex ignorantia invincibili facti, aut juris, vel ex opinione, aut malitia Theologorum, quos consulit, judicat suum jus esse omninò certum, idque invincibiliter sibi persuadet; tunc asserunt communiter Doctores, posse utramque partem pro se sententiam ferre, & ita bellare. Coninch, *disp.* 31. *de bello, dub.* 4. *nu.* 70. Victor. *Relect.* 6. *de jur. bell. num.* 32.

2\. Notandum secundò, restituere idem esse, ac reddere alicui id, quod est ab eo ablatum, seu acceptum, quod videre est apud Auctores, tum sacros, tum profanos. Cajus verò Jurisconsultus, *in l. plus est, ff. de verb. sig. Restituere,* inquit, *est possessorem facere, fructúsque reddere:* Eumdem sensum D. Thomas ostendit, 2. 2. *quæst.* 21. *art.* 1. dicens, Restituere esse aliquem rursùs „ in possessione, & dominio suæ rei statuere.

3\. Notandum tertiò, culpam dividi in theologicam, & juridicam; theologicam eam esse, quæ est coram DEO, & in conscientia; estque duplex, alia mortalis, venialis alia: juridicam verò, quæ triplex est, lata, levis, levissima, esse eam, quam jura pro foro externo considerant; & juxta quam sententias ferunt. Vide Azor. 3. *p. l.* 6. *c.* 4.

4\. Notandum quartò, injustum occupatorem rei alienæ teneri ad ejusdem rei restitutionem, per injuriam ablatæ, vel ad æstimationem post ejus interitum, absque culpa ipsius occupantis contingentem. Covarr. *in reg. peccatum, p.* 2. §. 6. *n.* 1. D. Thom. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 6. Sylv. *versic. furtum*, §. 16. quia iniquus occupator, propter malam fidem, quam à principio habuit, semper est in mora, *l. in re furtiva,* & *l. fin. ff. de cod. furt. l. ult. Cod. de cond. ob turp. causam,* & moroso semper adscribitur rei interitus, etiam absque ejus culpa adveniens, *l. nemo.* §. *ult.* & *l.* 1. *si servum, ff. de verb. obl l* 1. §. *Rectissimè.*

5\. His annotatis, ad difficultatem propositam respondeo, quòd si Princeps nullo modo dubitans de injustitia belli, bellavit; si posteà ei constiterit de injustitia belli, non tenetur restituere quæ consumpsit; sed tantùm id, quod extat, & in quo factus est ditior. Vict. *Relect.* 6. *de jure belli, num.* 33. Less. *lib.* 2. *cap.* 14. *d.* 1. Molin. *tom.* 3. *d.* 718. Valent. *disp.* 5. *quæst.* 14. *de Testibus, punct.* 4. Fillinc. *tract.* 32. *de injust.* & *restit. cap.* 2. *q.* 4. & alij plures apud Dic. *lib.* 2. *de just. tract.* 2. *d.* 5. *dub.* 1.

6\. Moveor primò, quoad primam partem conclusionis, id est, quòd Princeps, qui bona fide sequutus est bellum injustum, non tenetur, &c. moveor, inquam, primò juribus, *in l. bona fidei, ff. de acq. rer. domin.* & *l. fructus percipiendo, ff. de usur.* ubi habetur, bonæ fidei possessorem etiam ex aliena re fructus suos facere.

7\. Moveor secundò rationibus, quia regula juris est, quòd qui non est in culpa, non debet esse in damno. Princeps bona fide bellans, non fuit in culpa saltem theologica, ut supponimus: ergo non debet esse in damno. Omnis enim injusta acceptio, vel occupatio, vel consumptio, ut pariat in foro conscientiæ onus restitutionis, debet esse theologicè culpabilis, nec sufficit juridicè, ut probant Molin. *tom.* 3. *d.* 698. *num.* 6. Less. *lib.* 2. *cap.* 7. *d.* 6. *nu.* 27. Vasq. *de restit. cap.* 2. §. 2. *dub.* 2. & alij. Tota enim obligatio restituendi oritur ex peccato, quod committitur contra justitiam, & est indubitatum apud omnes. Azor. 3. *p. lib.* 4. *cap.* 9. De Lugo, *tom.* 1. *de just. d.* 1. *sect.* 4. *nu.* 51. & alij passim: obligatio namque restituendi non astringit aliquem, quando neque acceptio fuit injusta, neque extat apud eum res restituenda. Valent. *disp.* 5. *quæst.* 14. *de testibus, punct.* 4. & ratio, quia sola illa inducit inæqualitatem in rebus temporalibus: Ergo sola illa ad æqualitatem obligare debet. At ubi nulla est culpa, utpotè nullum voluntarium, nulla est injustitia; ergò nulla est obligatio restituendi. Ergo Princeps putans bona fide justè bellare, si supervenerit mala fides, non tenetur restituere nisi ablata, quæ nondum consumpsit, & id, in quo factus est ditior.

8\. Moveor secundò, quoad secundam partem conclusionis, nempè Principem, adveniente mala fide, hoc est, cognita injustitia belli, teneri restituere rem non consumptam, & quidem eamdem, si extat, bello injusto captam ab alio. Moveor, inquam, primò juribus *in l. certum est, Cod. de rei vindic.* ubi habetur, res mala fide possessas, esse restituendas. *Et arg. l. qui autem,* §. *Si quid cum pupillo, ff. de his, quæ in fraud. cred.*

9\. Moveor secundò rationibus, quia res quomodocunque accepta, ubicumque est, Domini est. Ergo quicunque illam habet, si non reddi-

dit, fit injustus occupator rei alienæ. Ergo tenetur restituere, ut probant jura in quarto Notelata. Tum quia, nulla causa subest naturaliter justa, cur Dominus rei ea carere debeat; non consensus Ipsius, ut supponitur; non malum meritum; non compensatio. Ergo quicunque illam retinet, reddere tenetur. Ergo Princeps tenetur reddere res extantes his, quibus bello injusto fuerunt ereptæ: quod vel ipsum rationis lumen ostendit, dum hoc fecisse scimus fidei luce carentes.

10. Moveor tertiò exemplo, in L. Æmilio Gallorum victore, qui, ut ait Polybius *Hist. l. 2.* prædam iis reddidit, à quibus ablata fuerat. Idem fecisse Scipionem, Plutarchus, & Appianus scribunt, cum Carthagine capta, multa ibi invenisset donaria, quæ è Siciliæ Urbibus, & aliunde Pœni rò advexerant. Rhodij naves quatuor Atheniensium captas à Macedonibus, recuperatásque Atheniensibus reddiderunt. Livius, *lib. 31.* Hæc omnia, & multa similia, tum antiquorum Romanorum, tum aliarum Nationum in tenebris infidelitatis ambulantium exempla, clara sunt argumenta, Principibus fide illuminatis reddendi res, bello injusto ereptas, earum Dominis, cognita belli injustitia.

11. Concludimus igitur, Principem, qui nullo modo dubitans de injustitia belli, bellavit, si ei posteà constiterit de injustitia belli, non teneri restituere quæ consumpsit, sed tantùm id, quod extat, & in quo factus est locupletior.

12. Infero primò ex dictis, ad contrahendam obligationem restitutionis, requiri culpam theologicam gravem, hoc est culpam in conscientia mortalem; acceptionem autem injustam venialiter tantùm; & damnificationem venialem ex sola parvitate materiæ patere quidem obligationem restituendi, sed solùm sub veniali Sanchez, *lib. 2. in Decal. num. 160.*

13. Infero secundò, injustam rei quantumcumque gravis acceptionem, seu damnificationem, venialem ob indeliberationem, non imponere obligationem restitutionis sub mortali, & secundùm multos, nec sub veniali. Sot. *lib. 4. de just. q. 7. art. 2.* Sà, *verb. Restitutio.* Less. *lib. 2. cap. 7. d. 6. num. 27.* quia actus moralis imperfectus, non potest esse causa obligationis moralis perfectæ. Verum tamen est, quòd si post injustam rei gravis acceptionem, quantùmlibet venialem ob indeliberationem, res extet aliquo modo apud injustum acceptorem; iste tenetur eam restituere, quia tunc injusta retentio illius rei esset mortaliter peccaminosa.

14. Infero tertiò, habentes justum bellum peccare quidem, si ex prava intentione, scilicet, non propter justitiam, sed propter prædam principaliter pugnent, *caus. 23. quæstio. 2. Capit. Militare*; vel propter cupiditatem imperij vel ex animo crudeli ulciscendi. Ait enim S. Aug. contra Faustum, *lib. 22. cap. 74.* Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, &c. Hæc sunt, „ quæ in bellis jure culpantur. Sic Aristides, *de societate servanda*, Phocenses, ait, meritò perijsse, at nun benè fecisse Philippum, cùm eos perderet; quippè non religioni studentem, quam præferebat, sed augendo imperio. Peccare quidem justè bellantes, sed ex prava intentione; sed non teneri ad restitutionem D. Thom. *2. 2. q. 66. art. 8. ad 1.* confirmat.

15. Infero quartò, Acquisita per violentiam à Deprædantibus hostes in bello justo, eorum fieri; adeoque non teneri ad restitutionem, quia hoc non habet rationem rapinæ. D. Thom. *loc. proximè cit.*

16. Infero quintò, eum, qui in convivio furtis comedit res furtivas bona fide, putans esse illius, non teneri, cognito furto; ad restitutionem, nisi fortè quantum domi consumpsisset, Victor. *Relect. 6. de jur. belli, num. 33.* quia bona fides excusat à peccato: & ubi non est peccatum, nulla adest obligatio.

17. Infero sextò, non teneri Dominum ad restitutionem damni, servi, qui furatus est, equi, qui hominem, vel aliud animal calcibus occidit, bovis, qui alienum campum devastavit; dummodò non fuerit in culpa. Filliuc. *tract. 32. de injust. & rest. cap. 2. quæst. 3. num. 29.* quia obligatio restituendi semper est conjuncta cum injustitia, & injustitia non est, ubi culpa non est.

18. Infero septimò ex secunda parte conclusionis, rem bello injusto ereptam, cognita belli injustitia, esse eamdem proprio Domino reddendam, cùm non possit unum pro alio, invito creditore, restitui, *l. manifesti, Cod. de solut.* Creditor enim, non solùm habet jus justitiæ ad rem, ejusque valorem, sed etiam ad hanc rem. Dicast. *lib. 2. de justit. tract. 2. d. 2. dub. num. 14. & 15.* ubi citat, & sequitur alios. Sic Phocensibus, Romanorum decreto, reddita fuit libertas, etiam illa publica, nec non & qui erepti erant agri. Livius, *lib. 28.*

19. Infero octavò, injustè scienter bellum moventem, teneri de omnibus damnis, quæ ipse, vel sui intulerunt hostibus, & hominibus eorum; teneri pariter & hominibus proprijs de damnis ab Adversario illatis, dum justè rebellat ipse Adversarius. Crass. *p. 2. lib. 2. de bello, cap. 20 num. 48.* quia, stante cognitione injusti belli, adest culpa, & sic injustitia; adeóque & obligatio restituendi.

20. Infero nonò, homicidam injustum, sive mutilatorem, sive in bello, sive extra bellum, teneri solvere impensas, si quæ factæ sunt pro medicis, & medicinis, & ijs, quos Occisus alere ex officio solebat, puta, parentibus, uxoribus, liberis, dare tantum, quantum illa spes alimentorum ratione habita ætatis occisi, valebat. Less. *lib. 2. cap. 9. dub. 19.* quod ratio naturalis suadet. Scimus enim, quòd Hercules Iphiti à se occisi, liberis mulctam pependit, quò faciliùs expiaretur. Diod. *lib. 4.* Propterea Michaël Ephesius ad 5. Nicomachiorum Aristotelis dicit. „ Sed & qui occisus fuit, loquitur de homicida injusto, accipit „ aliquo modo. Quæ enim uxor ejus, & liberi, „ & cognati accipiunt, ipse quodammodo accipit.

21. Infero decimò, teneri restituere non solùm illum, qui primariò damnum dat in bello injusto, aut extra, id est qui jubet, qui consensum requisitum adhibet, qui adjuvat, qui non vetat quod

ex jure propriè dicto vetare tenetur, aut opem non fert ei, cui debet; sed etiam omnes, qui consilium dant, laudant, assentantur. D. Tho. 2. 2. q. 62. art. 4. Sot. *lib. 4. q. 6. art. 5.* Quid „ enim, ait Cicero Philippica secunda, interest „ inter suasorem facti, & probatorem? Tam igitur suasor, quàm probator operatur contra justitiam, uterque ergò habet obligationem restituendi.

22\. Infero undecimò, res, bello injusto captas, esse restituendas, non solùm ab ijs, qui ceperunt, sed etiam ab alijs, ad quos quoquo modo pervenerunt. Nemo enim plus juris ad alium transferre potest, quàm ipse habuit, *l. si noxale, §. Ex his, ff. de nox. l. traditio. ff. de acquir. re. dom.* quæ juxta Seneca paucis verbis explicat dicendo, „ *lib. 4. de benef. cap. 12.* Nemo potest, quod „ non habet dare.

23\. Infero duodecimò, cooperantes ad idem damnum individuum, ut ad eamdem damnum incendendam, &c. teneri omnes in solidum, id est ad totum, & non ad partem; non concurrentes autem ad idem damnum, sed distinctum inferentes, teneri tantùm ad proprium damnum, & partem ejus, quod intulerunt. Sylv. *verb. Restit. cauf. 3. quæst. 6.* Navar. *cap. 17. num. 21.* Less. &c.

24\. Infero decimotertiò, restitutionem esse faciendam illi ipsi, à quo res accepta est, si loci distantia, aut alia gravis circumstantia non impediat. D. Tho. 2. 2. *quæst. 22. art. 5.* Si verò est ignotus, faciendam esse illi restitutionem, dando ad Animæ ipsius salutem, Christo in suis pauperibus; quia Christus, ut ait Cajetanus hîc, est Hæres universorum. Heb. *cap. 1.*

25\. Infero decimoquartò, præscribentem bona fide, quæ requiritur in præscriptione ab initio, medio, & in fine. Bursat. *conf. 330. num. 150. vol. 3.* & communiter Canonistæ *extra, de præscript. cap. Possessor, de reg. jur. lib. 6.* si supervenerit mala fides, teneri in foro conscienciæ rem restituere. Gloss. *in versic. recesserit. cap. Si virgo, cauf. 34. q. 2. arg. cap. Omne quod, cauf. 25. q. 1. cap. Generalis, in fin. dist. 54.* Non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. *cap. Si res, cauf. 14. quæst. 6. cap. Cùm sit, extra, de usur.*

26\. Infero decimoquintò, data à lattone, vel fraudulento lusore, si hoc discernitur, esse proprio Domino restituenda: secùs verò si non discernitur, quisqui bona fide accepit illa dona, factus est illorum legitimus Dominus; undè potest illa licitè retinere.

27\. Infero decimosextò obiter, esse corrigendum quemdam nonnullorum vulgarium errorem, quem Sotus etiam, *lib. 4. de just. quæst. 6. art. 1.* Navarrus, *in Manual. cap. 17. num. 68.* redarguit, nempè, non liberati à Purgatorio, nec consequi salutem eum, qui aliquid in vita alijs debebat, quoad ejus debita ab hæredibus solvantur. Hoc enim est falsum; nam si dictus debitor, ob justas causas, non potuit satisfacere creditoribus, excusatur à peccato mortali, non restituendo, & sic in gratia DEI ex hac vita decessit; unde Cælum consequetur, cùm primùm satis passus fuerit in Purgatorio pro debito pœnæ temporalis, licèt malitia hæredum ejus, debita nunquam solvantur. Ita, præter alleg. Doctores. D. Thom. *quodlib. 6. art. 13.* Adrianus, *quodlib. 8.*

XXXV. DIFFICULTAS.

Miles non recipiens, debito tempore, ob culpam Principis, promissum stipendium, fuit variè damnificatus: tenetur ne Princeps omnia damna illi resarcire?

Notandum primò, duplex esse posse militis stipendium; honorificum, & necessarium. Primum est præmium, quod strenuè pugnantibus datur; antiquitus apud Romanos non dabatur, nisi post annum undecimum, & Tiberio imperante, post annum 20. nostris verò temporibus solet dari, prout opportunius videtur aut Principi, aut Fortunæ. Secundum respicit quotidianam militis sustentationem. Primum datur militi, ut resplendeat. Secundum, ut vivat. De stipendio honorifico hîc non est sermo. 1.

Notandum secundò, nos non loqui de stipendio, quod apud Livium, *lib. 2.* dicitur tributi genus, quod quis tenetur solvere Principi, vel Reipublicæ ad sustentationem militum. Stipendium igitur nostræ difficultatis subjectum, est id, quo miles indiget, ut vivat; pro cujus intelligentia aliqua debemus supponere. 2.

Notandum tertiò, tanquam certum, militibus solvendum esse justum stipendium, modò bellaverint, nec aliter conventum sit; & hujusmodi justum stipendium esse, quod passim militibus dari solet, nuncupaturque, *la Papa.* 3.

Notandum quartò, neminem posse cogi suis stipendijs militare, ut disponit Tex. *in cap. Cum ex officijs, de præscript.* & Tex. *in cap. Militare, cauf. 23. q. 1.* ubi Summus Pontifex providentia quadam ait, Militi stipendia constituta sunt, „ ne dum sumptus quærit, Prædo grassetur. „ 4.

Notandum quintò omnes, qui militiæ nomen dederunt, nec è numero militum sunt deleti, & in Castris præsentes sunt, stipendia mereri, ut latè ostendit Claud. Cotoreus, *de jur. milit. lib. 1. cap. 54.* Tullius Crispol. *in cas. milit. cas. 28. num. 2.* Quod etiam verum est, si discedant à Castris cum licentia, nam sine stipendij deductione à signis absunt, *l. hac lege, Cod. de proximis sacrorum scrinier. lib. 12.* 5.

Notandum sextò, multa esse damna, quæ ex stipendio non soluto, ob culpam Principis, statuto tempore, possunt sequi militi, ut venditio suorum vili pretio ob inediam, debita contracta ob curationem morbi ab initio non curati, amissio alicujus membri, & consequenter inhabilitas ad aliquid lucrandum, & alia ejusmodi. 6.

His annotatis, ad difficultatem propositam, an Princeps teneatur resarcire omnia damna, quæ miles pressus necessitate patitur, non soluto stipendio, ob ejus culpam, videtur negativè respondendum; quia obligatio oritur ex pacto; ut testantur omnes Jurisconsulti. Atqui militiæ contractus, 7.

tractus, cùm non sit innominatus, non est propriè contractus locationis, qui sine pactione mercedis non potest intelligi, *l. 2. ff. de locat. & l. si quis à liberis*, §. *Si quis, ff. de liber. exhib.* adeóque pactum abhorret, & erogatio stipendiorum potiùs providentiæ Principis, quàm pacto alicui debet adscribi. *cap. Militare, caus. 23. quæst. 1. Authen. de fidejuss. in fine.* Ergo ob stipendium non solutum, etiam culpa Principis, licèt oriantur militi damna, ad nihil tenetur Princeps.

8. Verius tamen est, teneri, Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 116. in princ.* Castropalaus, *tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 5. num. 2.* Coninch, *disput. 31. de bello, dub. 7. num. 94.* Diana, *p. 6. tract. 4. Resol. 29.* & alij plures Jurisconsulti, quos recenset, & sequitur, Menoch. *in consil. 1188. num. 15.*

9. Moveor primò juribus, *in l. qui occidit*, §. *In hac, ff. ad l. Aquil. & in cap. Sæpè, 50. dist.* ubi notatur, quòd ille, qui non prævidet quod prævidere debet, est in culpa; & qui damni occasionem dat, ad damnum tenetur.

10. Moveor secundò rationibus, quia damnum, proveniens ex culpa, est resarciendum, ita communiter Doctores, & etiam secundùm aliquos, quando culpa est levis. Covarr. *in Epit. de matrim. p. 2. §. 8. cap. 6. num. 12. circa med.* Abb. *in cap. fin. extra, de injur.* Barbat. *in cap. Raynaldus, extra, de testam.* Angel. *in sum. verb. Culpa, in fin.* Adrian. *in 4. in tract. de restit. cap. Utrum in foro conscientiæ.* Sed difficultas supponit, stipendium non esse solutum militi ob culpam Principis, Ergo Princeps tenetur resarcire omnia damna secuta. Tum quia, militi debitum est de justitia stipendium cum eo constitutum, quoniam intervenit contractus locationis, & conductionis inter militem, & Principem; & sicut contractus fuit à milite adimpletus, quia servivit; ita Princeps tenetur adimplere contractum; adeóque solvere pretium constitutum, & promeritum, Ergo si culpa sua non solvitur, est in culpa. Ergo est causa injusta omnium damnorum. Ergo tenetur illa resarcire. Præterquam quòd, miles pro stipendio tenetur, etiam cum periculo vitæ, pugnare, defendere arcem, servare stationem, & facere quidquid illi imperatur, & quidem sub reatu culpæ mortalis, ut docet Faver. *l. 3. ff. ad leg. Jul. majest.* quo ex capite plectuntur, qui hostibus cedunt, Insuper si fugit, & ex sua fuga proveniunt damna, tenetur de justitiæ rigore ea restituere, quia ex officio, & pro stipendio tenebatur illa impedire. Ergo si miles, non adimplendo contractum, peccat, & punitur, & tenetur, quando est culpabilis, resarcire damna illata Principi; quare Princeps ex vi ejusdem contractus non tenebitur resarcire damna militi, quando erit culpabilis?

11. Moveor tertiò exemplis: nam etiam ab antiquo solebant Principes militibus damna resarcire, orta ob stipendium denegatum, etiam sine eorum culpa, ut testantur Historiæ de Alexandro, de Cyro, alijsque Principibus gentilibus, qui lumine naturæ ducti, cognoscebant stipendium militibus esse statuto tempore solvendum, teneríque Principes, si eorum culpa non solvatur, secuta damna militibus resarcire.

Ex quibus patet responsio ad argumentum negativæ opinionis: negatur enim non intervenire inter Principem, & militem contractum locationis, & conductionis, & consequenter pactionem mercedis. Princeps igitur, statuto stipendio tanquam mercede, ex justo pacto conduxit operam militis, & quidem in re laboriosa, & periculosa; ideóque ex justitia tenetur hoc ei persolvere: & quando sua culpa non solvitur, omnia damna resarcire, cùm omnium sit causa. 12.

Concludimus igitur, Principem teneri omnia damna militi resarcire, quando sua culpa, debito tempore promissum stipendium non recipiens, miles damnificatur. 13.

Infero primò ex dictis, ministros Principum destinatos ad hæc stipendia militibus solvenda, si culpabiles existant, ut si culpabiliter officio suo defuerint, vel pecunias ad illa destinatas alio convertetrint, teneri dictis resarcire omnia damna inde sequuta. Castropal. *de char. tract. 6. d. 5. punct. 5. num. 2.* Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 7. n. 96.* Ratio est, quia hujusmodi damna ipsis tanquam eorum causis imputantur: quod est diligenter notandum à Confessarijs, Ministrorum conscientias tractantibus 14.

Infero secundò, teneri Principem resarcire omnia damna, tanquam injustam eorum causam, quæ milites, non habentes suum stipendium statuto tempore dant; ut sunt furta, rapinæ, indebita extorta à populis vicinis, & alia similia, Palaus, Coninch. *loc. cit.* 15.

Infero tertiò, hoc stipendium esse militi solvendum, etiamsi infirmus existat. Sylv. *verb. Miles, num.* 8, Emanuel Sà, *verb. Bellum, num. 15.* 16.

Infero quartò, licitum esse militi occulta compensatione uti, si sine scandalo possit, neque alia via speret stipendij solutionem. Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disput. 116.* Castropal. *de char. tract. 6. disp. 5. punct. 5. n. 2.* 17.

Infero quartò, militi jure deberi integrum stipendium, licèt bellum non arrideat, si per ipsum non stet. Idem dicitur de operarijs, qui locant operas suas, si per ipsos non stet; *l. qui operas. ff. locati.* Unde Advocatus, qui causam aliquam agit, non tenetur soluta stipendia restituere, si causa ultra non procedat, quia per ipsum non stat, quo minùs procedat, *l. eadem, & l. sed addes*, §. *ult. ff. eodem.* Filliuc. *tom. 2. in Decal. tract. 36. de contract. cap. 6. quæst. 5. num. 107.* 18.

Infero quintò, teneri Principem summa diligentia vigilare, ut militibus stipendia, statuto tempore, solvantur, cùm ob stipendium non solutum possint milites Castra deserere, ab innocentibus indebita extorquere, exercitum concitare, & in rebellionem prodire, Rempublicam periculo exponere. Testantur enim historiæ, ob hanc causam, Bellegradum, aliorum quoque Regnorum, præter Hungariam, propugnaculum turpissimè fuisse amissum, à Turcis acquisitum anno 1521. 21. Aug. Dubravius, *lib. 33.* Omissis alijs 19.

alijs Civitatibus, ob ſtipendia non ſoluta, Hoſtium ditioni obnoxijs.

20. Infero ſextò obiter, non poſſe Dominum jure ſubtrahere mercedem famulo ægrotanti, Innoc. *in cap. Propter ſterilitatem, de locat.* Gemin. *in cap. 1. de Cler. non reſid. in 6.* Contraria ſententia, quam aliqui dicunt eſſe communem Canoniſtarum, *in cap. 1. de Cler. agrot.* eſt etiam probabilis.

21. Infero ſeptimò, admiſſos ex conditione, ut contenti ſint victu, & veſtitu, non poſſe aliquid ampliùs exigere. Azor. *cap. 13. quæſt. 2.* Poteſt enim quis totum ſuum famulatum alteri gratis præbere; ergò & partem: Eadem enim ratio eſt de parte, quæ de toto, *l. quæ de tota, ff. de rei vendic. & l. illud, ff. ad legem Aquiliam.* Si igitur aliquid, ultra æſtimationem victus, & veſtitus, ipſorum opera mereatur, cenſentur condonare: & ſic non poſſunt illud exigere, nihilque accipere occultè pro compenſatione.

22. Infero octavò, Dominum conducentem infrà infimum pretium, teneri ad reſtitutionem; itemque famulum teneri, ultra ſupremum pretium conductum, Domino exceſſum reſtituere. Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 7. cap. 23. dub. 5. num. 2.*

23. Infero nonò, Conductorem, qui non eget opera alterius, ſed ſolùm ex mera pietate ipſum conducit ad illius preces, non teneri ei dare, niſi alimenta, qualia ſolent ſimilibus famulis conferri. Lopez, *2. p. inſtit. cap. 8. d. 3.* Secùs verò, ſi indigeat illius opera; indeque maximam capiat utilitatem: tunc enim, præter alimenta, tenetur ei ſaltem infimum pretium dare. Leſſ. *lib. 2. cap. 24. dub. 4. num. 26.*

24. Infero decimò, non eſſe abſolvendum obligatum ad reſtitutionem, quam pluries Confeſſario promiſit, & non fecit, præcipuè ſi creditor ex dilatione incurrit aliquod damnum, etiam ſi dicat firmam habere voluntatem reſtituendi. Graff. *p. 1. deciſ. lib. 2. cap. 133. num. 43.*

XXXVI. DIFFICULTAS.

Princeps cogit adire bellum juſtum non ſubditos, quibus, debito tempore, ſtipendium ſolvit, teneturne reſarcire illis damna, quæ inde patiuntur?

1. NOtandum primò, militiam verum eſſe contractum inter militem, & Principem, in quo miles exhibet Principi militiæ labores; Princeps verò militi ſtipendium. Tull. Criſpolt. *in caſ. milit. caſ. 1. num. 2.* Ceſpet. *in dub. milit. dub. 3.* Quinam verò ſit contractus militiæ, innominatus, an nominatus, aut locationis, variæ ſunt Doctorum ſententiæ, quas refert Ceſped. *loc. cit.*

2. Notandum ſecundò, in contractibus, ſicut etiam in donationibus, legatis, promiſſionibus, pactis, & obligationibus, nihil valere, quod fit per violentiam, ita unanimiter Canoniſtæ, & Juriſconſulti, & Theologi, cùm per coactionem, ſeu violentiam tollatur ratio voluntarij, quæ in ijs neceſſariò requiritur; ideòque Azor. *lib. 1. cap. 9.* & alij ex D. Thom. *quæſt. 6. art. 4.* aſſerendo, quatuor eſſe, quæ rationem voluntarij, & liberi impediunt, in primo loco collocant violentiam, deinde ignorantiam, metum, & concupiſcentiam.

3. Notandum tertiò, duplicem eſſe violentiam, ſeu coactionem, abſolutam ſcilicet, & conditionalem. Abſoluta coactio eſt, cujus principium eſt extra operantem, non annexa, ſed excluſa omninò voluntate operantis, & fit per manuum impoſitionem, ſeu detentionem; ut ſi quis baptizaret Judæum invitum: de qua habetur *in cap. Majores, extra. cap. Presbyteros, diſt. 50.* Conditionalis verò eſt, cujus principium impellens ab extra ante tempus operationis, ſed ſecundum tempus operationis, eſt ab intra in operante, quia propter aliquod præcedens movetur, ut velit; ut accidit in illo, qui ad impediendum incendium totius domus, trabes ſcindit, vel murum evertit; hic non dicitur ſimpliciter velle, ſed præcedente cauſa impellente, id eſt periculo, pro tunc vult, ut majus damnum evitet.

4. Notandum quartò, poſſe duobus modis contingere coactionem, ſcilicet, vel per violentiam illatam perſonæ, vel per ablationem rerum ſuarum, quæ fit per impoſitionem gabellarum, vel aliorum onerum, utramque coactionem eſſe prohibitam, dicit Tex. *in cap. Sicut de Judæis.*

5. Notandum quintò, damnum mihi inferre eum, qui me cogit, & damni loco haberi, quando meam perdo libertatem, & voluntatem. Bald. *in l. 1. col. 5. n. 2. lectur. de legat. 2,* And. *in cap. 1. §. Similiter numero vigeſimo ſeptimo, de capitaneo, qui cur. vendid.*

6. Notandum ſextò, coacto adire bellum plura damna poſſe contingere, tam in perſona, quàm in rebus, ut conſideranti patebit.

7. His annotatis, ad difficultatem propoſitam, quam à paucis Doctoribus, & ſolùm obiter tactam reperio, an Princeps cogens non ſubditum adire bellum, quod juſtè gerit contra hoſtes, teneatur compenſare damna illi illata; negativè videtur reſpondendum: nam Princeps cogens ſubditum adire bellum, non tenetur ad reſtitutionem damni, quod ſubditus inde patitur; ut docent Petrus Navar. *lib. 2. de reſtitut. cap. 30. num. 270.* & alij. Cur igitur tenebitur Princeps ad reſtitutionem, bellare cogens non ſubditum, cum juſtitia belli, quod gerit, utrique faveat, & ſubdito, & non ſubdito?

8. Veritas tamen eſt, Principem cogentem non ſubditum adire bellum, teneri de damnis ei illatis; quamvis ei debitum ſtipendium ſolvat. Petrus Navar. *loc. cit.* Ant. Cordubeñ. *l. 1. quæſt. 34. §. Secundum punctum.* Ceſped. *in dub. militar. dub. 92.* Et ita fateri debent omnes, aſſerentes damnificantem rependere damna teneri; quamvis damnum inferens ſit Princeps, ut tradunt Alex. *in conſ. 190. num. 17. lib. 2.* Ruin. *in conſ. 60 num. 6. lib. 5.* Dec. *in conſ. 520. num. 10. verſ. quia ad hoc reſpondetur.*

9. Moveor primò juribus, *in inſtit. de obligat. quæ ex delict. naſcuntur, §. Injuria, & l. qui occidit, §. In hac actione, ff. ad leg. Aquiliam, & l. ex maleficio,*

lefficio, ff. de actio. & oblig. & alijs, in quibus clarè apparet præfata obligatio: *& l. quoniam multa, Cod. ad leg. Jul. de vi publ.* ubi habetur, quòd Princeps, vel alius, qui bellum gerit, tenetur de omni damno, quando actio ab eo commissa est illicita.

10. Moveor secundò rationibus; quia Princeps neque de plenitudine potestatis potest sine causa præjudicium facere in jure alterius, ut optimè docet Bartolus, *in l. fin. col. 2. vers. eo modo, Cod. si contrarium, vel utilit. public.* DEUS enim non dedit Principibus jurisdictionem auferendi alienum indebitè: ibi sequitur Fulgos. Dec. *in cap. finali, num. 6 de constit.* post Bald. *in l. Gallus, §. Et quid si tantùm, col. penult. ff. de liber. & post hum.* Neque in jure quæsito, de jure gentium, potest Princeps tertio præjudicare. Tiraquel. *in tract. de constituto, in septima limitatione, num. 47* Gabriel, *in suis commun. conclus. tit. de jure quæsito, non tollendo, conclus. 1. num. 1. vers. contrarium, & vers. tenendo, num. 1.* & alij plures. Atqui Princeps cogendo non subditum adire bellum, ei præjudicium infert. Quis autem dixerit, non teneri ad restitutionem præjudicium alteri injustè inferentem? Sicut enim Princeps non potest extrà suam ditionem legitimare subditum alterius Principis, ad successionem bonorum subditi ejusdem Principis, ut scribit Bald. *in consil. 146. num. 1. versic. unde non posset, vol. 1.* ita non potest subditum alterius Principis cogere ad actionem, ex qua illi oriuntur mala. Ergo cogendo, obligationem incurrit restituendi. Tum quia, quotiescunque actio, quæ jus alterius violat, injuriosa est, atque injusta, obligat damna compensare ex illa secuta. Vita verò, membra, libertas sic propria cuique sunt, ac proinde non sine injuria, & injustitia, ab alio impetuntur. Quid aliud est cogere non subditum adire bellum, nisi illius vitam, membra, libertatem, torque, bona impetere? Sæva enim res bellum est, inquit Plutarchus *in vit. Gamilli*, cumulumque secum trahit injuriarum, & insolentiæ. S. Aug. de his loquens, quæ ex bello nascuntur, *de Civit.* „ *DEI, lib. 19. cap. 7.* ait. Quorum malorum „ multas, & multiplices clades, duras, & diras „ necessitates, si, ut dignum est eloqui velim, &c. Damnum igitur ex hujusmodi actione injuriosa, & injusta secutum non subdito, Principi sicut causæ efficaci, & injustæ est imputandum; idcòque & Principi obligatio compensandi adscribenda. Hæc enim videtur regula generalis cognoscendi causam damni efficacem, ex qua oritur obligatio restituendi; quando nimirum, posito aliquo, sequitur talis effectus, & eo ablato, non sequitur, vel si sequitur, alio modo sequitur, illud dicetur causa efficax. Filliuc. *Tract. 32. de injust. & restit. cap. 2 quæst. 1. num. 42.* Certum est autem non subditum damna belli non fuisse passurum, si Principis coactio abfuisset. Ergo Princeps in illa efficaciter influit: atque adeo resarcire tenetur. Tum quia, alterius necessitati subvenire tenemur, vel ex charitate, si gravis est, vel ex justitia, si extrema; cùm in tali casu, omnia sint communia, sive à nobis immediatè, & efficaciter causetur, sive ab alijs. Cogere autem non subditum bellare, seu adire bellum, duas importat necessitates, ambas à Principe causatas; ipsam nempe coactionem, quæ quidem necessitas est; propterea Tex. *in cap. Sicut, de Judæis*, vult, ut non exigantur coacta servitia, nisi consueta; & ipsum bellum, quòd magna est necessitas, unde Maximus Tyrius ait „ de bello: Etiamsi demas injustitiam, ipsa per „ se necessitas miseranda est: adeòque Princeps tenetur his duabus non subditi necessitatibus subvenire, illi damna ex bello secuta compensando.

11. Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi in Principibus, qui damna, eorum facto contingentia non subditis, compensare solent, aut augendo mercedis præstationem, aut alia via; communem Theologorum, & Jurisperitorum doctrinam admittentes, præsertim Franc. de Marchis, *quæst. 62. num. 2 p. 1.* Menoch. *in cons. 27. n. 34.*

12. Concludimus igitur, Principem, qui cogit adire bellum non subditos, si quid patiantur ex tali bello, aut in persona, aut in familia, aut in bonis, quamvis eis debito tempore stipendia consueta persolvat, teneri illis damna illata resarcire. Secus verò, si alia occasione damna patiantur, ut notat Cordub. *loc. cit.*

13. Ad rationem in contrarium respondemus, concedendo antecedens; & negando consequentiam, & assignamus disparitatem; nam subditi tenentur jure suo Principi obedire, & non obediendo, peccant. Matth. 22. Ad Rom. 13. *Et cap. Qui resistit, causa 11. quæst. 1. & cap. Convenior, causa 23. quæst. 8. & cap. Quid culpatur, ead. caus. quæst. 1.* & tradit Bart. *in l. si finita, §. Si de vectigal. ff. de damn. infect.* Et consequenter eodem jure tenentur se damnis, & periculis belli exponere; & præcipuè valet hæc ratio; quia ordinariè, dum subditi à suo Principe ire coguntur ad bellum, ad est necessitas urgens, in qua ipsi deberent se defensioni objicere. Non subditos verò non teneri obedire Principi extraneo, manifestum est.

14. Infero primò ex dictis, militem non subditum, coactum à Principe adire bellum, non peccare, si castra deserit, si ab arce fugit; quia necessitas magna excludit delictum. *Cap. si quis propter, de furt.* Tum quia contractus inter ipsum, & Principem, ex defectu voluntarii, & libertatis est nullus.

15. Infero secundò, talem militem coactum, & quemvis alium, cui essent damna resarcienda; non esse furem, nec peccare, si per occultam acceptionem compensat id, quod sibi debetur; quia rem sibi debitam hic accipit, non alienam, dummodò tamen removeatur periculum ne illi, vel suo hæredi iterum idem debitum solvatur: quod fiet, fingendo condonationem; vel alio licito, & prudenti modo, & hoc quidem ex charitate, non ex justitia. Ita pariter sentit. De Lugo, *de just. tom. 1. disp. 16. sect. 5. num. 87.* cum aliis.

16. Infero tertiò, eum, qui utitur occulta compensatione, regulariter loquendo, obligari ad admonendum debitorem, vel ad fingendum condonationem, ne is credens, se nondum solvisse debitum, maneat adhuc in mala fide, & in peccato; & ne ob eandem ignorantiam fortassè

 ipse,

ipſe, vel ejus hæredes ſolvant iterum illud debitum; cùm conſtet de debito, non verò de ſolutione. Ita De Lug. *loc. cit.*

17. Infero quartò, compenſantem ſibi occultè debitum, ſi non prævideat alicui tertio id, tanquam furtum ab ipſo commiſſum, fore imputandum, non obligari id præcavere. Secus verò, ſi adſit probabile periculum inferendi proximo grave damnum, non præcavendo: ut, ſi is damnaretur ad triremem, vel gravi infamia notaretur, vel magnam ſummam expenderet: in tali enim caſu peccatur ſaltem graviter, ſi abſque notabili detrimento proprio compenſatio omitti poteſt, contra charitatem, quæ dictat, non eſſe inferendum proximo damnum grave ob parvam utilitatem, Molin. *tom. 3. de juſt. & jur. diſp.* 690. §. *tertio*, De Lugo, *loc. cit. num.* 88.

18. Infero quintò, eum, qui paſſus eſt damnum, poſſe agere in foro Canonico, vel conſcientiæ contra conſulentem, pro actione de dolo ad emendationem totius damni, ſive omittat agere contra principalem, quia potens eſt, ſive ex arbitrio voluntatis: ita notat Innocent. *in cap. Querelam, col. 2. de elect.* Joann. Andr. & allij, *in cap. Sicut dignum, extrà, de homic.* Graff. *in addit. ad 1. p. deciſ. in lib. 2. cap. 64. n. 6.*

19. Infero ſextò, ſervum non poſſe eſſe militem contra voluntatem Domini: & Dominum, permittentem ſervum militare, privari dominio, & jure patronatus; eodémque jure, & dominio privari, ſi ignoraverit, & poſtea ſciverit, & intra triginta dies à die ſcientiæ ſervum non vendicaverit, cùm habuerit, durante tali tempore, facultatem ipſum vendicandi. Ita diſponit Tex. *in l. ſuper ſervis, tit. qui milit. non poſſ.* Molf. *in Sum. t. 2. tr. 12. c. 3. n.* 172.

20. Infero ſeptimò obiter, Virginem, propter neceſſitatem violentam, defloratam, voluntate penitùs renitente, & nullo modo conſentiente, & impedientem etiam, quantum in ſe eſt, talem effectum violentum, clamando, ſi poteſt ſine periculo majoris alicujus mali, aut ſcandali, nullo modo peccare, ejuſque mentem remanere caſtam, & virginem, cum in ipſa exerceatur libido aliena, & non ſua. *Cap. Ita ne, cauſ. 32. q. 5.* Graff. *p. 2. deciſ. lib. 2. cap. 19. n.* 30. Filliuc. *tract. 21. in Decal. cap. 2. q. 6. n.* 67.

21. Infero octavò, teneri ad damna ſecuta eum, qui per violentiam, fraudem, fallacias, deflorat virginem, tenerique illam ducere, ſi promiſit conjugium; quia promiſſio illa eſt per modum contractus. Filliuc. *tract. 32. de injuſt. c. 3. q. 9. n.* 220. Secus verò, ſi virgo vi oppreſſa, commodè deinde, & decenter nupſit, ac ſi corrupta non fuiſſet. Navar. *cap. 16. n.* 17. Leſs. *dub.* 2. apud Filliuc. *loc. cit. n.* 221.

22. Infero nonò, nullam eſſe profeſſionem illius, qui per vim profeſſus eſt aliquam Religionem, & ſecundùm aliquos relatos à Diana, *p. 3. tract. 2. Reſ.* 92. etiam emiſſam per ſolum metum reverentialem: & ideò Farianacius apud Hier. Rodrig. *in compen. 99. Regul. Reſol. 10. n.* 38. refert quamdam declarationem Cardinalium circa nullitatem profeſſionis à quadam fœmina emiſſæ.

23. Infero decimò contra nonnullos, poſſe poſt quinquennium reclamare eum, qui per vim profeſſus eſt Religionem. Villalobos, *in Summ. tom. 2. tract. 35. diffic. 25. num.* 8. Diana, *par. 3. tract. 2. Reſol.* 6. Advertit tamen Rodrig. *in compen. 99. Regul. Reſol.* 101. *num.* 71. eſſe impetrandum reſcriptum à Papa, ut quis poſſit audiri à Superiore, vel Epiſcopo.

XXXVII. DIFFICULTAS.

An ſint à Principe reſtituenda, quæ neglectu ſuo alijs eripiunt milites, in extrema neceſſitate conſtituti.

1. NOtandum primò, triplicem eſſe neceſſitatem; extremam, gravem, communem. In prima, homo ſine auxilio certò aut moritur, aut incurabiliter infirmatur. In ſecunda, non certò moritur, ſed graviter patitur, aut in vita, aut in fama, aut in rebus, ni ſuccurratur. In tertia, tantùm laborat, non decedendo notabiliter à proprio ſtatu, ut eſt mendicus.

2. Notandum ſecundò, varias eſſe ſpecies neceſſitatis, ſive extremæ, ſive gravis, ſive communis. Alia enim dicitur fortuita; alia naturalis; alia culpabilis, alia cauſata à legis diſpoſitione; Bal. *conſ.* 20. *lib.* 2. Boet. *conſ.* 44. *num.* 27. Fortuita dicit caſum non prævisum; ut quando quis incidit in latrones. Naturalis, quæ à natura ipſa cauſatur, ut eſt neceſſitas bibendi, &c. Culpabilis, quæ, data opera, oritur; ut quando quis laotè vivendo, v. g. omnia profundit, & evertit. Cauſata à lege eſt, quando lex aliqua cogit facere; ut quando lex jubet dotare filiam ſuam, *l. ult. §. fin. Cod. de dot. promiſſ. &c.*

3. Notandum tertiò, tempore neceſſitatis multa permitti, quæ aliàs non permitterentur. Caſus liciti neceſſitatis, & ita hoc approbantia, referuntur à Graff. *p. 1. deciſ. lib. 2. cap. 94. n. 1. 2.*

4. Notandum quartò, poſſe abſque controverſia, extremè indigentem quodlibet ſurripere, quod ſit neceſſarium ad extremam indigentiam ſublevandum; quia DEUS dat res temporales, ut vita, quæ in gradu eſt ſuperiori ad omnes res temporales, conſervetur.

5. Notandum quintò, nomen reſtitutionis ſignificare poſitionem in priſtinum ſtatum, *ex l. reſtituere, 2. ff. de verb. ſignif.*

6. Notandum ſextò, omnem reſtitutionem oriri, vel ex commiſſione contra juſtitiam, debitam, proximo, vel ex omiſſione juſtitiæ, debitæ proximo. Navarr. *cap. 17. num.* 12. Covarr. *in reg. peccatum, p. 2. init. nu.* 1. Filliuc. *tom. 2. in Decal. tract. 32. cap. 1. q. 8. n.* 15.

7. His adnotatis, ad difficultatem propoſitam, an ſint reſtituenda à Principe, quæ ſuo neglectu alijs eripiunt milites in extrema neceſſitate conſtituti: Pars negativa videtur poſſe ſuaderi, Tum quia, neceſſitas magna excludit delictum, *Cap. Si quis propter, de furt.* Sic non peccat Regularis, qui tempore maximæ neceſſitatis, dat eleemoſynam, ſine licentia ſui Superioris, de bonis

Mo-

Monafterij, *cauf. 16. q. 1. cap. Non dicatis* : & qui in culpa non eft, ex fui natura, ad nihil tenetur, ut alibi demonftratum eft. Ergo extrema neceffitas militis reddit inculpabilem, non folùm militem, fed etiam Principem, fub quo militat. Tum quia, communis eft opinio, quam refert Sylv. *verb. Furtum, quæft. 5.* non teneri ad reftitutionem, fi ad pinguiorem fortunam pervenerit, eum, qui fame coactus, neceffaria ad victum in magna neceffitate furripit. Ergo Princeps, qui pinguiorem habet fortunam, non tenetur pro milite reftituere, quia miles non tenetur reftituere de fortuna, feu de bonis Principis. Tum quia, probabiliffimè putant Valentia, Coninch, Suarez, Dicaftilius, & alij plures, quos citat Thomas Tamb. *in Decal. lib. 7. tract. 1. cap. 8. de empt. rei furt. §. 2. num. 2.* conftitutum in maxima neceffitate poffe abfolutè accipere rem alienam, & non fub ratione mutui, quia in ea neceffitate omnia funt communia. Ergo neque miles, neque alius pro milite, tenetur reftituere rem, quam tempore extremæ indigentiæ eripuit. Ergo Princeps immunis eft ab onere reftitutionis pro milite.

8\. Veritas tamen eft; Principem teneri reftituere, cùm ex fuo neglectu culpabili, caufa fuerit damni, id eft nocumentum attulerit, aut ad totum damnum, aut ad partem damni. Paul. *in l. qui occidit, §. In hac, ff. ad l. Aquil.* Ang. *in l. nunquam plura, col. ult. ff. de privatis delictis*, Menoch. *in conf. 1194. num. 53.* D. Thomas, *2. 2. quæft. 62. art. 7.* Domin. Sot. *de juft. & jur. lib. 4. quæft. 7. art. 3.* Molin. *tom. 1. de juft. tract. 2. difput. 116. verb. Obfervat.* Filliuc. *tom. 2 in Decal. tract. 32. quæft. 10. num. 19.* Diana, *p. 8. tract. 7. Refol. 38.* Tull. Crifpol. *in cafib. milit. caf. 1. n. 30.* & alij.

9\. Moveor primò juribus, *in l. qui occidit, §. In hac, ff. ad l. Aquil. & cap. ult. de injurijs, & damno dato*, ubi habetur, effe iniquum, ut quis fentiat damnum caufa alterius; & fic Princeps, ex quo occafionem damni dedit, tenetur ad damni emendationem. Quod etiam habetur ex illo, Exod. 21. *Si quis aperuerit cifternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut afinus in eam, reddet Dominus cifternæ pretium jumentorum.* Cui confonat, *l. qui foveas, ff. ad leg. Aquil.* Et ex illo, Exod. 22. *Si egreffus ignis invenerit fpinas, & comprehenderit acervos frugum, five ftantes fegetes agris, reddet damnum, qui ignem fuccenderit.* Ex quo conftat, reum effe reftitutionis eum, qui indirectè eft caufa damni, cùm poffit, & debeat illud impedire & non impedit. Ergo Princeps, qui ad inhibenda furta militum extremè indigentium, non adhibet ea, quæ poteft, & debet remedia, reus eft damni. Ergo eft reftitutioni obnoxius.

10\. Moveor fecundò rationibus, nam D. Thom. *1. 2. quæft. 6. art. 3.* cum Arift. afferit tria requiri, ut quis indirectè, feu per accidens, fit caufa voluntaria actionis. Primùm, ut malo non obftet. Secundò, quòd obftare poffit. Tertiò, quòd obftare teneatur. Atqui hæc omnia funt in cafu noftro, ut confideranti patet. Ergo Principi imputatur damnum, quod inferunt milites ex ejus neglectu culpabili, conftituti in extrema neceffitate, nam involuntarium ex voluntario ortum habens, moraliter pro voluntario habetur. Lefs. *lib. 2. cap. 17. dub. 6.* Ut enim actio proximi mihi indirectè fiat voluntaria, requiritur, quòd debeam ex officio impedire, & non impediam. Sot. *loc. cit.* Ergo Princeps utpote caufa voluntaria damni dati, tenetur illud refarcire. Tum quia, Doctores afferunt communiter cum D. Thom. *loc. cit.* ex duplici radice oriri obligationem reftituendi, fcilicèt, ratione acceptionis, & ratione rei acceptæ, vel ratione utriufque: licèt Princeps non fit reus rei acceptæ, eft tamen reus acceptionis, juftæ militibus, fibi injuftæ. Adrian. enim *in 4. de reftit. quæft. de Concurrentibus cum fure.* Sylv. *v. Reftitutio, 3.* & alij, *in cap. Sicut dignum, de homic.* docent, quod ille tantùm eft acceptionis caufa, fine quo illa non fieret. Profectò damnum dant milites extremè indigentes, quia ex neglectu Principis, non datur, quod fuum eft militibus, ftipendium nempe, & quotidiana annona: adeóque malum illud nequaquam fieret, fi non effet hujufmodi neglectus. Si ergo Princeps caufa eft acceptionis, reus eft reftitutionis.

Moveor tertiò exemplo, etiam Gentilium vero 11.
lumine carentium, foloque naturæ dictamine
motorum; Ariarathes itaque Cappadocum „
Rex, eò quòd Melani amni exitum per lafci- „
viam obftruxerat, cum ejus perrumpentis im- „
petu elatus Euphrates, rapta parte Cappado- „
cum terræ magna, & Galatis; & Phrygibus „
damna intuliffet, permiffo Romanis judicio, „
talentis trecentis difpendium farcivit. Scytij „
quoque cùm non adhibuerint ea, quæ poterant, & debebant remedia ad inhibenda latrocinia, fuerunt hoc nomine ab Amphictionibus damnati. Quod Senecæ fententia concludendum eft, in controverfia enim de incendio domus, ex Platano incenfa fequuto, hæc verba habentur. Etiam
fi partem damni dare noluifti, in totum quafi „
prudens dederis tenendus es, ex toto enim „
noluiffe debet, qui imprudentia defenditur.

Concludimus igitur, teneri Principem reftitue- 12.
re quæ, neglectu fuo culpabili, alijs eripiunt milites, in extrema neceffitate conftituti.

Ad argumenta in contrarium refpondeo. Ad primum, concedendo, quòd neceffitas magna excludit delictum, fed hoc excufat militem, qui revera pofitus in extrema neceffitate, aliena rapiendo non deliquit: non verò Principem, qui cùm indirectè fuerit caufa voluntaria rapinæ, feu acceptionis, ut probavimus, eft culpabilis. 13.

Ad fecundum: etiam admiffa doctrina, quæ 14.
apud omnes certa non eft, non teneri furantem in extrema neceffitate reftituere, fi ad pinguiorem fortunam pervenerit; non ex hoc fequitur Principem immunem effe à reftitutione damni, dati à milite in extrema neceffitate conftituto: Princeps enim cùm non cohibeat malum, quod poteft, & debet ex juftitia cohibere; eft caufa voluntaria mali, adeóque ratione acceptionis fibi injuftæ, obligatus ad reftitutionem.

Ad tertium, eodem modo refpondetur; five 15.
enim miles in fua extrema neceffitate, aliena accipiat

cipiat ratione mutui, sive absolutè, non per hoc definit Princeps esse causa illius acceptionis. Ille verò, cui ex officio incumbit, quemadmodum est Princeps, & Prætor, consentiens in malum, &c. non obstans, semper est in causa, & tenetur restituere.

16. Infero primò ex dictis, milites, vel positos in extrema famis necessitate, vel necessarios omninò ad defendendam Rempublicam, ex alia parte non habentes aliundè stipendia, aut undè vivant, posse ab alijs invitis accipere necessaria, cùm Princeps, si est causa talis necessitatis, teneatur restituere, aut de redditibus publicis, aut de stipendiis, aut liberando in posterum damnificatos ab aliquo tributo; ut in terminis resolverunt Driedo, *lib. 2. de libert. christian. cap. 6.* Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disput. 126.* Rouit. *super pragm. 3. sub tit. de milite, num. 4.* Joan. de Grand. *de bell. exul. in prædicamen. habet. in vers. secundò quæro, fol. 113. num. 3.* Surd. *de alimen. tit. 1. quæst. 76. num. 11.*

17. Infero secundò, Principes, & Dominos territoriorum, scientes publicas vias infestari prædonibus, & nolentes impedire, cùm possint, teneri mercatoribus, & cæteris viatoribus damna, quæ ab istis accipiunt, compensare. Andr. Gail. *lib. 2. observat. practic. observ. 64. num. 6.* ubi refert, & sequitur alios. Diana, *p. 8. tract. 7. Resol. 38.* ubi variè explicat hanc quæstionem, & sustinet obligationem, licèt non sit aliquo jure, vel civili, vel prætorio constituta.

18. Infero tertiò, teneri Magistratus, belli Duces ad restitutionem damnorum, quæ à feris, à latronibus, militibus, ob eorum culpabilem negligentiam dantur. Item Custodes montium, vinearum, agrorum, sylvarum, qui ex officio tenentur impedire damna, & non impediunt, vel facta non manifestant. Molin. Fillius. *loc. cit.* Item Canonicos Consiliarios facientes, observantes, sed non impedientes iniquam Constitutionem, vel electionem. Item Tutores, Administratores bonorum, &c. non impedientes damna pupillis, Minoribus, Ecclesijs provenientia.

19. Infero quartò, reum esse integræ restitutionis eum, cujus animal, vel mancipium, ex sua mortali culpa, damnum intulit, *l. 1. in princ. ff. si quadrup. paup. fecisse dicatur; & eod. tit. Instit. in princ.* Dicast. *lib. 2. de rest. tract. 2. d. 3. ad 1.* Propterea *lex 12. Tab.* constituit obligationem, & actionem ex culpa illius, cujus pecudes in alieno prædio herbas, vel quid aliud depastæ fuer, *l. qui servandarum, 14. §. ult. ff. de præscript. verb.*

20. Infero quintò, posse alium, pro constituto in extrema necessitate, surripere rem alienam, si non habeat unde possit de suo indigentem sublevare; quia is surripit nomine indigentis, & tanquam ejus instrumentum. Graff. *p. 1. lib. 2. cap. 104.* ubi citat Joan. Rainal. Navar. &c. Verùm hic casus patitur multas distinctiones, quas habes apud Bonacin. *q. 2. de restit. in particulari, q. 8. p. 3. num. 8.* Vasquez, *cap. 2. de eleemos. dub. 1. 2. 3.*

21. Infero sextò, furantem extra tempus extremæ necessitatis; & postea incidentem in extremam necessitatem; si deinde pervenerit ad meliorem fortunam, teneri restituere. Sylv. *verb. furtum, quæst. 5.* Vasq. *opuscul. de eleem. cap. 1. dub. 8. num. 68.* Et est communis sententia; cùm semper remaneat obligatio ex radice delicti commissi.

Infero septimò, teneri Gubernatorem navis submersæ resarcire damna, si navim habebat sub sua cura, & illam poterat servare, & noluit, vel culpabiliter neglexit. Sot. *de just. & jure, lib. 4. quæst. 7.* quia est causa submersionis. Si verò non fuit sub ejus cura, licèt ei potuisset succurrere, non censetur ejus naufragij causa; & sic ad nihil tenetur: quia peccavit tantùm contra charitatis præceptum, quod ad restitutionem non obligat. 22.

Infero octavò, teneri restituere famulum, qui custos est domus, si videt latronem, vel intrantem ad furandum, vel exeuntem cum re furata, & illi non obstat, dum potest, & debet obstare, vel saltem culpabiliter negligit. Sot. *loc. cit.* quia de justitia tenetur resistere. 23.

Infero nonò, teneri in solidum Auctores belli, nempè Principes, & Consiliarios, & quemlibet eorum, altero omittente, ad integram restitutionem nocumentorum omnium, quæ sui milites ex eorum culpabili negligentia inferunt injustè deprædantes urbem. Diana, *p. 6. tract. 4. Resol. 31.* 24.

Infero decimò à fortiori, teneri ad restitutionem eum, qui directè est causa damni; varios autem esse modos, quibus accidere potest hujusmodi obligatio, quos Sot. *loc. cit.* refert, & explicat, commentando duo carmina, illos continentia. 25.

Jussio, consilium, consensus, palpo recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Infero undecimò obiter, non peccare eos, qui fame coacti, edunt spicas, per agrum transeundo. *Cap. Discipulos, de consecr. dist. 5. 41. d. cap. 1. caus. 12. quæst. 1. cap. 1. caus. 23. q. 7. vers. quod autem,* quia cùm omnia ad usum, & servitutem hominis facta sint, Gen. *cap. 4. l. in pecudum, ff. de usur.* ideò qui necessitatem famis patitur, potiùs videtur uti jure suo, quàm furari, *ff. pro socio l. merito.* 26.

Infero duodecimò, posse maritum, in magna necessitate constitutum, bona dotalia alienare pro redemptione filij, *l. quamvis, & seq. ff. solut. matrim.* Cast. *conf. 441. lib. 1.* Et in magna famia necessitate positum, posse res donatas uxori propter nuptias alienare, ad sustendandum se, uxorem, & filios, licèt non habeat bona, ex quibus possit consuli uxori super dote: nam cùm possit hoc casu alienare dotem, juxtà Tex. *in l. ubi adhuc, Cod. de jur. dot. arg.* Tex. *in l. 1. Cod. de patris, qui filios distrax.* multò magis res donatas uxori. 27.

Infero decimotertiò, in casu necessitatis posse vendi res fideicommisso subjectas. *l. filiusfamilias, §. Divi, ff. de legat. 1. l. cùm fidei, ff. de fideicommiss. liber.* 28.

Infero decimoquartò, constitutum in necessitate 29.

tate famis posse alienare bona restitutioni subjecta. Bart. *in l. quemadmodum, col. penul. Cod. de agric. & cens. l.* 11.

50. Infero decimoquintò, fœminam, propter necessitatem famis, excusari à furto; non autem à fornicatione, *ff. de ritu nup. l. palam*, §. *Non est.* Et ratio diversitatis inter furtum, & fornicationem hæc est; quia in primo casu jus naturale subvenit; & excusat ratio naturalis. In secundo jus divinum contradicit, & accusat turpitudinem, & horrorem provenientem ex peccato, ut habetur in Tex. *caus.* 32. *quæst.* 5. *cap. Ita ne.* Item in primo casu vita corporalis pateretur, nisi liceret rem alienam eripere. In secundo verò, si concederetur fornicatio, debilitaretur vita corporalis, & spiritualis adimeretur, cum sine peccato mortali fieri non possit, *caus.* 22. *q.* 4. *cap. Innocens*, §. *Illicitum.*

51. Infero decimosextò, in casu necessitatis licitum esse sumere cibum à Judæis, & Infidelibus; *Gl. penult. cap. Quam sit de Judæis*; quia concurrentibus duobus præceptis, naturali, & positivo, seu Canonico; primum debet prævalere, seu anteponi secundo.

XXXVIII. DIFFICULTAS.

An Principum compromissum, juramento firmatum, circa res bellicas, pariat tam in foro interno, quam externo obligationem.

1. NOtandum primò, compromissum esse contractum quemdam innominatum, quo aliqui mutuo consensu, in sententiam arbitri, aut arbitratoris rejiciunt controversiam aliquam dirimendam, spondentes se illis parituros. Colligitur ex Molina, *disput.* 556. *& tom.* 5. *de just. & jur. tract.* 5. *disp.* 32. Sylvest. *verb. Arbiter.* Filliuc. *tract.* 39. *de compromisso, cap.* 6. *num.* 71.

2. Notandum secundò, aliquando compromissum juramento confirmari, quòd compromittentes illi arbitrorum, aut arbitratorum sententiæ stabunt: & idem esse, si fidei præstatione confirmetur, quæ species quædam est juramenti, ut notat Panor. *cap. Ad aures*, *de his, quæ vi, metusvè causa fiunt.*

3. Notandum tertiò, quòd quando compromissum juramento erat confirmatum, quondam de jure civili communicatio in foro exteriori dabatur, ut sententia arbitri, ob juramenti reverentiam, & ne partes perjurium incurrerent, & in eo perseverarent, executioni mandaretur; quod constat, *ex l. ne in arbitris, Cod. de recep. arb.*

4. Notandum quartò, personas, quæ possunt compromittere in arbitros, esse omnes, quæ possunt transigere; & quando sunt minores, prout fuerint res, de quibus compromittunt, requiri auctoritatem Tutoris, aut Curatoris, vel etiam decretum Judicis, ut compromissum validum sit, ad effectum obligandi minorem. Ita Filliuc. *tract.* 39. *de quasi contract. cap.* 7. *quæst.* 4. *num.* 110.

Notandum quintò, arbitrum posse dupliciter sumi, latè scilicet, & strictè: latè, pro existimatore sive suarum, sive aliarum rerum, & sive alij ejus judicio, & existimationi se subiecerint, sive non: sic sumitur, *l. quis tam, Cod. de decurionib. lib.* 10. *& l. in re*, §. 1. *Cod. mandati.* Strictè verò pro ijs, qui à partibus mutua conventione, ac pacto eliguntur, ad dirimendas earum controversias, cum promissione eorum judicio, & definitioni standi. Unde licèt possint Judices nuncupari, tamen peculiari nomine Arbitratores dicuntur. Tholos. *Synt. lib.* 47. *cap.* 39. Andr. Vallen. *Paratit. lib.* 1. *tit.* 43. §. 1. *n.* 4. 5.

Notandum sextò, Arbitros esse in duplici differentia; Quidam dicuntur Compromissarij, quia ex compromisso partium vim habet eorum arbitrium, nulla lege, aut statuto ad hoc cogente. Quidam verò dicuntur Arbitri juris ex eo, quòd disponente lege, aut statuto, aut Principis jussu, eliguntur, & sententiam proferant; ijs enim jurisdictio confertur à lege, non solùm ad judicandum ea, de quibus adest controversia, sed etiam ad ea, quæ necessaria censentur ad ita judicandum. Molin. *tom.* 5. *de just. & jur. tract.* 5. *disp.* 9. 6.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Principum compromissum circa res bellicas, si juramento firmetur, pariat in utroque foro obligationem; videtur negativè respondendum cum Bartolo, qui absolutè negat, post juris prohibitionem, nec de jure Canonico, nec ex natura rei, teneri partes, quæ compromissum juramento confirmaverint, servare id juramentum; nam ob frequentiam perjurij vetitum est, ut dicitur *in Auth. Decernit. Cod. de recept. arb.* Cùm igitur partes peccent, compromissum juramento contra ejus legis dispositionem confirmando, tale juramentum in salutis æternæ detrimentum redundat: ideóque ad sui observationem non obligat. 7.

Veritas tamen est, hujusmodi compromissum juramento firmatum, parere obligationem de jure Canonico, & in conscientia. Abb. *in cap. Non sanè, de arb. num.* 8. Molin. *tom.* 5. *de just. & jur. tract.* 5. *disp.* 36. *num.* 2. Filliuc. *tract.* 39. *cap.* 6. *de compromiss. quæst.* 8. *num.* 83. & alij. 8.

Moveor primò juribus, *in cap. Non sanè, & cap. Cum tempore, de arb.* ubi habemus, dari actionem ad standum compromisso, quod juramento firmatur. Ergò ex jure Canonico hujusmodi juramentum est obligatorium. 9.

Moveor secundò rationibus; nam tale juramentum non est malum in se, nec contra bonos mores naturales, sed tantùm civiles ad summum; & quod fieri cum juramento promittitur, non est malum in se, imò bonum. Ergò tale juramentum vim habet partes compromittentes, nempè Principes, obligandi ad standum Arbitrorum judicio, rerum suarum bellicarum definitivo. Tum quia, ita exigit bonum commune pacis. Sicut enim juramentum, quod vergit in detrimentum publici boni, non tenet, sic communiter DD. & jura: ita juramentum, respiciens publicum bonum, obligabit: Contrariorum enim eadem est disciplina. Quòd verò compromissum juramento con- 10.

to confirmatum commune respiciat bonum, patet; nam tali via bellum, quod tot strages, & damna secum fert, vitatur: propterea Philippus Macedo in controversie cum Græcis, eit se arbitrio usurum populorum, cum quibus pax utrisque fuisset. Sic Cyrus sibi, & Assyrio arbitrum elegit Regem Indorum. Samnites quoque, in controversia cum Romanis, jus illam terminandi remittunt Amicis. Quæ omnia fieri certum est ed bellum vitandum.

11. Moveor tertiò exemplo, in compromisso Atheniensium, & Megarensium, qui judices elegere tres Lacedæmonios, juramento suo modo illud confirmantes. Et Pericles summè laudatur ab Aristide, quòd, ut bellum vitaretur, voluerit de controversijs arbitros sumere, & jurare eorum judicio stare. Corcyrenses quoque, narrante Thucydide, Corinthijs significaverunt, paratos esse eorum controversias arbitrorum judicio definitivo remittere, & interposito jurejurando, stare decisis. Quæ facta, licèt sint Gentilium, approbant tamen, & laudant Christiani. Verum ne Gentilium factis dirigantur Christianorum conscientiæ, Auctoritatem adducam, pro meo motu confirmando, ipsius Pontificis, qui *cap. Non sanè, de arb.* præcipit, ut pars gravata per injustam sententiam, latam ab arbitro, ex aliquo compromisso juramento confirmato, Apostolica auctoritate ab eo juramento absolvatur, illud ei relaxando; quasi ostendat Pontifex, sine ea relaxatione, teneri partem, licèt gravatam, sub reatu perjurij, tali sententiæ stare ob validitatem juramenti, quo se astrinxerat. Videtur igitur non solùm licitè, sed & piè necnon justè, & Christianè admittendum inter Principes bellantes inter se, qui communem Judicem non habent, compromissum etiam juramento confirmatum, ad controversias dirimendas; dicamque cum Thucydide, „ In eum, qui arbitrum accipere paratus est, nefas ut in injuriosum ire.

12. Concludimus igitur, Principum Compromissum, juremento firmatum, circa res bellicas, parere in utroque foro, interno scilicet, & externo obligationem.

13. Ad fundamentum contrariæ sententiæ, quæ est Bartoli, respondemus, quòd quando id, quod fieri cum juramento, promittitur, non est malum in se, ut est in casu nostro, sed ex parte jurantis servari potest, sine Animæ detrimento, lex citata non tollit à juramento vinculum, necnon vim obligandi, ut sub reatu perjurij servetur: ac perinde jurans servare compromissum, tenetur illud servare, ac si ea lex late non esset: præterquam quòd, cùm possit rationabiliter supponi hujusmodi legem contraria consuetudine esse abrogatam, possumus sine ulla hæsitatione asserere, Principum compromissum etiam juramento confirmatum, circa res bellicas, & cæteras, ipsos obligare, & ab ipsis sic agentibus culpam tam mortalem, quàm venialem excludere.

14. Infero primò ex dictis, post compromissum juramento confirmatum, partem injustè gravatam sententie arbitri, teneri illi stare sub reatu culpæ lethalis, nisi priùs juramenti relaxationem obtineat. Molina, *de jurisdict. tract. 5. disp. 35.* quia potest illi stare ex sua parte sine ullo dispendio salutis æternæ.

Infero secundò obiter, eum, qui sub jure jurando promisit, se soluturum usuras, aut daturum viginti aureos Grassatori, ne ipsum injustè interficeret, teneri, ob dictam rationem, sub reatu perjurij, juramentum implere, nisi priùs relaxationem illius obtineat, juxta *cap. Debitores, de jurejurando.* 15.

Infero tertiò, dubitantem, an quando compromissum juramento confirmavit, intentio ipsius fuerit obligandi se illi stare sententiæ, quæcumque illa esset, teneri illi stare sub reatu ejus perjurij, nisi priùs obtineat dictam juramenti relaxationem: Ita Molin. *loc. cit. num. 3.* 16.

Infero quartò, etiam hodie de jure civili dari actionem ad cogendum stare sententiæ arbitri, quando compromissum fuit juramento confirmatum. Abb. *in cap. Non sanè, & cap. Per tuas, de arb.* nam de jure civili semper datur actio, ut servetur, quodcunque pactum juramento confirmatum, *argum. l. unic. ff. de condictione ex lege.* 17.

Infero quintò, nullam habere vim obligandi arbitrium, si præciperet fieri aliquid illicitum; esto compromissum juramento esset confirmatum, quia juramentum ad illicitum non obligat. 18.

Infero sextò, quòd quando compromissum juramento confirmatum, standi sententiæ arbitri, haberet adjunctam pœnam incurrendam à non stante, eidem compromisso, & arbitri sententiæ, satisfecisse partem, quæ stare nollet arbitri sententiæ, solvere pœnam, eaque solutione pœnæ electa, neque in foro interno, neque in exteriori, teneri stare sententiæ, nihil impediente ea juramenti confirmatione. Ita enim disposuerunt jurata, ut, scilicet, obligatio in tali eventu sit sub disjunctione, vel ad solvendam pœnam, vel ad standum sententiæ, optione partis, quæ sententiæ stare nollet. Ita Innocentius à Panorm. relatus, *loc. cit.* 19.

Infero septimò, si multi sint arbitri, vel arbitratores, in quos compromissum factum sit, standum esse plurium sententiæ, si sint discordantes, nisi aliud expressum sit. Ratio est, quia illa prævalet, *l. si in tres, l. sicut, ff. de recept. arbitr.* Quodque esset sine ulla controversia, si ita compromittatur in illos, ut majori parti standum esse exprimatur. 20.

Infero octavò, in compromisso in multos, ad validitatem sententiæ, requiri præsentiam de jure civili omnium, quando profertur, *l. si in tres, l. sicut, ff. eod.* de jure verò Canonico, majoris partis arbitrorum, & si reliqui vocati, absque justo impedimento, interesse noluerint, *cap. 2. de arb. l. 6.* quod locum tantùm habet in foro Ecclesiastico; & in sæculari, in Terris dominij Ecclesiastici Papæ; in alijs verò, in foro sæculari, standum est dispositioni juris civilis. Ita Gloss. *in dict. cap.* & communiter DD. 21.

Infero nonò, expirare compromissum, & arbitrium morte arbitri, vel cujusvis eorum, si plures fuerint. Item supervenientе aliquo impedimento, ut jam non possit in causa progredi. Col- 22.

ligi-

ligitur, *ex l. item, si unus*, §. *Item plures, juncta l. in compromissis, ff. de recep. arb.* intellige, si nondum per eos arbitros lata sit sententia definitiva.

13. Infero decimò, compromissum, seu arbitrium expirare etiam morte cujusvis compromittentium, ante latam sententiam definitivam; & lata sententia dicta, ante mortem partium, transire compromissum ad hæredes. Hoc patet, *ex l. diem proferre*, §. 1. & *l. non distinguamus*, §. *Summa rei, ff. eodem.* Et hæc locum habent tam in arbitro, quàm in arbitratore, ut docent Molina, Panor. apud Fillinc. *disp.* 39. *cap.* 7. *de arbitr. num.* 123.

XXXIX. DIFFICULTAS.

An Princeps peccet contra justitiam, & charitatem, non omittendo bellum, videns præsentes subditorum strages, & damna præponderare utilitati speratæ victoriæ, quamvis aliunde suppetant tituli, & rationes ad justè bellandum.

1. NOtandum primò cum Molina *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 102. bellum justum offensivum, unum esse ad ulciscendam injuriam, sive simul intendamus recuperare nostra, sive non, quod adhuc semper requirit, ut præcedat vera hostium culpa, alterum ad obtinendam, quæ ad nos spectant; & ad hoc necessariam non esse culpam, sed sufficere materialem injuriam.

2. Notandum secundò cum Tullio Crispolt. *de casib. militarib. cas.* 1. *num.* 48. finem militiæ esse victoriam; & Victores eos dici, qui aut rem, per quam bellatur, acquirunt, aut indicto certamine, hostium Castra occupant, victosque eos videri, qui aut omnes occubuerunt, aut in fugam dati sunt, aut libertatem, vel Aciem amiserunt.

3. Notandum tertiò, difficile posse à bellum indicente, vel acceptante, omnes casus prævideri, aut exprimi. sequi propterea aliquando, bellum, ut notat Victoria, *Relect. de jure belli*, *num.* 33. Molina, *de just. tract.* 2. *disput.* 208. ab initio justum, & licitum per se, illicitum per accidens fieri, ut quando nimis debilitato exercitu, inopinato militum obitu, aut deficiente promisso Fæderatorum auxilio, aut subditorum rebellione suborta, longè majora evenirent mala bono communi ad Principem pertinentis, ut devastatio multarum suarum Civitatum, ingentes cædes suorum, aliave similia detrimenta suæ Reipublicæ; ideóque assertum est commune, bellum moventi obligationem incumbere considerandi primò, damnum Reipublicæ, contra quam bellatur; secundò, Reipublicæ, pro qua bellatur: tertiò denique, damnum totius Ecclesiæ, de quo specialiter alibi sermo erit.

4. Notandum quartò, ad victoriam facile obtinendam, esse quidem educendum exercitum, multitudinem justam habentem, omnibus armis bellicis munitum, militibus in arte militandi benè instructis florentem, nullaque alia re ad bellum necessaria destitutum; sed maximè ad DEUM, exercituum Dominum esse recurrendum, ad exemplum Davidis, qui quamvis Spiritu DEI præditus esset, si quando tamen bellum, aut magnum aliquod gerere cogitaret, visionem à Gad Propheta postulabat; aut Sacerdotem, qui comitabatur, ipsum jubebat Ephod induere, ut voluntatem DEI cognosceret. Bodinus.

Notandum quintò cum Molina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 103. opus esse, ut, quando res dubia esse potest, pro rei pondere, gravitate, ac difficultate, diligens priùs inquisitio fiat, adhibito sapientum, & prudentum consilio, de quibus prudenter credi possit, sincero, & maturo judicio, passioneque semota, eo de bello judicaturos. Sic Carolus VIII. Rex Christianissimus à quodam suasus, ut bellum moveret, inquit, ad quemdam conversus: Rex sum Galliæ, studiosior quàm „ hic Orator existimat. Cùm enim unus modo „ sit in Gallia Rex, vellem eam à Senis Regibus „ gubernari. Prudentis est omnia priùs experiri „ consilio, quàm armis. Plut. Comin, *l.* 4. *de* „ *reb. Gallia*, Beyerl. *in Apoph. Christi.* 5.

Notandum sextò, non omnes prudentes circa bellum, aut rem gravem, esse consulendos, sed eos tantùm, qui annexam prudentiæ bonitatem morum habent, & si fieri potest, vitæ sanctitatem, utpote ad futurum eventum percipiendum magis idoneos. Ita se gessit Theodosius Imperator, contra Maximum Tyrannum bellum movens, ad Joannem in Ægypti Eremo constitutum, quem DEI servum prophetandi spiritu præditum fama crebrescente didicerat, misit, atque ab eo nuncium victoriæ certissimum accepit. D. Aug. *lib.* 5. *de Civit. DEI*, *cap.* 26. 6.

His adnotatis, ad propositam difficultatem, an Princeps peccet suscipiendo bellum justum per se, vel non omittendo susceptum, si fiat illicitum per accidens, id est si videat præsentes suorum strages, & damna utilitati victoriæ speratæ præponderare, quamvis aliunde suppetant tituli, & rationes ad justè bellandum. Pars negativa videtur posse suaderi. Tum quia, Princeps non recognoscens Superiorem, potest uti plenitudine potestatis. Jas. *consil.* 8. *num.* 50. inter *cons.* Bruni. Bal. *in tit. de pace constantia*, *in gloss. non obstante.* At plenitudo potestatis, arbitrij est plenitudo nulli necessitati subjecta, nullisque juris regulis limitata. Bal. *in l.* 2. *num.* 40. *Cod. de serv. & aqua.* Curt. sen. *cons.* 48. *num.* 56. Ergo ut bellum justum, licitumque sit, satis est Principem, qui illud movet, arbitrari se habere justam belli causam, fasque ei esse plenitudine uti potestatis ad illud suscipiendum, vel susceptum prosequendum. Tum quia, Principem non decet mutari; gerit enim vices in terris DEI, Aristot. *lib.* 3. *polit. cap.* 9. & *in Authen. de armis*, *in princ.* qui de seipso, ait. Ego enim Dominus, & non mutor. Malach. *cap.* 3. *num.* 6. Ergo si prudentum consilio bellum justum movit, ei expedit bellare ad vitandum mutabilitatis dedecus, quod oritura Reipublicæ mala utilitati speratæ victoriæ superat præponderantia. 7.

Veritas tamen est, bellum aut non suscipiendum à Principe, aut omittendum susceptum, sub reatu lethalis culpæ, si constat geri majori malo 8.

Reipublicæ, quàm bono, & utilitate, quantumvis aliunde suppetant tituli; & rationes ad bellum justum, & licitum. D. Tho. *2. 2. quæst.* 40. *art.* 1. Victoria, *Relect. 3. de potestate civili, num.* 13. Valentia, *tom. 3. disp. 3. quæst* 16. *punct.* 2. Suarez, *de charit. disp.* 13. *sect.* 4. *num.* 8. Molina, *tom.* 1. *de just tract.* 2. *num.* 102. Villalobos, *tom.* 2. *tract.* 5. *diff.* 4. *num.* 3. Castropalaus, *tom.* 1. *tract.* 6. *disput.* 5. *punct.* 3. *num.* 18. Diana, *par.* 6. *tract.* 4. *Resol.* 7.

Moveor primò ex Sacra Scriptura, Matth. *cap.*
9. 23. ubi reprehenduntur Pharisæi, quòd alligent onera gravia, & importabilia, & digito suo nolint ea movere. Quid enim est movere bellum, vel prosequi motum, in maximum Reipublicæ detrimentum, nisi gravia & importabilia illi imponere onera? Nonne sunt onera gravia, & importabilia ingentes subditorum strages, plurium vastationes civitatum, redditnum publicorum insumptio, novorum tributorum exactio, & alia, quæ supponit difficultas detrimenta? Reprehendendus igitur est tanquam injustus, & Tyrannus Reipublicæ Princeps, si prudentis arbitrio tale bellum futurum est in detrimentum maximum suæ Reipublicæ, vel quia vires non habet ad vincendum, vel quia mala videns victoriæ speratæ utilitati præponderare, bellum indicit, aut indictum prosequitur.

Moveor secundò juribus, & quidem regula ju-
10 ris naturalis, ex qua habemus, quòd nemo in sua causa, vel suorum judicet, *tot. tit. Cod. ut nemo in sua caus. judic.* Ergo Princeps licèt ab initio habuerit justam causam bellandi, dum tamen videt, bellum fore in maximum detrimentum suæ Reipublicæ, fas ei minimè est judicare illud sibi licere: Ergo si judicat, & bellat, juris naturalis, & civilis regulam offendit: quod absque culpa fieri non potest: quando enim lex humana conjungitur cum obligatione legis naturalis, aut divinæ, tenetur Princeps illam observare, quamvis sua sit, ut tradunt communiter Canonistæ, Jurisperiti, & Theologi, quia Princeps, seu Legislator subjicitur legi naturali, & divinæ. Ergo tenetur observare leges etiam proprias, quando cum ipsis conjunguntur; quia leges humanæ accipiunt vim obligandi à naturali, & divina.

Moveor tertiò rationibus: nam Respublica
11. non habet potestatem inferendi bellum, nisi ad tuendum se, resque suas, atque se protegendum. Ergo quando bellum notabiliter attenuat, aut destruit potiùs illam, quàm augeat, erit injustum, sive à Principe moveatur, sive à Republica. Tum quia, Princeps est propter Rempublicam, ut illam defendat, administret, & gubernet, non ad suum arbitratum, sed ad Reipublicæ commune bonum: quo fine Gentes constituerunt sibi Reges, ac Principes, atque eis, quod habebant jus, potestatémque tribuerunt. Princeps igitur prosequendo bellum, non in bonum, sed in detrimentum Reipublicæ, gladio, ab ipsa ad sui defensionem tradito, mortaliter ferit. Ergo peccat mortaliter tale bellum non omittando.

12. Moveor quartò exemplo in Agilulpho Longobardorum Rege, qui videns bellum, quod in Romanos firmiter gerebat, in maxima detrimenta suæ Reipublicæ redundare, libenter illud omisit; satisfactionem, quam Hostes opera S. Gregorij exhibuerunt acceptando, Baron. *tom. 8. Annal. Anno Christi* 595. *& Anno* 604. Idem pariter fecit Rex Carolus simplex, suasionibus Fulconis Rhemen. Archi-Episc. in bello contra Odonem Regem, Baron. *tom.* 10. *Annal. ann.* 897. §. *Stephano quoque.* Memor seu esset infelicissimi eventus, aut Rossorum Principis, qui sprera pace, ac satisfactione ab Imperatore Monomacho oblata innumera mala passus est in terra, & in mari. Zonar. *in hist. Bizant. tom.* 3. *fol.* 162. aut Cræsi Lydorum Regis, qui in expeditione contra Cyrum Persarum Regem, non admittens monitum cujusdam Lydi, illum ab ea expeditione removere tentantis, dicendo: Quibus cùm nihil „ sit; quod eripias victor, victus animadverte, „ quod bona amittes; à Cyro captus, Regno „ exutus est, Herod. *lib.* 1.

Concludimus igitur, bellum quantumvis ju- 13.
stum, aut non esse suscipiendum à Principe, aut omittendum susceptum; sub lethalis culpæ reatu, si constat præsentes subditorum strages, & damna speratæ victoriæ utilitati præponderare, quamvis aliunde suppetant tituli, & rationes ad justè bellandum.

Ad argumenta in contrarium respondemus ad 14.
primum, negando, quòd Princeps possit uti plenitudine potestatis ad suum placitum, in tertij præjudicium, citrà culpam. Pereg. *in tract. de fideicomm. art.* 52. *sub num.* 125. Bald. *in l. si testamentum, Cod. de testam.* Host. *in rub. qui fil. sint legitimi, col. penul. vers. quamvis autem.* Quia autem non videt hic magnum adesse Reipublicæ præjudicium, ut difficultas ipsa supponit? Ergo Princeps nullo pacto in hoc casu potest uti ad suum arbitrium plenitudine potestatis.

Ad secundum; fateor mutabilitatem quem- 15.
libet dedecere, præcipuè Principem, sed quando sequitur sine causa; si autem cum causa sequatur, tunc imprudentiæ non esse notam, imò prudentiæ argumentum, cùm sit axioma commune. Prudentis est mutare consilium. Scimus enim, quòd mortuo Theophilo Imperatore, Rex Bulgarorum per Legatos suos denunciavit Theodoræ viduæ bellum. Cùm autem illa respondisset, fore ipsi ignominiosum, sive vincat, sive vincatur; propterea quòd cùm fœmina pugnasset; à bello summa cum omnium laude abstinuit; & paulò post Christianam fidem amplexus est, Zonaras, *tom.* 3. *tit. Imper. Mich. fil. Theof. & Theod.* §. *Atque hac.* Patet igitur, secundùm accidentium varietatem, laudandum esse Principem tanquam prudentem, non vituperandum, si mutatur.

Infero primò ex dictis, Principi dubitanti de 16.
justitia belli, fas non esse bellare, proptereáque teneri ad vitandam malam fidem, inquirere, an utilitatem, an præjudicium inferre possit Reipublicæ bellando: ita communiter Doctores; quia melior est conditio possidentis; & jura vetent spoliari possidentem, ut *tot. tit. de restit. spoliat.*

Infero secundò, Principem non posse sine ju- 17.
sta

ità causâ privare subditos bonis suis, sive burgensatica sint, sive feudalia; ut *tot. tit. quibus ex caus. feud. amittat. & tit. de feud. sine culpa non amittendo*, ubi Andr. & alij, Felym. *in cap. Novit, n. 30. de judicijs.* Sylv. *verb. Princeps.* Vasq. *lib. 1. controvers. illustr. cap. 2, n. 3, & cap. 5.* ubi alios citat.

18\. Infero tertiò, Principem possidentem plura Regna, aut Provincias, non posse ferre leges pro bono unius cum detrimento alterius. Sot. *tom. 1. de just. & jur. quæst. 1. art. 2.* Salas, *disput. 1. de leg. sect. 8. num. 49.* & alij plures doctissimi Viri, quia lex quatenùs infert detrimentum, est injusta; nec potest unum Regnum gravari propter commodum alterius. Hoc enim ita repugnat justitiæ, ac si Princeps vellet unum spoliare, ut alterum locupletaret.

19\. Infero quartò, justitiam belli, seu, an bellum sit utile Reipublicæ, vel nocivum, debere examinari quos illis, quos Princeps vocat ad consilium publicum, non verò à vulgaribus, & ordinarijs militibus, cùm non habeant hoc onus; & consequenter, posse hos tuta conscientia militare. & tunc solùm cessare debere, quando eis clarè constiterit de injustitia belli, ut probant Victor. Valent. Molina, & alij. quos citat, & sequitur Molf. *p. 2, Sum. tract. 12. cap. 3. num. 162.* Sufficit enim militibus, ut possint licitè bellare; quòd bellum publico consilio, & authoritate geratur, ut docent omnes Sapientes.

20\. Infero quintò, milites subditos, dubitantes de justitia belli, debere parere eorum Principi, & militare; ita expressè S. August. relatus *in Cap. Quid culpatur, caus. 23. quæst. 1.* Dummodò tamen non habeant dubium practicum, an sibi ipsis liceat militare. Ex eo quia cum hoc dubio non est planè licitum militare; quia esset propriè agere contra conscientiam dubiam, quod non licet; nec jussu Superioris potest quisquam obligari, ut, perseverante tali dubio, operetur. Idémque esse de carnifice, qui dubitat de justitia sententiæ contra reum, cùm par sit ratio.

21\. Infero sextò obiter, Principem, vel quemvis alium, qui per culpam injustitiæ rem alienam destruxit, vel deteriorem reddidit, non solùm teneri restituere valorem rei, ejusque fructus, sed etiam omne damnum, quod emergit, aut omne lucrum, quod cessat Domino ex ejusmodi læsione. Ratio est, quia alio modo non induceretur æqualitas; quæ per suam injustam actionem à damnificante violata est.

22\. Infero septimò, militem pugnantem ratione obedientiæ in bello injusto, sed à se prudenter putato justo, non obligari in conscientia ex Molina, *tom. 1. de just. disp. 117.* restituere damna in prælio allata; nisi fortè ratione rei acceptæ extantis, vel in quo fuerit factus ditior; quia tunc in conscientia non peccat. Secus verò, si putavit certò bellum esse injustum.

23\. Infero octavò, non obligari ad restitutionem illum, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ se defendendo, damnum alteri facit. Secus verò, si defensio non est moderata: quia in primo casu nulla est culpa, & damnum est indirectè datum: in secundo verò casu adest culpa, & injusta proximi damnificatio.

XL. DIFFICULTAS.

An Princeps læsus, qui bellum justè movit, teneatur condignam acceptare satisfactionem, quam offert hostis, & statim desistere à bello, pacemque amplecti.

NOtandum primò, condignam satisfactionem posse ab Adversario offerri ante bellum incæptum, & post incæptum bellum, & in ipso actuali conflictu; quæ distinctio non placet Coninch. *disp. 31 de bello, dub. 2 num. 38.* quia difficultas in omnibus his casibus æquali passu videtur incedere. 1.

Notandum secundò, bellum posse moveri ex diverso motivo, nempe ob recuperationem possessionis, ob injuriæ vindicationem, ob defensionem rei possessæ. 2.

Notandum tertiò, in condigna satisfactione plura contineri: Primùm, restitutionem rerum omnium, quæ injuste detinebantur: Secundò, reparationem omnium expensarum, quæ propter alterius injuriam sunt factæ: Tertiò, aliquam compensationem pro injuria illata: Quartò, assecurationem pro pace conservanda in futurum, & tuenda; quia ad hæc omnia Princeps læsus jus habet, & sic omnia potest petere, priusquam à bello cesset. 3.

Notandum quartò, ultra compensationem pro rebus ablatis, pro impensis factis, pro injurijs illatis; quòd si inter hostes aliqui digni essent, qui capite plecterentur, illos etiam tenerentur offerre, Molina, *tom. 1. tract. 2. de just. disp. 103.* Æquum tamen esset, ut Christianus Princeps, tali oblatione contentus, utens benignitate, multum de summo justitiæ rigore remitteret. 4.

His adnotatis, ad difficultatem propositam; an Princeps læsus, qui bellum movit, teneatur condignam satisfactionem acceptare; si bellum non est inchoatum, affirmative respondent communiter Doctores, tam Canonistæ, quàm Jurisperiti. Si verò bellum est inchoatum, negat Cajetanus, *in Summa, verb. Bellum*, quem sequitur Bannez, *in 2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 8.* Quorum fundamentum hoc unum est, quia postquam bellum cæptum est, & cædes aliquæ intervenerunt, is, qui debito tempore satisfactionem non obtulit, se habet ut reus, seque constituit sua sponte in statu executionis vindicativæ, quæ inchoatione ipsa belli cæpit jam executioni mandari. Is verò, qui bellum justè movit, in bello est veluti judex; & bello jam cæpto, fit Dominus causæ, jusque acquisivit procedendi usque ad finem. Atqui Judex potest punire reum etiam si offerat condignam satisfactionem; atque ita potest Princeps, ad reparanda damna, & ulciscendas injurias, vindictamque de Adversario sumendam, bellum prosequi, non acceptando oblatam satisfactionem, cùm Adversarius, ex vi belli incæpti, sit in statu non satisfaciendi, sed satispatiendi. 5.

Sed verius est, à Principe læso justè bellum inferente, esse acceptandam condignam satisfactionem, 6.

nem, illi eb Adversario oblatam; sive bellum sit inchoatum, sive non sit inchoatum; eb eoque contrahi obligationem à bello desistendi; modò ea satisfactio ita offeratur, ut sine periculo possit eam acceptare, ab adhærentibus se removere, & eb armis desistere. Quod si non faciat, bellum erit injustum. Major. *in 4 q.* 20. Dried. *lib. 2. de libert. Christiana, cap.* 6. Sylv. *verb. Bellum quæst. 4. concl.* 2. Moline, *tom. 1. de just. tract. 2. disp.* 103. Valentia, *disp. 3 quest. 16. de bello, punct.* 2. Palaus, *tom. 1. tr. 6. disp. 5. punct. 3. n.* 14. Reginaldus, *tom. 2. l. 21. cap. 8. num.* 102. Suarez, *tr. de char. disp. 13. de bello. sect. 7. num.* 3. Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 2. n.* 38. Diana, *p. 6. tr. 4. Resol.* 8. Ite communiter.

7. Moveot primò ex Sacra Scriptura, Deut. *cap. 20. num.* 10. *Si quando accesseris ad expugnandam Civitatem, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est salvabitur. &c. Sin autem fœdus inire noluerit, & ceperit contra te bellum, oppugnabis eam.*

8. Moveor secundò ex juribus, *in cap. Noli, caus. 23. q. 1. & cap. Dominus, q.* 2. ubi habetur, non esse bellandum, quando oon edest necessitas, qood sapienter etiem agnovit Augustinus, dicens; *lib. 4. de Civit. DEI. cap.* 15. Belligerare, malis videtur felicitas, bonis necessitas. Item pariter fatetur Livius, justom bellum, quibus necessa„ rium. Unde dicit Aristoteles. Fac ut bel„ lum sit ultimum opus tuum. At quando Adversarius offert sufficientem satisfactionem Principi læso, & hic illam acceptare potest, jam eo ipso desinit bellum esse necessarium, ut probat Valentia, *disp. 3. q. 16. de bello, punct.* 2. Ergo si Princeps non acceptat oblatam satisfactionem, & bellum prosequitur; injustè bellat. Ergo peccat contre justitiam, Propterea lumine neturæ ductus admonebat Scipio Africanus, & L. Æmilius „ Paulus. Non decertandum esse nisi summa ne„ cessitudo, aut summe occasio data esset. Val. Max. *lib. 7. cap.* 2. Cui Maximi Tyri illud adden„ dum. Apparet bellum à justis non sumi nisi „ necessario, eb injustis spontè.

9. Moveor tertiò rationibus, fundatis in jure civili, *l. si debitor, ff. de solut. & liberat.* ubi apparet, creditori nolenti acceptare oblatam satisfactionem, justè à Prætore denegari actionem, non alia ratione, nisi quia sine causa petit, cum ei per oblatam satisfactionem sublatum sit jus petendi. Ergo si Princeps bello agit adversùs debitorem, sibi offerentem condignam satisfactionem, injusta erit actio. Tum quia, ut testatur Cicero, *lib. 3. de Rep.* Illa bella injusta sunt quæ sunt sine causa suscepta. Plerique autem bellorum plures statuunt causas justas, inter quas defensionem, recuperationem rerum, &c. Bald. *ad l. 2. Cod. de servis. &c.* quod etiam colligitur, *ex cap. Fortitudo, causa 23. q.* 1. Atqui oblata condigna satisfectione, totum defenditur, totum reparatur. Ergo si Princeps, ooo acceptendo talem satisfactionem, vult bellare, sine ceusa bellabit. Ergo bellum injustum, Ad quod vitandum, Coriolanus apud Halicarnassensem sic suadebat. Id „ primom nobis curandum ebitror, ut piam, „ & justam accipiatis belli causam. Præterquam quòd, licèt naturale sit, ut ait Cassius, Arma armis repellere, *l. vim vi, ff. de vi, & vi arm.* ulcisci temen, aut eblata recuperare, per vim non licebit, ot explicant communiter Doctores, tum Jurisconsulti, tum Canonistæ. Hoc voluit indicare Propertius, dicens. *Sola gerat miles, quibus coerceat arma.* Ubi verò plene, & sufficiens offertur satisfactio voluntaria, non datur violentiæ locus. Suerez, *de char. disp. 13. de bello, sect.* 7. Ergo Principi non acceptanti satisfactionem non licebit armis repellere arma. Insuper Principi neqoaqnam competit vis coactiva in alium Principem, nisi quando is injustè egit; atque adeò, quando non vult satisfacere. Ergo si offert competentem satisfactioem, agit justè. Ergo omois actio contra ipsum erit injusta. Ergo Princeps læsus ne injustè egat bellando, tenetur satisfactionem ecceptare. Præterea, ex communi Doctornm sententia babemus, in foro conscientiæ (quidquid sit de jure civili) ratione officij teneri quemvis defendere offensum, & delictis se obviare, quando necessitas aliter cum non urgeat. Vivi, *lib. 1. com. op. in vers. defendere.* Consci. *in cap. 1. num. 84. de off. deleg.* Fatin. *quæst. 61. num.* 23. Abb. *in cap. 1. num. 9. vers. puto, quòd in foro cons. extra, de rest. spol.* & plures alij. Quinimò ab officio deponeretur potestas, si vidisset Ruentes ad arma, & non obviasset. Felin. *in cap. 1. num. 4. vers. fallit, 2. extra de off. deleg.* Quot mala, qnot delicta in populo non parit Bellum? Dicebat enim S. Augustinus. *de Civit. lib. 19. cap.* 7. (de his loquitur, quæ ex bello nas„ cuntur) Hæc itaque mela, tam magna, tam „ horrenda, tam sæva quisquis cum dolore con„ siderat, miseriam necesse est fateatur. Princeps ergo, qui pater populi est, & potestatem habet defendendi, tenetur populum à malorum necessitete defendere, delictisque se obviate, si absque periculo sit sibi possibile. Nullo autem tutiori modo possunt reparari male belli, quàm acceptatione oblatæ satisfactionis, quæ continet pacem; Ergo Princeps læsus tenetur oblatam satisfactionem acceptare.

Moveor quartò exemplo tot Principum Catho- 10.
licorum, & præsertim diebus nostris Regalis Celsitudinis Victorij Amedei Ducis Sabaudiæ, qui in bello edversùs Ludovicum XIV. potentissimum Fraocorum Regem, nt populum suum à tot malorum necessitate defenderet, rebusque suis, & totius Italiæ opitularetur, oblatam sibi condignam satisfactionem, consentientibus omnibus Theologis, probisque Viris publici Boni amatoribus, quos priùs consuluit, acceptavit, pacemque magna cum laude totius Orbis, & præcipuè Italiæ, quæ grevi belli pondere sex ferè annos opprimebatur, firmavit, anno 1696. mense Julii, die . . . . .

Concludimus igitur, teneri Principem læsum, 11.
qui justè bellum movit, acceptare condignam satisfactionem ab Hoste oblatam, & statim desistere à bello, pacemque emplecti.

Ad fundamentum Cajetani, quod probari mi- 12.
nimè ab ipso videtur, nempe hostes, post bellum inchoatum, non esse ampliùs in statu satisfaciendi, sed solùm in statu satispatiendi; respondetur,

quòd

quòd causa propria, ob quam hostes debent judicari esse in statu satispatiendi, non est inchoatio belli, sed voluntas nolendi pacificè satisfacere sine bello; quæ voluntas, seu causa potest adesse tam in initio belli, quàm in medio, & in fine. Ergo quando hostes mutant voluntatem, desinunt esse in statu solùm satispatiendi, cùm desinat eo ipso bellum esse necessarium, atque adeò licitum; & consequenter, Princeps læsus tunc desinit etiam esse Judex hostium, quia non est eorum Judex ordinarius, sed solùm in extraordinario illo casu, quo, scilicèt, nolint satisfacere. Si ergo Princeps læsus desinit esse Judex; jus non habet procedendi ad ultionem. Solus enim Judex ordinarius potest ordinaria auctoritate officij sui punire reum, nec tenetur acceptare ab eo compensationem oblatam, propter aliorum exemplum, & bonum commune, cujus ei cura incumbit. Denique, jus belli est odiosum, & pœna ejus gravissima. Ergo restringenda est quoad fieri potest. Tantùm nobis suadet S. Augustinus, qui respiciens ad Comitem Marcellinum, inquit: „Imple Christiane Judex pij patris officium. Addita postea allatis juribus, ac rationibus Juris Evangelici dispositione, pacem Christianis summopere præscribentis, nulla ampliùs circa nostram conclusionem remanet ratio dubitandi. Nam si tunicam, & pallium deseri jubet Christus; & Paulus damnum aliquod injustum tolerari potiùs, ne lites subeantur, quod incruentum bellum est, quantò magis credendum est, rerum restitutionem, sive condignam satisfactionem à nobis acceptari voluisse, ne belletur, & ne bellando Homo, DEI Imago, à nobis interficiatur. Sciat igitur Princeps, se teneri oblatam satisfactionem acceptare, & à bello statim desistere, ad evitandam S. Augustini censuram, dicentis, *lib. 1. de lib. arb.* „Quomodò apud divinam Providentiam à „peccato liberi sunt, qui pro ijs rebus, quas „contemni oportet, humana cæde polluti „sunt?

13. Infero primò ex dictis, si acceptatur satisfactio à parte, à qua justè bellatur, etiam si sit in ipsomet pugnæ actu, teneri hostem satisfacientem statim à pugna desistere, ardorem militum cohibere, saltem quantum fiari potest, arma deponere, eamque cautionem præstare, ut Princeps læsus, sine ullo periculo perdendi victoriam, possit suos milites à conflictu cohibere, quòd tamen in praxi videtur difficile. Quapropter putat Suarez, *Tract. de char. disp. 13. de bello, sect. 7.* quòd quando pugna est inchoata, & victoria incipit declinare ad eam partem, à qua justè pugnatur, non teneri tunc acceptare satisfactionem, præter victoriam integram, quia hæc jam moraliter non videtur distare. Ita etiam Dian. *tract. 7. de bello, Ref. 9. n. 4.*

14. Infero secundò, bellum deinceps fieri injustum ex parte non acceptantis satisfactionem, si offertur, injustosque fieri interna injustitia omnes actus; qui inde nascuntur; Unde qui scienter tales actus operantur, aut ad eos cooperantur, peccant mortaliter, cum onere restituendi damna in solidum: ut sunt qui jubent, qui suadent, qui impedire possunt, & non impediunt. Sic & Duces tenentur de his, quæ suo ductu facta sunt, & milites qui ad actum aliquem communem concurrunt, puta agrorum devastationem, urbis incendium. Sylv. *verb. Bellum, 1. q. 10. n. 11.* & alii. Et à fortiori tenetur Princeps, qui auctor est belli injusti, dum continuatur, non acceptando satisfactionem oblatam, ad omnia damna resarcienda.

15. Infero tertiò, posse ab inimicis peti satisfactionem injuriæ, & damni illati in honore, fama, aut bonis temporalibus, servato tamen ordine juris, & deposito odio. Filliuc. *tract. 28. in 4. prac. Decal. cap. 1.* quia tenetur inimicus offensor dare satisfactionem, etiamsi non petatur. Azor. *cap. 3. q. 7. §. Dubia.*

16. Infero quartò, non licere zelo vindictæ ab inimico exigere pœnam, quæ solùm exigitur, ut satisfaciat justitiæ, vel corrigatur: ut esset pœna verberationis, mutilationis, mortis, &c. ut patet ex Levit. *cap. 19.* & Rom. 12. Decet enim Christianum injuriarum oblivisci, ut latè exemplis comprobat Tholos. *in Syntag. l. 38. c. 3.* non verò pœnam pro injurijs exigere. Zelo tamen justitiæ hoc licere, & aliquando esse utile, probant Sylv. *v. Charitas q. 6.* & alij. Aliter Civitates implerentur hominibus perniciosis.

17. Infero quintò, inferentem alteri injuriam, teneri veniam petere, vel per se, vel per alium. Matth. 5. quia id postulat ratio justitiæ.

18. Infero sextò, duobus se mutuò offendentibus, quòd quando offensio est æqualis gravitatis, tenetur reconciliationem petere qui priùs offendit. Si verò offensio fuit inæqualis, tenetur ille, qui gravius offendit. Nau. *cap. 14. n. 15.*

19. Infero septimò, aliquandò dari talem rerum circumstantiam, ut jure nostro abstinere non tantùm sit laudabile, sed & debitum: ut quando urget præceptum dilectionis Evangelicæ: unde & nos una cum Juliano Imperatore illud Pittaci dictum laudare, & exequi debemus. Qui veniam pœnæ præferebat. Concludo igitur cum Libanio, dicente, *Orat. de sedition. Antioch.* Qui DEO similis esse vult, magis gaudeat condonatione, quàm pœna.

XLI. DIFFICULTAS.

An Summus Pontifex possit in aliquo casu præcipere Principibus, ne bellum moveant, vel ut à moto desistant.

1. NOtandum primò, in Ecclesia, vel Christianitate, triplicem esse potestatem, scilicèt, jurisdictionis: Prima est immediate à DEO, ut ea, quæ est Summi Pontificis, quia potestas jurisdictionis spiritualium, & temporalium est per Claves, quas Christus immediate promisit Petro, dicens: *Tibi dabo claves.* Matth. *cap. 16. n. 19.* Secunda, in quantum derivata est à DEO per Summum Pontificem, ut ea, quæ est omnium inferiorum Prælatorum. Tertia est in ministerium data, ut ea, quæ est Imperatoris, Regum, & Principum terrenorum, quæ respectu Pontificis est ali-

quo

quo modo subordinata, ut patet, *in cap. Quicunque litem, caus. 11. q. 1.*

2. Notandum secundò, Papam omnia semper disponere, quæ sunt juri, & rationi consona. Menoch. *in consil. 52. num. 58.* Unde præsumptio est, ipsum Summum Pontificem nolle juri alterius præjudicare, ut tradit idem Menochius, *in cons. 402. num. 91.*

3. Notandum tertiò, non spectare ad subditos determinare, aut examinare, quid possit Papa, aut quid non possit; cùm de ipsius Pontificis potestate disputare sapiat speciem sacrilegij, *l. 2. Cod. de crim. sacrileg.* & tradunt Dec. *in cons. 588. num. 2.* Crav. *in cons. 341. n. 2. & 3.* Socin. jun. *in cons. 95. num. 86. lib. 3.* Victor. *Relect. 4. de potest. Papæ, & Concil.* & alii.

4. Notandum quartò, duplicem esse potestatem, civilem scilicet, seu temporalem, quæ habet finem temporalem; & spiritualem, quæ habet finem spiritualem. Ita Victor. *Relect. 1. de potest. Eccles. num. 8.* ubi quæstionem movet, & resolvit, an in Papa sit potestas mere temporalis.

5. Notandum quintò, Principi injusta imperanti non esse obtemperandum, ut tradit Afflict. *in cap. 1. in princ. n. 79. Quæ sint regalia*: & etiam Principi Ecclesiastico non esse in his obediendum, ut probat, *cap. Literas*, ubi Abb. *num. 5. de restitut. spoliat.* & docet Tiraq. *in tr. de pæn. leg. caus. 34. n. 1.*

6. Notandum sextò, celebrem esse inter Canonistas quæstionem, à nobis alibi obiter tactam, an Summus Pontifex habeat in universo Orbe Christiano immediatè, & directè jurisdictionem: & partem affirmativam tenent August. Triumphus, *in Sum. de potest. Eccles. quæst. 1. art. 1.* Alvar. Pelagius, *lib. 1. de planctu Eccles. cap. 13.* Host. *in cap. Quod super his, de vot. & vot. redempt.* Abb. *in cap. Novit, de judicijs*, & alij. Partem verò negativam, scilicèt, Pontificem, ut Pontificem non habere directè, & immediatè ullam temporalem potestatem in Terris Principum, quoad temporalia, sed solùm indirectè, nempe, ex vi Pontificalis officij, super omnia negotia temporalia, quando id expedierit ad quietem, conservationem, ac defensionem Ecclesiæ, & ad bonum spirituale, tenent Henricus, *quodlib. 6. q. 23.* Turrecrem. *lib. 2. Sum. cap. 113.* Cajet. *in Apolog. cap. 13. ad 6.* Domin. Sot. *in 4. dist. 25. q. 2. art. 1.* Bellarm. *tom. 1. Controvers. lib. 5. cap. 6.* Diana, *p. 1. tract. 2. Res. 122.* ubi alios allegat.

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Summus Pontifex possit in aliquo casu præcipere Principibus, ne bellum moveant, vel à moto desistant, negativè videtur respondendum, quia non videtur posse Papam privare quemquam jure suo, ità scribunt omnes *in cap. Quæ in Ecclesiarum, de const. in cap. Proposuit, de concess. præb.* Tum quia, ex *Extravag. in Cap. Meruit, de privileg.* Reges, & Principes Christiani videntur immunes quoad temporalia ab imperio Ecclesiæ: & ideò Principibus bellantibus non potest Summus Pontifex in ullo casu præcipere, ut à bello desistant; & præcipienti non tenentur parere.

8. Veritas tamen est, posse Summum Pontificem in aliquo casu præcipere Principibus, qui sunt subditi Ecclesiæ, ne bellum moveant, aut à moto desistant, quando scilicèt, ex tali bello timeretur aliquod grave malum spirituale. Suarez, *de charit. disp. 18. sect. 2.* Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 4. n. 72.* Lorca *in 2. 2. sect. 4. disp. 53. n. 1.* Castropalaus, *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 2. num. 6.* Diana, *p. 6. tract. 4. Res. 2.* & alij plures apud ipsos.

Moveor primò juribus, *in cap. Officij nostri, caus. 24. quæst. 1.* ubi Julius Papa dicit, non esse Pontificis dissimulare, & tacere, cui major cunctis Christianæ Religionis salus incumbit. *Et in cap. 5. de off. legat. in 6.* ubi Innocentius Papa asserit, officij Pontificis debitum, esse remedijs vigilare subditorum, ut Pontifex, dum subditorum scandala removet, possit in pace eorum quiescere. *Et in cap. Ad Apostolicæ, de re judic. in 6.* Ubi idem Innocentius ad Federicum Imperatorem dixit, optare pacem secum per omnia habere; necnon cum omnibus hominibus, & velle pacem, & tranquillitatem dare etiam Mundo universo: adeòque Pontifex debet universaliter inter omnes Catholicos tenere, & procurare quietem, & pacem. Ita dicit Clemen. V. *in Clem. Pastoralis, de re jud. in princ.* Ita Bonifacius VIII. *in proœmio, in 6. lib. Decretal.* Ita Gregorius IX. *in proœmio Decretalium, &c.* 9.

Moveor secundò rationibus, nam Summus Pontifex habet supremam potestatem temporalem in universum terrarum Orbem, aut directè, ut asserit prima sententia; quam alijs meliùs ponderandam relinquimus; aut saltem indirectè, ut vult secunda opinio; & habetur, *cap. Venerabilem, de elect. cap. Novit, de judicijs*: & ideo Bono publico, & præcipuè spirituali exigente, potest Papa præcipere Principibus bellantibus, ut à bello desistant, aut ad bellum non procedant. Tum quia, cùm Summus Pontifex habeat plenitudinem potestatis, respicientis finem supernaturalem, & ad finem supernaturalem ordinetur finis naturalis, sequitur, quòd Summus Pontifex potest præcipere, & ordinare Principibus sæcularibus sibi subditis, nempè ijs, qui sunt in gremio Ecclesiæ, ut fini supernaturali se accomodent; & consequenter, ut tollant omnia, quæ talem finem impediunt. Præterquamquòd, duobus pugnantibus juribus, divino scilicèt, & humano, debet servari, ac defendi jus divinum, omisso humano. De jure autem divino est servare veram fidem, & Religionem: atque adeò Summus Pontifex, cujus munus est servare, & defendere jus divinum, potest prohibere Principibus bellum, quando fidei, ac Religioni præjudicium parit. 10.

Moveor tertiò exemplo in Innocentio Tertio, qui præcepit Othoni Quarto Imperatori, ut desisteret ab injuria, & persecutione, qua Fridericum Secundum Siciliæ Regem adhuc impuberem molestabat; & cùm obedire ei noluerit, ab Imperio eum deposuit; atque Imperij titulis privavit. Ita refertur in vita Innoc. III. 11.

Concludimus igitur, posse Summum Pontificem præcipere Principibus Christianis, ne bellum moveant, aut à moto desistant, quando ex tali bello gravia aliqua, & extraordinaria mala timerentur; præsertim si toti Reipublicæ Christianæ imminerent; ut puta, si occasione belli multùm cresce- 12.

crescerent hæreses: aut vires hostium Christiani Nominis, seu Fidei augerentur; & Fidelium adeò minuerentur, ut impotentes illis resistere evaderent.

13. Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, concedendo non posse Pontificem jure suo quemquam privare, quando ex juris executione nullum oritur præjudicium. Secus verò, quando præjudicium oritur publico Bono, præsertim spirituali.

14. Ad secundam, quòd nobis non obstat, quia Clemens Quintus in dictâ Extravag. declaravit, quòd Rex Franciæ, & Regnicolæ per Extravagantem, *Unam Sanctam*, *de major. & obed.* non subjici magis Imperio Ecclesiæ quàm essent antequam Bonifacius VIII. illam conderet: imò voluit omnia intelligi in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam, tam quantum ad Ecclesiam, quàm etiam ad Regem, Regnum, & Regnicolas. Declaratio verò nihil de novo inducit, ut per Tex. *in Hæredes palam*, §. *Si quid post*, *ff. qui testam. fac. poss.* Atqui, ante d. Extravag. *Unam Sanctam*, Reges: & Principes imperio temporali Ecclesiæ erant obnoxij, saltem indirectè. Ergo & nunc sunt.

15. Infero primò ex dictis, in aliquo casu posse haberi recursum ad Papam, & ab ipso posse rescindi judicium civile, & hoc aut ratione temporalis potestatis, secundùm primam sententiam notatam; aut ratione spiritualis potestatis, ut etiam fatetur Victor. *Relect. 1. de potest. Eccles. num. 5.* & docent Auctores secundæ sententiæ.

16. Infero secundò; Summum Pontificem posse deponere Principes, & Reges sæculares ex justa causa, ratione auctoritatis, aut temporalis, aut spiritualis. Et hoc videmus in veteri Testam. 1. Reg. *cap. 15.* ubi Samuel summus Propheta Saulem Regno privavit, & in ejus locum assumptus est David. Item 2. Paralip. *cap. 23.* ubi Joiada Pontifex privavit Athaliam tyrannicè regnantem, Regno, & vita, & pro eo Joas Regem creavit. Item Dan. *cap. 4.* ubi Daniel Nabuchodonosorem Regem Babylonis, & Assyriorum deposuit. Item in nova lege, quæ est excellentioris dignitatis; Innocentius Tertius deposuit Othonem Quartum Imperatorem, ut patet ex Blond. *decad. 2. lib. 6.* Zacharias Papa, ut supra tetigimus, Chilpericum Francorum Regem deposuit à Regno propter ejus inaptitudinem, & Pipinum Caroli Martelli Filium, Caroli Magni Imperatoris Patrem, in ejus locum substituit. Innocentius Quartus in Concilio Generali Lugdunensi, consentientibus universis Patribus, sententiam protulit contra Fridericum Secundum Imperatorem condemnationis, & privationis imperij, & Regnorum ejus. *Cap. Ad Apostolicæ, de sent, & re jud. in 6.* Et vacavit tunc Imperium annis 28. ut notat Matthæus Palmerius in Chronico. Multa alia exempla circa privationem Regnorum per Summos Pontifices, habentur apud Baronium, aliosque Scriptores Ecclesiasticos. Et ratio videtur esse, quia potestas civilis subjecta est Potestati spirituali, quando utraque pars est ejusdem corporis Christiani: unde Papa, qui est Princeps spiritualis, potest imperare Principibus temporalibus, & disponere de eorum rebus temporalibus, in ordine ad Bonum spirituale.

Infero tertiò, bellantibus Principibus, & in Judicem aliquem, vel Arbitrum nequaquam consentientibus, si ex tali bello probabiliter timetur Fidei Catholicæ, vel Ecclesiæ, vel Boni publici detrimentum, Summum Pontificem habere jus avocandi sibi causam belli, & potestatem ferendi sententiam, cui tales Principes Christiani stare tenentur. Ita etiam docet Suarez, *de charit. disp. 13. de bello, sect. 2. n. 55.* 17.

Infero quartò, Principes sæculares nolentes Summo Pontifici parere in casibus, in quibus potest eis imperare, posse per Summum Pontificem censuris ad id compelli. Molin. *tom. 1. de just. disp. 103. lit. D.* Coninch. *disp. 31. de bello, dub. 4. num. 72.* Hinc Sixtus Quartus Venetos, Ferrariam bello prementes, gravi anathemate notavit, eorum bona cuilibet diripienda permittens. Ita omnes Historici. 18.

Infero quintò, Principes nolentes obedire Papæ, eis bellum prohibenti, ut contrarium Bono spirituali Ecclesiæ, peccare mortaliter, non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam, si bellum contra Pontificiam prohibitionem moveant, vel motum prosequantur. Suarez, *de charit. disp. 13, de bello, sect, 2 num. 7.* Castropal. *de charit. tract. 6. disp. 5. punct. 2. num. 6.* quia dum Papa justè præcipit, omne jus bellandi adimit: unde Princeps non ampliùs justè bellat, ac proinde nec alteri damna justè infert. 19.

Infero sextò, nostram doctrinam, quamvis vera sit, esse tamen non facilè, sed rarò, & cum magna prudentia, & circumspectione in praxim deducendam, ut gravissima evitentur mala; cùm damnatus Princeps, tamquam inobediens, putans Pontificem in sententia ex passione se gessisse, possit sumere occasionem ei obedientiam denegandi, tum in ea re, tum in alijs; postque adversùs eum bellum movere, Ecclesiam turbare, aliaque scandala parere; quibus attentè consideratis, solet Summus Pontifex in Principum discriminibus Christianorum se intromittere, uti Pater eos monendo, ut seipsos componant: raro autem, aut nunquam plenitudine hac suæ potestatis utendo: Et ita se gesserunt in bello nostri temporis Innocentius XI. sanctæ mem. & Innocentius XII. felic. recor. 20.

Infero septimò, posse ab utroque Judice, Seculari, scilicèt, & Ecclesiastico privatos discordes ad pacem provocari, quando eorum discordia posset afferre incommodum Reipublicæ. Felin. *in Rubric. de treug. & pace, n. 7.* Martin. Lauden. *in tract. de confœderatione princip. quæst. 12.* Jas. *in l. quidam num. 4. ff. si cert. pet.* dicunt, quòd hoc solùm procedit in Imperatore, & Papa. Verùm quod fieri possit à quolibet Principe, & Rege, affirmant. Bald. & Angel. *in l. si quis ingenuam, §. In civilibus, ff. de capt. & postli.* Idem Bald. *in l. 1. §. Quies, ff. de offic. Præfect. Urbis.* Abb. *in d. rubric. de treug. & pac.* quod uti certum nos admittimus; & ad praxim posse laudabiliter, & tuta conscientia deduci firmiter arbitramur. 21.

XLII. DIFFICULTAS.

An liceat Summo Pontifici exercitum convocare, & bellum indicere Principibus Christianis inter se bellantibus, pacem ab ipso propositam acceptare recusantibus.

1. NOtandum primò, jurisdictionem in genere sumptam, ut colligitur ex Bart. Jas. & alijs, *in l. imperium, ff. de jurisd. omn. judic.* à duabus vocibus, nempe juris, & ditione, id est potestate, derivari. Unde jurisdictio ex eo dicitur, quasi juris potestas; seu jurisdictio à jure dicendo nuncupatur; quoniam est potestas de publico introducta, cum necessitate juris dicendi, & æquitatis statuendæ. Azor. Ab alijs sic definitur, Est jurisdictio officium, & authoritas juris dicendi. *l. 1. §. Damus, ff. de suspect. tutor.*

2. Notandum secundò, jurisdictionem dividi in Ecclesiasticam, quæ pertinet ad Pontificiam, & Ecclesiasticam dignitatem. Glos. *in cap. Transmissam, de elect.* & temporalem, quæ spectat ad Regalem, seu Imperialem, & Laicalem dignitatem, magnamque esse inter has dignitates differentiam, æquiparandam ei, quæ reperitur inter Solem, & Lunam; ut habetur *in cap. Solita, de major. & obed.*

3. Notandum tertiò, potestatem Ecclesiasticam, quam Victoria *Relect. 1. de potest. Eccles. quæst. 4. num. 2. & 3. & Relect. 2. quæst. 1. num. 2.* ait fuisse in lege naturæ statim post peccatum, posse esse conjunctam in eodem supposito cum laica, & civili potestate; ut fuit in Moyse, qui erat Sacerdos, & sacrificia offerebat. Psal. 98. & Rempublicam in temporalibus administrabat. In Samuele, qui erat Sacerdos, & Rempublicam in spiritualibus, & temporalibus gubernabat. 1. Reg. Et postea in Machabæis, ut constat ex libris Machabæorum, qui summi erant Sacerdotes, & supremam Reipublicæ curam in temporalibus exercebant.

4. Notandum quartò, in Summo Pontifice adesse jure divino utramque potestatem, spiritualem, scilicèt, & temporalem, ut habetur *in cap. Omnes, Dist. 22.* & ibi Glos. *verb. Cælestis.* Item *in cap. Unam Sanctam, de majorit. & obedient.* & in alijs juribus Canonicis, ut alibi notavimus.

5. His adnotatis, ad propositam difficultatem, an liceat Summo Pontifici convocare Exercitum, & indicere bellum Principibus bellantibus inter se, pacem ab ipso propositam recusantibus acceptare, negativè videtur respondendum, cùm non liceat Clericis arma sumere ad impugnandum quoscunque homines; præsertim ubi timetur sanguinis effusio; aliàs Summus Pontifex, exercitum congregans ad bellandum, esset occisor, & humani sanguinis effusor. Prætereà Summus Pontifex est Vicarius Christi, dicentis, *Pacem relinquo vobis; Pacem meam do vobis.* Jo. *cap. 14. num. 27.* Atque adeò ei non videtur licere indicere bellum. Et ita videtur etiam sentire. S. Ber. *lib. 19. de consideratione ad Eugenium Papam, cap. 3.* ubi sic dicit. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, sed verbo, non ferro. Quid tu denuò usurpare gladium tentes, quem semel jussus es ponere in vaginam?

6. Contrarium tamen, quod verius putamus, libenter amplectimur, & ita sentire videntur. Innoc. *in cap. Olim, de restit. spol.* Calder. *consil. 1. de trenga, & pace, num. 3.* Turrecrem. *in cap. Omni timore, caus. 23. q. 8.* Graff. *p. 2. lib. 2. de bello, cap. 20. n. 34.* & alii.

7. Moveor primò juribus, *in cap. Studendum, 90. Dist.* ubi Concilium Carthaginense IV. dicit Pontificem teneri vigilare circa curam, & onus sibi injunctum, ut per se, vel per suos Ministros teneat omnes Catholicos tranquillos, & quietos in pace. Et *in cap. 1. de trenga, & pace,* ubi Alex. III. idem dixit. Item pariter *in cap. Ipsa pietas, caus. 23. quæst. 4.* Idque etiam dicit Clem. V. *in Clement. Pastoralis, de re jud. in princ.* Et *l. 1. in fin. de Sum. Trinit. & Fid. Catholica,* ubi habetur, Papæ judicium cæleste arbitrium appellari. Ex his, & aliis juribus patet, quòd Summus Pontifex debet universaliter inter omnes Catholicos procurare quietem, & pacem, & sic adhibere media, quibus possit hujusmodi finem obtinere.

8. Moveor secundò rationibus, quia Summus Pontifex habet jus superioritatis, præsertim in Terris suis. Ergo authoritatem habet movendi bellum recusantibus acceptare pacem. Tum quia, bellum est justum, & licitum, quod ordinatur ad pacem, quæ est finis belli: dicit enim S. Aug. *Epist. 207. ad Bonifacium Comitem.* Non pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur. Esto ergo bellando pacificus, ut eos, quos expugnas, ad pacis utilitatem bellando perducas. Hoc ipsum naturali ratione duce, etiam Philosophi cognoverunt, & nominatim Philosophorum Princeps Aristoteles, *lib. 7. Polit. cap. 14.* ubi bellum inter agibilia, quæ vitæ humanæ utilia, & necessaria sunt, proclamat, dicens. Divisa est vita tota in negotium, & otium, bellumque & pacem. (Et paulo post) Bellum gratia pacis, negotium autem gratia otij; necessaria, & utilia gratia honestorum. Si ergo justum est bellum, quod geritur in gratiam pacis, quando aliquis non adest Principibus bellantibus superior, ad quem recurratur pro pace obtinenda, nisi Pontifex, qui saltem in ordine ad finem spiritualem, habet amplissimam potestatem temporalem super omnes Principes, & Reges, & Imperatores, ut notat Victoria. *Relect. 1. de potest. Eccles. cap. 8.* manifestum est, posse Pontificem convocare exercitum, jure, & meritò bellare contra Principes, pacem ab ipso propositam acceptare nolentes.

9. Præterea Summus Pontifex, ut probat Duardus, *in Bull. Cœn. lib. 1. Can. 1. num. 21.* habet supremam coercendi jurisdictionem per totum Mundum, quod indicat translatio Imperii facta à suprema potestate Pontificia à Græcis ad Germanos, cum facultate eligendi Imperatorem. Quodque confirmat juramentum fidelitatis Romano Pontifici ab Imperatore præstitum *in cap. Tibi Domino, 63. D.* Sicut fecerunt etiam innumeri Reges cum in temporalibus superiorem recognoscentes. At-

que adeò quando aliter, ob bonum pacis, non potest Pontifex hanc suam supremam legislativam & coercitivam potestatem exercere, nisi eis bellum indicendo, licet & expedit ei contra illos bellare, cùm dicat S. Augustinus, *Epist.* 201. *ad Bonifacium Comitem*. Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet DEUS à necessitate, & conservet in pace.

10. Insuper Julius Papa, *in cap. Officij nostri, caus.* 24. *q.* 1. dicit. Officij nostri consideratione non est nobis dissimulare, non est tacere libertas, quibus major cunctis Christianæ Religionis zelus incumbit. Et Innocentius IV. *in cap.* 1. *de offic. leg. in* 6. sic ait. Officij nostri debitum remedijs invigilat subditorum, quia dum eorum excutimus onera, dum scandala removemus, nos eorum pace quiescimus, & fovemur in pace. *Et in cap. Ad Apostolica, de re jud. lib.* 6. Idem Innoc. ad Fridericum Imperatorem dicit ad se spectare pacem per omnia secum habere, & Mundo universo dare. Ergo si Principum arma Mundi pacem perturbant: & Summus Pontifex alio modo non potest officium sibi injunctum adimplere, in danda Mundo pace, nisi exercitum convocando, & bellando, ei licebit contra Principes pacem nolentes bellare.

11. Addo, quòd Clemen. V. *in Clem. Pastoralis, de re judic. in princ.* Bonif. VIII. *in proœmio, lib.* 6. *Decretalium*, & Gregorius IX. *in proœmio* pariter *Decretalium*, dicunt, quòd Pontifex debet universaliter inter omnes Catholicos tenere, sollicitare, & procurare quietem, & pacem: Et ipse DEUS per Jeremiam, *cap.* 1. *num.* 10. Summo Pontifici, ejus futuro Vicario ait, *Ecce constitui te hodie super gentes, & super Regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & ædifices, & plantes.* Quæ verba explicant obligationem, quam Papa ex mandato divino habet tenendi Populos Catholicos tranquillos, & quietos in pace, ut in *cap. Studendum, Dist.* 90. dicit Concilium Carthaginense; & Alex III. in Concilio Lateranensi, ut habetur in *cap.* 1. *de trenga, & pace*; & dicit S. Aug. ad Bonifacium, *in cap. Ipsa pietas, causa* 23. *q.* 4. Et ideò ex intentione DEI, præcipientis Pontifici suo Vicario finem, habetur Pontificem, ad obtinendum finem ordinatum, posse imò debere uti medijs ad hunc conducentibus. Ergo si aliud medium ei non occurrit, ad firmandam pacem inter Principes inter se bellantes, nisi bellum; ei licebit exercitum convocare ad bellandum.

12. Moveor tertiò exemplo tot Principum Catholicorum, quos scimus, pluribus testantibus Historijs, brevitatis causa omissis, exercitum laudabiliter convocasse, bellumque licitè indixisse alijs Principibus inter se diffidentibus, pacemque ab ipsis propositam recusantibus, ut eos bellando ad concordiam reducerent. Et hoc quidem, quia hujusmodi Principes sunt supremi, & finem rectum habuere: atque adeò & idem competere debet Summo Pontifici, cui jus superioritatis propriùs convenit; quique exercitum convocando, suum intendit munus pastorale adimplere, bellum tollere, alios discordantes ad pacem reducere, ut possit cum Domino Nostro JESU Christo, cujus locum tenet in Terris, reverà dicere Principibus inter se bellantibus, eorumque populis lacrymantibus: *Pacem relinquo vobis.* Jo. *cap* 14.

Concludimus igitur, licere Summo Pontifici 13. exercitum convocare, & bellum indicere Principibus Christianis inter se bellantibus, pacem ab ipso propositam acceptare recusantibus.

Ad opposita respondemus: Ad primum, quòd 14. Summus Pontifex est supra omne jus positivum, & Ecclesiasticum: unde in eo potest dispensare pro se, & pro alijs, justa causa existente.

Ad sequelam respondet Turrecrem. *loc. cit.* ex 15. Alex. de Ales. *in* 3. illud non sequi in authoritate innuendi, quæ est penes Papam, sequi verò in authoritate jubendi, quæ est apud Imperatores. Hæc responsio videtur obscura, & ideò nos omnimodæ claritati studentes, alio modo respondemus, nempe Pontificem, cujus authoritate exercitus ad bellandum congregatur, non dici sanguinis effusorem, cùm effusio sanguinis præter ejus intentionem sequatur. Non enim vult Pontifex suo exercitu diffidentes occidere, sed eos pacificare, & successivè occisiones, sive sanguinis effusionem impedire.

Ad secundùm patet clarissimè responsio ex no- 16. stro secundo motu, cui addo ex eodem S. August. *lib.* 19. *de Civit. DEI, cap.* 12. quod finis Pontificis in exercitu convocando; ad bellandum contra Principes pacem recusantes, non potest rationabiliter præsumi, quòd sit bellum, sed pax: Pontifex enim ordinat bellum, tanquàm medium ad pacem. Quandoquidem, inquit sanctissimus Ecclesiæ Doctor, & ipsi qui bella volunt, nihil aliud, quàm vincere volunt; ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt pervenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subjectio repugnantium? Quod cùm factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella ab his etiam, qui virtutem bellicam student exercere imperando, atque pugnando. Unde pacem constat belli esse optabilem finem. Omnis enim homo etiam belligerando, pacem requirit; nemo autem bellum pacificando.

Ad authoritatem S. Bernardi respondetur, 17. quòd solùm probat Pontificem non debere facillimè arma movere ad bellandum; sed tantummodò, urgente necessitate, & Bono publico, vel Fine spirituali id exigente, ut patet ex ejus Contextu: scilicet: Quem tamen, nempe gladium, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini, dicentis sic. Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergò & ipse, tuo forsitàn nutu, & si non tua manu evaginandus: alioquin si nullo modo ad te pertineret, & is, dicentibus Apostolis. Ecce gladij duo hìc, non respondisset Dominus, Satis est; sed nimis est. Uterque ergò Ecclesiæ, & spiritualis, scilicet, gladius, & materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus est, ille Sacerdotis, is militis manu. S. Bern. *loc. cit.* Quæ omnia nostri asserti comprobant veritatem.

Infero primò ex dictis, posse Pontificem etiam 18. convocare, & urgere Imperatores, aliosque Principes Catholicos, qui promisere Ecclesiæ mandatis parere, ut conentur, quantum fieri potest, re-

cusantes pacem, vel pacem turbantes inter Christianos, vel Ecclesiam molestantes, impugnare, atque punire, ut in quinto Concilio Carthaginensi definitum est; & habetur *in cap. Ab Imperatoribus, caus. 23. quæst. 3. & cap. Boni Principes; & cap. Si Imperator, Dist. 96. & cap. Quia Sancta, Dist. 63.*

19\. Infero secundò, posse Summum Pontificem, ad pacem tuendam, præmissa tamen monitione, privare communione Reges, & Principes, pacem aut recusantes, aut contemnentes; ita disponit Tex. *in cap. Novit, de judic. cap. Discordes. & cap. Placuit, 40. Dist.* Bald. *in l. æquissimum, ff. de usufruct.*

20\. Infero tertiò, posse Summum Pontificem censuris afficere omnes Principes, & Reges, recusantes stare capitulationi pacis firmatæ per Prædecessores, cùm hoc vertatur contra bonos mores. Tum quia, Rex infringendo benè ordinata per suum Prædecessorem, illi injuriam infert. *cap. Quod verò, caus. 25. q. 2.* & firmat Cravet. *in cons. 242. vol. 2.*

21\. Infero quartò, pro necessitate pacis Summum Pontificem posse, imò debere super gradibus matrimonij prohibitis dispensare. Imol. *in cap. Quando, num. 2. de jurejur.* Hostiens. *in Summa, de pœnis, §. fin. vers. sed pone, quod guerra.*

22\. Infero quintò, non excusari à peccato Pontificem, qui simulat, vel connivet, quando Principes Fideles inter se bellant, cum gravi detrimento Boni publici, & præcipuè Ecclesiæ, cujus bona temporalia usurpant, si absque majori damno, vel scandalo potest impedire; quia Romanus Pontifex, ut bonus Pastor. Jo. *cap. 10. num. 14.* tenetur vigilare circa curam, & opus sibi injunctum, omniaque impedimenta ad oves pascendum, quantùm fieri potest, à Grege sibi commisso removere; adeóque tenetur per se, vel per alios, omnes Catholicos quietos, & in pace conservare; ut *in cap. Studendum, 40. Dist.* Ex quo DEUS magis colitur; Ecclesia militaris ejus Sponsa gloriosè triumphat: & triumphando hîc in terra, applausus meretur audire Militiæ cælestis, seu Civium supernorum: *Laudantium DEUM, & dicentium. Gloria in altissimis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* S. Luc. *Cap. 2. num. 13.* Ac proinde ad cunctos Christianitatis Principes in bello detentos; à quovis Summo Pontifice, verbo, aut saltem corde, illa crederem monita dirigi, quæ S. Abbas Claræ vallensis ad Januenses scribens, in Epistola 129. calamo, & spiritu adnotavit. Quod si militare placet, & „
vestræ fortitudinis, ac strenuitatis iterum ex- „
periri vires, arma probare delectat; non equi- „
dem id præsumendum adversùs Vicinos, & „
Amicos, cùm magis Ecclesiæ Inimicos expug- „
nare deceret, sed Regni vestri invasam, *sive* „
actu, sive habitu à Christiani Nominis Hostibus „
defensare Coronam. Super illos sanè, & ho- „
nestiùs acquiretis, & justiùs possidebitis acqui- „
sita. DEUS pacis, & dilectionis maneat sem- „
per cum omnibus Vobis. Amen. „

Finis Libri Primi.

THEO-

THEOLOGIA BELLICA,

LIBER SECUNDUS.

Difficultates pertinentes ad Duces Exercituum.

I. DIFFICULTAS.

An in Ducem Exercitûs possit eligi dignus, prætermisso digniori.

1. NOtandum est primò, Ducem dici à ducendo, quamvis fortè meliùs diceretur à gubernando, juxta Tex. *in l. quemadmodum*, §. *Si Navis, ff. ad l. Aquiliam*; & Duces dici olim consuevisse, & Imperatores eos, qui exercitui universo præessent, *l. 5. ff. de pactis*; deinde limitum Præfectos fuisse Duces nuncupatos, ut est apud Spartian. in Pescennio, qui priùs fiebant Tribuni, tum Duces, postea Comites: & habemus Ducianum, judicium pro Ducis sententia usurpatum, *l. penult. Cod. de appellat.*: Postea verò valde immutata est Ducis appellatio. Cùm enim Comites Ducibus præstarent; usus deinde obtinuit, ut illis hi digniores haberentur, maximè in Occidente, ut Duces duodecim Comitibus imperarent. Sic Æmonius, *lib. 4. cap. 61.* scribit Grifonem more Ducum duodecim Comitibus donatum esse.

2. Notandum secundò, quòd Duces olim in perpetuum creabantur, nisi ad altiorem dignitatis gradum eveherentur: deinde ad tempus, quod bellum exigebat, illos eligere mos fuit. Verum est, prudentis Principis, seu Reipublicæ officium fuisse, ad hujusmodi gradum deligere homines, in quibus magna, & experta virtus reluceret, sufficiens ad totam rem bellicam juribus, & consilio constituendam, atque regendam. Alexand. de Alexand. *Dier. genial. lib. 6. cap. 8.* quapropter Princeps, ad Ducem scribendo dicebat: *Nobilitas tua, Gratia tua, aut vestra.* Et Innocentius III. scribens ad Ducem Caringiæ, ait: *Nobilitas tua. cap. Venerabilem, de elect.*

3. Notandum tertiò, dignitatem alicujus personæ posse dupliciter considerari, uno modo simpliciter, & secundum se: alio modo per comparationem ad Bonum commune. D. Thom. *2. 2. q. 63. art. 2. in corp.* Adeóque digniorem non semper dici eum, qui doctior est, vel sanctior, sed eum, qui juxta munus, cui præferendus est, aptior ejus ministerio appareat; quo fit, ut diligentior ad curam præferendus sit viro doctiori, qui non ita diligens sit: & sanctiori, qui non ita conveniat publico muneri, præferendus erit doctus, qui doctrinam habet sufficientem ad munus, quod ei confertur. Covarr. *in reg. peccatum. p. 2. § 7. num. 4 vers. dignior verò.* Ex quibus constat, illum, qui debet eligere, non teneri assumere meliorem simpliciter, sed meliorem, quoad regimen, quod ei confertur, sive Ecclesiasticum sit, sive Sæculare, illum scilicet, si munus est Ecclesiasticum, qui possit Ecclesiam instruere, defendere, & pacificè gubernare. Ita D. Tho. 2. 2. *quæst. 185. art. 3.*

Notandum quartò, valde difficile esse, optimum Ducem exercitus, seu Imperatorem invenire; quapropter Alexander Macedo admirabatur, quòd Athenienses singulis annis novos Duces exercitus, seu Imperatores eligerent, cùm ipse in omni vita, non nisi unum Ducem bonum Parmeniona invenisset. Cassan. *in Cathal. glor. Mundi, p. 9. §. Dicit etenim.* Et Leopoldus Primus Imperator electus, inter alios supremos Principes, justè se putat felicem, cùm plures suorum exercituum Duces invenerit; præsertim verò Principem Eugenium à Sabaudia, omnia Duci exercitus necessaria habentem, nempe Fidelitatem, scientiam rei militaris, Virtutem, Auctoritatem, & Felicitatem. 4.

Notandum quintò, inter Requisita, Duci exercitus necessaria, esse scientiam rei militaris, & virtutem; scientiam, inquam rei militaris, quæ consistit in cognitione itinerum, locorum, perso- 5.

ſonarum, in ingenio, eloquentia, & in cognitione omnium rerum, ad uſum militarem pertinentium, ut advertit Caſſ. *loc. cit. & §. Quinta.* Virtutem verò, quæ eſt labor in negotijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritatem in conficiendo, conſilium in providendo. Ita Cicero relatus à Patritio, *lib. de Inſtit. Respub. lib. 9. tit. 2.*

6. Notandum ſextò, Auctoritatem, quæ Duci exercitus neceſſaria videtur, acquiri per virtutem, corporis formoſitatem, dignitatem, honorem, potentiam, divitias, nobilitatem, felicitatem, humanitatem, clementiam, & per cæteras rei militaris virtutes, & præſertim ex rebus feliciter geſtis. Hæc Caſſian. *loc. cit. ſub §. Decimaquinta.*

7. Notandum ſeptimò, non poſſe exercitum ſine Duce ſecurè progredi, & finem ſuum, qui eſt victoria, feliciter conſequi. Unde Epaminondas videns pulchrum exercitum ſine Duce, non immeritò dixit: *Video pulchram Beſtiam ſine capite.*

8. His adnotatis, ad difficultatem propoſitam, an in Ducem exercitus poſſit eligi dignus, prætermiſſo digniori; videtur affirmativè reſpondendum, argumento à ſimili in electionibus Eccleſiaſticis: videmur enim Jus Canonicum permittere electionem factam de digno, prætermiſſo digniori. *Cap. Cum nobis, extra, de election.* Ex quo videtur impoſſibile peccare eum, qui juris Canonici auctoritate aliquid fecerit. *Cap. Qui peccat, cauſa 23. quæſt. 4.* Franc. *in cap. Conſtitutus, num. 9. extra, de appellat. Cap. Sicut tuis, extra de ſimon.* Jus enim Pontificium magis ſequitur legem DEI, quàm ſæculi. *Cap. Filius. extra de teſtam.* Mantica, *in tract. de conject. ult. vol. lib. 11. cap. 7. ſub num. 2.* & Animas ad DEUM dirigit. Abb. *in Rubr. proœm. decret. num. 6. verſ. Item conſidera.* Jura verò, quæ militant in electionibus Eccleſiaſticis, etiam militare debent in electionibus ſæcularibus: atque adeò in Ducem eligi poteſt dignus, relicto digniori, præcipuè cùm Princeps liber ſit ad eligendum. Tum quia, nullo jure cavetur ut Princeps, aut Respublica teneatur perquirere digniores in gubernio exercitus, aut Reipublicæ: nam Sacri Canones loquuntur quoad Beneficia curata. Ita Vaſq. *cap. 2. de benefic. §. 3. dub. 13. num. 97.* Præterquam quòd, Princeps poteſt liberè vendere quodcunque officium ſæculare perſonis idoneis, quæ ſine damno ſubditorum officia empta adminiſtrent. Molſeſ. *tom. 1. ad Conſuet. Neap. p. 1. cap. 6.* & tenent plures, alij penes Vaſq. *dub. 13. num. 94. & 113. aliàs* 101. Et eſt communis: unde Princeps ſi ex juſtitia diſtributiva, vel ex alio titulo deberet officia ſæcularia melioribus offerre, falsò docerent Doctores poſſe vendi. Satis igitur eſt, ſi Princeps ad regendum exercitum, vel Rempublicam, eligat perſonas idoneas.

9. Fateor hanc opinionem probabilitate non carere. Contrariæ tamen, quæ verior, & probabilior videtur, libenter adhæreo. Et ita arbitror ſentire Sot. *de juſt. & jur. lib. 3. quæſt. 6. art. 4.* Ludovic. Molin. *de primogen. Hiſp. lib. 2. cap. 2 num. 66.* Tho. Grammatic. *conſ. 6 num. 11. l. 1. tit. 4. lib. 2. in nova leg. Reg. Collect.* Et ita pariter ſentire videntur Covarr. *in Reg. peccatum, §. 7. num. 4.* ubi teſtatur communem opinionem. Abb. *in cap. Conſtitutis, num. 7. & 8.* Rocch. *de jure patron. in verſ. honorificum, quæſt. 15.* Gomez, *in cap. 2. num. 22. de conſtit. l. 6.* D. Tho. *2. 2. quæſt. 63. art. 1. & q. 185. art. 3.* Joan. Major. *in 4. ſent. diſt. 24. q. 8. & 9.* & alij, quamvis loquantur de Beneficijs Eccleſiaſticis.

10. Moveor primò juribus *in Authen. Ut Judices ſine quoquo ſuffragio, §. Eos autem, coll. 2.* ibi, *Honeſtiorum quosdam ad adminiſtrationes dirigere.* Et iterum ibi: *Teſtimonium habens; & Authen. De Defenſ. Civit. in princ. §. Nos igitur,* ibi: *Univerſi nobiliores, l. 46. Cod. de Decurion. lib. 10.* ibi, *Digniſſimi meritis, & facultatibus.* Etiam Jure Canonico, arg. in *cap. Miramur, 61. Diſt.* ibi Gloſſ. dicens. Qui tales ſublimat, non conſulit populo, ſed nocet. Et hoc procedit non ſolùm in officijs, & beneficijs Eccleſiaſticis, ſed etiam, & multò magis in Sæcularibus, à quibus Sæcularis ſtatus moderatio plerumque dependet: ideóque non eſt, cur in hac parte, abſque lege, & ratione, inter Beneficia Eccleſiaſtica, & Officia Sæcularia, differentia aſſignetur.

11. Moveor ſecundò rationibus: Nam Dux totam rem bellicam debet regere; ideóque dignior ad hoc munus eſt eligendus. Tum quia, Ducum exempla milites edocent militare. Quales, ait, Xenoph. *de inſtit. Cyri. lib. 8.* fuerint Præfecti, ſeu belli Duces, tales etiam, qui ſunt ſub ipſis ut plurimùm evadent. Tum quia Exercitus, & conſequenter Respublica in manu Ducis eſt, adeóque publicum bonum exigit, ut dignior eligatur, qui optimè imperet, & feliciter gubernet. Præterquam quod, belli finis pax eſt, & ſecuritas: faciliùs eſt autem hunc obtineri finem à digniori, quam à digno, & multò minùs indigno: ergo digniorem eligere tenetur qui auctoritatem habet bellum indicendi, & facultatem, ſeu Jus eligendi.

12. Moveor tertiò exemplo. Pauſanias Pliſtonactis filijs percunctanti, quo pacto poſſent debellari Thraces. Si, inquit, qui vir optimus eſt, eum belli Ducem delegerimus: admonens plurimùm ad victoriam momenti eſſe in Duce. Quemadmodum in omni negotio magni refert, quales ſint, quibus gerendæ rei creditur auctoritas. Iphicrates exercitum conſtituendum eſſe dicebat, ita ut loco thoracis phalanges habeat; manuum ſocios, pedum equites, capitis autem loco optimum Ducem, & Imperatorem, Stob. *ſerm. 52.*

13. Concludimus igitur, in Ducem Exercitus dignum, aut indignum non eſſe eligendum, poſtergato digniori: ideóque peccare Electores, ſi huic electioni conſentiant.

14. Ad argumenta noſtro aſſerto oppoſita reſpondemus. Ad primum, dicendo, Jura Canonica, & præcipue *cap. Cum dilectus, extra de elect.* non diſponere principaliter, dignum eſſe eligendum, prætermiſſo digniori; ſed permittere validam manere electionem de digno, poſtergato digniori, ut majora evitentur inconvenientia, nam ſi electio, ob id ſolum, quòd de digno facta fuerit, omiſſio

omisso digniori, revocari posset, nulle teperiretur electio, quæ perniciosis controversijs non vexaretur, Covarr. *in reg. peccatum 7. sub. num. 4.* Quæ omnia militant in casu nostro, ut considerandi patebit.

15. Ad secundum, nempe, nullo Jure cavetur &c. patet responsio ex dictis.

16. Ad tertium, negamus, posse Principem vendere officia Secularia, ut *lib. 3. diffic. ad Officiales* demonstrabimus.

17. Infero primò ex dictis, eligendum in Ducem debere esse ætatis perfectè adultæ: cùm ætas adulta præferenda sit juventuti in omni negotio, ut habemus *in l. semper, ff. de jur. immunit.* Bart. *in l. 1. ff. de obseq. à libert. patron. præstan.* & *in l. primus, ff. de alb scriben.* & *in l. fin. Cod. de Tyron. lib. 12.* Fab. de Ann. *cons. 138. num. 6.* Ergo à fortiori in militia, ut monuit Aristot. *lib. 1. Ethic.* dicens, „ quod nemo elegit Juvenes Duces. Alexander enim Macedo neminem, nisi Sexagenarium Exercitum ducere sinebat. Justin. *lib. 11.* Alexand. ab Alexand. *lib. 6. cap. 18.* sciens senes majori experientia rerum eductos, aptiores esse pro tali munere, quàm juvenes rerum peritiam minimè habentes: quodque probat, Cæpola *in sin. Tract. de Imperatore Milit. eligendo princ.* ibique ostendens, illum eligendum in Ducem, qui non juvenis fuerit, vel diu non militaverit.

18. Infero secundò, eligendo in Ducem belli summam convenire prudentiam, qua suos ducat feliciter, & hostium insidias prævideat, & vincat; aliaque ad belli finem, qui est victoria, optimè dirigat. Unde Agesilaus percontatus, quid Ducem belli præcipuè exornaret, respondit: Adversus hostes audacia, & in oblata opportunitate ratio, & consilium. Stob. *Serm. 52.*

19. Infero tertiò, observandum esse, an in Ducem eligendo magna adsit sollicitudo in vigilando. Philippus cum in Exercitu multo tempore dormivisset Experrectus, Tutò, inquit, dormimus. Vigilavit enim Antipater; subindicans non esse Regium indulgere somno, præsertim in bello; sed tamen hoc interdum, absque periculo fieri, si Princeps, seu Rex habeat fidum, & vigilantem Ducem. Plut. in Apophth.

20. Infero quartò, in eligendo in Ducem magnum debere adesse boni communis zelum. Pelopides ille celebris Dux, Uxori suæ, ei suadenti conservationem, & curam sui ipsius in bello, respondit. *Id Fœminis suggerendum est; Imperatoribus verò, ut alios servet.* Plut. ostendens, Ducibus expedire bono providere non suo, sed suorum.

21. Infero quintò, in eo, qui eligendus est in Ducem Exercitus, esse pariter considerandum, qualis sit sapientia, cum sæpè in bellis ex casuum varietate consilia sint immutanda, quod absque sapientia feliciter sequi ordinatiè non potest. Prætorquam quòd, Vegetij fuit monitum. Dux bel„ li callidior sit, quàm audacior, ut hostes per „ insidias perdat, sinè suo periculo; cujus pra„ xis, ut facillimè habeatur, sapientiam requirit.

22. Infero sextò, notandam esse in Ducem eligendo liberalitatem, & observandum, ad quem gredum pervenerit, cùm summa requiratur in Ducibus, quos summopere dedecet tenacitas, seu avaritia, militibus tam perniciosa. Sensus enim communis est, liberalitatem, & humanitatem erga inferiores præclarum Ducibus viaticum esse ad victorias, & triumphos. Nicephor. Gregor. *lib. 6. Hist.*

Infero septimò, alienum esse debere in Ducem eligendum à libidinum illecebris, cùm fortes reddat debiles libido. Ait propterea Xenoph. in „ suis Hist. passim. Ipse, id est, Dux super om„ nes homines voluptatum est contemptor, adeò „ ut nunquam ullis libidinum illecebris, à recto, & honesto abducatur. Et ideò Scipio Africanus Carthaginem obsidens, oblatam sibi ex Hostibus Virginem eximiæ formæ, & nobilitatis intactam, & dotatam restituit. Cassan. *loc. cit. sub. §. Trigesima tertia*, ubi alios producit, hoc scribentes. 23.

Infero octavò, non ordinariam requiri in Ducem eligendo nobilitatem, cùm notum sit, ad honores, & Magistratus nobiliores esse anteferendos, *§. primo, in principio, in Verb. Viri obscuri.* & *§. ult. in Authen. De Defen. Civ.* ubi etiam Gloss. cum alijs memoratis à Tiraquell. *de Nobilit. cap. 20. num. 1.* Nam Nobilium, & maximè Principum major est auctoritas in milites, & militum in hos obedientia. Quodque probatur testimonio divinarum Literarum. Nam Moyses ex Nobilibus constituit Principes, Tribunos, & Centuriones. Deut. *cap. 1. num. 15.* adeòque ob oculos habendum est illud Euripidis in Archelao, apud Stobæum *Ser. 86.* sic à Gesnero explicatum. 24.

Non parum adfert momenti, si Nobilis,
Exercitus Dux fuerit, & gloriosa fama insignis.

Infero nonò, Ducem esse eligendum eum, qui plùs in bello laboravit, passus est, assiduus in rebus bellicis fuit, & hunc esse alijs præferendum arbitror, per Textum clarum *in l. fin. Cod. de Ty„ ron. lib. 12.* ubi, Nèc enim patimur quemquam „ celsiorem gradum obtinere, nisi cui, & labo„ rum assiduitas, & stipendiorum prolixitas suf„ fragantur: ideóque justa fuit querela Nicomachidis de Athenienfibus, quòd ab illis non esset electus Imperator, cùm tot vulneribus in prælio acceptis, modò militis, modò manipuli, & Legionis Præfectus Reipublicæ profuisset: Zenophon, *lib. 3.* 25.

Infero decimò, necessarias esse Ducibus cæteras conditiones, quas congerit Onosander, & Leo Imperator *de bellico apparatu, Cap. 2.* ubi sic dicit. Mandamus igitur, ut Imperator, seu Dux „ sit corpore continens, victu temperans, so„ brius, vigilans, frugi, & in rebus necessarijs „ minimè profusus, in laboriosis negotiis assidu„ us, circumspectus, & prudens, pecuniæ de„ spiciens, famæ commendatione honestus, ne„ que juvenis, neque ætate ingravescens, habi„ lis ad dicendum ex tempore in media frequen„ tia hominum liberorum, non ad mercatu„ ram faciendam, aut ad hujusmodi lucrum in„ tentus, non parui animi, & minutas res expe„ tens; denique generoso, tum animo, tum „ corpore, quoad ejus fieri potest; & in omni„ bus magno animo. 26.

Infero

27. Infero undecimò, non licere Principi eligere indignum, & insufficientem Ducem, & minùs gratum Militibus suis, sic etiam tradit Cæpol. *in dict. Tract. De Imperatore militum eligendo, art. 11, de divitijs*; cum electio Ducis indigni sit toti Exercitui injuriosa.

28. Infero duodecimò, non posse ab alijs obedientiam denegari Duci belli non sufficienti, neque digno, si facta est electio per Principem ex certa scientia, quia reputatur dignus, & sufficiens. Ita sentit etiam Cassan. *loc. cit.* §. *Trigesima octava*, ibi addens, quòd Dux belli creatus, præsumitur scire gubernare exercitum. Esto, quòd electo per Principem uno Duce belli, ignotantem de sua sufficientia, & dignitate, possit unus Dux militiæ recusare ei subesse, donec Principi hoc significaverit. Facit per hoc Tex. *in cap. Si quando, extra de Rescriptis*.

29. Infero decimotertiò, Principem, qui ex aliqua justa causa, vult aliquem in Ducem Exercitus eligere, qui non videtur dignus, neque gratus alijs, non debere ad hujusmodi electionem venire, nisi cum consensu, & voluntate aliorum. Ita fecerunt Veneti prudentissimi, quando constituerunt Gentilem Leonisam totius eorum Exercitus Gubernatorem Generalem, ut refert Cassan. *loc. cit.* §. *Quadragesima tertia*.

30. Infero decimoquartò, esse Duci, seu Imperatori obediendum, quæ obedientia consistit in reverentia exhibenda, in mandato suscipiendo, & in judicio subeundo. De modo Duci Exercitus obediendi, multa scribit Cæpol. *in dict. Tract. De Imper. Mil. elig. Prò Imperatore*.

II. DIFFICULTAS.

An liceat Clericis, inconsulto Pontifice, exercere in Exercitu munus Ducis, quando adest necessitas aliqua.

1. NOtandum primò, Officium Ducis fuisse à DEO creatum; facto enim in Cœlò, post Angelorum creationem, prælio, data fuit Michaëli potestas pugnandi cum Angelis ejus, quibus fuit Præpositus, tanquam Princeps illius Exercitus, ut habetur Apoc. *cap. 12.* Nam Præpositus Paradisi dicitur Dux belli, ut dicit Glos. *in l. 3. in fin. ff. de re Militar.*

2. Notandum secundò, in Duce, seu Imperatore Exercitus eligendo plura esse consideranda, ut supra tetigimus, scilicèt personam, quæ eligitur, an possit esse Dux, seu Imperator Exercitus; ætatem illius, rationem, aut originem, nobilitatem, dignitatem, facultates, seu divitias, fidem, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Si quæ alia desiderantur circa Ducem Exercitus, vel Officium ipsius, inspiciendus est Raphaël Volaterranus *in suis Commentarijs. Urbanis, lib. 30, cap. 4. cum seqq.* ubi multa præclara scribit, à nobis, brevitatis gratiâ, omissa.

3. Notandum tertiò, Clericos dici à Cleros Græcè, quod latinè sors dicitur, ut habetur in Tex. *caus. 12. quæst. 1. Cap. Clericus*; 21. *Dist. cap. Cleros.* Ita etiam D. Hierony, Epist. Ad Nepotianum; ideòque vocari Clericos, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, hoc est pars est Clericorum *ead. caus. q. 1. cap. Duo sunt.* Propterea in ordinatione Clericorum præcipitur, ut Clericatu initiandus recitet illum Psalmi 15. versic. *Dominus pars hæreditatis meæ, & Calicis mei tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi*, ut constat ex Pontificali Rom.

Notandum quartò, Clericorum nomine vocari in Ecclesia Sacerdotes, eorumque Ministros ad Sacras functiones deputatos, qui correspondent Levitis veteris Sinagogæ, & hujus nominis meminisse D. Petr. 1. *Ep. cap. 5.* Tertull. *lib. de Monogam. Concil. 1. Nicæn.* Oecumen. *Can. 1. 2. 3. 8. 17. 18. & 19.* Origen. *hom. 7. in Jeremiam.* 4.

Notandum quintò, certum esse apud omnes, ut admonet Valent. Clericos in Sacris ordinibus constitutos, & quoscunque Monachos, etiam Laicos Jure Ecclesiastico prohiberi, quo minus licitè pugnare possint, ut patet de Monachis ex *cap. Eos qui, caus. 20. quæst. 3.* & de Clericis ex multis Can. 23. *quæst.* 8. præsertim in *cap. Clerici, & cap. Quicunque*, ubi privantur executione Ordinum, si id faciant, & jubentur recludi in Monasterium; atque etiam suffragiis orationum, & oblationum privantur, si in bello moriantur. 5.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Clericis liceat in aliqua necessitate, inconsulto Pontifice, exercere in Exercitu munus Ducis; affirmativè videtur respondendum, cùm Clericis non repugnet militare. Nam Valens Imperator jussit Monachos militare, & recusantes interfici; Paul. Diacon. *lib. 11. de Gest. Roman.* Eutrop. Scholastes. Niceph. Calist. *lib. 9. cap. 16.* Tum quia, *in cap. Omnes, causa 23. q. 8.* habetur meritorium esse militare, adeóque si possunt Clerici se in bello exercere, cur eis non licebit munus Ducis suscipere, & gerere? 6.

Veritas tamen est, Clericis nequaquam licere, inconsulto Pontifice, exercere in Exercitu munus Ducis. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 40. *art.* 12. Cajet. ibi in summa *part. 3. titul.* 28. *cap.* 2. §. 6. Abb. Card. Felin. & alij Canonistæ *in cap. Penult. de homicid.* Turrecrem. *in cap. 1. causa 23. quæst. 8. Molin. tom. 1. de just. tract. 2. disp. 108.* Castropalaus *de char. tract. 6. disp. 5. punct. 6. num. 2.* Diana *part. 10. tract. 2. Ref. 1.* Bald. *cons. 539. ad bellum justum col. 1. lib. 5.* Menoch. *consil. 4. num.* 19. ubi alios refert. 7.

Moveor primò, non tam juribus relatis in tertio Not. quàm aliis, in *cap. Ex multa* §. *De Clericis, de voto Clemens I. De homicid. cap. Sententiam, ne Clerici, vel Monach.* Concil. Calced. *cap. 7.* & pluribus alijs juribus, quæ omnimodè interdicunt Clericis militare, & Exercitum ducere. Quod pariter habetur 2. *ad* Timoth. *cap.* 2. ubi S. Paulus dicit. *Nemo militans DEO, implicat se negotijs sæcularibus* quæ verba ponderans, Gregor. Nazzian. *Orat. de pace*, asseruit Arma esse prohibita Clericis. Idemque etiam docet D. Bernardus *lib. 4. de consider. ad Eugenium*, explicans illa verba: Matth. 26. *Mitte Gladium tuum in vaginam.* 8.

Moveor secundò rationibus, seu potiùs congruentiis. Clerici, & Religiosi, utpote dicati DEO, 9.

DEO, servire debent Altari, vacare rebus spiritualibus: ergo illos non decet pugnare, neque stante necessitate, cùm pugna multùm illos revocet ab hujusmodi exercitiis, nempe, orare, contemplari, sacrum agere, Altari inservire. Tum quia Clerici sunt Christi Ministri, ipsumque in se ipsis repræsentant, qui proprium Sanguinem pro salute Generis humani effudit: ergo nefas est illis sanguinem humanum effundere: & ita docet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2, & communiter Theologi.

10. Moveor tertiò exemplis, & quidem Ethnicorum, qui suis Sacerdotibus pugnare, vel munus Ducis exercere, valde indecens existimabant: Nam à Romulo fuerunt Sacerdotes instituti, omnino à militaribus officiis per totam vitam exempti, & soluti, ut refert Dionys. Alicarnus *lib.* 2. Cæsar, apud Gallos, Druidibus idem est impertitus, ut in ejus Comment. *lib.* 7. *de bello Gallic.* Profectò si falsis, & superstitiosis Sacerdotibus, diis mendacibus dicatis, pugnare nefas putarunt Gentiles; deformitas magna sanè esset in Christianis, si venerandis Sacerdotibus, qui vero DEO inserviunt, idipsum concederetur.

11. Concludimus igitur, Clericis, inconsulto Summo Pontifice, nequaquam licere, etiam urgente necessitate, Ducis munus in Exercitu exercere.

12. Ad rationes in oppositum respondemus: ad primam; quòd auctoritas Valentis, utpote Imperatoris impij, & Hæretici, improbanda omninò est; & imitatione indigna omnino habenda, prout improbavit, *Cothor. de jur. milit. lib.* 1. *cap.* 14. Præterquam quod, illa fuit Lex Imperatoris, qui nullam habet in Ecclesiasticos potestatem, ut optimè probat Bellet. *disp. Cler. par.* 1. *tit. de favore Clericorum*, ubi adducit ad hoc probandum plures textus Sacræ Scripturæ.

13. Ad secundam, quòd Textus in *cap. Omnes, caus.* 23. *quæst.* 8. licèt admoneat exercere se in bello justo sit meritorium, hoc tamen est intelligendum de Laicis, non verò de Clericis, qui operibus majoris meriti debent vacare, ut ostendit Crispol. *in Casib. Militar. cas.* 2. *n.* 24.

14. Infero primò, ex dictis, Clericos armatos incedentes esse puniendos, ut declarat Textus in *cap. Quicunque ex Clero*, ex Concil. Melden. sumpto. Licèt sint in minoribus Ordinibus constituti, ut *caus.* 20. *quæst.* 3, *cap. Eos*; ibid. Gl. dummodo tamen non habeant inimicos, tunc enim possunt sumere arma pro defensione sui corporis, ut ostendit Turrecrem. *in cap. Quicunque, caus.* 25. *quæst.* 8.

15. Infero secundò, opportunam fuisse prohibitionem olim factam militibus, ne fierent Clerici, aut Monachi, 50. *Dist. cap. Si quis*, & *Cap. Si quis. Dist.* 51. *Cap. Aliquantoscad. D. cap. Monasterijs*, 19. q. 3. quæ prohibitio fuit ablata à S. Gregorio, qui decrevit posse milites fieri Monachos, nec posse eis prohiberi, *lib.* 2. *ex Regest. Epist.* 61. & 65 & *in lib.* 8. *Epist.* 23. Dicit tamen hoc esse faciendum, cum Pontificis consensu, & esse per tres annos hos milites probandos, antequam Monachi fiant, ibid. & Greg. VII. *lib.* 6. *Epist.* 17.

16. Infero tertiò, Clericos illicitè pugnantes, hoc est, vel in bello injusto, vel justo, sine licentia, aut sine extraordinaria necessitate, vel utilitate Reipublicæ, peccare mortaliter, & incurrere irregularitatem, sivè occidant aliquem, sivè non occidant, modò aliquis in tali pugna occidatur: quia tunc sunt illicitè concausæ mortis, ut sunt para exercitus, quod colligitur ex *cap. De cætero, extrà, de homicid.* & ita docet Valent. *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 16. *de bello punct.* 4. Contrarium, scilicet non esse irregulares, esto in bello aliqui interficiantur, aut mutilentur, modo ipsi eos non interficiant, aut mutilent. docent Molin. *tom.* 1. *de just. tr.* 2 *disp.* 100. Navar. *in Manual, cap.* 27. *num.* 126. Gibal. & alij.

Infero quartò, Clericos non posse licitè deferre arma ad repellendam violentiam, inferendam Ecclesiæ, vel Patriæ, quæ impugnatur, licèt Laici bene possint, *caus.* 23. *quæst.* 3. *cap. Fortitudo*, & *cap. Ut pridem, caus. ead. quæst.* 8. 17.

Infero quintò, Clericos portantes arma, absque Superiorum licentia, aut gravi necessitate, posse excommunicari, ut habetur in Tex. *cap. Clerici*, unde peccare mortaliter, cùm nemo possit excommunicari, nisi propter mortale *caus.* 11. *q.* 3. *cap. Nemo Episcoporum.* Contrarium tenent Lorca, 2. 2. *sect.* 3. *disp.* 11. *num.* 12. Layman. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 12. *n.* 19. Bonac. *tom.* 2. *disp.* 2. *q. ult. punct.* 542. & alij, asserentes his Clericis, vi Canonum non prohiberi pugnam, atque adeò eos pugnando in bello justo non peccare, nisi fortè per accidens, quatenùs se exponunt periculo incurrendi irregularitatem; atque ita reddendi se inhabiles ad suum officium. 18.

Infero sextò, non licere Clericis in bello licito dare Lanceam pugnanti, Graff. *p.* 2. *lib.* 2. *de bello cap.* 20. *num.* 58. Cùm non debeat interesse armatus, *Extrà, de homicid, volun, cap. Sicut dignum* §. *ult.* Arachid, *in d. cap. ult. Dist.* 36, *num.* 12. Contrarium tenet Host, dummodò Clericus det arma pugnanti antè conflictum. 19.

Infero septimò, vi dictorum Canonum non prohiberi, quò minùs Clericus, qui habet dominium temporale in Republica perfecta, possit ex justa causa indicere bellum, ut alius Princeps temporalis. Sylvest. *v. bellum* 3. *q.* 1. Valent. *loc. cit.* quia Clericus habens dominium temporale, non est deterioris conditionis, quàm alius Dominus temporalis, nec habet minus jus ad suam Rempublicam armis tuendam, cùm ita necessitas coegerit. 20.

Infero octavò, Clericos in bello quidem injusto existentes, licèt non pugnent, sed tantùm intersint, hortando, animando milites ad fortiter pugnandum, incurrere irregularitatem, ut colligitur ex *cap. Quod in dubijs, extra, de pœnis*, & *cap, Clericos, extra, de homicid.* & tradit Covarruv. *Relect. in Clem. Si furiosus, par.* 2. §. 3. *n.* 2. Navar. *in manual, cap.* 17. *num.* 216. 21.

Infero nonò, Clericos in bello justo non manibus suis pugnantes, sed solùm hortantes milites ad dimicandum fortiter, non incurrere irregularitatem, ut notat Malder, cum alijs, quos citat, & sequitur Molfes. *in Sum. par.* 2. *tract.* 12. *de contract. cap.* 3. *n.* 176. 22.

Infero decimò, esse delendos à militia, seu de nume- 23.

numero militum, illos Regulares, qui habitu Religionis, quam professi fuerant, abjecto, sacramento militari se adstrinxerunt, Tull. Crispol. *in casib. milit. cas. 2.* quia illis prohibentur arma, sub pœna excomm. *cap. 2. de Vita, & Honest. Clericor.* ubi Gloss. communiter recepta, in verbo, *Clerici*; & Molfesius *loc. cit. num. 176.* notat, hoc non habere locum, dum Clerici transeunt per loca periculosa; quia ad se defendendum possunt gestare arma offensiva, ubi citat Navarr. Reginal. & alios.

24. Infero undecimò, obiter, prohibitam esse, atque ideò illicitam ratione personarum, Clericis, & præcipuè Episcopis venationem armis exercitam, ut in *Cap. 1. de Cleric. venat.* & hoc ex Concil. Aurelianensi, de qua materia latiùs habetur *in Cap. Qui venatoribus, cum seqq. Dist. 86.* & latiùs prosequuntur Authores, quos citat, & sequitur Molf. *loc. cit. num. 82.* ubi notat, mortale peccatum esse Clericis venari, dum sit venatio per consuetudinem, & sic frequens; non verò quando adest necessitas: tunc enim dicit esse licitam, & etiam licitam esse causa recreationis, non semper, sed aliquando, ut notat Glossa communiter recepta *in d. cap. 1. in verbo voluptate. Less. lib. 2. cap. 5. n. 42.* Vasq. Sayrr. apud Molfes. ibidem.

25. Infero duodecimò obiter, Clericis non licere dictare, vel scribere litteras pro vindicta sanguinis destinandas; nec ubi vindicta sanguinis exercetur, interesse, *Cap. Sententiam, ne Clerici, vel Monachi*, & ibi Glos.

26. Infero decimotertiò, præceptum factum Clericis de non pugnando, seu bellando, obligare quidem sub mortali constitutos in Sacris, ut docent D. Thom. Cajet. Sylv. Covarr. & alij, quos citat, & sequitur Suarez *disp. 13. de bello, Sect. 3. num. 5.* cùm materia sit gravissima, & sub gravissimis pœnis, ac censuris prohibeatur; alios verò existentes in minoribus obligare saltem sub veniali. Sot. *tom. 5. de just. q. 1. art. 4.* Covarruv. *in Clement. si furiosus. par. 2. §. 3. num. 2.* Suarez *loc. cit.* nisi fortè habeant beneficium Ecclesiasticum, quia tunc jam sunt ex officio Ministri Ecclesiæ, & tenentur, ut multi credunt, aspirare ad altiores Ordines, vel saltem illis impedimentum non ponere, dum in officio suo manere volunt; unde graviter obligantur.

III. DIFFICULTAS.

An saltem in casu extraordinario necessitatis, liceat Clericis, inconsulto Pontifice, ducere exercitum, pugnare, occidere, mutilare &c.

1. NOtandum primò, cum Archid. *in Cap. Erit autem Lex, 4 Dist. num. 4.* necessarium dici dupliciter, scilicet, id, quod est necessarium simpliciter, nempè, quod impossibile est se aliter habere; & hujusmodi necessarium non subjacere humano judicio, unde talem necessitatem ad legem non pertinere. Esse autem aliud necessarium propter finem, & talem necessitatem non differre ab utilitate, quod etiam docet Turrecrem. *in Cap. Salvator, causa 1. quæst. 5. num. 3.*

2. Notandum secundò, Operantem ex necessitate absoluta excusari à pœna in totum *extrà, Quod met. caus. Cap. Sacris, & 45. Dist. De Judæis, & 50. Dist. Presbyteros.* Ratio est, quia magis pati, quàm agere videtur, ut *in dict. Cap. Sacris, & extrà, de reg. jur. Qui ex timore*, & ibi Glos. *& Cap. extrà, de homicid. Sicut*, ibi Glos. Magna in fin. Operantem verò ex necessitate conditionali non excusari in totum, sed extenuari culpam suam, & peccatum, *ut in dict. Cap. Sacris*, & alijs juribus, quæ allegat Archid. *in cap. Quæ bona, caus. 17. q. 1. sub num. 13.*

3. Notandum tertiò, casum extraordinarium necessitatis, prout ad rem nostram pertinet, intelligi quando, v. g. quis non potest aliter conservare propriam vitam, nisi hoc, vel illo modo agendo; vel defendere Rempublicam, Patriam, Civitatem, Exercitum, nisi pugnando; ita quòd illo pugnante, Respublica, Patria, Civitas, Exercitus conservabitur: illo verò non pugnante, destruetur, aut capietur. Ita Molina *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 108.* Valent. *disp. 3. quæst. 16. punct. 4. versic. secundo, Certum est*; ubi docet casum extraordinarium necessitatis, etiam intelligi, quando pugna, v. g. esset necessaria ad consequendam insignem aliquam victoriam, in maximum commune bonum Reipublicæ redundantem.

4. His notatis, ad difficultatem propositam, an saltem in casu extraordinario liceat Clericis, inconsulto Pontifice, ducere Exercitum, negativè videtur respondendum: nam *in Cap. Quod in dubijs, de pœnis*, Innocentius III. deponi mandat Sacerdotes, qui gubernant naves ad pugnam, & personaliter exercent conflictum.

5. Veritas tamen est, in casu extraordinario necessitatis, non solùm licere Clericis, inconsulto Pontifice, ducere exercitum, pugnare, occidere, mutilare, sed etiam teneri lege naturæ hujusmodi agere, non expectata licentiam Summi Pontificis, Cajet. *2. 2. quæst. 40. art. 2.* Turrecrem. *in cap. Clerici 23. qu. 8.* Valentin. *disp. 3. quæst. 16. de bello, punct. 4.* Petrus à S. Joseph Doctor Gallus *in Idea Theolog. moral. lib. 3. cap. 11. resolut. 5. quæst. 2. art. 2.* Card. de Lug. *in respons. moral. lib. 5. dub. 14.* Laym. *lib. 2. tract. 3. cap. 22. num. 19.* Reginal. *tom. 2. lib. 31. cap. 8. num. 91.* Bassæus *in Florib. Theolog. Moral. vers. Bellum, num. 6.* Molina *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 108.* Diana *par. 10. tr. 2. Res. 2.* & alij plores.

6. Moveor primò juribus, *extrà, de obser. jeju. Consilium, & extrà, de reg. jur. Quod non est, & de consecr. c. 26. Dist. 5.* ubi habetur, quod necessitas legem non habet, *& arg. Cap. Si quis, propter, de furt.* ubi habetur, quod non peccat Monachus, qui tempore necessitatis facit eleemosynam de bonis Monasterij, sine licentia Prælati, *caus. 16. q. 1. Cap. Alia, & 12. q. 1. Cap. Non dicatis:* Ergo neque peccabit Clericus, sive Monachus si tempore magnæ necessitatis ducet exercitum, pugnabit, occidet, inconsulto Superiore, nempè Pontifice.

7. Moveor secundò rationibus. Tum quia, in talibus casibus si Pontifex adesset, sine dubio di-

spensa-

spensaret, undè hic locum habet Lex *Barbarius 3. ff. de off. Prætor. tit. 14.* Tum quia, in hisce casibus lex naturalis charitatis quemvis obligat defendere, & promovere commune bonum Reipubl. Legi verò naturali non poterat Lex positiva Ecclesiastica, ad ordinem gratiæ pertinens, adversari, cùm potiùs hanc perficiat, sicut Gratia perficit naturam; atque adeò nec prohibere Clericis, aut Monachis ducere exercitum, vel pugnare in ejusmodi casibus; ut tradunt communiter Doctores, quos citat, & sequitur Castropalaus, *de char. tract. 6. disp. 5. punct. 9. num. 7.*

8\. Moveor tertiò exemplo in Roderico Toletano Archiepiscopo, & ejus Signifero Dominico Paschasio, qui in pugna illa celebri contra Mauros, ad Nabas Tolosæ, & victoria jam obtenta ab Alphonso IX. quam Ecclesia celebrat 16. Julij, sub nomine Triumphi Sanctæ Crucis, tanquam miraculosam, qui inquam, una cum Socijs, ac famulis adfuerunt, discurrendo in actuali conflictu per totum Exercitum, tum milites Christianos ad pugnam cohortando, tum proprijs manibus pugnando. Quod factum summè laudatur, & mordicus defenditur ab Aravio viro doctissimo, ex celeberrima Prædicatorum Religione, *in 2. 2. D. Thom. qu. 40. art. 1. num. 7.* Hic omitto aliorum Ecclesiasticorum exempla, & præcipuè Episcoporum in Hispania, stante magna necessitate, pugnantium, qui cùm pugnando mortui fuerint ob fidem defendendam, & Saracenos exterminandos, ut eruditè refert Antonius Yepes, in la Historia de S. Benito *tom. 5. cent. 6.* Anno Domini 1010. & D. Benedicti; Anno 530. ideò à Castillo *tom. 7. de Tertijs cap. 9. num.* 48. summè laudantur, licèt Cardinalis Baronius, quem summoperè veneror, in suis Annalibus, sub anno 1010. aliter sentiat.

9\. Concludimus igitur, licere Clericis in casu extraordinario necessitatis, inconsulto Pontifice, exercitum ducere, pugnare, occidere, mutilare.

10\. Ad rationem in oppositum respondemus, quòd Summus Pontifex supponit non adesse necessitatem, & benè posse per alios hujusmodi munus exerceri: præterquam quod, ut benè dicit Glossa, loquitur Textus de bello injustò, non justo, *arg. Cap. Sicut dignum §. Qui verò, de homicid. & leg. item Mela §. Item cum si, ff. ad leg. Aquil.*

11\. Infero primò ex dictis, quòd, quando ob extraordinariam necessitatem, licitum est Clericis ducere exercitum, pugnare &c. possunt accipere stipendium, hostiumque spolia usurpare, sicut alij Bellatores. Ita fatentur omnes, apud Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp.* 180. *versic. Duo supersunt.*

12\. Infero secundò, Clericos ducentes Exercitum ex indulto Pontificio, & pugnantes suis manibus, non incurrere ullam irregularitatem, quoties bellum necessarium est ad defensionem propriæ vitæ, aut personæ, vel Patriæ, aut Boni communis; *arg. in cap. 2. de Immun. Eccles.* Diana *par. 6. Tract. 4. Res. 35.* Addunt aliqui, hoc etiam aliquando verum esse in bello justo aggressivo, quando id necessarium est ad obtinendam victoriam, à qua pax, salus Innocentium, & bonum Ecclesiæ dependet. Apud Dian. *par. 10. Tract. 2. Res. 2.*

13\. Infero tertiò, in casibus, in quibus de licentia, aut sine licentia Summi Pontificis, licèt Clericis, & Monachis pugnare, ducere exercitum, eis etiam licere occidere hostes, eosque expoliare, & alia facere, quæ jure belli possunt facere alij Milites. Ita etiam Valent. *tom. 3. disp. 3. q. 16. de bello punct. 4.*

14\. Infero quartò incidenter, violantem ex mera necessitate jejunium, aut quadragesimam, excusari in totum, præsertim si violator sit miles, aut militiæ Dux *cap. 2. de observant. jeju.* Graff. *par. 1. decis. lib. 2. cap. 19. n. 29.*

15\. Infero quintò, pariter incidenter, licitum esse in casu necessitatis baptizare etiam Laico excommunicato, & Infideli, quod illi aliàs prohibitum est. *Cap. Sive, cap. Constat, cap. Quicunque, de Consecr. Dist. 4.*

16\. Infero sextò, etiam obiter, Sacrificia, & Consecrationes, instante summa necessitate, posse fieri extra Altare, & loca DEO consecrata. *Cap. Sicut, de consecr. Dist. 1. Graff. loc. cit. n. 30.*

17\. Infero septimò, similiter incidenter, suadentem alium, ut exponat se bello, seu periculo pro patria, vel pro defensione Reipublicæ, maximè Fidei, vel Ecclesiæ, non esse irregularem; etiam si iste, cui consultum est, moriatur; habetur *in Text. caus. 23. q. 3. cap. Pro membris, & cap. seq. & quæst. 8. cap. Igitur:* Quod valet etiam si suadens sciret eum verisimiliter moriturum; ut docet Graff. *loc. cit. num. 34.*

18\. Infero octavò, Clericum bellantem extra casum extraordinarium necessitatis, & inconsulto Pontifice, si in tali bello capiat aliquid, teneri ad restitutionem faciendam ei, cui abstulit, si scit, quis ille sit, alioquin pauperibus; quia rem illam rapiendo non fecit suam: licèt eo mitatus fuerit Dominum suum in bello justo. Secus verò, si ei res data fuit ab illis, quibus licuit rapere. Graff. *p. 1. decis. lib. 2. de bello, cap. 20. n. 32.*

19\. Infero obiter nonò, licitum esse Clericis causa necessitatis, si indigeant, exercere negotiationes. *Arg. Dist. 86. cap. Pervenit.* Turrecrem. *in cap. Consequens, Dist.* 88. & etiam uti artificijs suis honestis, ex quibus possint sibi necessaria quærere, dum tamen occasione talis artificij non desint divinis Officijs. 91. *Dist. per totam, de celebrat. Miss. c. 1. de consecr. Dist. 5. cap. Nunquam.* Itemque alia possunt facere, quæ notantur à Graff. *p. 2. decis. lib. 3. cap. 2. sub. n. 25.*

IV. DIFFICULTAS.

An Summus Pontifex possit dispensare, ut Cardinales, & Episcopi possint licitè esse in aliquo Exercitu terrestri, vel maritimo Duces supremi.

Notandum primò; discrimen esse inter Scriptores quoad originem nominis Cardinalis; 1. nam varij variè sentiunt. Ex Gratiano habemus, quòd S. Sylvester Primus videtur fuisse, qui Mi-

nistros Papæ Collaterales appellavit Cardinales, *cauf. 2. q. 5. cap. Præsul.* Probabile tamen puto, quod refert Rob. Bellarm. *lib. 1. de Cleric. cap. 16.* Nomen Cardinalis impositum à Loco primùm fuisse; & ita derivatum ad personas. Dicebantur namque Tituli Cardinales Ecclesiæ principaliores, in quibus conferebatur Baptismus: & qui eas regebant, dicebantur Cardinales. Constat etiam ex Concilio Meldensi, *Can. 54.* pari modo fuisse Diaconias Cardinales Loca principalia in Urbe, distincta, juxta numerum Regionum, & Diaconos in illis residentes vocatos Diaconos Cardinales; idque ab Ecclesia Cardinali. Quidquid dicant alij, Cardinales sic nuncupari quasi primarios Cardines, circa quos Mundus Catholicus circumfertur. Hoc unum certum esse, & omnes fatentur, Cardinalatum inter cæteras Ecclesiæ DEI Dignitates, post Papatum, primarium locum ordine dignitatis tenere; ideóque meritò Cardinales Regibus æquiparari; ut observat Merolla, *tom. 1. disp. 1. cap. 2. n. 417.*

2. Notandum secundò, quòd Episcopus græca vox est, idem ferè apud Græcos sonans, quod apud nos speculator, sive inspector. Sic Esdra *lib. 2. cap. 11.* meminit Episcopi Levitarum, eumque indicat, qui à Summo Sacerdote constitutus, velut aliorum inspector erat. Etiam Lucas in Actis *cap* 20. dicit, Paulum advocasse Miletum majores natu Ecclesiæ Ephesinæ, qui tantùm presbyteri erant, eosque dicit Episcopos, à Spiritu Sancto positos ad regendas Ecclesias DEI. Chrysostom. *in Epist. ad Philipp.* Amb. *cap. 3. Epist. 1. ad Tim.* Hieron. *in cap. 4. Epist. ad Ephes.* dicunt, Episcopos Apostolis succedere, non quidem in Legatione, sed Episcopali dignitate, & ordine; hæc constans omnium Patrum est sententia. Unde S. Hieronymus ad Marcellam. Apud nos, „ inquit, Apostolorum locum Episcopi tenent. Principem Apostolorum Petrum à Christo fuisse ordinatum Episcopum, & ab ipso Petro Jacobum & Joannem; ab illis autem cæteros Apostolos, Veterum sententia est. Ex quibus constat, Episcopis commissum esse præcipuum Ecclesiarum regimen: nam consumato redemptionis nostræ opere, Christus Dominus ad Patrem transiturus, ita ad Apostolos loquitur. *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos.* Jo. *cap.* 20. Quibus verbis voluit, ut ea potestate, & ratione illi gubernarent Ecclesiam, qua ipse eam gubernabat, dum præsentiam suam illi exhibebat.

3. Notandum tertiò, quòd licet Cardinales, & Episcopi in pœnalibus non comprehendantur sub nomine Clericorum, ut docet Joannes Monachus, *in cap. 1. de Schism. in 6.* Barbatia, *vol. 1. consil. 23. dub. 3. num. 1.* & alij. Certum tamen est solutos non esse à legibus contentis in jure Canonico, ut sæpius fuit resolutum à Sacra Rota Romana, ut observant Doctores, quos citat, & sequitur Diana, *p. 10. tract. 2. Res. 3.* ideóque subjici legi vetanti Clericis militare, quæ quamvis pœnalis sit, est nihilominùs à parte rei favorabilis, cùm fuerit facta in favorem tum Clericorum, cùm illos à multis gravaminibus eximat; tum Animarum; nam, ut advertit D. Tho. 2. 2. *quæst. 40. art. 2.* & communiter Theologi, militia impedit Animum à contemplatione Divinorum, à laude DEI, & oratione pro populo, quæ ad officium pertinent Clericorum. Cùm igitur Cardinales, & Episcopi debeant Divina contemplari, Deum laudare, pro populo orare, censentur in hoc casu sub Clericorum nomine comprehendi.

Notandum quartò, Ecclesiasticis prohiberi pugnare solo jure Ecclesiastico, ut est plurimorum 4.
sententia, ita docet Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp.* 108. contra Gratianum, *cauf. 23. quæst. 8. cap. de Episcop.* Turrecrem. *super cap. Clerici, 50. Dist.* & alios Canonistas, qui mordicus sustinent Clericis, & Monachis illicitam esse militiam, non solùm jure Canonico, sed etiam naturali, & divino.

His notatis, ad difficultatem propositam, 5.
utrùm Summus Pontifex possit dispensare, ut Cardinales, & Episcopi possint esse Duces exercitus, respondemus affirmativè: Gordonus *in Sum. l. 6. quæst. 19. cap. 10. num. 27.* Castropalaus, *de charit. tract. 6. disp. 5 punct. 6. num. 9.* Suarez, *disp. 13. de bello, sect. 3. num. 4.* Henriq. *lib. 14. cap. 13. num. 1.* Azor. *tom. 3. lib. 2. cap. 6. quæst. 12.* Bannes, Malderus, Sylvius, cum alijs communiter contra Gratianum, *loc. cit.* Baldum Aravi. *in 2, 2. quæst. 40. art. 2. num. 8.*

Moveor primò juribus, *in cap. Proposuit, de* 6.
concess. Præbend. ubi habetur, quòd Papa solus super jus dispensat, *& cap. Conquestus, cap. Cuncta, causa 9. quæst. 3.* alijsque juribus, ex quibus colligitur, Papam habere plenitudinem potestatis condendi, & dispensandi Canones, quando dispensatio non derogat Articulis Fidei, & generali Statui Ecclesiæ, & doctrinæ novi, & veteris Testamenti, ut notat Turrecrem. *in cap. Si quis Presbyter, num. 6. 50. Dist.* ibique probans, quòd Papa in omni casu, & impedimento à jure humano, sive positivo inducto, dispensare potest: atque adeò ex juribus colligitur adesse in Pontifice jus dispensandi Cardinalibus, & Episcopis legem, quæ illis prohibet militare, & consequenter esse exercitus Duces. Quod etiam patet ex alijs juribus, ut notat Suarez, *loc. cit.*

Moveor secundò rationibus, fundatis in jure: 7.
nam Papa est super omne jus positivum, *Cap. Proposuit, de concess. præbend.* Ergo omnia potest, Bald. *in cap. Super, col. 1. de caus. poss. & propriet. allegat. l. Qua in Provincia, §. Divus, ff. de ritu nupt.* Tum quia præceptum, quod vetat Clericis militare, non est divinum, sed humanum, ut suprà notatum est. Ergo potest à Summo Pontifice dispensari.

Moveor tertiò exemplo in Joanne Carnail Hi- 8.
spano, Cardinali Sancti Angeli nuncupato, qui una cum S. Joanne Capistraneo Regulari, ad Belgradum in Mahometum Turcarum Tyrannum exercitum duxit; illumque fugavit: Apud Blondum, *lib. 3. Roma triumphantis.* Quod non potest præsumi factum fuisse absque Summi Pontificis licentia. De hoc pariter extat exemplum in Paulo Thomoreo Collicensi Episcopo, & Monacho Franciscano, qui Exercitus Ungarici adversùs Solimanum Turcarum Tyrannum Dux fuit strenuissimus. Quod habetur apud Jovium *de*

rebus

ribus Turcas. & apud Tullium Crispol. *in Casib. milit. cas.* 2. *num.* 9.

9. Concludimus igitur, posse Summum Pontificem dispensare, ut Cardinales, & Episcopi possint licitè esse in aliquo exercitu, sive terrestri, sive maritimo Duces supremi.

10. Infero primò ex dictis, nefas esse Cardinalibus, & Episcopis, Summo Pontifice inconsulto, absque Infulis, sacrisque Fascibus inter Bellantes agmina ducere loricatis; propterea tempore Caroli Magni justè populus in Concilio Wormatiensi supplicavit, inhiberi Episcopis adire bellum pugnaturis. Laurentius Laudemeter, *de vetere Clerico, lib.* 2. *cap.* 25.

11. Infero secundò, Cardinales, & Episcopos, sine Pontificis facultate pugnantes, Pontificis assistentiam, nec non Catholicorum Principum in suorum infortunijs demereri, ut expertus est Episcopus Belluacensis, qui in prælio, quod vigebat inter Anglos, & Francos, captus, rogavit Cœlestinum III. Summum Pontificem, ut apud Anglum pro sua libertate intercederet. Rex verò, missa Lorica Episcopali ad Pontificem, vide, inquit, si tunica Filij tui est, an non: Cui Papa, Nun est Filius meus, aut Ecclesiæ. Ad Regia igitur voluntatem dimittatur, quia potiùs martis, quàm Christi miles judicatur. Baron. *in Annalib. anno* 1196.

12. Infero tertiò, Summum Pontificem dispensantem Cardinalibus, & Episcopis legem de non pugnando, absque rationabili causa, licèt factum teneret, non tamen rectè facere, sed peccare, ut docet Molina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 108. Bannes, *in* 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 6. *dub.* 2. Trullen. *in Decal. tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 2. *dub.* 5. *num.* 2. & alij plures.

13. Infero quartò, Episcopos Germaniæ temporalem jurisdictionem obtinentes, posse quidem bellum indicere, exercitum conscribere, Ducem belli præfigere, arma ad pugnandum militibus dare; & ita communiter Doctores apud Molin. *tom.* 1. *de just. disput.* 108. quoniam id postulat ipsum dominium temporale, & colligitur apertè, *arg. ex cap. Episcopus, ne Clerici, vel Monachi in* 6. non verò esse exercitus Ductores, propria præsentia jus, & auctoritatem bellandi militibus præstare, sine Summi Pontificis dispensatione.

14. Infero quintò, Clericos, curam habentes alicujus Ecclesiæ, posse vocare, imò debere Principem sæcularem, qui bellum in defensionem suæ Ecclesiæ adversùs Infideles gerat. Ita S. Aug. *Epist.* 50. *ad Bonifacium*, & habetur *causa* 23. *q.* 3. *cap. Maximianus,* Maximianus, inquit, „ Episcopus Vagiensis auxilium petijt ab Imperatore Christiano contra hostes Ecclesiæ, non tam „ sui ulciscendi causa, quàm tuendæ Ecclesiæ hæreditatæ.

15. Infero sextò, Clericos, licèt per ipsos pugnare non possint sine Pontificis facultate, posse tamen suadere bellum justum, & ad illud inducere. D. Tho. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. *ad* 3. & deducitur apertè *ex cap. Igitur, & quatuor seq. causa* 23. *quæst.* 8.

16. Infero septimò, Cardinales, Episcopos pugnantes sine licentia Pontificis in bello justo, nemi-nem propria manu occidentes, peccare quidem mortaliter contra honestatem Status clericalis, non autem incurrere irregularitatem, si nulla in tali pugna sequatur interfectio, aut mutilatio: nam jura noluerunt pugnantes in bello justo esse irregulares, nisi propria manu interficiant, aut aliqua sequatur interfectio, vel mutilatio per alios milites in eodem bello pugnantes, ut habetur *in cap. Petitio tua, de homicid.* & docet Avila, *de censur. p.* 7. *disput.* 6. *sect.* 3. *dub.* 2. *conclus.* 1. Corneio, *in* 3. *par. tract.* 5. *de irregul. Dist.* 2. *quæst.* 2. *num.* 2. & alij communiter. Secus verò, si bellum erit injustum: tunc enim præbentes consilium, pecuniam, opem; licèt ipsi non occidant, communis sententia asserit, non solùm peccare mortaliter, sed etiam fieri irregulares.

17. Infero octavò, Episcopum nondum consecratum, nec in Sacris constitutum, si tamen habeat beneficium Ecclesiasticum, nullo modo posse ducere exercitum in bello justo, aut propria manu pugnare, nisi id faciat ex speciali dispensatione Summi Pontificis, vel in casu extraordinario necessitatis, in quo locum habet lex *Barbarius*, 3. *ff. de off. prætor.* Diana, *p.* 10. *tract.* 2. *Res.* 2.

18. Infero nonò, Cardinalibus, & Episcopis esse facilè concedendam à Summo Pontifice facultatem sumendi arma, ducendi exercitum, pugnandi propria manu, si bonum Religionis, & Ecclesiæ utilitas id exigat. Hoc enim Pontifices antiqui, & moderni sæpiùs concesserunt multis Cardinalibus, quos Legatos, & Vicarios suos destinarunt ad gerenda bella contra Rebelles, & Hostes Ecclesiæ, quorum exempla Cardin. Baronius, *in suis Annalibus*, passim innuuat.

19. Infero decimò, solum Pontificem posse dispensare, ut Clericus in Sacris constitutus propria manu pugnet, & pugnantibus præsit: quia in lege Superioris nihil potest inferior, nisi ex Superioris commissione; atque adeò non posse Episcopum hoc dispensare, ita tradit Bannes, 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. *dub.* 2. Azor. 3. *p. lib.* 2. *cap.* 16. Bonacina, *disp.* 2. *de restitut. quæst. ult. sect.* 1. *punct.* 10. *num.* 29. §. 4. & alij.

20. Infero undecimò obiter, ad Prælatos Ecclesiæ pertinere suadere, & hortari milites non quidem ut occidant, vulnerent, vel mutilent: hoc enim esset directè ad homicidium provocare, sed ut Ecclesiam, fidem, vel patriam liberent; & terram ab Infidelibus occupatam reducant ad Christum: & licèt hinc inde aliqui interficiantur, non est hoc Prælato imputandum. Graff. *par.* 2. *decis. lib.* 2. *de homicid. cap.* 19. *num.* 35.

21. Infero duodecimò etiam obiter, Cardinales, vel Episcopos Religiosos, si dimittant in bello, quod gerunt de licentia Pontificis, vel etiam extra bellum, habitum suæ Religionis, non incurrere excommunicationem latam, *in cap. Ne Clerici, vel Monachi in* 6. ita docet Sanchez, *in Summa, tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 54. Barbosa, *de jure Eccles. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 25. Lezan. *in qq. Canon. cap.* 17. *num.* 9. contra Pacianum, Majolum, Surdum, & alios, quos refert Diana, *p.* 5. *tract.* 2. *Resol.* 66.

22. Infero decimotertiò, Summum Pontificem posse concedere potestatem Cardinalibus, sive moria-

moriatur in bello, sive extra; testandi de rebus quæsitis intuitu Cardinalatus, quia jura, quibus prohibetur Clericis, Sacerdotibus, Episcopis, Cardinalibus, & similibus, testari de rebus quæsitis ab Ecclesia, sunt positiva. Pontifex verò super jus positivum potestatem habet. *Cap. Innotuit, de elect. Cap. Proposuit. de concess. prabend.* Et ita docet Azorius. *tom. 2. lib. 4. cap. 3. quæst. 6.* Diana, *loc. cit. Ref. 68.* quia hæc bona Cardinalibus non dantur ratione Ecclesiæ, vel beneficij Ecclesiastici, sed simpliciter ratione muneris, & officij, quo apud Pontificem funguntur: Sed in hoc standum est consuetudini Curiæ Romanæ.

23. Infero decimoquartò, Cardinales etiam non militantes habere privilegium testandi jure militari. Ita docet Albanus, *de Cardinal. quæst. 42. §. Secundò principaliter;* ubi pro sua sententia citat Baldum. Idem docet Manfredus, *de Cardinal. decis. 221.* Zachius, *de Repub. Christ. tit. 3. de Cardin. num. 9 privileg. 11.* cum Gratiano, *in disceptat. tom. 2. cap. 312. num. 11.* Germonio, *de sacra immun. lib. 3 cap. 6. num. 66.* Bag. *de S. R. E. dignitatibus. tract. 11. fol. 182.* Suntque alij affirmantes Cardinales, testantes ex facultate Pontificis, teneri servare formam juris non civilis, sed Canonici, quod duos tantùm, aut tres testes requirit in testamento; ut patet *ex cap. Cùm esses, & cap. Relatum, de testam.* Ita docet etiam Diana. *par. 5. tract. 2. Ref. 52. num. 1.*

V. DIFFICULTAS.

An Juri bellico repugnet electio Eunuchi in Ducem Exercitus.

1. NOtandum primò, appellatione Eunuchi eum venire, cui testiculi desunt, sive à natura, sive per vim: undè negligenda videtur illa distinctio inter Eunuchos, Spadones, Castratos, à Grammaticis tradita, juxta Greg. Tolos. *Syntag.* 7. dum Castratos vocant quasi castos natos, eosque Eunuchos, quasi naturaliter impotentes ad venerem, debilisque membris carentes: Spadones verò, qui inviti castrantur ab hominibus.

2. Notandum secundò, Eunuchum dici eum, qui non solùm natus est sine partibus virilibus; sed etiam qui natus est frigidus. Et iste propriè dicitur castratus, id est castè natus, id est naturaliter frigidus. Ita tradit Turrecram. *in cap. Eunuchus, num. 2. 55. Dist.*

3. Notandum tertiò, in Sacris literis. Matth. *cap. 19. num. 12.* ad ostendendum non esse difficile, quod impossibile dixit Calvinus, castitatem servare, & uxorem non ducere, tria proponi Eunuchorum genera; quorum quidam à natura, id est de matris utero sic nati sunt. Alij ab hominibus facti, sive castrati. Alij denique à seipsis, propter Regnum Cælorum, id est, qui mente, & corpore à carnis illecebris abstinent, ut Virginum Choro associentur in Cælis. Primi quidem nec peccant, nec merentur. Secundi, ut infrà dicetur, peccant, si consensu suo exsecentur. Tertij meritum habent, & præmium à DEO expectant: unde hoc tertium genus potiùs est metaphoricum, ut observat S. Chrysostom. *Hom. 63. in Matth. cap. 19.* ubi sic inquit. Quando autem dicit, qui seipsos castraverunt, non de abscissione membrorum dicit; sed pravæ cogitationis interemptionem intelligit. Nam qui membrum incidit, maledictioni subjectus est.

Notandum quartò, Eunuchum per synæresim quoque dici ratione muneris, eò quòd solebant adhiberi custodiæ cubilis regij ejusmodi homines; quos proindè neque ad masculinum, neque ad fæmininum genus pertinere asseruit Basil. *Epist. 87.* Quapropter, licèt nomen Eunuchi, quod aliqui volunt proprium alicujus fuisse, solos castratos comprehenderet aliquandò, juxta Eruditorum observationem, posteà tamen extensum fuit ad omnes, qui regiæ custodiæ, & januis palatij præficiebantur. Sic Vagao *in lib. Judith.* qui Gogoas vocatur, à Joseph. *lib. 11. Antiq.* dicitur Custos Cubiculi Holofernis. 4.

Notandum quintò, Eunuchum posse esse talem dupliciter, nempe perfectè, & imperfectè: perfectè, si utroque testiculo caret, imperfectè, si uno duntaxat. 5.

Notandum sextò, Eunuchum hominum maleficio factum, ortum habuisse, ut volunt aliqui, à Semiramide, quæ prima castravit mares; quamvis alij putent Persarum, & Medorum hoc fuisse inventum; & alij Ægyptiorum, ut cerni potest apud Amian. *lib. 14.* 6.

Notandum septimò, castrationem esse licitam, urgente aliqua necessitate corporali, ut colligitur *ex cap. Si quis à Medicis. ex cap. Eunuchus, & ex cap. Si quis pro ægritudine, 55. Dist.* unde censent aliqui castrationem non esse intrinsecè malam. 7.

His adnotatis in gratiam Curiosorum, ad difficultatem propositam, quam à nemine reperi agitatam; an Juri bellico repugnet electio Eunuchi in Ducem Exercitus, affirmativè videtur respondendum, cùm Duces exercitus debeant à militibus, alijsque amari, timeri, & in summa veneratione haberi, & Eunuchi Romanis Imperatoribus, & legibus contempti, invisi, odio habiti fuerint, & semper tales omnibus sint, ut refert Valer. Max. *lib. 7. cap. 7.* Tum quia, munus Ducis exercitus importat, seu requirit, non solùm corporis vigorem, sed etiam maximam animi capacitatem, quibus qualitatibus carere videntur Eunuchi; unde Lampridius *in Alexandro* meminit, vetitos Eunuchos à Constantino gerere Præfecturas, ac Magistratus; & infimo eos loco habuisse, prodit Athanas. *Epist. ad Solitarios*; qui prætereà observat ab officijs Ecclesiasticis arceri; quod etiam cavetur in Concil. Nicæno, *cap. 1.* & in Canonib. Apost. *cap. 21. & 22.* & queritur tanti fieri à Constantino, ut etiam ab eis judicia Ecclesiastica exercerentur; quæ pariter Nazianzeni, & Basilij fuit querela. Addit Lucianus *in Eunucho* hujusmodi homines, nempe Eunuchos debere, non solùm à Philosophia secludi, sed etiam ab omnibus cœtibus ejici: Apud Rett. Greg. Tholos. *Syntagm. jur. lib. 8. cap. 2. de personis, n. 15.* atque adeò dum Eunuchi incapaces reputantur munus Ecclesiæ exercere, quæ militia cælestis nuncupatur, neque censeri poterunt habere capaci- 8.

pacitatem munus, & quidem supremum militiæ terrenæ exercendi.

9. Veritas tamen est, Juri bellico minimè repugnare electionem Eunuchi in Ducem exercitus, si imperfectè sit Eunuchus, seu uno tantùm testiculo carens, sive à natura, sive per hominum maleficium. Gloss. *in l. Quicum, ff. de re milit.*

10. Moveor primò juribus, *in d. l. Qui cum, ff. de re milit.* ubi ex rescripto Trajani habetur, jure militare eum, qui cum uno testiculo natus est, quive amisit.

11. Moveor secundò rationibus; nam Eunuchus imperfectè, ob carentiam unius testiculi, non amittit vigorem necessarium ad bellandum, nec aptitudinem, quæ requiritur ad exercitum ducendum. Tum quia, ex Aristotele *in hist. de Animalibus*, habemus, omne animal castratione mansuescere, homine excepto, qui ferocior, utplurimum evadit: & ferocia videtur omnibus militibus competere, præsertim exercitus Ducibus, qui passim ex suo coguntur munere Bellantes ad strages, & ruinas animare, & impellere. Præterquamquòd, Eunuchi non videntur ita obnoxij quibusdam infirmitatibus, quæ munus impediunt exercere; unde sensus est Hippocrat. Galen. & Aristot. Eunuchos non evadere podagricos, nec caluescere.

12. Moveor tertiò exemplo in Sylla, & Cotta, quorum quilibet habens unum testiculum fuit Dux, ut refert Gloss. *d. l. Qui cum, ff. de re militar.* nec non, & in Narsete Eunucho obscurè, seu viliter nato, qui Justiniano Imperatore à secretis, ac regiæ gazæ Præfectus; deindè cùm Exarchatus honore, seu Princeps Copiarum factus, post Belisarium in Italiam missus, Gothos subjecit; Italiam 17. annis, tanta prudentia, justitiaque rexit, ut cùm à Sophia Augusta Justini Secundi, (qui Justiniano successerat) Conjuge per invidiam revocatus esset; Italia ab Augusta rebellare potiùs decreverit, quàm illi parendo, perpeti, ut Narses Exarchatu cederet. Fulgos. *lib. 3. cap. 4.* ex Livio, & Cæcilio.

13. Concludimus igitur, imperfectè Eunuchum, seu habentem unum tantùm testiculum, posse esse militem, & munus Ducis exercitus exercere, neque illius electionem in Ducem Juri bellico repugnare.

14. Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, quòd contempti, invisi, & odio habiti sunt perfectè Eunuchi, non imperfectè: Etetiam loquendo de perfectè Eunuchis, non est universaliter verum, ut patet in exemplo allato de Narsere, qui fuit perfectè Eunuchus.

15. Ad secundam, patet responsio ex dictis in motu secundo: præterquamquòd, docet experientia Eunuchum imperfectè habere vires, aliasque qualitates tum corporis, tum animi necessarias ad quodlibet munus cuilibet homini possibile exercendum.

16. Ad ultimam; quòd Lucianus intelligit de Eunuchis perfectè; deindè consuetudinem habet sibi contrariam.

17. Infero primò ex dictis, matrimonia Eunuchorum, qui unicum dumtaxat testiculum habent, jure, & de facto licita esse, cùm illi sint potentes ad generandum. Secus verò matrimonia perfectè Eunuchorum, seu utroque testiculo carentium; ut declaravit Sixtus Quintus in suo Motu proprio, incip. *Cùm frequenter*, edit. ann. 1587. die 7. Junij, ad Episc. Novar. Hispaniarum Nuntium misso. Et meritò, quia perfectè Eunuchi semine ad generationem efficiendam carent. Et quamvis in Scriptura legantur Eunuchi contraxisse matrimonia, intelligendum est, vel de imperfectè Eunuchis, seu unico testiculo privatis; vel de Eunuchis metaphoricè dictis, seu prout nomen Eunuchi transfertur ad significandum Ministrum Regis, vel Principis, ut tradit Sanchez, *lib. 7. de imped. matrim. disp. 92. num. 17.* post Cajet. Abul. & alios.

Infero secundò, Eunuchos præsertim perfectè esse libidini addictissimos; undè Galligonus Eunuchus Valentiniani junioris gladio fuit punitus ob vim meretrici illatam, teste, S. August. *lib. 6. contra Julian. cap. 14.* Ideòque Sacra Scriptura optimè rabiem, furoremque libidinis in Eunucho expressit, vocans Spadonem generatione, vocabulo complectente thlibias, & thlasias, de quibus Ægineta, *lib. 6. cap. 68.* Liber Deuter. *cap. 21.* Levit. *cap. 22.* 18.

Infero tertiò, ab Eunuchis fidem, seu fidelitatem constanter servari: undè olim Spadonibus credebatur custodia matronarum, & virginum regiarum, erantque Præfecti Gynecæi, ut colligitur *ex lib. Ester.* Est olim apud Asiaticos in magno honore castrati erant, nec non & apud barbaras Nationes, Turcas, qui eos Chaldos, vel Haldos appellant. Cyrus quoque in tanto pretio Eunuchos habuit, ut ijsdem ceu fidissimis vitæ suæ, & fortunarum commiserit custodiam, & tamen. Propterea mirum non est, si à Regibus Eunuchi copiarum, & exercituum Duces dati fuerint, teste Jetem. *Cap. 38. & 52.* Moys. Gen. *cap. 39. & 40.* 19.

Infero quartò, Eunuchos, seu castratos propter infirmitatem à Medicis, vel à Barbaris, vel à Dominis, aut Inimicis, posse ad Ordines sacros promoveri, & etiam ad Episcopatum. Secus verò, si à seipsis in sanitate existentibus; ut etiam habetur clarè ex Tex. *In cap. Si quis à medicis, cap. Eunuchus, & cap. Si quis pro agritudine, & alijs Capit. dist. 55.* 20.

Infero quintò incidenter, quòd non debet timere Sacerdos Eunuchus, seu castratus, secundùm vulgarem opinionem, si non portat secum virilia quoquo modo, videlicet, vel sicca, vel in pulverem redacta. Hæc Turrecrem. in *d. cap. Eunuchus, 55. Dist.* 21.

Infero sextò, posse ordinari abscindentem sibi virilia causa infirmitatis, de qua aliter liberari non potest; dummodò ipsemet sit in tali arte peritus, & debitam cautelam adhibeat. Secus verò, si intuitu castitatis servandæ, aut ex indignatione; & habetur *ex cap. Maritum, dist. 33. & Cap. Hi qui, dist. 55.* & ibi Turrecrem. alijque Doctores. 22.

Infero septimò, nemini licere se castrare ad reprimendum motus carnales, seu ad vitandas concupiscentias; & habetur ex allegatis Canonibus; quia homo potest per liberum arbitrium refræna- 23.

re

re carnis motum, juxta illud Gen. *cap. 4. num. 7. Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.*

24. Infero octavò, minimè licere Parentibus castrare filios ad conservandam vocem, quia Dominium nostri corporis, vel partis ejuidem, ast penes Conditorem non apud nos, aut parentes nostros: nec vox est bonum tanti momenti, ut possit procurari periculo corporis, & Animæ. Animæ, inquam, quia castrati ut plurimùm ardantiùs libidine inflammantur, & impatientissimè ad concubitum feruntur, ut notat D. Basil. *tract. de vera Virginit.* Corporis verò, quia vita corporalis facilè potest in castratione amitti, non obstante Castrantium peritia: unde qui seipsum castrat, est sui homicida, ut habetur ex præfatis Canon. Et jure civili puniuntur capitali supplicio, perindè ac homicidæ, qui alios castrant, *l. 1. Cod. de Eunuchis, & l. Cornelia; §. Planè .ff. ad l. Cornel. de Sic. & ead. l. §. Constitutum.* Unde meritò docent, non licere Parentibus pro conservatione vocis castrare filios. Turrecrem. *in d. Cap. Si quis à medicis. Dist. 55.* Præpositus ibid. *num.* 1. Laym. *lib. 3. Theol. moral. tract. 3. part. 3. cap. 1. ass. 1.* Taner. 2. 2. *disp. 4. quæst. 8. dub. 5. num.* 101. Megal. *tom. 2. Prompt. verb. Eunuchus, num.* 2. Bonac. *disp. 7. de censuris, quæst. 2. punct. 2 num. 34.* Lezana, *in Summ. verb. Homicidium, num. 4. & verb. Irregularitas, num. 75.* Thesaur. *part. 2. Praxis, verb. Membrorum mutilatio, cap. 1. §. Amplia secundò.* Diana, *p. 3. tr. 5. Ref. 38. & part. 6. tract. 8.* Miscellan. *Ref. 35. & in alia edit. 36.* Contrarium tenet, & mordicùs defendit Pasqualigus, *in qq. moral. Canon. q. 100. num. 1. & in decis. moral. decis. 438. à num. 3.* & alios pro se recenset; quorum fundamentum est, quia vox est quoddam bonum corporis magni ex natura sua faciendum, & sic successivè pluribus membris præferendum. Hæc dixi cum aliqua prolixitate, præter morem nostrum, ut Curiosis circa hanc materiam certantibus, pacem aliquo modo inferam, dum ago de bello; Bellum enim est propter pacem.

VI. DIFFICULTAS.

An Duces belli debeant regere Exercitum lenitate, & benevolentia, an severitate.

1. NOtandum est primò, lenitatem, seu mansuetudinem, ut vult Aristoteles, *lib. 4. Ethic.* esse mediocritatem circa iram, vel virtutem irarum moderatricem, vel depressionem, atque sedationem iræ secundùm eundem Aristot. *lib. 2. Nicomachiorum, cap. 7. & lib. 1. moral. cap. 21. & Libell. de Virtutibus, verb. Mansuetudo.* Secundum verò Glossam, *in cap. 5.* Matth. explicantem illud: *Beati mites,* mansuetudinem esse dulcedinem animi, quam non vincit amaritudo: moderatur enim mansuetudo iram, subjiciens rationi appetitum inferiorem; ita ut etiam oblatis, quæ irritarent, in iram non prorumperet.

2. Notandum secundò; quòd severitas definitur inflexibilis animi rigor, nihil de merita, vel statuta pœna remittens. Ita ex D. Thom. 2. 2. *quæst. 157. art. 2. ad primum;* ubi sic. „Nam severitas inflexibilis est circa inflictionem pœnarum, „quando hoc recta ratio requirit. Non est autem idem, quod crudelitas, quæ sonat atrocitatem animi in exigendis pœnis: estque vitium oppositum clementiæ.

3. His adnotatis, ad difficultatem propositam, num Duces belli debeant exercitum regere lenitate, seu mansuetudine; & benevolentia, an severitate; respondeo, duas esse sententias inter se oppositas; alteram, quæ affirmat exercitum esse severitate regendum; alteram, quæ exercitum vult omnino duci lenitate, & benevolentia.

4. Sententia docens belli Duces severitatem in exercitu regendo, huic videtur initi fundamento, quia in bello, sive militia, omne erratum capitale est propter publicum periculum; itaquam sententiam nonnulla refert. Valer. Max. *lib. 2. cap. 2.* & Lamprid. *in Alex. Severo.* De Aurelian Imperatore constat, quòd tam fuerit severus in disciplina militari; ut Tribuno suo scripserit; si vivere vellet, manus militum contineret, & quisque sua annona contentus viveret.

5. Huic sententiæ consentit Tacitus *in Ottone*, dicens in Ducibus belli necessariam fore auctoritatem ad comparandas præclaras victorias; & auctoritatem ad comparandas præclaras victorias; & auctoritatem mirum in modum severitate acquiri; Unde Vegat. *de re milit. lib. 3. c. 10.* Ducem hortatur à severitate sumere auctoritatem, dicens. „Omnes culpas militares legibus vendicet; nulli errantium credatur ignoscere. „

6. Non dissimilis videtur sensus Ferdinandi Dual, apud Jovium in ejus vita, admonens, ut Dux, ad auctoritatem sibi comparandam, coerceat milites, ut piùs ipse ab iisdem timeatur, quàm hostis; & reverà facilior non adest ad ipsam aditus; nam, cùm duobus potissimùm affectibus moveantur homines, amore, scilicèt, & timore, sæpè accidere videmus ei, qui timetur, quàm qui amatur, majora à subjectis, cæterisque obsequia præstari; ideóque faciliùs posse Ducem, qui à militibus, ob ejus severitatem timetur, victoriam, & pacem, quæ finis est belli, obtinere.

7. Adderem ego in confirmationem hujus sententiæ, quòd cum in effectu militiæ nervus sit obedientia. Agal. *de jur. & offic. bell. & disciplin. militar. lib. 3. cap. 2. de offic. leg. Tribun. & aliorum, & cap. 10. de contum. & Ducum edict. non parent.* Decian. *tract. criminal. lib. 7. cap. 15. num. 45. & cap. 12. num. 2.* Et in omnibus, ut, inquit D. Thom. 2. 2. *quæst. 104. art. 6,* nisi inferiores Superioribus obediant, non possit rerum humanarum status conservari, præsertim in militià, cujus malum majus arbitror esse inobedientiam. Profectò, huic malo quo modo Dux obviabit? Amore? nequaquam. Amor enim ligat quidem, sed facili negotio frangi potest hoc ligamen ab amantibus proprium interesse, quales esse solent milites, ut notat Lanc. *in sua disciplina militari.* Ergo timore; cùm timor efficacior existimetur, ne in pœnam incurratur, errori cuilibet ordinatam: ergo adhibenda est severitas, quæ parere solet timorem. Unde Herennius

Mode-

Modestinus eum, qui in bello rem à Duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit, capite puniri voluit, etiamsi res prosperè cesserit; & idcirco laudatur Manlius Torquatus, qui cùm esset Consul, filium ab eo speculatum hostes missum, ea lege ne pugnaret, securi percussit, quòd hostem, à quo tamen provocatus fuerat, occidisset.

8. Altera sententia oppositum omninò sentit, regendum nempè humanitate potiùs, quàm severitate exercitum esse; cujus fundamentum experientia videtur esse, nam faciliùs, inquiunt ejus Sectatores, humano sub imperio, quàm severo, milites militarem artem ediscunt, & exercent; teste Valerio Corvino Imperatore, qui admirabili mansuetudine suas copias regens, adeò militum corda sibi captavit, ut eos ad libitum in medios hostes deduceret. Ita Livius, 1. *decad. lib.* 7. & hinc tot ejus præclari ex tot gentibus triumphi promanarunt. Cotor. *lib.* 3. *de re militar. in proœm.*

9. Aliud fundamentum hujus sententiæ videtur pariter in experientia fundari, cùm non parva damna ex nimia Ducum asperitate evenerint tum Reipublicæ, tum ipsismet Ducibus: Reipublicæ quidem ostendit exemplum Appij Claudij, qui severe in milites se gerens, Romanum exercitum in maximum adduxit discrimen. Livius, 1. *decad. lib.* 2. Ducibus quoque, qui non raro, ob nimiam severitatem, aut deseruntur à militibus, aut occiduntur, ut accidit Quintilio Varo, & traditur à Dione *in Augusto.*

10. Adderem ego, hominem ex sui naturâ exigere regi, & gubernari humanitate; adjuncta natura temporis, quæ severum agendi modum exposcere non videtur, sed omnino humanum; exemplo Cæsaris, qui veteranis Copiis Gallorum imperio debellato; cùm certum ampliùs prælium non aspiceret, militarem severitatem in amicam humanitatem commutavit; adeò ut dicere solitus esset, milites suos etiam unguentatos benè pugnare posse. Sueton. Jul. *cap.* 68. Meritò ergo Vegetius, *de re militar. lib.* 2. exclamavit. O quàm „ laudabiliores sic Duces existunt, quorum exer„ citus ad modestiam humanitas, & labor insti„ tuit, quàm illi, quorum milites ad obedien„ tiam suppliciorum formido compellit!

11. Nos verò inter has duas sententias, ut evitemus extrema, quæ semper vitiosa habentur, mediam ponimus, censentes; temperandam rem esse à belli Ducibus, cæterisque Imperantibus, severitatem nempè miscendam esse lenitati, & benevolentiæ; & benevolentiam severitati. Ita videtur expressè sentire S. Gregorius Nazianzenus, *in Oratione de moderatione in disputationibus habenda*, ubi modum præscribit proximum corrigendi. S. Leo, *Epist.* 84. *ad Anastasium Thessalonicensem, Episcopum*, *cap.* 1. ubi ait. Plùs erga corrigentem agat benevolentia, quàm severitas, plùs cohortatio, quàm commotio, plùs charitas, quàm potestas. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 45. *art.* 2. S. Greg. *lib.* 20. *moral. in Job. cap.* 29.

12. Moveor primò ex Sacra Scriptura. Proverb. 13. & 23. Eccles. 33. Ephes. *cap.* 6. ubi severitas moderata in subditos commendatur Majoribus.

Moveor secundò juribus, *arg. in lib. Si filius, Cod. de patria potestate*; ubi præscribitur modus potestati, & auctoritati patris in filios, qui valere potest in Duce belli erga suos milites. 13.

Moveor tertiò rationibus, nam nimia severitas excitare solet odium, quemadmodùm & nimia lenitas contemptum. Ergo miscenda est severitati lenitas, ita ut belli Ducem moderata severitas, & lenitas regat, ut Dux possit fæliciter exercitum ducere. Tum quia, de omnibus facultatibus militat illud commune dictum: *In medio consistit virtus*: ergo etiam de re militari, præcipuè apud Ducem, cùm Dux teneatur, ut alibi demonstratum est, esse virtuosus. 14.

Moveor quartò exemplo nostri temporis, in Nicolao Catinat, magnanimo Marescallo, Gallicarum Copiarum Locumtenente Generali, nec non Civitatis, ac Provinciæ Luxamburgensis Gubernatore, qui dum potentissimi, & admirandi Galliæ Regis exercitus in Italia Dux esset ab anno 1690. usque ad annum 1696. in quo pax inter Ludovicum XIV. & Victorium Amedeum Sabaudiæ Ducem, summo cum totius penè Orbis applausu firmata fuit, sic moderatè tam in severitate, quàm in lenitate, ac benevolentia erga suos milites se gessit, ut militum animos sibi captatos, eos ad libitum in medios hostes deducendo, plures victorias reportaverit. 15.

Concludimus igitur, moderatam severitatem, moderatam lenitatem fore adhibendam à belli Ducibus in milites regandos, ut faciliori via ad finem belli perveniant, qui est victoria, & pax. 16.

Infero primò ex dictis, summam in certis casibus severitatem à Duce belli in milites exerceri posse; ut putà, quando ex defectu in militibus obedientiæ, grave Reipublicæ malum Dux probabiliter oriturum judicaret: Quapropter Præscenius Niger Dux non videtur damnandus, si nimiam severitatem ostenderit, damnando capite integram Decuriam, quæ gallum gallinaceum cuidam Rustico abstulerat, & sanè damnatio habuisset executionem, nisi Dux ab hospite exoratus eis veniam tribuisset, dummodò Rustico de pretio decem gallorum satisfecisset. 17.

Infero secundò obiter, licitum esse Patribus verberare filios, & Dominis servos, & aliis curam aliorum habentibus, disciplinæ causa, moderatè tamen, non verò ijs esse licitum, vulnerare, occidere, vel mutilare. Ita D. Thom. apud Valentiam, *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 9. *de mutilat. membr. punct. unic.* 18.

Infero tertiò, omnes teneri corrigere moderatè delinquentem; at Prælati, & Superiores respectu subditorum, Patres, respectu filiorum, Maritus respectu uxoris, Tutor respectu minoris, Dominus respectu mancipij, arctiori vinculo tenentur, ut constat *ex cap. Quamvis causa, de reg. jur. in* 6. & tradit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 3. *ad* 1. & ita communiter. 19.

Infero quartò, licitum esse uti lenitate, in non corrigendo statim aliquem peccantem, ut fructuosiùs alio tempore corripiatur; Sic enim negotium proximi agitur, ejusque utilitati prospicitur. Ita Castropalaus, *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 3. *punct.* 6. *num.* 7. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 28. *cap.* 6. *num.* 20.

num. 239. Sanchez, *in Opusc. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *dub.* 1. *num.* 7. Diana, *p.* 7. *tract.* 3. *Resol.* 29. & alij.

21. Infero quintò, in admonitione, seu correctione attendendam esse opportunitatem temporis, id est, quòd frater eo tempore corripiatur, quo credimus illum ex nostra correptione non ampliùs peccaturum. Unde, quando creditur adfutura major opportunitas, vel speratur major utilitas, licet, imò expedit differre correptionem. Diana, *part.* 7. *tract.* 3. *Res.* 30. Et ita exigit non solùm lenitas, sed etiam prudentia.

22. Infero sextò, magis esse exercendam severitatem, quàm lenitatem in Ministros, & Præfectos justitiæ, præsertim in illos, qui muneribus jus pervertunt, & venale habent, quàm in alios, ut videre est apud Val. Max. *lib.* 6. *cap.* 3. Et denique in illos, circa quos id magis expediens judicatur, vel ad emendationem delinquentia, vel ad publicam disciplinam sanciendam.

VII. DIFFICULTAS.

An quando Dux est excommunicatus vitandus, possit cum illo miles communicare in bello.

1. NOtandum primò, excommunicationem componi ab ex, & communio: unde idem esse excommunicationem, ac extra communionem, quia homo per excommunicationem separatur à consortio, sermone, & consilio Fidelium; ut Covarr. *in cap. Alma mater*, 1. *p. init. num.* 1. Leander, *p.* 4. *tract.* 2. *de excomm. disp.* 1. *q.* 1. vel quia separatur à participatione Sacramentorum, seu Eucharistiæ, quæ antonomasticè dicitur Communio, seu Synaxia, juxta D. Dionys. *de Eccles. Hierarch. cap.* 3.

2. Notandum secundò, excommunicationem esse censuram Ecclesiasticam; qua homo baptizatus privatur aliquibus spiritualibus bonis, videlicèt, consortio Fidelium, participatione Sacramentorum, & communibus Ecclesiæ suffragijs: Ita communiter DD. seu, ut breviùs dicam, per quam quis privatur communione Ecclesiæ.

3. Notandum tertiò, excommunicationem esse duplicem, minorem scilicèt, quæ tantùm privat usu passivo, seu receptione Sacramentorum; & majorem, quæ etiam dicitur Anathema, ac in jure ferè semper nomine excommunicationis intelligitur, privatque omni communione Ecclesiastica. Covarr. *in Comment. Const. Alma mater*, *par.* 1. *in princ.* Intrigliol. *in tract. de Casib. consc. cas.* 75. *num.* 1. & 2. ubi citat, & sequitur plures alios. Major non incurritur, nisi ob mortale peccatum. Minor verò aliquandò ob veniale. Quando excommunicatio fertur absque restrictione majoris, vel minoris, intelligitur de majori, quæ simpliciter, & absolutè dicitur excommunicatio.

4. Notandum quartò, excommunicationem dividi in comminatoriam, seu ferendæ sententiæ, & in excommunicationem ipso facto, seu latæ sententiæ. Item dividi in excommunicationem latam à jure, & latam ab homine; & hanc, seu excommunicationem ab homine, aliam esse per sententiam generalem, aliam per sententiam particularem, ut notant communiter DD. de censuris tractantes.

Notandum quintò, ligatum excommunicatione majori esse duplicem, toleratum, quem Fideles non tenentur vitare; non toleratum, seu vitandum, quem tenentur vitare. 5.

Notandum sextò, illum dici excommunicatum non toleratum, seu vitandum, qui est nominatim denunciatus excommunicatus; aut publicus percussor Clerici, juxta Can. *Si quis suadente diabolo*, *caus.* 17. *quest.* 4. ante denunciationem autem non dici vitandum, etiam si publicè constet de excommunicatione ab ipso contracta. 6.

Notandum septimò, excommunicationem posse dici remedium medicinale, & mortale, inspecto fine: Medicinale, si excommunicatus resipuerit: Mortale, si eam contempserit. Covarr. *in cap. Const. Alma mater*, *par.* 1. *in princ.* *sub num.* 9. Abbas, *in cap. Si quem*, *num.* 3. *extra*, *de sent. excom.* 7.

Hisadnotatis, ad difficultatem propositam; an quando Dux est excommunicatus vitandus, possit cum illo miles communicare in bello, eumque in bello justo sequi, & tueri; videtur negativè respondendum; cùm excommunicatus sit ab alijs Fidelibus vitandus jure divino; nec ei sit communicandum, hospitalitate, familiari colloquio, vel salutatione per nuncium, vel epistolam, si sit nominatim denunciatus excommunicatus. 1. ad Cor. *c.* 5. Matth. *cap.* 18. *cap. Excommunicatos*, *causa*, 11. *quest.* 3. *cap. Nuper*, *extra*, *de sent. excomm. cap* 2. *extra*, *de except. cap. Ad mensam*, *caus.* 11. *quest.* 3. Covarr. *in cap. Const. Alma mater*, *par.* 1. *sub. num.* 1. Major. *in* 4. *sent. Dist.* 18. *quest.* 4. & alij plures. Ideòque, si Dux est excommunicatus, vitandus, non videtur miles cum illo posse communicare. 8.

Veritas tamen est, posse militem cum suo Duce, licèt excommunicato vitando communicare in bello justo, eumque sequi, & defendere. Sylv. *verb. Excommunicatio*, 5. *num.* 4. Sayr. *lib.* 2. *de excomm. cap.* 14. *num.* 19. ubi alios refert. Bonac. *disp.* 2. *de excommunic. quest.* 2. *punct.* 6. §. 2. *num.* 27. Cornelo, *disp.* 10. *de excommunic.* §. 10. *dub.* 3. *difficult.* 2. Castropalaus, *de censur. disp.* 2. *punct.* 19. *num.* 19. Leander, *de excommunic. disp.* 5. *quest.* 44. & alij. 9.

Moveor primò juribus, *in cap. Julianus*, *causa* 11. *quest.* 3. ibi Gloss. *verb. Julianus. cap. Si verò*, *de sentent. excomm.* & *cap. Quoniam multos*, *causa* 11. *quest.* 3. ex quibus deducitur; licitam esse communicationem cum excommunicato denunciato in quinque casibus, quos Doctores comprehendunt hoc versu. 10.

Utile, lex, humile, res ignorata necesse.

Et sub hoc nomine *humile*, comprehenduntur Servi, Milites, ut notant Doctores, præcipuè Castropalaus, *loc. cit.*

Moveor secundò ratione, quia milites sunt verè famuli, & Duci subjecti, ut advertit Sylv. *loc. cit.* Ergo possunt suo Duci in bello communicare. 11.

Con-

Consequentia probatur *ex cap. Inter alia, de sententi. excomm.* ubi Innocentius III. concedit famulis communicationem cum suis Dominis excommunicatis, si ante excommunicationem subjectionem contraxerunt, ut optimè advertit Castropalaus, *loc. cit. num. 15.*

12. Moveor tertiò exemplo, in quodam Duce Germanico, qui nostris temporibus fuit hic in Italia, ob violatam Immunitatem Ecclesiasticam, excommunicatus, & quidem nominatim denunciatus; & ejus milites cum ipso communicabant in bello sine ullo scrupulo, & sine Capellanorum exercitus correctione, & Theologorum censura.

13. Concludimus igitur, licitam esse communicationem militum cum eorum Duce excommunicato vitando in bello, si justum est.

14. Ad jura relata in contrarium, respondemus, hæc derogari à Pontifice, *in cap. Inter alia, de sentent. excomm.* ubi concedit famulis communicationem cum suis Dominis excommunicatis, & sic ruere Doctorum auctoritates nobis contrarias.

15. Infero primò ex dictis, à prohibitione communicationis cum excommunicato vitando eximi varias personas, ut sunt filij respectu parentum; filij, inquam, tam legitimi, quàm naturales, & adoptivi, dummodò sint sub potestate parentum, vel eorum Commensales: item nepotes, & pronepotes, affines, uti gener, nurus, privignus, & privigna, pupilli, & minores comparatione Tutoris, & Curatoris. Quando tamen manent in eadem domo suorum correlativorum, vel sub cura eorumdem; quia hos omnes excusat *humile*, id est humilitas subjectionis; cum nomine filij in hac concessione favorabili intelligantur, juxta *leg. Filij. leg. Liberorum, ff. de verbor. signif. & leg. Adoptivum. ff. de in jus vocando.* Et docet Sayt. *de excomm. lib. 2. cap. 14. num. 10.* Bonacin. *disp. 2. de excomm. quæst. 2. punct. 6. §. 2. num. 29. & 33.* Suar. *disput. 5. sect. 5. à num. 3.*

16. Infero secundò, licitum esse viro non excommunicato, in humanis communicare cum uxore nominatim excommunicata, eodem modo quò licet uxori non excommunicatæ cum viro nominatim excommunicato: quia uxor, & vir sunt correlativa; correlativorum verò eadem est ratio: ideóque quidquid disponitur de uno, intelligitur disponi de alio, *l. fin. Cod. de indict. viduit. & l. fin. ff. de accept.* Dispositum autem est, uxorem non solùm posse, sed teneri communicare cum viro excommunicato, ac si non esset excommunicatus. Ita declaravit Innoc. III. *cap. Inter alia, de sent. excomm.* explicans, *cap. Quoniam multos, causa 11. quæst. 3.* Non licere viro communicare cum uxore nominatim excommunicata, nisi solùm in debito conjugali, putant plures Doctores apud Leand. *tract. 2. de excomm. disp. 15. quæst. 22.* Verùm tamen est, licitum non esse viro non excommunicato communicare cum uxore nominatim excommunicata, nec uxori non excommunicatæ cum viro nominatim excommunicato in his, propter quæ inflicta est excommunicatio; quia communicare in crimine nulli licet. *cap. Inter, de sent. excomm.*

17. Infero tertiò, non licere filijs spiritualibus communicare cum Patribus spiritualibus excommunicatis vitandis. Suarez. Filliuc. quos citat & sequitur Leander, *Tract. 2. disp. 15. quæst. 34.* quia hi non veniunt nomine filiorum, de quibus loquitur Tex. *in cap. Quoniam multos, causa 11. quæst. 3.*

18. Infero quartò, licere Religiosis cum suis Superioribus excommunicatis vitandis communicare. Ratio est, quia strictiùs quàm famuli subjecti sunt illis, neque ab ea subjectione recedere valent. Ita docet Sayt. *lib. 2. cap. 14. num. 18.* Suarez, *disp. 15. sect. 7. num. 2.* Bonac. *disp. 2. de excomm. quæst. 2. punct. 6. §. 1. num. 26.* & est communis contra Richard. *in 4. d. 18. art. 11. q. 5.* Paludan. *quæst. 6. art. 2.* Astens. *in Sum. p. 2. lib. 7. tit. 12. q. 13.*

19. Infero quintò, licere parenti cum filijs, Domino cum servis, Superiori cum suis subditis excommunicatis vitandis communicationem habere. Ita communiter Doctores, quos citat, & sequitur Castropalaus, *de Censur. disp. 2. punct. 19. num. 21.* & non solùm in humanis, sed etiam in divinis: nam permittitur inferioribus, & subditis communicare cum suis Superioribus excommunicatis ad vitandum Animæ periculum, quod esset in negatione, seu prohibitione communicationis: quæ ratio æquè militat de Superioribus respectu subditorum, quia correlativorum eadem est ratio.

20. Infero sextò, licere Clericis, qui sunt in actuali famulatu Episcopi excommunicati, cum eo communicare, non verò ijs, qui extra ejus familiam commorantur: quod colligitur *ex cap. Miratus, 93. Dist. & cap. ult. de exceptionib. Prælator.* Et docet Sylv. *verb. Excommunicatio, 8. num. 4.* Henriq. *lib. 13. cap. 22. num. 3.* Avila, Suarez, & alij.

21. Infero septimò, licere cuique communicare excommunicatis ad eorum correctionem, & salutem, eos avertendo à prava, & pessima contumacia, reducendo ad Ecclesiæ gremium. Covarr. *in cap. d. Const. Alma mater, par. 1. §. 1. num. 11. circa finem.* Intrigliol. *Tract. de Casib. cons. cas. 77. num. 19.*

22. Infero octavò, neminem teneri se abstinere à communicatione cum excommunicatis, nisi ei constet moraliter esse excommunicatum vitandum: quam certitudinem moralem præstat fama publica à viris fide dignis orta, uti docent Covarr. Sanchez, & alij apud Castropalaum, *de Censur. disp. 2. punct. 19. num. 26.* & colligitur *ex cap. Cùm desideres, de sent. excomm.* Et ratio est, quia stante dubio de excommunicatione, & denunciatione, inique judicatur, illum esse excommunicatum; ut notat Layman. *lib. 1. Sum. tract. 5. p. 2. cap. 2.* Suarez, *disp. 15. sect. 3. num. 4.* Sanch. *lib. 1. in Decal. num. 69.* & alij.

23. Infero nonò obiter, licèt dicatur Excommunicamus Titium, v. g. incendiarium, & ejus complices, solum Titium esse vitandum, non verò alios, & si sint notorij: quia sententia quoad illos est tantùm generalis, & non specialis contra certam personam: seu ut clariùs dicam, quia fautores, seu complices non sunt nominatim denunciati.

24. Infero decimò etiam obiter, si quis citetur sub excommunicatione ipso facto, nisi compareat, non esse vitandum, quamvis non compareat; quia nondum est denunciatus. Bonacin. *in Sum. verb. Excommunicatio, de eff. excommun. num. 7.*

25. Infero undecimò pariter incidenter, licèt excommunicatus moriatur cum signis pœnitentiæ, & contritionis in judicio interiori; & apud Deum absolutus credatur; in foro exteriori esse impetrandam absolutionem ab eo, qui eum vivum à jure absolvere potuisset. Covarr. *in cap. Conft. Alma mater, par. 1. §. 11. num. 8. cap. A nobis, il secundo; extra, de sent. excomm.* Et hanc declarationem ab Ecclesia militanti faciendam putant Doctores; ut possit prodesse quoad actus, & effectus, per vivos erga ipsos mortuos agendos. Alphon. à Castro, *lib. 2. de just. hæret. punit. c. 20.* Intrigliol. *Tract. de Casib. conf. cas. 80. num. 97.* ubi citat, & sequitur alios.

VIII. DIFFICULTAS.

An tempore belli liceat diebus festivis, & non festivis celebrare Missam pro Ducibus in Castris, & suis Tentorijs.

1. NOtandum est primò, nomen Missæ non deduci à voce Hebræa, *Muchusim*, quæ Dan. 11. significat idolum Antichristi, ut perfidè, & malitiosè interpretantur Lutherani, asserentes, Missam esse idolum Papæ Romani: neque desumi à voce Latina, *dimittere*, seu dimissione populi, quæ fit à Discono, completa Missa, quando dicit: *Ite Missa est*, ut vult Famelius, *in Tertull. lib. de Orat. num. 1.* aut dimissione Catechumenorum, & Energumenorum, explicato Evangelio per Episcopum; juxta Concilium Laodicenum, ut aliqui desumunt ex D. Dionys. *cap. 3. de Ecclesiast. Hierarch.* & D. Greg. *lib. 2. Dialog. cap. 13.* Pasqualig. *tom. 1. de Sacrific. nova legis, quæst. 1. num. 5.* Sed deduci nomen, *Missa*, à voce Hebræa, *Missah*, quæ Deuteron. significat oblationem. Ita Concilium Sennonense in decretis fidei, *cap. 11.* Canus celeberrimus, *lib. 12. de locis Theolog. cap. 13. §. Præterea.* Melchisedech, Petrus Bullinger. *lib. 4. de Sacrific. Altar.* Jo. Faber, *lib. 1. de Missa Evangel. Cap. 1.* & alij.

2. Notandum secundò, nomine Castrorum intelligi quemcumque locum, in quo moretur exercitus extra Civitates, & Oppida, ut notat Pasqualigus, *tom. 1. de Sacrific. nova legis, tract. 1. quæst. 467. num. 2.* & pro tentorijs intelligi quædam tecta frondibus, aut stragulis operta, quæ à militibus solent adversùs solis, tempestatisque injuriam excitari.

3. Notandum tertiò, duplicem esse necessitatem celebrandi extra Loca deputata, absolutam, scilicèt, quæ nunquam, aut rarissimè potest intervenire; moralem, quæ fundatur in exigentia devotionis Fidelium, ut notat Pasq. *in Decis. moral. de celebrat. Miss. decis. 167. num. 2.*

4. Notandum quartò, Sacerdotem teneri celebrare in Ecclesijs ab Episcopo consecratis. *Cap. 1. cap. Sicut. cap. Nullus, de Consecrat. Dist. 1.* vel benedictis; & ita videtur esse usus Ecclesiæ, ut notat Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 42. num. 1.* Præterea in Altari consecrato, lapideo, integro, non enormiter fracto. *Cap. Altaria. cap. Placuit, de Consecr. Dist. 1. cap. Quod in dubijs, de Consecr. Eccles.* cum duabus pallis, & alijs ornamentis, ut notat Graff. *loc. cit.*

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an tempore belli possint licitè diebus festivis, & non festivis Generales, & alij primarij Duces militum facere celebrare Missam in Castris, & in suis Tentorijs, negativè respondet Diana, *p. 9. tract. 1. Res. 44. cas. 2.* cùm Episcopi non audeant hujusmodi licentiam concedere ad evitandam gravem Sacræ Congregationis reprehensionem, nec aliquis Vir doctus inveniatur, qui casum hunc admittat; nec liceat celebrare extra Ecclesiam, nisi in casu magnæ necessitatis. 5.

Verùm parti affirmativæ, quam probabiliorem puto, libenter adhæreo, si Duces exercitus cum suis militibus vivere velint Christiano modo, & ea agere, quæ veri Fideles agere debent in ordine ad æternam salutem. Ita Palud. *in 4. Dist. 19. quæst. 2. art. 3. conclus. 1.* D. Antonin. *3. p. tit. 13. cap. 6. §. 4.* Sylv. *verb. Missa, 1. quæst. 5.* Raymond. *lib. 3. tit. de Sacram. iteran. §. 12.* Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 42. num. 10.* & alij plures, fortassè innixi, *cap. Concedimus, de Consec. Dist. 1.* ubi hæc: In itinere verò positis, si Ecclesia defuerit sub dio, seu in tentorijs, si tabula altaris consecrata, cæteraque sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi adfuerint, Missarum solemnia celebrare concedimus. Idemque ibi Gloss. *ver. Permittimus.* 6.

Moveor primò jure communi, quod dat facultatem celebrandi extra Loca deputata, urgente necessitate. *Cap. Sicut non alij, d. cap. Concedimus, de Consecr. Dist. 1.* qui Canones licèt non fuerint sanciti authoritate Pontificis, aut Concilij universalis; consuetudine tamen, interpretante Ecclesia, illos acceptat, tamquàm vim legis habentes, cùm fundentur in recta ratione, & contineant aliquid, quod bonum Communitatis concernit: ideóque sive adsit Episcopi licentia, sive non, possunt Generales, & alij primarij Ductores militum, diebus non festivis, facere in Castris, & suis Tentorijs celebrare Missam; quia ferè semper adest moralis necessitas; nam inter milites, vel semper adsunt qui communionem sumere volunt, ut succedente morte, sint parati; vel adest occasio utendi armis contra hostes, aut aggrediendi situm aliquem periculosum; aut impediendi inimicis locum tentandum. 7.

Moveor secundò rationibus. Nam ad Duces pertinet cura militum; ideòque tenentur procurare, quantùm possunt, conservationem ipsorum, & adhibere illa media, quæ necessaria censentur, quorum præcipuum est placatio iræ divinæ, & imploratio cælestis auxilij; DEUS verò non potest securiùs placari, & auxilium divinum faciliùs obtineri, quàm per Sacrificium Missæ, in quo offertur Filius DEI Salvator noster, Dominus noster JEsus Christus, quæ est Oblatio oblationum; 8.

lationum, ac proinde nomen *Missa*, putamus à voce Hebræa *Missah* deduci, quæ significat oblationem. Tum quia, Milites, quando castrametati sunt propè hostem, aut obsident aliquam Arcem, aut Civitatem, aut in aliquo loco obsidentur ab hostibus, sunt in occasione proxima pugnandi, quæ semper de momento in momentum expectari potest, ac proinde sunt in periculo mortis, ut tradit Gloss. *in cap. Pastoralis, verb. Præterquam, de offic. ordin.* & communiter DD. siquidem expositi sunt, ut ab hoste interficiantur; & nemo scit, an sit futurus ex illis qui non occidentur. Ergo se gerere debent tanquam existentes in periculo mortis. Ergo se præparare debent, non solùm confitendo peccata, sed etiam sumendo Eucharistiam: quæ causa videtur sufficientissima celebrandi etiam diebus non festis in Castris, ut possint milites sumere Eucharistiam, & manere præparati ad moriendum; quod si non faciunt, eorum salutis immemores, culpa est ipsorum, non Ducum.

9. Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi, quam notant, & admittunt Doctores, qui ob devotionem assistendi primæ Missæ novi Sacerdotis, indulgent communiter, ut celebretur extra Loca destinata, quando intra ipsa non potest includi magna populi multitudo, quacunque ex causa confluentis, quod passim accidit, præcipuè in parvis Oppidis, in quibus angustæ adsunt Ecclesiæ.

10. Concludimus igitur, licere Ducibus belli, ex præsumpta, vel expressa Episcopi licentia, facere celebrare in Castris, aut Tentoriis, cùm in iis major ratio urgeat, siquidem non solùm indulgetur devotioni, sed etiam necessitati.

11. Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, quòd Sacra Congregatio graviter reprehenderet Episcopos, si licentiam concederent celebrandi in Castris extra dies festivos: hoc gratis dici, quia agitur de futuris contingentibus.

12. Ad secundam, quòd non invenitur Doctor, qui talem casum admittat, dicimus subintrare regulam, quòd in casu novo, ab alijs non examinato, sufficiat resolvi secundùm probabilitatem.

13. Ad tertiam, quòd est tantùm licitum celebrare extra Ecclesiam in casu magnæ necessitatis, patet responsio ex distinctione necessitatis in tertio Not.

14. Infero primò ex dictis, in casibus, quos communiter admittunt Doctores, posse extra Loca deputata celebrari, non requiri magnam necessitatem, sed sufficere etiam quamdam decentiam, qualis est illa, quæ fundatur in devotione; modò tamen in locis deputatis celebrari non possit.

15. Infero secundò, posse in Castris, præcipuè in diebus festivis, celebrari plures Missas in diversis locis; vulgò *Quartieri*, in quibus resident milites, ut impleant præceptum audiendi Missam, vel satisfaciant eorum devotioni: quia non possunt milites stationes suas relinquere, & in eumdem locum convenire, absque perturbatione ordinis militaris, & periculo notabilis damni.

Infero tertiò, ad celebrandum extra Loca de- 16.
putata, esse necessariam Episcopi licentiam, quando commodè peti potest. Ita D. Thom. 3. *p. q.* 83. *art.* 2. *ad* 2. & plures alij, quos refert Pasq. *tom.* 1. *de Sacrific. novæ legis, tract.* 1. *q.* 470. *num.* 1. Contraria sententia est etiam probabilis; ob multitudinem Auctorum; quos videre est apud Pasq. *loc. cit. num.* 3.

Infero quartò, posse extra Loca deputata Mis- 17.
sam celebrari, si in aliquo Oppido corruat Ecclesia, nec ibi alia adsit, & conficienda sit Eucharistia pro moribundo non potente expectare, ut ab alio loco deferatur, ob periculum vicinæ mortis: vel etiam ut populus audiat Missam; ut habetur, *ex d. Cap. Concedimus. de Consecr. Dist.* 1. ubi id permittitur in hujusmodi casibus necessitatis, quousque reficiatur Ecclesia.

Infero quintò, quando Navigantes appellunt 18.
ad aliquod littus, & per notabile tempus non audierunt Missam, posse ibi celebrari, cum debita tamen reverentia, & decentia, dummodò non adsit aliquod periculum, & cætera habeantur, quæ necessaria sunt pro celebratione Missæ. Ita notat Azor. *par.* 1. *lib.* 10. *cap* 26. *quæst.* 6. Henriq. *lib.* 9. *de Missa, cap.* 27. *num.* 1. & 2. Facundez. *par.* 1. *de quinque præcept. Eccles. lib.* 3. *capit.* 15. *num.* 14.

Infero sexto, si contingat, quòd Navigantes 19.
appellant ad littus in aliqua ex solemnioribus Festivitatibus, licèt per paucos dies caruerint Sacrificio Missæ, posse tamen ibi celebrari, ut possint eorum devotionem in tanta festivitate fovere.

Infero septimò, extra casus prædictos, posse 20.
Episcopum concedere licentiam celebrandi extra Loco deputata, non obstante Decreto Concilij Trident. dummodò tamen concedat pro una, aut altera vice, ex aliqua rationabili causa, habita ratione qualitatis personarum, & circumstantiarum, personarum, inquam, quando sunt conspicuæ & tanto honore, & favore dignæ. Ita Barbos. *p.* 2. *de off. & potest. Episcopi, alleg.* 25. *num.* 9. *in fin.* Riccius, *in praxi fori Ecclesiast. decis.* 460. *num.* 2. *edit.* 2. & alii.

Infero octavò, posse Episcopum in casu neces- 21.
sitatis, non obstante Decreto Concilii Tridentini, concedere licentiam celebrandi in privatis domibus, aut in alio loco non deputato Cultui divino. Vasq. 3. *p. disp.* 133. *cap.* 3. *num.* 4. & 6. Sylv. *verb. Missa,* 1. *num.* 5. Filliuc. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 125. Bonacin. *disp.* 4. *de Eucharist. quæst. ult. punct.* 9. *num.* 10. Facundez. *loc. cit;* & alij plures.

Inferò nonò, quando Concilium Tridenti- 22.
num præcipit Episcopis, nè permittant in privatis domibus celebrari, & Sacra Congregatio in Decreto Anno 1615. jussu Pauli V. Pontificis edito, declarat, ad Summum Pontificem spectare, hujusmodi licentias concedere, debere intelligi de celebratione, quæ extra necessitatem regulariter fiat, & quando adest Ecclesia, in qua celebrari potest. Cùm tam Trident. quàm

Pontifex intendat tollere abusus celebrandi extrà Loca deputata.

IX. DIFFICULTAS.

An seclusa necessitate, liceat Ducibus belli præcipere militibus præliari diebus festivis, & alia munera militaria exercere.

1. NOtandum primò, præliari licere, aliáve munera militaria exercere, quando necessitas urget, & de hoc dubitat nemo; ut habetur *ex l. omnes Judices, Cod. de ferijs, & ex l. Duces, ff. de ferijs*, & notat Azor, *tom. 2, lib. 1, cap. 27. quæst. 4.* & alii passim.

2. Notandum secundò, Alexand. III. *in Cap. Treugas, de treug. & pace*, sub gravibus pœnis, & comminatione excommunicationis præcipere abstinere à pugna, à quarta feria, post occasum Solis, usque ad secundam feriam, in ortu Solis, & ab adventu Domini, usque ad octavam Epiphaniæ, & à Septuagesima, usque ad octavam Paschæ; sed hoc Decretum non fuisse usu receptum notat Gloss. *in d. Cap. Treugas.*

3. Notandum tertiò, Deum inter alia præcepta hoc dedisse Populo suo Hebræo, *Sabbatha sanctifices* in memoriam creationis Mundi; & nomine Sabbathi, quod est ex Hebræa, ut notat Molfes. *in Sum. tom. 1. tract. 11. cap. 17. num. 13.* venire requiem, sive cessationem; undè sabbathizare esse feriarum diem agere, seu à laboribus quiescere; & significare diem septimum, quo Deus cessavit, seu requievit ab universo opere, quod patraverat, ut habetur Gen. 2.

4. Notandum quartò, Ecclesiam Catholicam rectè diem Sabbathi commutasse in diem Dominicum, qui primus est post Sabbathum; quia allegoricè Sabbathum significabat adventum Christi, qui die Sabbathi requievit in Sepulchro, qui posteà die Dominico resurrexit, quod refertur *in cap. Sabbatho, de Consecrat. Dist. 3.* Tum quia, die Dominico multa opera insignia fecit Deus, ut est creatio Angelorum, Bonorum glorificatio, malorum Angelorum in Infernum dejectio, &c.

5. Notandum quintò, Festa aliorum Sanctorum fuisse ab Ecclesia instituta ob varias rationes, & causas, quas fusè refert Molf. *in Sum. tom. 1. tract. 2. c. 17. num. 27.*

6. Notandum sextò, præceptum sanctificandi Festa, partim esse naturale, & morale, partim verò cæremoniale: dici naturale, ac morale, quatenùs statuit aliquod tempus ad vacandum rebus divinis, quod spectat ad mores; & hoc modo omnes gentes obligat; ideóque in omni Republica, ex lumine naturali instituti fuerunt aliquot dies Festi, quibus Diis offerebantur Sacrificia: Plut. *in lib. de numine*, Sayr. *cap. 1. num. 3.* Cæremoniale verò esse ex illa parte, qua definivit certum tempus, divino Cultui impendendum quibusdam cæremoniis: & sic Populus Hebræus, ultra Sabbathum, debebat ex præcepto alios dies festos celebrare in memoriam maximorum beneficiorum receptorum, ut habetur Exod. 12. & 14. Levit. 23. *num. 28. & 29.* & alibi. D. Thom. 1. 2. *quæst. 102. art. 4. & 2. 2. quæst. 122. art. 4.* & alij. Itaque quatenùs hoc præceptum est morale enumeratur inter præcepta Decalogi, quæ sunt præcepta moralia; non autem quatenùs est cæremoniale, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 122. *artic. 4.* quem alii sequuntur. Et ex hac parte etiam hodie viget in lege gratiæ præceptum sanctificandi Festa.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an seclusa necessitate, liceat Ducibus exercituum præcipere Militibus diebus festis præliari, & alia munera militaria exercere. Pars negativa videtur vera, ut patet ex Textu: *Si nulla, causa 23. quæst. 8* ubi Nicolaus Papa respondens ad consulta Bulgarorum, ait: Si nulla urget necessitas, non solùm quadragesimali tempore, sed etiam omni tempore est præliis abstinendum. Tum quia, præliari est opus mechanicum, & servile, & exercetur per actualem usum membrorum corporis; ideóque omninò illicitum in diebus festis, quando non urget necessitas. Ita sentiunt Burr. & Abb. *in cap. 1. de ferijs.* Suarez. *tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 28. num 8.* Castropalaus, *par. 1. tract. 3. de obser. Fest. disp. 2. punct. 5. num. 11.* & alii plures. 7.

Fateor hanc sententiam magnam habere probabilitatem. Verùm, ne scrupuli, quibus fortitudo debilitatur, contra bellantes, qui fortes esse debent, moveant bellum, contrariæ, nempè affirmativæ sententiæ libenter adhæreo cum Valentia, *disp. 6. quæst. 16. punct. 5.* Becan. *cap. 25. quæst. 17. num. 4.* Medin. *de just. & Jur. disp. 11.* Sà, *in Aphor. verb. Bellum, num. 15.* Bonac. *disp. 2. de rest. quæst. ult. sect. 1. punct. 12. §. 4.* Layman. *lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 4.* & alii plures, quos refert Molfes. *p. 1. tract. 11. capit. 17. numer. 60.* 8.

Moveor primò juribus, *arg. in l. Advocati, Cod. de Advocat. divers. judic.* ubi Advocati æquiparantur Militibus: unde sicut Advocatorum studium est licitum in diebus festis: ita & militiæ exercitium. 9.

Moveor secundò rationibus; nam pugnare non est opus servile; cùm exerceatur indifferenter à Magnatibus, & Principibus, sicut & ab iisdem exercentur hastiludia, choreæ, ludi publici; Sicut hæc absque culpa saltem mortali exercentur in die festo, eò quòd servilia opera non sint; ita & prælium exerceri valet. Tum quia, pugna non magis distrahit mentem à divinis, quàm dicta & alia quædam, quæ absque culpa fieri solent diebus festis; imò potiùs occasio militibus esse solet evitandi peccata mortalia, quæ fortassis committerent otio vacando, seu non pugnando. 10.

Moveor tertiò exemplo in Romanis, apud quos, ut testantur omnes Historiæ, exercitium militiæ non erat concessum servis; sed tantùm liberis; & milites plurima habebant Nobilium privilegia. Et nostris quoque temporibus nobiles viri, & Principes non dedignantur militare, ut privati milites; quod sufficit ut exercitium 11.

citium militiæ non sit opus servile, adeóque ut non sit prohibitum diebus festivis.

12. Concludendum est igitur, minimè prohiberi Ducibus præcipere diebus festivis exercitium militiæ, seclusa necessitate, cùm militia diebus festis, etiam absque veniali exerceri fortè possit; dummodò Sacrum non omittatur.

13. Ad fundamenta sententiæ oppositæ respondemus: Ad primum, dicendo, *Cap. Si nulla causa*, 23. *quæst*, 8. sicut *& cap, unicum, extra, de treuga, & pace*; & alia si sunt jura, non esse recepta, ut notat Glossa ibid. Valentia, 2. 2. *disp.* 5. *quæst*, 16. *punct.* 5. *verb. Dubium autem*, Molina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 111. Panor. Imò consuetudo est in contrarium.

14. Ad secundum patet responsio in secundo, & tertio motu, ubi ostenditur bellum non esse opus servile.

15. Infero primò ex dictis, ut opus aliquod non sit servile, sufficere si sit tale, ut possit à Nobilibus exerceri sine detrimento nobilitatis; quia tunc secundùm prudentum moralem æstimationem non habetur pro servili; cùm exercitium operis servilis deroget nobilitati.

16. Infero secundò, Episcopos non debere esse faciles in prohibendo diebus festis prælio; cùm nimis onerosa possit esse hujusmodi prohibitio; tum propter ingentes expensas, quæ pro illo tempore fierent in sustentando exercitu sine fructu; tum propter damnum, quod posset pati Respublica ex pugna, non secuta tali tempore opportuno.

17. Infero tertiò, licitum esse prælium diebus festis, non solùm urgente necessitate, sed etiam occurrente occasione meliùs pugnandi, consequendique victoriam, quod optimè colligit Cajetan. 2. 2, *quæst.* 40. *artic.* 4. *ex cap. Licet, de feriis*, quod etiam docet Molin. *loc. cit.*

18. Infero quartò, excusari milites ob communem necessitatem Reipublicæ; non solùm bellum gerendo diebus festis, sed etiam alia munera militaria exercendo, puta, fossata faciendo, domus evertendo, arbores scindendo, &c. cùm hoc, stante necessitate, fuerit etiam licitum in Lege veteri, In qua arctiùs obligabat præceptum sanctificandi Sabbathum; nihilominùs Machabæi in die Sabbathi gesserunt bellum, ut habetur. 1. Machab. 2.

19. Infero quintò, licitas esse die festo exercitationes militares, quibus tempore pacis milites instruuntur ad præliandum tempore belli: & hoc ratione consuetudinis, & moralis necessitatis, cùm cæteris diebus non possint commodè fieri, ut notat Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 8.

20. Infero sextò obiter, licere Doctoribus die festo consulere pro causis forensibus, ne diutiùs detineantur; etiam si consulant propter lucrum: quia consulere non est opus corporale, & servile, quæ sola diebus festis sunt prohibita. Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 9. Sot. 2. *de just. & jur. q.* 4. *art.* 4. *ad* 3. & alii.

21. Infero septimò, licere scribere die festo ob lucrum: quia scriptura est actio deserviens per se, non corpori, sed Animæ, ad exprimendos ejus inter nos conceptus: atque adeò non est opus servile, quia cuique licitum est exprimere omni tempore suos proprios conceptus: & sic erit pariter licitum quidquid ad talem expressionem concurrit. Navarr. *in Manual. c.* 13. *n.* 14. & alij plures. Oppositum sentit Astens. *lib.* 1. *tit.* 22. *art.* 4. Sylv. *verb. Dominica, quæst.* 5. Riccard. *in* 3. *Dist.* 37. *art.* 2. *q.* 4. & alii.

22. Infero octavò, licere die festo transcribere propter mercedem. Ita docet Medina, *lib.* 1. *instruct. cap.* 14. §. 8. Facundez *in quinque Eccles. præcepta, cap.* 11. *n.* 3. & 4. Molfes. Laym. & alii plures. Contraria sententia est etiam probabilis.

23. Infero nonò, fas esse piscari in die festo ad capiendos pisces, qui certis quibusdam temporibus adveniunt. Ita docet Molina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 111. Et ratio est, quia magna pars piscium amitteretur, nisi etiam diebus festis caperentur: in qua sententia est etiam Suarez, *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 28. *numero* 3. & alii.

24. Infero decimò, venationem, aucupationem, & piscationem, esse licitam die festo, si fiat recreationis causa, & non sit multùm laboriosa. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 27. *cap.* 9. *num.* 172. 173. Busemb. *lib.* 3. *tract.* 3. *cap* 1 *de quarto præcepto Ecclesiæ*. Secùs tamen, si ex officio exerceantur, & propter lucrum contra nonnullos.

25. Infero undecimò, licitum esse die festo pingere, sive recreationis, sive lucri causa. Lop. *par.* 1. *instruct. cap.* 52. Medin. *lib.* 1. *instruct. Confess. cap.* 14. §. 8. & alii plures; quia pingere non est opus servile. Contraria sententia est probabilis.

26. Infero duodecimò, exercentes opera servilia die festo ob necessitatem sustentandi seipsos, & familiam, excusari à peccato, dummodò tamen audiant Missam, & vitent scandalum, & non laborent, nisi quantùm postulaverit eorum necessitas. Ita communiter Doctores.

27. Infero decimotertiò, inducentes simul, & semel ad exercendum servilia in die festo plures pro eo tempore tantùm, pro quo non peccant, non peccare mortaliter. Ita docet Sanchez, *tom.* 1. *Sum. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 12. Bonacina, *disp.* 2. *de peccatis, q.* 3. *punct.* 5. *num.* 26.

28. Infero decimoquartò, diebus festis prohiberi omnia opera servilia, puta opera corporalia, nempè fodere, vel arare terram, ligna scindere, segetes secare, portare vineas, ædificare domus, suere, & alia hujusmodi mechanica; in quibus se exercere die festo semper est peccatum læthale, nisi excuset, aut parvitas materiæ, quæ judicatur secundùm arbitrium prudentis viri, aut parvitas temporis, quæ ad summum extenditur ad unam integram horam secundùm probabiliorem, & tutiorem sententiam esto aliqui illam extendant ad duas etiam horas; quod nos minimè approbamus.

X. DIFFICULTAS.

An Duces Exercituum, pugnantes in bello injusto, maneant irregulares, licèt in eo nullus occidatur, vel mutiletur.

1. NOtandum primò, irregularitatem componi ex in, quod est sine, & regula, ut observat Archid. *in Cap. Valentinianus*, 63. *dist. num.* 7. unde irregularem dici eum, qui est sine regula; & irregularitatem id, à quo formaliter quis dicitur irregularis; ita notat Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 19. *de censur. cap.* 1. *quæst.* 1. *n.* 1.

2. Notandum secundò, irregularitatem, licèt propriè non sit censura, esse tamen Canonicum impedimentum ex facto, vel defectu proveniens, per se, & directè impediens susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum; & consequenter etiam eorum usum. Ita communiter DD. quoad rem ipsam, licèt verbis differant; ut testatur Suarez, *disp.* 40. *sect.* 1. *num.* 2.

3. Notandum tertiò, duplicem esse irregularitatem, alteram dici ex defectu, vel indecentia, quæ provenit absque culpa; alteram dici ex delicto; & irregularitatis ex defectu multas esse species; primam dici ex defectu animi; secundam ex defectu corporis; tertiam ex defectu natalium; quartam ex defectu ætatis, & libertatis; quintam ex defectu Sacramenti, id est bigamia; sextam ex defectu lenitatis; Species verò irregularitatis ex delicto has esse; primam ex iteratione baptismi, secundam ex indebita susceptione, vel usu Ordinis; tertiam ex actu infidelitatis, seu hæresis; quartam ex infamia; quintam ex homicidio illicitè patrato.

4. Notandum quartò, cùm ab homine non feratur irregularitas, nullam incurri, nisi in jure expressè habeatur. *Cap. is, qui de sent. excomm. in* 6.

5. Notandum quintò, ad inducendam irregularitatem sufficere occisionem cujuscunque hominis etiam pagani, saraceni, banniti, & proscripti, hæretici, &c. Colligitur *ex cap. Clericum, dist.* 50. *& cap. Petitio, de homicidio*: & consentit communis Doctorum. Ratio est, quia semper in ejusmodi homicidio est defectus repræsentationis lenitatis Christi, hoc ipso, quòd voluntariè homo occiditur, aut mutilatur.

6. Notandum sextò, ex homicidio publico, justo, & licito, oriri irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis, & mansuetudinis; ideòque esse irregularem, qui publica auctoritate justè, & absque ullo peccato hominem occidit; & sic non posse ordinari, nec in susceptis ordinibus ministrare. Sic habetur *in cap. Clericis*, *& cap. Sententiam sanguinis, ne Clerici, vel Monachi*, *& cap. penult. de homicid & cap.* 1. *de Cleric. pugnant. in duell. & cap. De his Cleric. Dist.* 50.

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, num Duces exercituum pugnantes in bello injusto maneant irregulares, licèt nulla sequatur occisio, vel mutilatio, affirmative videtur respondendum, ex Tex. *Ne Clerici, vel Monachi, cap. Sententia, dist.* 51. *cap. Si quis post.*

Contrarium tamen visum est verius, & probabilius cum Filliuc. *tract.* 19. *de censur. in particul. cap.* 10. *quæst.* 3. *num.* 264. Iurrigliol. *Tract. de Cas. consc. cas.* 37. *num.* 4. Leand. *tract.* 2. *de irregularitate, disp.* 8. *quæst.* 7. & aliis, contra Sim. Majol. *lib.* 4. *de irreg. cap.* 49. *num.* 5. 8.

Moveor primò juribus, *in l. cogitationis, ff. de pœn.* ubi dicitur, quòd sola cogitatio pœnam non meretur. Bolenc. *in l. Capitalium*, §. *Famosus, num.* 79. *ff. de pœn.* Ideóque dum in bello injusto occiditur nemo, nec mutilatur, non videntur Duces irregularitatem mereri. 9.

Moveor secundò rationibus: nam ad incurrendam irregularitatem requiritur actualis hominis occisio, vel actualis mutilatio membri, quæ in hac materia æquiparatur homicidio. *Clem. un. de hom.* Gloss. *verb. Mutilans.* Filliuc. *loc. cit. cap.* 9. *num.* 233. Ergo ubi nullæ sunt cædes, aut mutilationes, nulla irregularitas. Tum quia, irregularitas non contrahitur, nisi in casibus à jure expressis. *Cap.* 15. *qui de sent. excomm. lib.* 6. ubi Franc. *& in cap. Dilectus, colum.* 4. *extrà, de appell.* Covarr. *in Clem. Si furiosus, in prin. num.* 3. Bertacch. *in tract. de Episc. cap. ult. num.* 8. Paris. *consil.* 96. *num* 4. Navarr. *in cap. In inferenda, sub num.* 57. *caus.* 23. *quæst.* 3. Atqui certum est, nullibi in jure statui irregularitatem injustè pugnantibus, (sive Laici sint, sive Clerici) si nullæ cædes, aut mutilationes committantur, ut optimè observat Leander, *loc. cit.* Tum quia, ad incurrendam irregularitatem, requiritur ut actus sit exterius consummatus, quia non sufficit voluntas faciendi actum; neque etiam satis est conatus ad actum, sed requiritur, ut cum effectu consummetur actus, ut ex communi, & vera sententia probat Covarr. *in Clem. Si furiosus, in* 2. *part. in princ. de homicid.* Molfes. *in Sum. p.* 1. *tract.* 2. *de Sacram. Ordinis, cap.* 16. *num.* 30. Si igitur in bello injusto occisio nulla, vel mutilatio consummatur, non est undè possit exercitus Dux fieri irregularis. 10.

Moveor tertiò exemplo à contrario in David, cui dictum fuit. *Non ædificabis mihi templum, quia vir sanguinis es*, ex quo deducunt aliqui, ut notat Intrigliol. *in tract. de Casib. consc. cas.* 10. *n.* 5. irregularitatem jure divino ortum habuisse. Ergo Dux belli, qui in casu nostro non est vir sanguinis, cùm nullæ fuerint cædes, ut supponimus, potest DEO ædificare, id est ad Ordines Ecclesiasticos promoveri. 11.

Concludimus igitur, Ducem exercitus in bello injusto pugnantem, non manere irregularem, si in eo nullus occidatur, vel mutiletur. 12.

Ad jura allegata, quæ pro se producit Majolus nobis contrarius, respondemus, quod in his nihil nobis contrarium statuitur, ut optimè probant Suarez, *disp.* 47. *sect.* 5. *num.* 2. Gibal. *cap.* 4. *de irregul. q.* 3. *consect.* 6. *diff.* 3. *pag.* 241. & alij. 13.

Infero primò ex dictis, ad incurrendam irregularitatem ex delicto, requiri culpam mortalem. Irregularitas enim est pœna gravissima, & ideò incurri non debet ob leve peccatum; aliàs pœna esset injusta, utpotè non proportionata. 14.

Infero secundò, Conducentes milites ad bellum 15.

lum injustum, non fieri irregulares, si in illo nullus occidatur, aut mutiletur. Secus verò, si milites cædes committant, tunc enim non solùm incurrere irregularitatem, sed etiam illarum cædium esse reos. Navar. Hurtad. & alij, quos citat, & sequitur Leander, *de irreg. disp.* 8. *quæst.* 5. Contrarium sentit Villadiego, *Tract. de irreg. cap.* 6. *num.* 16. eò quòd, inquit, hujusmodi Conducentes sunt solùm causa remota.

16. Infero tertiò, non fieri irregulares eos, qui servant militantium vestimenta, & sarcinas in bello injusto, in eo nec morte violenta, nec mutilatione alicujus sequuta; Secus verò si homicidia, aut mutilationes sequantur: quod colligitur *ex cap. Sicut dignum, il primo*, §. *Quoque, de homicid.* ubi Alex. III. apertè ait, Custodientes sarcinas injustè occidentium non debere esse à pœna immunes, quia non fuerunt à culpa liberi; adfuit enim aliquo modo eorum concursus ad injustas occisiones. Lugo, *de just. tom.* 1. *disp.* 19. *sect.* 2. §. 5. *n.* 94. ubi addit: Et ideo Paulus dicitur omnium manibus lapidasse Stephanum, quia ipse lapidantium vestes custodiebat.

17. Infero quartò, non esse irregulares mandantes, consulentes, animantes, exhortantes ad bellum injustum, si ex hoc suo delicto mors, aut mutilatio non sequatur: Secus verò, si mors, aut mutilatio sequitur, quamvis hi non interficiant, nec propria manu pugnent. Sic Henriq. *lib.* 14. *cap.* 13. *num.* 3. Sayr. *lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 7. Suarez, & alij communiter; quia certum est, hos omnes verè cooperari ad homicidium injustum, & mutilationem voluntariam.

18. Infero quintò, non fieri irregulares vendentes, aut præbentes arma ad bellum injustum, sive propè instet bellum, sive longè, si nemo in eo occidatur, aut mutiletur. Secus verò, si in illo, aut homicidium sequatur, aut mutilatio, quia hujusmodi armorum venditores, seu vendentes arma scienter, ut inserviant bello injusto, in quo sequuntur homicidia, & mutilationes, sunt verè cædium cooperatores; ac proindè irregulares. Ita Gloss. *in cap. Ita quorumdam, de Judæis, fundat. in cap. Quod in dubijs, de pœnis.* Filliuc. *tract.* 19. *cap.* 10. *q.* 3. *n.* 263. & alij.

19. Infero sextò, neque fieri irregulares eos, qui in bello navali injusto gubernant naves, non sequuta occisione, aut mutilatione alicujus. Secus verò, si aliquis occidatur, aut mutiletur, quia verè cooperantur ad mortem, quæ in tali bello infertur hostibus justè præliantibus. Avila, *part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 1. *vers. Hinc sequitur*, & alij.

20. Infero septimò, non incurrere irregularitatem eos, qui ad bellum injustum accedunt, non animo pugnandi, sed ad pacem componendam, aut juvandos milites in spiritualibus, si in tali bello committantur cædes, Navarr. *Cap.* 27. *num.* 214. quia omnes isti dant operam rei licitæ etiam in bello injusto.

21. Infero octavò, à Duce injusti belli tot incurri irregularitates, quot in illo fiunt homicidia. Diana, *part.* 11. *tract.* 7. & *Miscell* 7, *Res.* 8. ubi citat Villalob. Ratio est, quia ipsorum omnium causa principalis est Dux: qui in omnibus militibus pugnat, quandoquidem illi suo imperio, & auspicijs pugnant; unde etiam totius damni causa existit.

Infero nonò, Clericos, Episcopos, Cardinales, qui præsunt exercitibus in bello injusto, non solùm peccare mortaliter, sed etiam incurrere irregularitatem, etiam si aliquem manu propria non occidant; dummodò tamen in illo sequatur occisio, aut mutilatio. Ita Diana, *Tract.* 7. *de bello, Res.* 57. ubi varios Doctores citat, asserens, supradictos peccare quidem mortaliter, si bellum sit justum, cùm agant contra honestatem status clericalis; non verò fieri irregulares, nisi propria manu occidant. *Cap. Petitio tua, de homicid.* & docet Avila, *de censur. q.* 1. *disp.* 6. *sect.* 3. *dub.* 2. *concl.* 1. Castropal. *tom.* 6. *disp.* 6. *punct.* 14. §. 5. *n.* 2. & 3. 22.

Infero decimò, in bello defensivo, necessario ad defensionem propriæ personæ, Ducem non fore irregularem, secuto homicidio, etiam per propriam actionem, scilicèt, etiam si convocet exercitum, armis instruat, hortetur, &c. Filliuc. *Tract.* 19. *de irreg. cap.* 10. *q.* 4. *n.* 266. quia omnia illa licent ad se defendendum. 23.

Infero undecimò, non inducere irregularitatem bellum, quod fit ob Patriam, & commune Bonum; quod locum habet tam in Laicis, quàm in Clericis, ut colligitur *ex cap.* 2. *de Immunit. Ecclesiæ.* 24.

Infero duodecimò obiter, non incurrere irregularitatem eos, qui ante baptismum occidunt aliquem; non incurrere, inquam, irregularitatem, suscepto baptismo. Est communis apud Filliuc. *Tract.* 19. *de irreg. cap.* 9. *quæst.* 4. *num.* 257. quia jura, quæ imponunt irregularitatem occidentibus, & mutilantibus, clarè loquuntur de ijs, qui id faciunt post baptismum. Ita habetur *in cap. Si quis viduam, dist.* 50. *cap. Si quis post baptismum, dist.* 5. 25.

Infero decimotertiò etiam obiter, non fieri irregularem eum, qui mutilat, vel occidit in defensionem inculpatam honoris, vitæ, castitatis, &c. vel etiam proximi: quia in jure non statuitur irregularitas, nisi ob homicidium in bello justo, vel judicio. 26.

Infero decimoquartò pariter obiter, fieri irregulares in judicio justo eos, qui ad mortem, vel mutilationem cooperantur activè, & efficaciter, & proximè per actionem ex natura sua ad id ordinatam, ut sunt Judices ferentes sententiam, Notarius eam scribens, Ministri exequentes, Testes, &c. 27.

Infero decimoquintò, irregularitatem tolli non per absolutionem, sed per dispensationem hac, vel simili forma. *Dispenso tecum in irregularitate, quam, vel quas ob hanc, vel illam causam incurristi*; & solum Papam, vel eum, qui ab illo accepit privilegium, posse dispensare in irregularitatibus ex defectu. In irregularitatibus verò provenientibus ex delicto, post Tridentinum, ubi est receptum, posse etiam Episcopum dispensare, quando tamen delictum est occultum; & nisi fuerit homicidium directè, & in se volitum. Ita communiter DD. 28.

Infero decimosextò, in diplomatibus Jubilæorum nunquam venire dispensationem irregularitatis, 29.

tatis,

tatis, quia stylus Romanæ Curiæ ita observat, ac proinde specialis expressio necessaria est, & non venit hæc dispensatio in generali concessione absolvendi ab omnibus censuris.

XI. DIFFICULTAS.

An liceat in bello justo Ducibus uti insidijs, non solùm manifestis, sed etiam occultis, ad procurandam victoriam.

1. Notandum primò; aliud esse uti insidijs, & aliud mentiri. Uti insidijs est occultare consilia, dissimulare, ac simulare multa, quibus hostes decipiantur, capiantur, ac vincantur. Mentiri verò est ire contra mentem, & est intrinsecè malum; unde nunquam licet mentiri hostibus in bello justo, ut videre est, Prov. 13. 5. ubi habetur: *Verbum mendax odio habebit justus. Perdes loquentes mendacium.* Ps. 5. 7. *Nolite mentiri invicem.* Col. 3. 9. Et Aristoteles, *lib.* 4. *Nicomach. cap.* 4. pariter eandem agnovit, & scripsit veritatem, dicens: Mendacium per se pravum, & vituperatione dignum. Veritas pulchra, ac laudabilis.

2. Notandum secundò, difficultatem non procedere, quando fides data est hostibus de non exstruendis insidijs; in tali enim casu, certum est nefas esse insidijs uti, cùm teneamur etiam hostibus fidem, & promissa servare, ut docet D. Th. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 3. & D. Amb. *lib.* 1. *de officijs, cap.* 29. ubi dicit. Fides etiam hostibus servanda est, nisi fortè fides data fuisset coactè, quia coactio promissionem annullat, ut notat Castropalaus, *Tract.* 2. *de peccat.* & *tract.* 6. *de charit. disp.* 5. *punct.* 4. *num.* 4. Vel promissio facta in grave redundaret damnum Boni communis, Reipublicæ, vel Religionis, etiam juramento firmata, quia juramentum non est vinculum iniquitatis. Vel violaretur in toto, vel ex parte ab altera parte fides vicissim data; quia hujusmodi promissiones tacitam habent conditionem, dummodò Promissarius promissis steterit. Fidem enim negari fides minimè servanda est; in quibus conveniunt Doctores. Valent. *disp.* 3. *quæst.* 16 *punct.* 3. *illat.* 1. Bonac. *disp.* 2. *de restit. quæst. ult. p. ult.* §. 3. *n.* 16. Suarez, *disp.* 13. *de bello, sect.* 7. *n.* 23. & alij.

3. His adnotatis, ad difficultatem propositam; an exercituum Ducibus liceat in bello justo uti insidijs, videtur negativè respondendum. Extat enim apud Ælianum dictum Pythagoræ: Duabus rebus hominem ad DEUM proximè accedere, vera semper loquendo, & benefaciendo alijs. Et apud Jamblichum, veracitas dux dicitur ad omnia divina, humanaque bona. Et Cicero, *de off.* 3. inquit: Ex omni vita simulationem, dissimulationemque tollendam. Euripides Rheseo de bellantibus loquens ait.

Generosus animus hostibus furtim necem
Inferre nescit.

Sic Achæos abhorruisse ab omni in hostes fraude narrat Polybius. Ælianus quoque summopere laudat Romanos, tanquam insidijs in bello aversos, dicens: Romanis propria est virtus, non per astus, & vafritiem quæsita victoria. Alexander pariter furari negabat se velle victoriam. Epaminondam denique summè extollit Probus, dicens: Adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. Quod profectò Christianis magis videtur observandum, cùm exemplum teneantur sequi Christi, qui de seipso dicit, *Ego sum via, & veritas, & vita.* Jo. 14. *num.* 6. Præterea habetur Deut. 6. *Justè quod justum est, exequeris.* At insidiæ sunt fraudes quædam, nec ad justitiam videntur pertinere. Ergo Ducibus non licet bellum justum cum fraude, seu insidijs agere. Deinde insidiæ, & fraudes fidelitati videntur opponi. Fides verò, ut suprà notavimus cum D. Aug. ad Bonifacium, etiam hosti servanda est. Ergo non videtur, quòd contra hostes insidiis sit utendum.

Veritas tamen est, licere Ducibus in bello justo insidijs uti, ad victoriam consequendam, non solùm manifestis, sed etiam occultis. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 3. Valent. *disp.* 3. *quæst.* 16. *de bello, punct.* 3. Molina, *Tract.* 2. *disp.* 111. Suarez, *Tract.* 3. *disp.* 13. *de bello, sect.* 8. *n.* 23. Castropalaus, *de char. tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 4. *num.* 4. Turrecrem. *in Cap. Dominus DEUS noster, causa* 23. *quæst.* 2. Coninch. *disp.* 31. *de bello, dub.* 7. *num.* 109. Diana, *p.* 6. *tract.* 4. *Res.* 50. & alij communiter. 4.

Moveor primò ex sacra doctrina, ubi multa video occultari maximè Infidelibus; nè irrideantur, secundùm illud, Matth. 10. *Nolite Sanctum dare canibus*; undè multò magis ea, quæ ad procurandam victoriam de inimicis paramus, eis possumus occultare. Et Luc. 24. 28. habetur, quòd Christus ipse se finxit longiùs ire, id est speciem prætulit itineri longiùs; nisi malimus verè quoque voluisse eum ire longiùs, sub conditione tamen, nisi magno nisu retineretur. 5.

Moveor secundò juribus, *in l. nihil, ff. de Captivis*, & ibi Jurisconsulti, qui bonum dolum vocant, si adversùs hostem quis machinaretur, notántque, nihil interesse, si vi quis, an fallacia potestatem hostium evaserit, *d. causa* 23. *q.* 2. *Cap. Dominus noster*, & ibi Gloss. *in verb. Insidijs*, ubi habetur clarè, in bellis justis licitum esse insidiis uti. 6.

Moveor tertiò rationibus, quia finis belli est victoria; & insidiæ sunt medium ad victoriam obtinendam accomodatum. Ergo si licitus est finis belli, licita erunt & media ad talem finem ordinata. Tum quia, in bello justo fas est nocere hostibus. Ergo multò magis fas quoque erit ea omnia eo animo efficere, ut hostes decipiantur, quo ita faciliùs capiantur, & vincantur. Tum quia, hostibus nostra secreta aperire non tenemur; imò inter cætera artis militaris documenta hoc præcipuè ponitur de occultandis consiliis, ne ad hostes perveniant; Tum etiam quia, in illis insidiis nihil affirmatur, aut negatur, idcóque per se non sunt mendacium, sed simulatio, occultatióque veritatis, 7.

quæ

quæ ex honesta causa sæpè licet, ut tradit S. August. relatus *in d. Cap. Dominus noster.*

8. Moveor quartò exemplo, in ficta fuga, qualem Josue suis præcepit ad Haiam Civitatem expugnandam, & hoc quidem de mandato expresso Dei, qui nihil injustè agit, aut præcipit. *Pone*, inquit, *insidias Urbi post eam.* Jos. 8. quod perpendens S. August. *quæst.* 10. in Josue: Hinc, inquit, admonemur non fieri hoc injustè ab iis, qui bellum justum gerunt. &c. cùm autem justum bellum homo susceperit, utrùm aperta pugna, utrùm ex insidiis vincat, nihil ad justitiam interest. Et hoc quidem in omnibus bellis passim videmus à Ducibus timoratæ conscientiæ ad praxim deduci.

9. Concludimus igitur, licere Ducibus exercituum, in bello justo uti insidiis; non solùm manifestis, sed etiam occultis ad procurandam victoriam.

10. Ad argumenta contrariæ sententiæ respondemus: Ad primum, quod hujusmodi insidiæ propriè non dicuntur fraudes, sed stratagemmata, quæ sapientiæ adscribuntur: unde apud Homerum: Ulyssea viri sapientis exemplum, plenus ubique erat fraudum, seu stratagemmatum in hostem. Tum quia, insidiis uti in bello justo, non est pugnare injustè. Dicebat enim Agesilaus apud Plutarchum *Apoph.* Hostes decipere, & justum, & licitum esse. Pugnat quidem injustè qui fraude, hoc est, animo fraudulento, & amore iniquitatis pugnat.

11. Ad secundum respondemus, fidem esse servandam, quando illam promittimus; & hoc est, quod dicit Augustinus: Omnis fraus contra promissionem factam hosti, est illicita. At nostra difficultas extra casum promissionis est, ut fuit præmissum; & ideò resolutioni non repugnat insidiarum usus, qui laude ab omnibus dignus censetur; asserente Polyb. *lib.* 9. Quæ vi fiunt in bello minoris censenda, quàm quæ ex occasione, & dolo: & Silius Corvinum sic inducit loquentem.

Bellandum est astu, levior laus in Duce dextra.

12. Ad cætera patet responsio ex præmissis, quoniam insidiarum usus in bello, ut explicavimus, non est mentiri alicui. Ipsa enim fuga, v. g. ex instituto nihil significat, licèt hostis eam accipiat, ut signum pavoris, quod alter cavere non tenetur, utens sua libertate, huc, vel illuc eundi, & magis minusvè celeriter, & hoc vel illo gestu, illa, vel hac veste, iis, vel illis armis, &c. Hæc enim, & alia hujusmodi pro arbitrio, & consuetudine usurpari possunt. Quapropter Augustus Ducibus imperabat, ut maximè securitatis curam agerent, & continenter hoc adjiciebat. Festina lentè; nam cautus Dux confidenti est præferendus. Poly. *Æn. lib.* 8.

13. Infero primò ex dictis, teneri Ducem exercitus mittere Exploratores ad investigandum de viribus Adversariorum, & de dispositione Civitatis, & Arcis expugnandæ; ut possit prudenter insidias adhibere. Sic fecit Moyses pro Terra Chanaan, qui misit duodecim Exploratores. Num. *Cap.* 12. Sic pariter fecit Josue, ut habetur Jos. *Cap.* 2.

Infero secundò, licere militi Christiano simulare se Gentilem. Turcam, Hæreticum, ob justam ab hoste victoriam reportandam, vel ob aliam causam satis gravem, & necessarium; dummodò tamen simulatio consistat in armis, habibitu, verbis, non tamen mendacibus, & fidei injuriosis; & hoc quidem ob supradictam rationem. 14.

Infero tertiò, licere ob eam rationem cuilibet Fideli, sive Romæ, sive Venetijs, uti pileo flavo, sive rubeo, more Judæorum, ut dum ad necem quæritur, incognitus effugiat. Diana, *loc. cit.* 15.

Infero quartò, licere Fideli transeunti per loca hæreticorum, comedere cibos vetitos, ad evitandum grave damnum vitæ, vel bonorum, dummodò absit contemptus, & scandalum. Diana, *part.* 5. *tract.* 7. *Resol.* 35. quia licèt per hujusmodi esum Catholicus distinguatur ab hæreticis, tamen signum non est institutum ad falsæ fidei professionem, & protestationem hæresis; adeóque ijs cibis utens, non potest præsumi negare fidem, sed solùm velle se occultare ad necem fugiendam. Ita Sanchez, *in Sum. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 25. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæst.* 3. Castropal. *tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 1 *punct.* 17. *nu.* 9. & alij plures. 16.

Infero quintò, ob eamdem rationem, Sacerdotem Gentilem, & Turcicum ad nostram fidem conversum, non teneri vestes, quibus uti solet, statim deponere, & se prodere, atque periculo evidenti mortis se exponere; cùm hoc faciat ad se occultandum ne pereat. Diana, *p.* 5. *tract.* 7. *Resol.* 33. 17.

Infero sextò, licere Catholicis Angliæ, & aliarum Regionum, vesci carnibus diebus Veneris, & in Quadragesima ad se occultandum, si cogniti incurrerent certum periculum mortis. Duvallius, *in* 2. 2. D. Thom. *Tract. de fid. quæst.* 8. *art.* 3. *concl.* 2. 18.

Infero septimò, licere Catholicis vexilla signis consuetis Turcarum insignita in classe, vel exercitu erigere, etiamsi esset signum Martis, Jovis Palladis, Lunæ, Solis, & etiam Mahometi, secluso tamen scandalo. Ita docet Tannerus, *in* 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 7. *dub.* 5. *num.* 117. Layman, *in Theol. moral. lib.* 2. *tract.* 5. *cap.* 11. *num.* 4. & alii, apud Dian. *par.* 3. *tract.* 5. Est contra Azorium, *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *p.* 6. & alios. 19.

Infero octavò, licere Catholico interrogato ab infideli, an sit Christianus, illum eludere aliqua ratione, sed absque ullo mendacio; quando adest justa causa ita loquendi, ut notat Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 3. *nu.* 65. non tamen negare se esse Christianum. Banes, *in* 2. 2. *quæst.* 5. *art.* 2. Tannerus, *loc. cit.* quia præceptum de confitenda fide obligat ad dicendam clarè veritatem interroganti, quamdiu alióquin dissimulatio fidei cederet in fidei injuriam, aut nocumentum proximorum. 20.

Infero nonò, licere transeunti per terras Turcarum uti pileo turcico, & tobalea alba, ad vitanda pericula mortis. Sà, *verb. Fides*, *nu.* 5. Dia- 21.

na, p. 3. tract. 5. & ratio est, quia hujusmodi vestes per se, & directè non sunt signa protestationis falsæ religionis, sed res secundùm se indifferentes. Est contra Cajetan. in 2. 2. quæst. 3. art. 2. D. Anton. p. 2. tit. 12. cap. 6. sub fine. Sylvest. Navarr. & alios.

22. Infero decimò, instante etiam quovis periculo, non esse licitum Catholico usurpare vestes, & signa Infidelium instituta per se, & directè ad cultum, & cæremonias falsæ sectæ, & legis. Est contra aliquos, præsertim Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 27. quæst. 4. Ex eo, quia cùm vestimenta hujus generis instituta sint in ordine ad protestationem falsæ Religionis, usurpari non possunt absque peccato ab ullo Catholico in quovis casu. Bussem. lib. 2. tract. 1. cap. 3. num. 8. & alii.

XII. DIFFICULTAS.

An conflictus, quem aliquandò præcipit Dux Exercitus, exponendo aliquos ejus milites ad singulare certamen cum tot militibus exercitus contrarij in bello justo, sit duellum, & pœnis, censuristve obnoxius.

1. Notandum est primò, duellum posse dupliciter sumi, ut alibi tetigimus, strictè, scilicet, & latè, duellum strictè sumptum esse pugnam paucorum deliberatam, ab utraque parte, sponte, & ex condicto susceptam, statuto loco, & tempore, cum periculo occisionis, mutilationis, aut vulneris. Ita Salonius, 2. 2. q. 9. art. 3. controv. 3. fol. 179. Filliuc. Tract. 29. cap. 8. quæst. 1. num. 135. Duellum verò latè sumptum esse pugnam, quâ à duabus partibus pro victoria dimicatur, qua acceptione dicit Horatius:

Græcia barbariæ lento collisa duello.

Sic Varro lib. 6. de lingua Latina, omne bellum duellum vocat.

2. Notandum secundò, bellum non esse duellum, eò quòd non sit singulare certamen, nec in bello servetur pugna ex condicto, vel idem personarum numerus: nam duelli natura, seu potiùs consuetudo est, ut unus contra unum, vel duo contra duos, vel quatuor contra quatuor inter se decertent, quamvis ordinariè duellum sit contra unum: unde nuncupari solet monomachia, qui ordo in bello minimè servatur.

3. Notandum tertiò, duellum esse speciem quamdam belli, ut ostendit Jo. de Lign, Jacobus de Castillo, Jul. Ferret. in tract. de duello. Andr. Alciat. in tract. de singulari certamine, in princ.

4. Notandum quartò, quòd locus destinatus ex condicto dicitur locus assignatus ex pacto invicem inito; hoc enim significat condictum, ut docent omnes, ut v. g. Accedamus ad talem locum. Item si hostes reperirentur in loco publico, ut in platea, & ob id peteret alter indè ad pugnam exire, quia in eo loco non possent liberè ob aliquam circumstantiam certare.

5. Notandum quintò, duellum non solùm esse jure naturali illicitum, ut probat Valentia, tom. 3. disp. 3. quæst. 17. de rixa, punct. 1. sed etiam jure Canonico reprobatum, Cap. Si non licet, causa 23. quæst. 5. nec non à Concilio Tridentino Sess. 25. de Reformat. cap. 19. & Summis Pontificibus, Gregor. XIII. Clem. VIII. & aliis.

6. Notandum sextò, quòd Bulla Clementis VIII. incip. Illius, extendit Decretum Tridentini, & Constitutionem Gregorij XIII. unà cum pœnis, & censuris suis, ut locum habeant ubique Gentium, & Terrarum, inter quascunque personas etiam armatas, & militantes in Castris, seu propugnaculis; etiam in Terris, & Ditionibus Hæreticorum. Multa alia de duello habentur suprà lib. 1. Diffic. pertin. ad Principes.

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam; an conflictus, qui fit in bello inter hostes, dum unus Dux mittit decem, vel plures milites in arenam contra alios decem, vel plures, sit duellum, negativè videtur respondendum cum Bonacina, de excomm. particul. extra. Bull. Cœn. Domini, disp. 2. q. 3. punct. 48. prop. 1. num. 4. ubi alii citantur. Ratio videtur esse, quia in hujusmodi conflictibus non servantur omnes circumstantiæ ad duellum strictè dictum requisitæ, & præcipuè numerus parvus certantium. Præterea, duellum fit authoritate privata; hujusmodi verò conflictus authoritate publica. Deinde Pontifex scit accidere quandoq; in bello inter hostes tales conflictus, & tamen non videtur illos improbare: ideòque dicendum est hujusmodi conflictus nullo modo rationem habere duelli, & consequenter neque obnoxios esse censuris, quibus Duellantes afficiuntur.

8. Veritas tamen est, hujusmodi conflictum ad ostentationem initum virorum fortium, esse duellum strictè sumptum. Cajetan. 2. 2. q. 95. in fin. Sanch. in Sum. lib. 2. cap. 39. nu. 11. ubi citat Petr. Navar. Regin. in sua pra. lib. 21. num. 78. & 79. Molfesius, in Sum. p. 1. tract. 11. cap. 19. num. 88. Imò ipse etiam Bonacina in loco suprà citato fatetur tales conflictus non videri licitos, quando fiunt causa ostentationis virium, & ob vanam gloriam, vel absque justa causa.

9. Moveor primò juribus Canonicis, & civilibus, in quibus omnia certamina singularia in loco determinato ex condicto damnantur. Cap. Henricus, extra de Cler. in duello pugnan. ubi Cælest. III. appellat pravam hujusmodi singularium certaminum consuetudinem, affirmatque in eis committi peccatum homicidij, quod est sine dubio contra jus naturæ; & in Concil. Trid. Sess. 25. in Decreto, de reform. generali, cap. 19. appellatur consuetudo detestabilis. Clemens VIII. in sua Bulla, incip. Illius, Extendit Decretum Tridentini, & Constitutionem Gregorij XIII. quæ incipit Ad tollendam, quibus prohibetur sub gravibus censuris duellum, ad quascunque personas etiam armatas, & militantes in Castris, sive hoc fiat ob privatas inimicitias, sive ex aliis causis, etiam publicis, & ex permissione Ducum exercituum, ut notat Molfes. in Sum. par. 1. tr. 7. de pœnitentia, cap. 18. num. 22. His adjungitur jus civile, ubi similiter certamina singularia ex condicto suscepta improbantur, ut in leg. unic. Cod.

Cod. de Gladiatoribus, *lib.* 11. ubi Imperator Constantinus ait. „ Cruenta spectacula in ocio civili, & domestica quiete non placent. Quapropter omnino Gladiatores esse prohibemus.

10. Moveor secundò rationibus: nam, prætérquam quòd hujusmodi conflictus habet speciem duelli, ut consideranti patet, milites hoc modo certantes videntur exponi temerè probabili periculo vitæ, ex quorum morte victor, seu victoria non dependet. Tum quia, hoc modo est tentare DEUM; & imprudenter hoc fit, cum securiùs, & consultiùs sit defendere publicum bonum, seu Rempublicam omnibus viribus, quàm paucis hominibus. Cùm igitur in hisce conflictibus adsint conditiones duelli, & omnia motiva, quibus à juribus Canonicis, & civilibus prohibetur duellum; asserendum est nefas esse Ducibus illos permittentibus, vel non impedientibus; & consequenter pœnas, & censuras jurium ab eis incurri.

11. Moveor tertiò exemplo in Theodosio Imperatore, qui populo in Theatro petenti Gladiatores, respondit. „ Pium Principem oportere „ non tantùm regnare, sed etiam spectare clementer. Panormitanus idcircò, *in cap. Felicis*, „ *de tornoamentis*, ait. Omnes ludos, in qui„ bus periclitatur hominis salus, aut animarum, „ omninò tollendos esse, eò quòd pugnent cum verbo DEI. Synodus quoque Valentina, ut constat *To. 3. Concil.* edit. Venet. apud. Baron. *tom.* 10 *Annalium*, *anno 855. in principio*; §. *Statuimus juxtà antiquum Ecclesiasticæ observationis morem*, ad tollendos hujusmodi abusus, præcipuè in populo Francorum, statuit gravissimas pœnas contra quascunque personas illos committentes. Arbitramur igitur hunc singularium certaminum usum fabricante diabolo introductum, ut cruenta corporum morte Animarum etiam perniciem inducat, ideóque ex Christiano Orbe penitùs exterminandum.

12. Huic veritati non obstat, quod hujusmodi conflictus sit indictus authoritate publica, nam neq; bellum ipsum potest suscipi ad vindictã, nisi certa, vel quasi certa humanitas victoria sit, ut optimè ratiocinatur Cajetanus, & notat Valentia, *tom. 3. disp. 3. quæst. 17. de rixa, punct. 2.* Ex morte autem paucorum, quæ potest in dicto certamine sequi, victoria nec certò; nec probabiliter habetur, cùm habeatur tantùm ob mortes multorum; ut fatentur bellantes. Ergo si Dux indicit certamen singulare aliquorum, agit ut persona privata, non ut persona publica: & consequenter illicita erit ejus actio.

13. Concludimus igitur, esse duellum strictè sumptum conflictum, quem aliquando Dux exercitus ad virium ostensionem præcipit, aliquos ex suis militibus cum tot militibus contrarij exercitus ad singulare certamen; in bello quamvis justo exponendo, atque pœnis, censurisvè jurium esse omninò obnoxium.

14. Ad rationes contrariæ sententiæ respondemus. Ad primam, negando non intervenire in dicto certamine omnes circumstantias duelli, ut patet ex secundo, & tertio Not. hic minimè repetend. in gratiam brevitatis.

Ad secundam: Eadem est responsio, quæ data est ad argumentum nobis objectum. Ad tertiam respondetur, non esse verum: improbat enim Summus Pontifex tales conflictus, ut notat Turrecrem. *in Cap. Monomachiam*, *causa 2. quæst. 4.* & ita in proposito peccat mortaliter, non tantùm qui spontè suscipit dictum certamen, utpote duellum strictè sumptum, sed etiam Dux illud præcipiens, permittens, vel non impediens: & consequenter tam Certantes, quàm Dux, ut diximus, omnes jurium pœnas incurrunt. 15.

Infero primò ex dictis, eisdem affici censuris, ac pœnis eos, qui componunt pactiones certandi, scribunt, publicant; & sic de aliis, ut in allegata Bulla Clementis VIII. publicata Romæ die 2. septembris, anno 1562. §. 7. clarè habetur, quam refert Quaranta in suo Bullario, ad verbum, *verb. Duellum*, *fol.* 294. 16.

Infero secundò loca, ubi ex condicto certatur, subjici Ecclesiastico interdicto: ut notat Molf. *loc. cit.* 17.

Infero tertiò, Certantes modo dicto effici infames, & omnibus bonis privari, esseque puniendos, tanquam homicidas: & si in ipso conflictu decesserint esse Ecclesiastica sepultura privandos. Molf. *loc. cit. num.* 17. & alij hanc materiam fusiùs examinantes. 18.

Infero quartò, peccare etiam exercituum Duces, locorum Magistratus, eosqua omnes, qui quomodocunque consilio, vel auxilio, vel mandato cooperantur hujusmodi conflictibus, quibus & gravissimæ pœnæ in Concilio Trid. *Sess. 25. de Ref. c.* 19. decernuntur: Principes quoque semper peccare, & incurrere eas pœnas, si assensum præbeant hisce duellis, sive ea concedant; quamvis in aliquo casu extraordinario, ad vitanda majora mala, & scandala, possint illa permittere, ut docet Nicol. de Lyra, *in cap. 17. 1. Reg.* Cajet. apud Valentiam, *tom. 3. disp. 3. q. 17. punct. 2.* & nos alibi demonstravimus. Molfes. *in Sum. p. 1. tract. 7. cap. 18. n.* 22. 19.

Infero quintò, peccare mortaliter Sacerdotes, seu Cappellanos exercitus, aliosque Ecclesiasticos, qui dant in hujusmodi conflictibus, seu duellis benedictionem, sicut alicubi est consuetudo. Turrecrem. *in cap. Monomachiam*, *causa 2. quæst.* 5. 20.

Infero sextò, milites, aliosvè, qui ob privatas inimicitias seipsos invitant ad pugnandum, & districtis ensibus alter alterum occidit, non dici propriè committere duellum, nec incidere in pœnas duellantibus inflictas, quia tunc deficit assignatio temporis, & determinatio loci, quæ requiritur ad duellum propriè dictum, ut ex Bulla Gregor. XIII. quo pacto intelligenda videtur, etiam præfata Bulla Clem. VIII. cùm facta fuerit ad roborandam, & augendam illam Gregorij, ut notat Floronus, *cap. 2. contra Peregrin. quæst.* 20. 21.

Infero septimò, non committi duellum à viris, pugnis, brachijs, vel instrumento non periculoso sese petentibus, & multò minùs à mulieribus, quæ non solùm verbis, sed etiam evulsione capillorum inter se altercantur. Ugolin. *de potest. Episcop. p. 1. c. 7. num. 2.* Filliuc. *tract. 15. cap. 5.* 22.

quæst. 5. *num.* 106. Bonacina, & alij, Ratio est, quia hujusmodi certamen non fit cum periculo mortis, vel mutilationis, vel vulneris. Idem dicendum putat Bonacina, *de excomm. in part. disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 48. *num.* 11. etiamsi ex hujusmodi contentione pugnis facta aliquandò mors subsequatur: ratio cui innititur est, quia de rarò contingentibus lex non curat, *l. nam. ad ea, ff. de legibus.*

23. Infero octavò, non affici pœnis contra duellantes impositis illum, qui cum altero contendens, cùm armis destitutus sit, domum adit ad capienda arma, nulla facta ad duellum provocatione, & postmodùm rediens ad inimicum, illum ira percitus diffidat, & statim aggreditur. Filliuc. *loc. cit. num.* 111. quia hæc non est pugna ex condicto, statuto loco, & tempore.

24. Infero nonò, non incurrere excommunicationem eum, qui transeundo obiter per loca, ubi certatur, duellum aspiceret; quia non est propriè spectator ex proposito, ut notat Sanchez, *cap.* 39. *num.* 31. Et multò minùs peccare, nec incurrere censuras eos, qui accederent causa dividendi pugnam, ut impedirent principales, ne pugnarent; imò teneri sub præcepto duellum dirimere, si commode possint. Molf. *loc. cit. n.* 19.

XIII. DIFFICULTAS.

An Duces possint licitè in bello justo suis militibus mandare, ut fæminas, & infantes, aliosque innocentes occidant.

1. NOtandum primò, mandatum, seu præceptum esse, quod alicui agendum committitur, fierique à potestatem habente; dici verò à mandare, quod est committere, injungere, jubere. Teren. *in Adelp.* Mandatum trahere originem ex officio, atque amicitia, notat F. Balduin, *lib.* 3. *Institut. Justinian. tit.* 26. *de mandato.*

2. Notandum secundò, posse licitè aliquandò per accidens in bello justo interfici innocentes; & hoc quidem scienter; puta, cum traditur igni, & ferro Civitas, aut Arx, in qua constat multos reperiri innocentes; fæminas, infantes, senes, & similes; aliàs bellari contra nocentes non posset; & bellica virtus rarò deduceretur ad praxim. Ita communiter DD. inter quos Vict. *Relect.* 6. *de jure belli, num.* 37.

3. Notandum tertiò, in ipso belli conflictu licitum esse omnes indifferenter interficere è contrario pugnantes, sive sint viri, sive fæminæ, sive adulti, sive infantes: quod etiam dicitur in oppugnatione, vel defensione civitatis; cùm justè bellantibus reddatur omninò impossibilis victoria pacisque; nec non securitatis consecutio, nisi ex adversa parte impedimenta, scilicèt, Dimicantes tollantur. Ita docet Molina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 122.

4. Notandum quartò, ut *in lib.* 1. Difficult. pertinentium ad Principes demonstratum est, in bello justo aggressivo licitum esse inferre hostibus omnia illa mala, quæ necessaria censentur pro plena satisfactione, & Reipublicæ tranquillitate. Ita notat Trullen. *in Decal. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 5. *sub num.* 3. in bello verò defensivo, solùm licitum esse Aggresso lædere hostes quantùm fas est ad recuperationem rei propriæ; & ad defensionem sui corporis, & etiam occidere, si aliter se non potest defendere ab hoste invadente; quia quisque habet jus se tuendi. Idem, *loc. cit. n.* 2.

5. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Duces possint licitè in bello justo, suis militibus mandare, ut fæminas, & infantes, aliosque innocentes occidant, videtur affirmativè esse respondendum: nam Filij Israel primò interfecerunt infantes, ut patet Jos. 6. in Jericho: & postea Saul. 1. Reg. 15. interfecit pueros in Amalec, utrumque authoritate, & mandato Domini. Præterea Macedones cùm Thebas cœpissent, fæminas quoque, & infantes interfecerunt. Idem de Thracibus capta Mycalesco, testatur Thucydides, *lib.* 1. Idem de Romanis, qui capta Ilurgi urbe Hispaniæ, sine discrimine interemerunt etiam mulieres, & pueros. Appian. L. *ann.* 1.

6. Veritas tamen est, nequaquam Ducibus, licitum esse mandare suis militibus ut in bello quantumvis justo per se, & ex intentione interficiant fæminas, infantes, aliosque innocentes, Ita Vict. *Relect.* 6. *de jur. belli. num.* 35. Covarr. *in regul. peccatum, p.* 2. §. 3. *num.* 4. Major. *in* 4. *Dist.* 15. *quæst.* 20 Gabriel. *ead. dist. quæst,* 9. *art.* 1. *conclus.* 4. Sylv. *verb. Bellum*, 1. *quæst.* 10. *conclus.* 3. & alii communiter.

7. Moveor primò ex Sacra Scripturà. Exod. *cap.* 23. *num.* 7. *Insontem, & justum non occidas.* Ergo Duci non licet præcipere per se, & ex intentione occisionem fæminarum, & infantium, qui censentur insontes, cùm sit directè contra DEI præceptum.

8. Moveor secundò jure præcipuè Canonico, *causa* 23. *quæst.* 1. *Cap. Quid culpatur*, & ibi Glos. *Cap. Militare. Cap. Apud*; ubi expressè excluditur à justo bello nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas. Quæ major crudelitas, quàm occidere per se, & ex intentione fæminas inermes, infantes inhabiles ad se defendendum? Profectò, quod crudele est, illicitum in se; & à jure prohibitum, non potest licitè præcipi. Rei enim turpis nullum est mandatum, neque perficiendum, si suscipiatur. Et est communis sententia à nemine controvertenda.

9. Moveor tertiò rationibus: nam fundamentum justi belli est injuria præcipuè perduellis, ut ostendit Innocen. *in Cap. Olim, de restit. spol.* Graff. *p.* 2. *decis. lib.* 2. *de bello, cap.* 22. *sub num.* 3. Atqui injuria non est ab innocentibus, ut sunt fæminæ, infantes. Ergo non licet Ducibus contra illos rigorem belli exercere, illorum interfectionem imperando. Tum quia, punire in propria Republica pro delictis malorum innocentes omnia jura vetant, ideòque illicitum. Ergo etiam illicitum erit pro delinquentium injuria punire innocentes apud hostes, seu in aliena Republica, quando adversùs eam est bellum justum. Ergo illicitum hujusmodi punitionem præcipere.

10. Moveor quartò exemplo in Filijs Israël, quibus à DEO facultas datur interficiendi omnes ge-

neris masculini, cum vi ceperint Civitatem, exceptis mulieribus, & infantibus. Deuteron. *Cap.* 20. Si igitur DEUS vetat interficere apud hostes mulieres, & infantes: Sanè Dux mandans hujusmodi interfectionem meritò culpatur, cùm operetur contra DEI præceptum, intendátque potiùs vindictam, quàm pacem, juxta illud Ezechielis, 25. *num.* 12. *Pro eo, quod fecit Idumæa ultionem, ut se vindicaret de filijs Juda, peccavitque delinquens; & vindictam expetivit DEUS.*

11. Concludimus igitur, nequaquàm licere Ducibus in bello quantumvis justo suis militibus mandare fœminarum, puerorum, aliorúmque Innocentium internecionem.

12. Ad rationes in oppositum respondemus. Ad primam, quòd Deus erat iratus, & indignatus contra populos illos; propterea voluit perdere omninò, quemadmodum fecit in Sodoma, & Gomorra ignem mittens, qui omnes incenderet tam delinquentes, quàm innocentes: DEUS enim est supremus Dominus omnium, cujus in homines jus majus est, quàm hominum in bestias: atque ideò nec si quid DEUS interdum facit tale, id nobis exemplum trahendum est, ob plenissimum illud dominij jus, quod ille in nos habet, nobis verò alteri, in alterum non concessit.

13. Ad secundam respondetur, quæ ibi narrantur gesta, fuisse crudelitatis opera, quam à justo bello excludit omninò Textus, *caus.* 23. *quæst.* 1. *Cap. Quid culpatur.* Præterquamquòd, Historia hujusmodi facta nobis proponit, ut ea detestemur, non ut ea imitemur.

14. Infero primò ex dictis, etiam in bello contra Infideles non licere Ducibus mandare militibus, ut interficiant fœminas, & infantes: quia quantùm ad bellum spectat, præsumuntur innocentes; nisi fortè constaret, quòd aliqua fœmina esset delinquens. Ita Victoria, *Relect.* 6. *de jure belli, num.* 36.

15. Infero secundò, neque licere Ducibus mandare militibus, ut occidant innoxios Agricolas apud Christianos, nec Togatos, nec Peregrinos, nec Hospites, qui versantur apud hostes, quia præsumuntur innocentes, nisi contrarium constaret. Mulina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disput.* 119.

16. Infero tertiò, neque licere Ducibus, parta victoria, mandare, ut interficiant filios Sarracenorum, & multò minùs filios Christianorum, licèt possint præcipere occisionem malefactorum, illorum scilicet, qui causam belli dederunt, causa priùs cognita, an nocentes sint. Azor. *tom.* 3. *lib.* 2. *capit.* 7. *quæst.* 8. Trullen. *tom.* 2. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 2 *dub.* 5. *sub num.* 3.

17. Infero quartò, Duces belli teneri obviare innocentium occisioni, aliisque delictis, alioquin committendis per eorum milites. Ita docet Aplacha, *in opit. delict. cap.* 28. *num* 30. *fin.* Farinac. *quæst.* 51. *num.* 48.

18. Infero quintò, non esse laudandos Duces, qui mandant militibus interficere in bello supplices, vel in templa perfugientes; nam S. Aug. *lib.* 1. *de Civit. Dei, cap.* 2. laudat Gothos, qui supplicibus, & in templa perfugientibus pepercerunt, dicens. Quod belli jure fieri licuisset, illicitum „ sibi esse judicarunt.

Infero sextò, non esse obediendum Superiori præcipienti, si id, quod præcipit, est peccatum; patet ex Tex. *Cap. Quæ contra,* 8. *Dist. causa* 11. *quæst.* 3. *Cap. Si Episcopus quis fortè. Cap. Si quis Episcopus. Cap. Non semper,* & ibi Gloss. *in verb. Præcepta,* asserens, non esse Judici obediendum, si præcipiat aliquid injustum, inhonestum, vel incommodum, ut *ff. de recept. si cùm dies,* §. *Compromissi,* & *caus.* 2. *quæst.* 2. *Cap. Præceptum,* & *ff. de judic. si longiùs,* & Turrecrem. *in Cap. Manifestum est itaque. causa* 32. *quæst.* 5. *num.* 5. Secùs verò, si non constat illud esse peccatum; cùm subditus non possit de sui Superioris præcepto cognoscere, quod est fundatum super jure divino, super illo Lucæ, *cap.* 10. *Qui vos audit, me audit,* ut probat D. Basilius. *in libro Monasticarum Constitutionum, cap.* 22. ubi ait. Quod dixit Christus Discipulis, intelligendum „ est de omnibus subditis respectu Superioris. „ 19.

Infero septimò, in dubiis semper esse obediendum, *caus.* 23. *q.* 1. *Cap. Quid culpatur, ante fin.* nam possessio favet Superiori. Unde D. Hieronymus in epistola ad Rusticum, dicit, Præpositum timeas ut Dominum, diligas ut „ parentem, credas salutare quicquid ille præ- „ cipit. 20.

Infero octavò, Debitorem non teneri obedire Judici præcipienti, ne solvat Creditori suo damnato ad mortem, vel de gravi crimine accusato, cui juraverat solvere; quia tali rectè solvitur, *leg. Reo criminis, ff. de solut.* aliàs incurreret perjurium, quia magis debuit timere DEUM, quàm Judicem. *causa* 11. *q.* 3 *Cap. Qui resistit.* Felin. *in Cap. Constitutus, num.* 13. *vers. limita.* 21.

Infero nonò, obedientiæ causa nunquàm malum esse committendum, licèt aliquando bonum debeat intermitti. Hostien. *Sum. de major. & obed.* §. *Ad quod.* Et in dubio, an res bona sit, nec nè, obedientia dicitur excusare; dummodò exortum dubium virtute obedientiæ priùs vincatur, & licitè credatur fieri, quod à Superiore præcipitur. Nav. *in Man. cap.* 23. *n.* 37. 22.

Infero obiter decimò, diversis Episcopis contraria jubentibus, puta, uno ratione beneficii, altero ratione domicilij, subditum teneri obedire in dubio primo jubenti; dummodò non sit injustum id, quod jubetur. 23.

Infero undecimò, obedientiam rectè ordinatam esse excellentissimam virtutem, hominémque reddere meliorem, & summè perfectum. Castitas enim dominatur carni; paupertas rebus exterioribus: ipsa verò imperat menti; & ideò melior est obedientia, quàm victima. Extravag. *Quorumdam, de verb. signif.* & ibi Gloss. *extra, de major. & obed. Cap. Illud, & arg. ad hoc, ff. de re milit. l.* 2. §. *In bello,* cum ibi not. 24.

XIV.

XIV. DIFFICULTAS.

Dux exercitus centum aureos primo intranti Arcem, quam obsidebat, promisit cum juramento: sex simul ingressi sunt; dubitatur, an nemini, aut cui ex justitia debeatur præmium promissum.

1. NOtandum primò, promissionem ex Theologis esse deliberatam, & spontaneam fidei obligationem factam alicui de re quapiam, quæ sit honesta, & possibilis; ideòque debet, qui promittit se obligare alteri ex virtute fidei, sive fidelitatis; ut rectè notat Sotus, *lib. 7. de just. q. 1. art. 2.* Meritò igitur Alcibiades apud Platonem *in Symposio*, ait. Se quoties Socrati occurrat verecundia affici, quia promissa non servaverit, atque cupere Socratem ob id è vita excedere.

2. Notandum secundò, duplicem esse promissionem, alteram DEO factam, alteram homini: prior votum nuncupatur, de quo disputat D. Thom. 2. 2. *qu.* 88. Posterior verò servat nomen promissionis, quæ apud Jurisconsultos sortitur varia nomina: vocatur enim pollicitatio, quæ est nuda promissio, nondum secuta acceptatione, scilicet, quando solùm offertur à promittente; pactum, quando acceptatur à promissario: unde est illod Ulpiani, *l. 3. ff. de pollicitationibus*; pactum est duorum consensus, atque conventio.

3. Notandum tertiò, promissionem homini factam posse esse triplicem, nempè, gratuitam, seu liberalem, onerosam, qualis est in contractibus, & juratam.

4. Notandum quartò, ut promissio gratuita, seu liberalis jurata, de qua præcipuè hic loquimur, ut sit valida, & obligandi vim habeat, quædam requiri ex parte promittentis, alia ex parte promissarij, alia ex parte rei promissæ. Ex parte promittentis, requiri primò, ut possit se obligare. Secundò, ut velit, & intendat se obligare. Tertiò, ut consultò, ac deliberatè id faciat. Quartò, ut spontè, & voluntariè promittat. Ex parte promissarij requiri, ut acceptet promissionem. Ex parte rei promissæ requiri, ut sit licita, & honesta: si secùs fiat promissio est irrita, ut patet, *ex l. Pacta, Cod. de pactis*.

5. His adnotatis, ad propositam difficultatem, quæ duo membra continet, scilicet, an nemini teneatur Dux dare, quod promisit cum juramento primo Arcem intranti, aut cui. Ad primum respondeo, teneri sub mortali implere promissum. Sanchez, *tom. 1. disp. 5. num. 20.* Nald. *in Sum. verb. Promittere, num. 1.* Turrecrem. *in cap. Quia Joannes, num. 5.* Vasq. *1. p. d. 85. cap. 6. num. 4.* Fill. Mald. & alij.

6. Moveor primò juribus, *in cap. 2. de pactis, in 6. cap. Cùm contingat, de jurejur.* ubi dicitur servari debere hujusmodi juramenta, sine vi, dolo, sed spontè præstita.

7. Moveor secundò rationibus: nam hujusmodi promissio utpotè jurata debet esse vera, & fidelis. At virtus veritatis non obligat, ut verba nostra conformemus menti, & facta conformemus verbis, ut simus veraces in dicendo, vel promittendo: ita Cajetan. *in 2. 2. q. 113. art. 1. sub fin.* & colligitur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 80. *art. unic. ad 3.* Virtus verò veritatis, qua tenemur sincerè promittere, & promissum præstare, ne simus mendaces, semper obligat sub peccato: quia mendacium semper est peccatum, aut veniale, si nemini nocet, aut mortale, si graviter nocet: ut docet D. Thom. 2. 2. *q. 110. art. 2. & 4.* Virtus quoque fidei, sive fidelitatis, qua tenemur promissum præstare, ne simus infideles, & perfidi, per se obligat sub mortali, nisi parvitas materiæ excuset. Ita Navarr. *cap. 18. num. 6.* Sotus, *lib. 7. de just. quæst. 2. art. 1. ad 2.* Sylv. *verb. Pactum, num. 4.* & alij. Virtus denique Religionis, cujus juramentum est actus, quo tenemur promissum præstare, ne simus perjuri, per se obligat sub mortali: cum perjurium est peccatum mortale, & quidem gravissimum, ut omnes fatentur cum D. Thom. *in 2. 2. quæst. 89. art. 3.* Ergò cùm Dux promiserit centum aureos primo Arcem ingredienti, & juramento promissionem firmaverit, licèt plures simul intraverint, obligatur sub mortali præmium promissum dare. Tum quia, hujusmodi promissio non est pactum nudum, seu promissio simplex, cùm præter juramentum, onus imponatur, nempè, ingressus celer in Arcem, sed est promissio onerosa, in qua locum habet virtus justitiæ, qua obligamur tribuere unicuique quod suum est; cùm generatim definiatur justitia ab Ulpiano, *leg. Justitia, ff. de just. & jure.* Constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Similis est sensus S. Aug. *lib. 10. de Civit. Dei, cap. 21.* D. Amb. *lib. 1. de offic. cap. 24.* D. Thom. 2. 2. *q.* 58.

8. Moveor tertiò exemplis, seu potiùs apophthegmatibus, quibus ostenditur in magnum dedecus Ducum redondare promissum non impleere. Chares Atheniensium Dux quidvis, cuivis pollicebatur; at non præstando, quod promittebat, fuit ab omnibus derisus. Hinc proverbium de irritis pollicitationibus, *Charetis pollicitationes.* Eras. *in Adag.* Antigonus Rex Demetrij nepos, eò quòd benignè promitteret omnibus, nec præstaret promissa, populari joco dictus fuit, *Doson*, quasi latinè dicas, *Daborem* quòd ille quodvis petentibus respondere soleat, *Dabo.* Plutarchus, *in vita Paul. Æmilij.* Præstanda sunt igitur militibus præmia, quibus animantur, ne decepti, dum dedecore Dux promittens afficitur, ipsi aut bellum deserant, aut animum bellandi.

9. Ad secundum difficultatis membrum, scilicet, cui præmium promissum debeatur, cùm plures Arcem simul intraverint eodem tempore, respondemus esse inter illos dividendum. Imol. *in Clem. Et si principalis, de Rescript.* Bart. *in l. hoc articulo, de hæred. instit.* Nald. *in Sum. verb. Promittere, num. 18.* & omnes communiter DD.

10. Moveor primò juribus, *in leg. & hic Tiber. ff. de hæred. inst.* ubi habetur, quòd in re dubia æqualis divisio laudari solet.

Move-

11. Moveor secundò rationibus; nam præmium fuit promissum pro tali actu faciendo. Ergo talem actum facienti dandum est præmium. Ergo si sex talem actum faciunt, nempè Arcem simul eodem tempore ingrediuntur, inter sex est dividendum; cùm non sit major ratio, cur totum potiùs dent uni, quàm alteri.

12. Moveor tertiò exemplo. Nam Dux Lotharingiæ nostrorum temporum Mars, Armorúmque Leopoldi Primi Imperatoris electi Dux, præmium promisit primo ingredienti Turcarum Castra, Viennam Anno 1683. obsidentium; suborta lite inter plures Castra simul ingredientes, dividi inter illos promissum, & præstitum præmium prudentissimus Dux ordinavit, Teste quodam Equite, factum mihi sincerè referente.

13. Concludimus igitur, præmium promissum ei, qui primus Arcem intraret, esse æqualiter dividendum inter eos, qui simul eodem tempore intraverunt.

14. Infero primò ex dictis, prudentis non esse multùm promittere, & parùm, aut nihil præ- „ stare. Phocion dicere solebat. Non magna „ quidem hominibus promittenda, sed magna „ facienda esse. Verùm ejus dictum nostris temporibus invertitur passim. Quot aureos montes, ac Cræsi opes pollicentur hominibus, cùm ne Gry quidem præstent? Stob. *Serm. de prudentia.*

15. Infero secundò, non esse laudandum, & multò minùs sequendum morem Titi Cæs. Vespasiani F. qui cùm admoneretur, ne tam facilis esset ad pollicendum, quòd longè plura promitteret, „ quàm præstare posset, respondit. Non opor- „ tere quempiam ab Imperatoris conspectu tri- „ stem discedere. Sueton.

16. Infero tertiò, non esse facilè credendum iis, qui splendidè, ac magnificè pollicentur, cùm possint esse similes, ut asserit Phocion, Cupressis; quæ egregium quid polliceri videntur, at steriles omninò sunt. Unde cùm Leosthenes Civitatem Atheniensium ad bellum pepulisset, magnificis speciebus ad nomen libertatis, ac principatus erectam, Phocion illius verba dicebat, esse Cupressis similia; quæ sublimes cùm sint, ac pulchræ, fructum non habent. Plutarch. *in apoph.*

17. Infero quartò, nudam promissionem, antequam in pactum transeat, quod fit per acceptationem, ordinariè non obligare, nec actionem parere in foro civili. Est communis sententia, ut testatur Gomezius, *tom. 2. cap. 9. num.* 1. Ratio est, quia obligatio non nascitur, nisi ex duorum mutuo consensu, *l. 1. ff. de pactis.* Hinc sequitur promissionem ante acceptationem revocari posse; ut clarè deducitur, *ex l. Absenti, 10. ff. de donationib. & l. si pater, ff. de manumiss. vindicta.*

18. Infero quintò, omnes promissiones, & pacta irrita esse jure civili, quorum impletio est contra bonos mores. Censentur autem esse contra bonos mores, quæ præbent occasionem peccandi, ut si Titius promitteret alicui, quod non tenebitur imposterum de dolo, de vi, de injuria, de furto, *leg. 27. ff. de pactis.*

Infero sextò, omnes promissiones, & pacta irrita esse jure divino, & naturali, quorum impletio est illicita, & lege prohibita; ut si quis promittat se commissurum furtum, homicidium, adulterium, & alia delicta. Ratio est, quia nemo potest obligari ad peccatum. Hinc, Isid. *rel. in Cap. In malis, caus. 22. q. 4.* In malis promissis rescinde fidem. Et infrà. Impia est enim „ promissio, quæ scelere adimpletur. Nec re- „ fert etiam si juramentum intervenerit; nam tritum est, illud juramentum non esse vinculum iniquitatis. 19.

Infero septimò, quod promittens hæredem instituere Titium, qui ob hanc promissionem donat ei centum, non tenetur illud adimplere. Textus est clarus *in l. Cùm donationis, Cod. de transact.* cùm sit contra bonos mores, ut expressis verbis advertit ibi Gloss. 20.

Infero octavò, eum, qui pecuniam promittit servo alieno, etiam ipsius Domino vetante, nihilominùs eidem Domino obligari; *l. Servus, vetante Domino, de verb. oblig.* 21.

Infero nonò obiter, promissionem solvendi tribus vicibus, sive terminis, absque ulla expressione, intelligi de tribus annis, ut egregiè docet Bartol. *in l. 3. ff. de annu. leg.* Nam quilibet terminus, seu quodlibet tempus verificatur in ann. Gloss. *in l. usur. in verbo, soluta*, ubi etiam Bal. *Cod. de usur.* 22.

Infero decimò pariter incidenter, promittentem dare aliquid in diebus certarum nundinarum, non dici obligatum, nisi ad diem ultimum nundinarum, *l. eum, qui, de verb. oblig.* Nam in obligationem semper deducitur id, quod minus est, & verba in contractibus, ita sunt accipienda, ut minimam obligationem inducant, *l. si ita stipulatus fuero, de verb. oblig.* cum similib. 23.

Infero undecimò, promittentem sub fide Dei dici jurare, secundùm omnes, sed dicentem sub fide, quam habet in Deum, secundùm aliquos, non dici jurare. Ego tamen sentio jurare, cùm nulla possit constitui differentia inter hunc modum, & illum, ut tenet Abb. *in Cap. Ad aures, de eo, qui mit. can.* 24.

Infero duodecimò, non esse serviendum Amico, licèt facta fuerit promissio de omni servitio præstando, si Amicus aliquid turpe petat. Unde Pericles Amico, qui falsum testimonium, quod juramento erat dicendum, ab eo flagitabat, Usque ad aras, respondit, se amicum esse. Plut. *in Apoph.* Ex quo dicto ortum habuit commune proverbium: *Amicus usque ad aram.* 25.

XV. DIFFICULTAS.

An liceat Ducibus in hospitio recipere aliquid ultrà id, quod est taxatum à Principe.

NOtandum primò, tempore belli fieri commissionem, quæ regulariter esse solet; ut 1.

Incolæ dent militibus, ut nos Itali dicimus, *Case-Erme*, ad milites hospitandum. Cesped. *in Dub. militar. dub* 75.

2. Notandum secundò, tempore belli justi posse Duces exercitus adstringere Universitates tenere ret venales eo modo, quo mandat commissio, nempè: *Siano obligati tenere li Magazeni aperti, con ogni provisione di pane, e vino, &c. al prezzo, che valeva quindici giorni prima, che vi andasse detta Compagnia.* Molfes. *in Sum. tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 13. *num* 118. Ita publico Buno exigente.

3. Notandum tertiò, licere Communitatibus, seu Universitatibus se ab hisce oneribus liberare, & se componere cum militibus, quia natura sua hoc totum est pretio æstimabile; & quicunque se liberat ab aliquo onere justè solvit mercedem æqualem moraliter illi oneri. Ita mihi responderunt quidam doctissimi exercitus Auditores, quos in hac materia per literas consului; afferentes minimè obstare Regiam Pragmaticam prohibentem hujusmodi compositiones fieri.

4. Notandum quartò, nullo modo esse licitam in foro conscientiæ hujusmodi compositionem, sed graviter peccaminosam, oneri annexam restitutionis, si fieret non voluntariè, sed per militum concussionem, vel satis ultrà æqualitatem reciperent milites ex dicta transactione, & compositione.

5. Notandum quintò, adesse in aliquibus Locis consuetudinem, ut hospites gratis tribuant militibus, ligna, paleas, aquam, sal, acetum, oleum, aut aliud simile, quodque præsertim in Angriæ Insula practicari, testantur Historiæ,

6. Notandum sextò, milites, qui Rusticos, aut alios hospites gravant, ab eis exigendo plùs, quàm illis dare tenenantur, peccare, cum onere illis restituendi quod insuper accipiunt, nisi fortè in pœnam alicujus delicti, aut Princeps, aut Dux sua auctoritate tale gravameo imponeret. Cajet. *verb. Bellum.* Driedo, *lib.* 2. *de libert. Christ. cap.* 6.

7. Notandum septimò, tempore belli frequenter accidere, incolas timendo, ne molestentur, & vexentur à militibus, convenire cum Ducibus ultra taxam eis aliquid solvere, ut sic milites à damnis inferendis cohibeant.

8. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Duces exercitûs in hospitio possint licitè ab Incolis aliquid ultra Id, quod est taxatum à Principe, accipere, ut vulgò dicitur, *pro quieto vivere*, nempè ut milites quietè vivant, neminem concutiant, nulli damnum, aut injuriam inferant, videtur negativè respondendum cum Molfesio, *in Sum. tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 13. *num.* 127. & alijs: nam Duces, alijqui militum Superiores tenentur ex officio custodire milites, ne alicui damnum inferant: & ita minimè facientes, mortaliter peccant, & damna illata; & oblatum ab Incolis, utpotè contra justitiam receptum, restituere tenentur.

9. Hæc sententia generaliter loquendo, utpotè justitiæ, ac rationi conformis est tenenda. Verùm, nè scrupulis petantur Duces exercitus, dum bello hostes debent petere, posse in aliquo casu recipere, & tuta conscientia retinere putamus id, quod ab Incolis ultra taxam eis datur, dummodò collectivè has observent conditiones, nempè majorem diligentiam adhibeant ad frænandos milites, oè crudeliter tractent hospites, feriant, aut inquietent; ac adhibere soleant communiter alij Duces: & id, quod recipiunt, non sit excessivum, sed moderatum, & hujusmodi donativum non sit violentum, sed omnimodè ultroneum, Ita Cespedes, *in Dub. militar. dub.* 74 & omnes Doctores, qui, in casu simili sustinent posse Advocatum pro majori studio, ad quod non tenentur, recipere à Clientibus stipendium majus illo, quod est taxatum vel à lege, vel à consuetudine, vel à Judice prudente viro; sic Bonacina, *in Sum. verb. Advocatus, n.* 6. Lessius, &c.

Moveor primò juribus, *in l, secundùm naturam, ff. de reg. jur.* ubi habemus, quod qui habent commodum, sentire debent incommodum. Ideóque Incolæ, seu hospitantes si aliquid dent ultra taxam Ducibus, ut per eorum majorem diligentiam commodum recipiant, quod est, *quieto vivere*, possunt illud Duces recipere licitè, & retinere. 10.

Moveor secundò ratione: nam Duces illam majorem diligentiam ad cohibendas militum manus, facere non tenentur, ut casus noster supponit: ideóque si illam faciunt, jam aliquid præstant pretio æstimabile; Ergo fas est pro eo aliquid accipere, & retinere. 11.

Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi: scimus enim, & nostris temporibus videmus passim à Ducibus belli recipi, & sine scrupulo retineri, quod eis offerunt Incolæ, ut exercitio majoris eorum diligentiæ effugiant damna, quæ à militibus non frænatis fortassè paterentur; aliàs, oh, quot Duces ob militiam terrestrem desperato, seu amisso cælestis Capitolij triumpho, æternis hostium infernalium stragibus subijcerentur! 12.

Concludimus igitur, licere exercitûs Duci recipere, & tuta conscientia retinere id, quod in hospitio ab Incolis ultrà taxam eis datur, dummodò præfatæ conditiones exactè observentur. 13.

Ad negativæ sententiæ fundamentum patet responsio ex dictis, nempè Duces ultrà taxam, nihil posse recipere ab Incolis, si ordinariam, & quantam exigit eorum officium diligentiam faciunt in custodiendis militibus: Secus verò, si extraordinariam, & majorem, qua tenentur, adhibent diligentiam. Notent hanc distinctionem attentè militum Confessarii, cùm in hoc milites facilè decipi possint; ob interesse, quod ferè omnes obcæcat. 14.

Infero primò ex dictis, Duces & milites in hisce Locis, in quibus recepta consuetudo obtinuit, ut Incolæ gratis tribuant ligna, paleas, oleum, vinum, & similia, posse hæc tuta conscientia recipere, & retinere. 15.

Infero secundò, si daretur casus, in quo Ducibus, & militibus consuetum stipendium non solveretur, & non haberent unde viverent, & Duces, & milites essent omninò necessarij ad Reipublicæ defensionem, posse Duces, & milites non solùm sponte oblatum recipere ab Incolis timentibus militarem sævitiem, sed etiam illis invitis accipere ab eis necessaria. Teneri postea Princi- 16.

pem

pem damnum illarum reparare, seu illis satisfacere de ærario, & redditibus publicis, vel certè liberando illos in posterum ab aliquo tributo quousque compensarent, quæ ita insumpserunt, admonet Molina, *tom. 1. de iust. tract. 2. disp.* 116.

17. Infero tertiò, milites, qui recipiunt cibos, & alia non obligata ab hospitantibus, si spontè dent, non peccare, & consequenter nec teneri restituere. Molf. *in Sum. tom. 1. tract.* 8. *cap.* 13. *num.* 121.

18. Infero quartò, Advocatum posse licitè recipere à Clientibus, quod ei dant hoc intuitu, ut majus studium in causa faciant; nam licèt ex officio teneantur id studium facere, quod alij Advocati communiter solent; attamen majus illud studium facere non tenentur; ideòque illud faciendo possunt, utpotè pretio æstimabile, aliquid pro illo accipere.

19. Infero quintò, nulla alia circumstantia superveniente, peccare Duces, & alios Officiales; si in hospitio recipiunt pro persona sua plures cartellas, aut domus ad habitandum, quàm illis debeantur. Hoc etiam habetur *in leg. 2. Cod. de metat. & epidit. lib. 12.* & ratio est, quia habitatio Ducis militum, quamvis debeat esse majoris amplitudinis, attamen unica sufficit, & sic unicum hospitium.

20. Infero sextò, Duces nihil posse recipere ab hospitantibus pro illorum familiaribus, vulgò *Anventuriero*, seu *Camerata*, quia non sunt milites, sed illos tantùm ducunt ad augendum suum comitatum; unde suis expensis ducere debent, non verò cum damno alterius. Ita etiam docet Molf. *loc. cit. n.* 122.

21. Infero septimò, peccare milites cum onere restituendi, si ab hospitantibus aliquid recipiunt ultra taxam, ad hoc illos cogendo, vel minis, vel domum subvertendo, vel alio modo illos cogendo ad compositionem in pecunia, quæ est manifesta concussio, & sic ingreditur Tex. *in l. 1. Cod. de Salgamo hospit, non præstand. lib. 12.*

22. Infero octavò, Duces belli recipientes solitos, & justos transitus, sed gravando milites insolito itinere, cum spe aliquid recipiendi ab illis Terris, per quas citiùs transeunt, vel ex alio proprio fine, peccare, cum onere faciendi aliquam compensationem militibus. Ita etiam docet Hostiens. communiter receptus *in Summ. titul. de pænitentia. §. Rex.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp.* 116.

23. Infero nonò, Duces, dum transeunt cum exercitu, non posse accipere, & retinere, quæ eis dant Incolæ, ut aliò divertant, nec apud eos diversentur, imò teneri ad restitutionem: quia jus non habent hìc, & illic commorandi, sed in uno tantùm loco. Hoc etiam docet Molina, *loc. cit.* Cespedes, *in Dub. militar. dub.* 25.

24. Infero decimò, Duces sine justa causa non manentes in hospitio, sed alibi residentes, non debere suas habere cartellas in hospitio. Quidquid dicant aliqui: quia de jure communi stipendium non consequuntur milites, nisi actu serviant.

25. Infero undecimò, non solùm Duces, & milites peccare cum onere restituendi, si accipiant in uno quoque Oppido plura chirographa, seu plures cartellas, ad plures distinctas domus, ut in unoquoque hospitio recipiantur; sed etiam Ministros, qui chirographa, seu cartellas concedunt, dummodò Duces, aut milites non restituant. Ita sentit quoque Molina, *loc. cit.*

26. Infero duodecimò obiter, non esse simoniam accipere stipendium concionis, ut pretium laboris, qui suscipitur propter circumstantias aliquas extrinsecas, ut est, v. g. majus studium, major diligentia in componenda concione, major ars, & major labor in illa dicenda. Idem dicitur de stipendio Missæ, quando accipitur ut pretium laboris, ob obligationem celebrandi in tali Loco distanti, in tali tempore, &c.

XVI. DIFFICULTAS.

Mercator, ex conventione facta, dat certum quid Duci Exercitûs, ut Milites emant in suis Apothecis vestes: Dubitatur, an licitè sibi datum possit retinere.

1. NOtandum primò, emptionem esse contractum, qui consensu perficitur pretij pro merce. Venditionem verò esse contractum eodem modo, qui perficitur consensu mercis pro pretio. Ita Sola, *de empt. & vend. dub. 1 num. 4.* Filiuc. *de contract. oner. cap. 1. q. 2. n. 5.* & communiter, *ex l. 1. ff. de contrah. empt.*

2. Notandum secundò, emptionem esse contractum in bonum utriusque contrahentis; ideóque requiri in utroque æqualitatem dati, & accepti. Ita communiter DD.

3. Notandum tertiò, tria requiri ad substantiam emptionis, mercem, pretium, mutuum consensum; & mercem dici quamlibet rem vendibilem; cujus dominium potest transferri in alium, *l. sicut, §. Venditionis*, ubi Gloss. *ff. quibus modis pign. vel hypothec. solvat.* Pretium esse pecuniam, quæ secundùm ejus valorem dicitur pretium, ut secundùm materiam, vel aliam circumstantiam extrinsecam, puta, quia est vetus, pulchra, commoda, ad transferendum: posse etiam esse mercedem. Consensum verò, qui dicitur à dictione, con, id est simul, & sensus; esse copulam quamdam animorum, ut notat Bald. communiter receptus, *in l. ab eo, num. 2. Cod. quomodò, & quando Judex.* Et requiri ad validitatem contractûs, *lib. 1. §. Conventionis, ff. de pact.*

4. Notandum quartò, venditionem, & emptionem aliam esse naturalem, qua emuntur necessaria ad sustentationem suam, & familiæ, & superflua venduntur; & aliam artificialem, qua, scilicèt, emitur aliquid, vel ut per industriam commutatum vendatur: puta si quis emat lanam, ut indè conficiat pannum, quem deindè vendat, vel eo animo, ut integer, & non mutatus vendatur cariùs ad lucrum comparandum, quæ propriè est negotiatio. Sic communiter DD.

5. Notandum quintò, pretium justum rerum esse duplex, alterum dici legitimum, quod publica authoritate, vel lege constituitur, idque in indi-

visibili consistere, & non posse in nihilo præteriri. Alterum esse naturale, seu vulgare, seu arbitrarium, quod constituitur communi hominum æstimatione, habita naturali ratione, secundùm rerum naturas non in se, sed in ordine ad usus humanos, juxtà cujuscunque Regionis consuetos mores. De Lugo, *d. 26. sect. 4. & 5.* Lessius, & alij.

6. Notandum sextò, pretium naturale esse triplex, summum, medium, infimum; & summum appellari maximum, supremum, rigorosum. Medium dici mediocre, & moderatum. Infimum verò nuncupari ultimum. En exemplum. Ulna panni, quo miles vestitur, solet valere triginta duobus julijs ad summum; erit ergo hoc pretium supremum, ad minùs triginta, vel viginti novem; hoc erit pretium infimum. Quantum verò debeat distare infimum, vel medium à supremo, ut sit justum, certa regula definiri non potest: praxis, & conscientia in negotiationibus hanc possunt docere.

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, quam in terminis apud paucos Auctores, & etiam incidenter reperio agitatam, an Dux exercitûs possit tutâ conscientiâ sibi retinere datum ex conventione à Mercatore, ut milites emant in suis Apothecis vestes, respondemus affirmativè, dummodò milites non fraudentur, vel in pretio, vel in qualitate vestium. Molfes. *in Sum. tom. 1. tract. 8. cap. 15. num. 111.* Cespedes, *in Dub. militar. dub. 69.*

8. Moveor primò juribus, *in lib. cum duobus. §. Si in coeunda, ff. pro socio,* ubi habetur, quod opera pretium requirit. *Et in cap. Cùm secundum, de preb. & Cap. Quicunque suffragio, causa 12. quæst. 2.* ubi mercedem consequitur is, qui alteri inservit.

9. Moveor secundò rationibus: nam Dux tunc est tanquam proxeneta, seu mediator, quem Itali vocant *Sensale*, ut mercator bona sua vendat, & hoc est pretio æstimabile: ideòque quod à mercatore recipit pro hujusmodi mediatione potest Dux tutâ conscientiâ retinere: cùm sit communis doctrina, posse proxenetam pro labore, & industria sua aliquid recipere, & retinere, dummodò nec emptor, nec venditor aliquod patiatur detrimentum. Hinc Cicero, *in primo Tusc.* scriptum reliquit. Ullum vix laborem subire, nisi proposito præmio, aut gloriâ.

10. Moveor tertiò exemplo in illis, qui sunt mediatores ad Beneficium Ecclesiasticum obtinendum, qui ob laborem, seu operationem, absque simonia, possunt aliquid recipere ab eo, qui beneficium consecutus est. Ita asserunt plures Doctores, teste Cespede, *loc. cit.* Ergo à fortiori Dux exercitûs, qui est mediator, ut mercator obtineat in venditione vestium illud lucrum, potest accipere, & retinere, quod ab eo datur ob suam operationem.

11. Concludimus igitur, posse licitè Ducem retinere, quod ei Mercator dat, ut milites emant in suis apothecis vestes, & alia, dummodò ex tali emptione nullum oriatur militibus detrimentum.

12. Infero primò ex dictis, datum à mercatore ex conventione, ut milites emant in suis apothecis esse à Duce restituendum, si hoc resultaret in damnum militum, ut quia ipsi fraudarentur in pretio, vel in qualitate panni, vel quia minori pretio, aut meliorem illo in alio fundaco emerent. Sic docet Molfesius noster celeberrimus Doctor, *in Sum. tom. 1. tract. 8. cap. 15. n. 111.*

13. Infero secundò, posse Sartores accipere à mercatoribus illam partem pretij, quam illis dant, ut ad suam officinam potiùs accedant, quàm ad aliam, ad emendum pannum, pro eis, qui novas vestes sibi comparare volunt, si fideliter agant negotia eorum, pro quibus mercem illam emunt. Molina, *de contractib. disp. 363.* Filliuc. *tract. 35. de contractib. cap. 6. quæst. 3. num. 149.* Et ratio est, quia Mercator habet suam utilitatem, dum Sartores ad suam officinam potiùs accedunt, quàm ad alias: & ex alia parte non pluris venditur merces, quàm valeat, & alteri cuicunque traderetur: ideòque nulla apparet injustitia. Ego tamen hoc negotium Sartoribus, & Mercatoribus me consulentibus, ante factum dissuaderem. Tu verò cogita.

14. Infero tertiò, Ducem cogentem milites ad emendum vestes in tali fundaco, ut fraudet sub tali prætextu eorum stipendia, præter peccatum mortale, & onus restituendi quadruplum, quod acceperit, esse, vel pœna ultimi supplicij puniendum, ut tradit Julius Ferrete, *in tract. de milit. just. & pæn. desert. num. 106. & 108.* vel saltem esse dignitate privandum, ut vult Tex. *in lib. 2. vers. nam si usurpaverint. Cod. de offic. Præfect. Prætor. Afric.* ut etiam notat Ronic. *in Rubr. de milit. n. 5.* Molf. *loc. cit. n. 110.*

15. Infero quartò, ementem in gratiam venditoris, v. g. rogatum, posse emere minoris; & vendentem in gratiam emptoris, posse vendere pluris, juxtà illud proverbium, teste Cajetano, *2. 2. quæst. 77. art. 1.* & approbante Lessio, *lib. 2. cap. 21. d. 4. num. 33.* alijsque apud ipsum. Merces ultroneæ vilescunt pro tertia parte: Undè pannus si in officinis valet novem julijs, si rogor, possum illum emere sex julijs. De Lugo, *tom. 2. de just. d. 26. sect. 4. n. 44.* Thom. Tamb. *in Decal. lib. 8. tract. 3. cap. 7. de empt. §. 4. n. 7.*

16. Infero quintò, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel periculi, licere mercatori vendere militibus, vel alijs ultrà justum ob dilationem. Hoc etiam docet Filliuc. *tract. 35. de contract. cap. 5. quæst. 9. num. 111.* Ratio est, quia id est licitum in mutuo, ut probant DD. Ergo multò magis in venditione: nam dilatio solutionis est quoddam mutuum implicitum: & ideò arbitror, casum esse licitum, *Cap. Naviganti, de usur.*

17. Infero sextò, mercatorem, qui multùm de suis mercibus, vel illas asportando de Castris ad Castra, vel ob furtum, ob naufragium, ob quid simile à se passum, non posse legitimè augere pretium, & vendere illas cariùs, quia res tanti valet, quanti per se æstimatur communiter; non autem quanti sibi ob infortunium, vel imprudentiam valuit. Ita Salas, *de empt. & vend. d. 39.* Thom. Tamb. *loc. cit. n. 11.*

18. Infero septimò, extrà damnum emergens, lucrum cessans, & periculum, fas non esse mercatori

tori pluris credita, quàm numerata pecunia vendere. Molina, *tom. 2. disp. 355.* Less. *lib. 2. capit. 21. d. 6.* & passim. Ratio est, quia in hac dilatione solutionis contineretur implicitum mutuum; atque ideò est palliata usura.

19. Infero octavò, non posse militem, vel alium emere minoris vestem ex eo capite, quòd anticipatè vestem emat, nunc dando pretium, vel partem pretii, recepturus posteà rem ipsam emptam. Molina, *tom. 2. disput. 358.* Less. *lib. 2. cap. 21. d.* quia justum pretium rerum est illud, quo res valent tempore traditionis.

20. Infero nonò incidentar, vendentem frumentum currenti pretio, scientem tamen secretè à Senatu decretum esse, ubi minori pretio vendatur, teneri ad restitutionem. In foro conscientiæ docet Conrad. *de contract. lib. quæst. 66.* Jo. à Medina, *de restitut. q. 31.* cum aliis. Et in foro contentioso docet Bart. *in l. quaro, ff. de act. empt.* Gloss. *in l. contra legem, ff. de legib.* Covarr. *in reg. peccatum, p. 2. §. 4. vers. pulchra.*

21. Infero decimò obiter, Proxenetam, seu mediatorem si fraudat emptores, vendendo rem ultrà justum pretium, teneri emptoribus restituere omne damnum. Molfes. *in Sum. p. 2. tract. 12. cap. 6. num. 212.*

22. Infero undecimò, Proxenetam, interveniente pacto cum Domino rei, ut certo determinato pretio rem aliquam vendat, v. g. viginti juliis, adhibita à Proxeneta majori diligentia, pluris fuit vendita, non posse sibi retinere illud plùs. Sylv. *in verb. Emptio, num. 25.* citans plures alios. Ex eo, quia illud plùs non potest retinere, nec ratione rei venditæ, cùm non sit sua; nec ratione laboris, vel industriæ, cùm recipiat mercedem pro toto illo.

23. Infero duodecimò, Proxenetam, qui alienam rem vendendam accepit, teneri omnem diligentiam adhibere, ut justo pretio vendatur, aliàs tenati restituera Domino rei justum pretium. Ita docet etiam Molfesius, *loc. cit.*

24. Infero decimotertiò, Proxenetam, qui rem accepit æstimatam pretio, v. g. vendendam viginti, sed nullo interveniente pacto cum Domino rei, nullâque adhibita majori diligentia; si vendidit viginti duobus, teneri reddere Domino excessum pretii. Sic etiam sentit Sylvest. *verb. Emptio, quæst. 14.* Navarr. *cap. 23. num. 97.* Less. *dub. 18.* Bart. *l. 1. ff. de æstimat. act.* Ratio est, quia illa æstimatio facta fuit, ne minori pretio venderet, non autem ut non venderet majori. Quæ omnia, & alia similia notanda sunt à Confessariis, ne suis Pœnitentibus permittant in hisce casibus quotidianis, quod est eis prohibendum, vel ne eis prohibeant, quod est eis permittendum.

XVII. DIFFICULTAS.

Belli Dux contributiones petit ab Oppidis vicinis, illis incendium, & alia mala comminando si recusant; animum tamen non habens talia mala inferendi: quæritur, an teneatur restituere quod sic extorsit?

NOtandum primò, dolum, qui dat causam contractui, esse duplicem, ut alibi demon- 1.
stratum est, justum, scilicet, & injustum, ut etiam notat Diana, *part. 4. tract. 4. Miscellan. Ref. 34.*

Notandum secundò, errorem, vel dolum 2.
dantem causam contractui, esse illum, qui contingit ex proposito, & circa substantiam rei promissæ. Molfesius, *in Sum. p. 1. tract. 12. capit. 9. num. 27.*

Notandum tertiò, errorem, seu dolum dan- 3.
tem causam contractui, cùm tollat consensum, reddere illum ipso jure nullum, *l. & eleganter, ff. de dolo;* ubi Glossa, & Bart. cum aliis cumulatis per Mantic. *lib. 1. tit. 9. num. 23. & seqq.*

Notandum quartò, metum, sive gravem, si- 4.
ve levem posse dupliciter incuti, injustè, scilicet, & justè, ut alibi ostendimus; & extorta per metum justè incussum secùm non ferre onus restitutionis. Sanchez, *de matrim. lib. 4 disp. 9. num. 8,* quia cessat injustitia, & injuria, quæ est causa restitutionis, sicut assarunt Doctores, contractus non rescindi, quando metus est justè incussus. Sic Adrianus, *cons. 4. q. 1. de restitut. d. 5. vers. Ex quibus omnibus.* Nav. *Sum. cap. 17.* Lut. *num. 15.* Hisp. *num. 14.* Lædes. *2. p. 4. q. 18. art. 8. fol. 273. col. 2.*

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an 5.
Dux exercitûs minans Oppidis vicinis malum, si recusant ei dare contributiones prætensas, sine tamen animo illud inferendi, & si posset justè inferre, valeat retinere contributiones, sic extortas, negativè respondet Molina, *tom. 2. de just. tract. 2. disp. 514. num. 4.* Et ratio videtur esse, quia metus, & dolus dat causam contractui, seu donationi; Ergo illam annullat. Præterea, Oppida non donant, nisi in quantùm intelligunt sibi necessarium esse ad vitandum incendium, seu aliud malum comminatum, aliàs non donatura contributiones, si animum Ducis agnoscerant; ideòque involuntariè dant, & consequenter injustè Dux recipit, & sic obligatur restituere.

Verùm, contrariæ sententiæ, quam probabi- 6.
liorem puto, libenter adhæreo cum Less. *lib. 2. cap. 17. dub. 6. num. 42.* Sanchez, *de matrim. to. 1. lib. 4. disp. 9. num. 9.* Castropalaus, *p. 1. tract. 2. disput. 1. punct. 10. num. 5.* Diana, *par. 4. tract. 4. Miscell. Ref. 34.* Cesped. *Dub. militar. dub. 57.* & aliis.

Moveor primò jure, *in leg. Factum cuique,* 7.
ff. de re jud. ubi apparet vim facere non dici eum, qui justè jus suum defendit; Et scribit Abb. *in Cap. Cùm Ecclesia, num. 4. de elect.* quòd, qui suam possessionem tuetur, non dicitur alicui inferre injuriam.

Move-

8. Moveor secundò ratione: nam licèt Dux non habeat animum illa mala faciendi, quæ minatur, potest tamen justè illa facere, si Oppida recusent dare contributiones, quas exigit; Ergo si dant, habet jus retinendi: quod jus correspondet juri, quod habet illa mala faciendi.

9. Moveor tertiò exemplo in eo, qui potest aliquem justè accusare, & incutio timore aliquid extorquet, ne accuset, minimè tenetur restituere, si aliàs poterat donare, quia justè poterat accusare, privatúrque actione accusandi, quam habebat, sive habuerit animum accusandi, sive non. Sic Angel. *verb. Metus, num.* 10. ubi Sylv. *quæst.* 6. Tabiena, *verb. Coactio, quæst.* 8. *num.* 9. Navarr. *in Sum. latin. cap.* 17. *num.* 15. Hisp. *eod. cap. num.* 14. *& cap.* 18. Cordub. *in Sum. quæst.* 77. & alii, quos citat, & sequitur Sanchez, *de matrim. tom.* 1. *lib.* 4. *disp.* 9. *num.* 9. Et sic etiam qui habet jus faciendi aliquod malum, & hoc jure privatur, quod est pretio æstimabile ad aliquid extorquendum, si extorquet, potest illud in foro interno retinere, quamvis animum non habuerit illa mala, quæ minatur, faciendi. Cui additur praxis. Videmus enim, Duces tempore belli continuò exigere ab Oppidis vicinis contributiones, incendium, aliaque mala illis minando, si recusant; & credibile non est, semper habuisse animum illa mala inferendi; & tamen nullibi legimus extorta per hujusmodi minas fuisse ab eis restituta, quamvis fuerint timoratæ conscientiæ.

10. Concludimus igitur, Ducem non teneri restituere contributiones justas quidem, sed extortas vi damni comminati, absque tamen animo illud inferendi.

11. Ad rationes contrariæ opinionis respondemus. Ad primam, facendo fallaciam, seu dolum dedisse causam contractui, seu donationi contributionum; atqui hujusmodi dolum non fuisse malum, seu injustum, sed justum: cùm Dux potuerit justè incendium, & alia mala minari: ideóque ex vi talis doli nullum minimè reddi actum.

12. Ad secundam; concedendo, Oppida non datura contributiones, si cognoscerent Ducem minantem incendium non habere animum illud inferendi; Atqui non dant contributiones, ut deponat talem animum, sed ut deponat certò, & securè; & cùm hæc depositio non fiat sine obligatione, ideò donatio tenet. Hæc doctrina est Sanchez, *de matrim. tom.* 1. *lib.* 4. *disp.* 9. *num.* 9. Less. *lib.* 2. *cap.* 17. *dub.* 6. *num.* 42. Deponat igitur omnem scrupulum noster Dux, & sciat non teneri restituere, quæ minando incendium, aliáque mala, accepit, licèt non habuerit in animo talia mala facere.

13. Infero primò ex dictis, extorta per metum levem non esse necessariò restituenda, quia leges ob metum levem non concedunt rescissionem, nec restitutionem, ut constat *ex toto tit. ff. de eo, quod metus causa, & ex Reg. Van. ff. de reg. jur.* quæ leges justissimæ sunt, ut notat Sanchez, *loc. cit. nu.* 1. ideóque in utroque foro servandæ.

Infero secundò, extorta per metum, sive gravem, sive levem, esse in foro conscientiæ restituenda, quando hæc duo concurrunt, scilicet, quando metus est causa, sine qua non, & inferens metum non habet jus inferendi, quia tunc dicitur dolo, sive metu contractum reddi nullum, ut suprà notavimus. 14.

Infero tertiò, Patrem non teneri restituere pecuniam extortam ab invento inhonestè cum filia, ne ipsum occidat, si illam pecuniam accepit in compensationem alicujus sui interesse, puta, famæ læsæ, & hujusmodi. Secùs tamen, si nullum hujus generis damnum passus sit. Angel. *verb. Metus, num.* 10. ubi Sylv. *quæst.* 6. Tabiena. *verb. Coactio. quæst.* 8. *num.* 9. Capua, *lib.* 2. *decis.* 17. *num.* 13. 15.

Infero quartò, metum reverentiæ, absque minis, licèt non sufficiat ad movendum Forum externum, ut concedat rescissionem contractuum, sufficere tamen, ut in foro interno obliget ad restitutionem. Molina, *tom.* 2. *de just. tract.* 2. *disp.* 267. Angel. *verb. Metus, num.* 15. Sylvest. *verb. Metus, quæst. ult.* & alii. Ratio est, quia dans, & contrahens id sponteneè non efficit, sed eo reverentiæ metu ductus. 16.

Infero quintò, tunc dici adesse metum reverentialem, quando ea reverentia metum inducit, & causa fuit, ut filius consentiret, timens non offendere Patrem, vel alium, cui debetur reverentia, & non audens illi contradicere, ut benè notat Navarr. *lib.* 4. *consil. in* 1. *edit. tit. de sponsal.* Sarmient. *lib.* 2. *selectarum int. cap.* 11. *n.* 10. & alii. Ideóque non sufficere metum, & verecundiam, quæ naturaliter inest filiis coram Patre, vel aliis, quibus debetur reverentia. Ita probat Textus. *Cap. unico.* §. *Porrò, de desponsat. impub. in* 6. & docet Bart. *l.* 1. §. *Quæ onerandæ fine. ff. quarum rerum actio.* Felin. *in Cap. Cùm omnes, de constitut. num.* 12. *vers. limita.* Franciscus Aretinus *l. ad invidiam, tit. Cod. de his, quæ vi,* & alii Civilistæ, & Canonistæ. 17.

Infero sextò obiter, Patrem teneri in conscientia restituere hæreditatem renunciatam à filio, si ea renunciatio verè fuerit involuntaria metu solo reverentiali, modo dicto facta. Lud. Lop. 1. *par. instructorij novi, cap.* 173. §. *Respondetur in prompta, & lib.* 2. *de contractibus, cap. ult.* Vega. *lib.* 5. *Sum. cas.* 354. & alii: quamvis renunciatio hæreditatis paternæ, facta metu reverentiali patris absque minis, non possit rescindi in foro externo, eò quòd metus non cadat in virum constantem, ut notat Romanus, *l. interpositas, nu.* 14. *Cod. de transact.* Francus, *cap.* 2. *de pactis, in* 6. *nu* 2. *notabil.* 3. Natta, *de pactis,* 1. *par. nu.* 42. & alii Civilistæ. 18.

Infero septimò etiam obiter, uxorem, ob metum reverentialem mariti, fidejubentem ad evitanda jurgia, ejusque offensionem, aliàs minimè fidejussuram; non teneri in foro interno ex illa fidejussione, quamvis servatæ sint omnes solemnitates jure petitæ, ut ejus fidejussio valeat: debere tamen priùs juramenti relaxationem petere ab Episcopo, si bona abscondere velit, prout licitè facere potest; ne sol- 19.

ſolvere compellatur. Ita docet Sanchez, *de matrim. tom. 1. lib. 4. diſp. 9. num. 14.*

20. Infero octavò pariter obiter, uxorem promittentem viro ſuo morienti ſolvere ejus debita, ut ipſum ſolatio afficiat; non teneri ad ſolutionem promiſſam: quia hæc eſt fideiuſſio carens ſolemnitatibus jure requiſitis, nempe ut fiat inſtrumento publico, adjuncto juramento, & Velleiani renunciatione. Neque dubitatur, an ſit fideiuſſio: cùm fideiuſſio ſit obligatio acceſſoria alij principali, *l. hi, qui, 35. ff. de fideiuſſor.* ibi, *Qui acceſſionis loco promittunt*; & hæc mulieris obligatio accedit principali mariti, & eſt in ſubſidium, ſi ejus bona ſolvendo non ſufficiant; Ergò eſt fideiuſſoria.

21. Infero nonò, Filium non teneri in foro interno ſolvere debita, vel legata parentum, ſi ad eorum inſtantiam ſolvere promiſit ipſis morientibus metu reverentiali inductus, timens eorum indignationem, & ne eos moleſtia afficeret, aliàs nullo modo promiſſurus. Ita Lud. Lop. 1. *par. inſtruct. cap. 96. §. Cæterum in foro conſcientiæ.* Secùs verò, ſi abſque metu promiſit, & cum animo eorum Animabus ſubveniendi; quia filiusfamilias ex omni contractu tenetur, ſi mutuum, & votum ſaltem perſonale excipias, & hoc naturaliter, & civiliter, tanquàm ſi eſſet paterfamilias, *l. jam ex contractibus, 57. ff. de judicijs, §. Item inutilis, inſtit. de inutil. ſtip. l. filiusfamilias, 38. ff. de act. & obligat.*

22. Infero decimò, valere contractum metu juſtè incuſſo celebratum, puta, ſi maritus minitetur uxori accuſationem de adulterio. Secùs verò, ſi injuſtè incutiatur metus, ut ſi mortem auctoritate privata minetur. Alex. *conſ. 99. num. 1. vol. 3.* & alij.

23. Infero undecimò, non omnia metu facta irrita eſſe ipſo jure; ſed ſolùm aliqua. Caſus verò, in quibus metu facta ipſo jure irrita ſunt, poſſunt videri apud Gloſſ. *cap. 2. de his, quæ vi, verb. Coactus*; & ibi ſcribentes: & ſpecialiter de reſignatione beneficij metu facta, eſt conſiderandus Navarr. *cap. Accepta, de reſtitut. ſpoliat. tota oppoſ. 5.* Flaminius, *de reſignat. benefic. lib. 13. q. 2.* Et de teſtamento metu facto, an nullum ſit, conſulendi ſunt. Padilla, *l. interpoſitas, Cod. de transacta. num. 4.* Burſatt. *conſ. 72. num. 22. vol. 1.* Minchaca, *de ſucceſſ. creat. §. 17. num. 5.*

XVIII. DIFFICULTAS.

An Duces Exercituum peccent mortaliter ſub onere reſtituendi, ſi plures milites repræſentant, quàm ſecùm habeant, ut ſic plura ſtipendia recipiant, & ſibi retineant.

1. NOtandum primò, ſtipendium à ſtipe, quod eſt modicum æs, juxta Gloſſ. *in l. Ager, ff. de verb. ſignif.* appellari, eò quòd per ſtipes, id eſt per minuta æra colligatur. Ulpian. *in d. l. Ager*, ſive à ſtipe pendenda, ut vult Plinius: plerùmque verò accipi pro tributo capitis, juxta Tertull. *in Apolog.* At propriè loquendo, dicimus tributum, & ſtipendium eſſe ex cenſu, & tributum à contributione, vel ex eo, quòd militibus tribuatur, *d. l. Ager.*

2. Notandum ſecundò, prout ad noſtram rem attinet, quòd ſtipendia dicebantur, quæ olim dabantur in ſumptus militibus, & hoc quidem, quia per ſtipes, id eſt per exigua æra dabantur, *d. l. Ager, §. Stipendium.*, Turrecrem. *in cap. Si qui verò, Diſt. 32.* Et quia clericaliter viventes milites Chriſti nuncupantur, ſtipendia dici pariter notamus ea, quibus debent ſuſtentari, *cauſa 12. quæſt. 1. cap. Quia tua, Diſt. 32. cap. Si qui verò.* Et hæc vox, ſcilicèt, ſtipendium, quod & militibus, & Clericis pro eorum ſuſtentatione datur, etiam hodiè uſurpatur.

3. Notandum tertiò, quòd olim Romani nullo publico ære militabant; idque annis pluſquam trecentis, privato ſumptu ſe alebant, ait Feſtus, penè ad id tempus, quo Roma capta eſt à Gallis. Conſtat ſanè ſtipendium inſtitutum ſeptemdecim penè annis ante captam Urbem, ſed primùm è publico illud acceptum. Verùm etiam tùm, cùm privato ære militarent, collationes quarumdam rerum, annonæ, armorum, &c. Ex publico factæ: idque in dies, vel menſes.

4. Notandum quartò, prima ſtipendia apud Romanos fuiſſe ex gua; nam duo oboli Polybiano ævo diurnum pediti ſtipendium cenſebantur; adeóque in menſem denarij decem, monetæ noſtratis, unus Philippicus, ſive octo Julij, Cæſar, teſte Livio, Legionibus ſtipendium publicavit, Auxit deìn Auguſtus ſic, ut decem aſſes in diem aſſignaret. Tranquillus in vita ejus. Tempore verò Domitiani, ſtipendium menſtruum excreverunt ad aureos ternos, quibus quartum Domitianus adjunxit, ut ſcribit Zonaras. Aliquibus verò ob præclara geſta duplex dabatur ſtipendium, qui ob id duplicarij nominantur apud Livium, *lib. 11.* Hæc notatu digna in grattam Curioſorum exiſtimavimus.

5. Notandum quintò, furtum eſſe contrectationem rei alienæ fraudulentam, lucrifaciendi cauſa, vel ipſam rem, vel ejus uſum, *ff. de fur. l. 1. §. ult. & Inſtit. de vi bon. rap. §. 1.* & furtum dici à *furvo*, id eſt *obſcuro*, indè fures dici, ſcilicèt, nocturnos latrones, diurnos à latendo, vel inſidiando, notat Archid. *in cap. Dixit, cauſa 14. quæſt. 5.*

6. Notandum ſextò, onus reſtitutionis oriri ſolùm ex actione externè injuſta. Ita Sanchez, *in conſ. lib. 1. cap. 4. dub. 5. num. 6.* Leſſ. *lib. 2. cap. 9. dub. 16.* & alij, quia ut obligetur quis ad reſtituendum, debet feciſſe inæqualitatem in altero; quæ minimè fit per actionem merè internam, ſed per actionem externam materialem, & realem.

7. Notandum ſeptimò, certum eſſe apud omnes, onus reſtitutionis oriri ſolùm ex culpa theologica, & quidem gravi, & non juridica, contra juſtitiam. Valent. *2. 2. d. 5. quæſt. 6. punct. 3.* Azor. *3. p. lib. 4. cap. 9.* Delug. *tract. 1. de juſt. d. 1. ſect. 3. num. 51.* & alij; quia ſolùm talis culpa inducit inæqualitatem in rebus temporalibus. Hæc addidi ob clariorem difficultatis reſolutionem.

His

8. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Duces peccent mortaliter sub onere restitutionis, si plures milites repræsentent, quàm secùm habeant, ut sic plura stipendia recipiant, & retineant, respondeo partem affirmativam esse absque controversia sustinendam. Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 116.* Coninch *disp. 31. de bello, dub. 7. num.* 100 Castropal. *de char. tract. 6. disp. 5. p. 5. num. 3.* Bonacin. *disp. 2. de restitut. q. ult. sect. 1. punct. 12. num. 27.* Diana, *par. 6. tract. 4. Resol. 27.* Tiber. Decian. *Tract. crimin. p. 2 lib. 7. cap. 15. num. 65.* Bellus, *in tract. de re milit. p. 8. n. 11. & 12.*

9. Moveor primò juribus, *in l. fin. §. Hoc autem, Cod. de off. Præfect. Prætor.* ubi habetur, quòd Duces militum delinquunt, dum numerum militum mentiuntur, & eorum, qui non sunt, stipendia recipiunt. Et *in cap. Meretrices, in fin. causa 32. quæst. 4.* ubi habetur, quòd furti nomine intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ. Et *causa 16. q. 1. cap. Revertimini*, ubi declaratur, fraudem propriè committi, quando res ad speciales usus missa, retinetur, vel indebitè expenditur. Fraudem igitur committit Dux, si plures milites repræsentet, quàm secùm habeat, ut stipendia pro militibus ordinata sibi retineat. Additur Tex. *caus. 23. quæst. 1. cap. Militare*, & ibi Gloss. expressè dicens, condemnari Joannis sententiâ eum, qui stipendia publicè decreta consequitur, si ampliùs quærit. Quid enim est repræsentare in exercitu milites, qui non sunt, ad obtinenda plura stipendia, nisi ultrà justum stipendium sibi ampliùs injusta stipendia quærere? Ergò quicunque sic operatur, graviter peccat, si damnatur, cùm nemo possit sine culpa gravi damnari.

10. Moveor secundò rationibus: Si Dux retinet sibi stipendia à Principe stabilita pro certo numero militum, necessario ad victoriam consequendam, vel ad defendendum Castrum, Arcem; aliqua militum parte deficiente, ex quo defectu, aut victoria non comparatur, aut exercitus succumbit, aut hostes Castra, aut Arcem obtinent, sumptus belli inanes redduntur, vires Principis infringuntur, bonum publicum ruit. Quis non dixerit, gravissimè, & iniquissimè peccare Ducem, dum non solùm sui Principis furatur pecunias, simulando se habere plures milites, quàm revera habeat; sed etiam Rempublicam ea ratione tot gravissimis periculis, & damnis exponit; & consequenter hujusmodi peccatum secùm ferre onus ex justitiæ rigore omnia damna persolvendi, tum Principi, tum etiam privatis, qui vel vitam, vel bona ea de causa amiserunt; nec non persolvendi Principi emolumenta, quæ poterat probabiliter sperare tali scelere in ipsum, & Rempublicam non admisso?

11. Moveor tertiò exemplis, primò in epistola, quam Aurelianus Imperator scripsit ad Tribunum militum, quem præsidio præfecerat hujus tenoris. Si vis Tribunus esse, imò si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo attingat, uvam nullus auferat: segetem nemo deterat, oleum, salem, ligna nemo exigat: suâ quilibet sit annonâ contentus. Cùm igitur militibus dentur Centuriones, seu Duces ad hoc, ut disciplinam ab eis edifcant; si Dux furatur, profectò ex illius furto milites edifcent furari, cùm naturaliter proni simus ad malum, & Ducum exempla valdè moveant, quorum motibus milites conformantur, ut observat Quint. Curt. *Histor. lib. 2.* Brancac. *in tract. de car. milit. cap. 5.* Unde Alexander Severus hæc, & alia considerans, Tribunis, Ducibusque rigorosè prohibuit, ne quicquam de stipendijs militum tangerent. Præsenius Niger cùm Galliam regeret, imperante Septimio, Tribunum quemdam lapidibus obrui jussit, quia is militum stipendia decimaret, ex Jul. Frontin. *astut. militar. lib. 2.* & majori quidem pœna plectendum putavisset Ducem hic Niger, si ob plura recipienda stipendia, plures simulasset milites, quàm revera haberet, cùm in primo casu injuria fiat privatis personis; in secundo verò Principi, & Reipublicæ; & publico bono. Lamachus castigavit quemdam è Ducibus, qui deliquerat fortè peccato, de quo loquimur. Et cùm ille dixisset. *Non iterum isthoc committam.* Ne possis quidem, inquit, in bello peccare bis. Error enim in bello mors est. Plutarchus, *in Regum apophot.* Stob. *serm. 52.* Ant. Melissa, *p. 1. serm. 67. Dist.*

Concludendum est igitur, teneri exercituum Duces, ne DEUM graviter offendant, & se ipsos milites repræsentare, quos habent; aliter faciendo, dum eorum avaritiam injustis stipendijs fovent, ad æterna prælia, seu damnationem perpetuam se certò disponunt. 12.

Infero primò ex dictis, Duces fraudantes stipendia militum, justè damnari ad restitutionem quadrupli, justeque dignitate privari, *in l. 2. §. Limitaneis, versic. nam si usurpaverit, Cod. de off. Præfect. Prætor. Afric.* Duces enim magis de Principum largitate sperare debent suorum laborum remunerationem, quàm de falsa militum repræsentatione, aut eorum stipendijs lucrum sibi acquirere. Alberic. ibi latè *sub num. 2. & in l. fin. §. Pro limitaneis, Cod. eodem tit.* Petrin. Bell. *de re militar. par. 8. tit. unico, num. 12. & 90.* 13.

Infero secundò, peccare graviter cum onere restitutionis Ministros Principum, qui necessaria ad belli expeditionem parant, si, vel ut furentur, vel ob culpabilem negligentiam, corruptum cibum, aut potum, aut quacumque alia ratione pessimum militibus commeatum præparent; unde mors multorum evenit, vel alia damna sequuntur; eodemque modo peccare, & teneri restituere, si propter eorum furtum non tanta rerum copia paretur, quanta necessaria est, & Princeps præcipit; ex quo victoria non comparetur, & alia damna sequantur. Idem dicendum esse de admiscente, ob rapinam, sulphureo pulveri aliquam materiam non aptam pro victoria comparanda. Molin. *tom. 1. de just. tract. 1. disp. 116.* Coninch. *de char. tract. 6. disp. 5. punct. 5. num. 3.* 14.

Infero tertiò, peccare Duces signantes suos famulos in Milites, & Centuriones, ut stipendium à Principe signatum imminuant, & sibi illam partem reservent, nisi constet ipsos gratis Ducibus donare, quod rarò est credendum. Bonac. *disp. 2. de* 15.

2. *de restitut. quæst. ult. sect. 1. punct. n. 5. 3. num. 27.*

16. Infero quartò, peccare Duces transeuntes cum suo exercitu, tenentes loca vicina suspensa, neque manifestantes, quò sint diversuri, ut sic accedat, & offerat unusquisque Locus summam magnam pecuniarum, ne illac exercitus transeat; quia hac via statu gravatur injustè; tum gravando populum, ad quem divertit exercitus; tum accipiendo ab alijs illam summam, DD. alleg. quia Ducibus non conceditur talis venalis electio, quamvis concessa illis sit electio unius populi pro alio, quando onus non potest æqualiter in omnes dividi.

17. Infero quintò, peccare Duces si in solutione stipendiorum injustis, & usurarijs cambijs, seu permutationibus pecuniarum utantur. Diana, *p. 6. tract. 4. Resol. 27.*

18. Infero sextò, peccare Duces, si dimissis veteranis, & exercitatis militibus, novos in eorum locum inexpertos minori stipendio contentos substituant; ut cætera sibi retineant. Dian. *loc. cit.*

19. Infero septimò, non esse tutam in conscientia opinionem Duallij asserentis tempore pacis, & tranquillitatis licere Præfectis Arcium pauciores milites in Arce ponere, quàm à Principe constitutum fuerit, adeòque non teneri ad restitutionem stipendiorum, quæ in proprios, & privatos usus propter parvum illum militum numerum converterunt, cùm istud satis sit consuetum inter Nobiles, Princepsque in istud tacitè consentiat; nam hoc videndo, eùm ordinarium sit, tacet, & tacendo annuit, licèt hic Doctor asserat, tempore belli, hoc minimè licere, quia defectu unius, aut alterius militis victoriæ nonnunquàm deperduntur, & Arces invaduntur. Quod illicitum puto esse tam tempore belli, quàm tempore pacis: cùm Princeps hoc nesciat, neque tacitè consentiat.

XIX. DIFFICULTAS.

An Ducibus belli liceat captos bello justo ducere in captivitatem, & servitutem.

1. NOtandum primò, captos in bello esse posse, aut Christianos, aut Turcas, aut Hæreticos, aut Apostatas à fide, aliosvè Infideles, & similiter Capientes: & nostram difficultatem comprehendere tantùm Christianos captos in bello justo à Christianis.

2. Notandum secundò, jus gentium esse jus humanum, quo omnes, aut ferè omnes gentes utuntur, ut habetur *in cap. Jus gentium*, 1. *Dist*, non esse tamen necessarium, ut aliquid sit de jure gentium, ut omnes universim gentes illud exerceant; quod etiam notat Molina, *tom. 1. de just. tract. 1. disp. 5. vers. jus humanum.*

3. Notandum tertiò, servitutem, de qua hic sermo est, pari, & Aristotele civilem, & legalem nuncupari, dicente, *lib. 1. politic. cap. 4.* Est enim aliquis secundùm leges servus, & serviês; nam lex consensio quædam est, per quam bello capta illorum fieri dicuntur, qui ceperunt. Ratione, cujus mancipia id, quod sunt, Dominorum sunt quoad operas, & utilitates, quæ ex eis percipi possunt: hosque homines, ut *l. 4. ff. de statu hominum*, §. *Servi ex eo*, & *Instit. de jure personarum*, §. *Servi autem*, dictos esse à servando; quia, videlicet, Imperatores quos bello capiebant, quousque fas illos erat interficere, servabant, commutata eorum morte in perpetuam servitutem: dictos pariter fuisse mancipia, quasi ab hostibus manu capta, ut ibidem subjungitur. Atque hac ratione servitus cæpit meritò jure gentium introduci; ut etiam observat Molina, *tom. 1. de just. tract. 1. disp. 4.*

Notandum quartò, eodem modo licere captos in bello ducere in captivitatem, sicut licet spoliare illos, quia libertas, & captivitas inter bona fortunæ reponuntur; unde quando bellum est talis conditionis, ut liceat spoliare indifferenter omnes hostes, & occupare omnia bona illorum, etiam licet in captivitatem ducere omnes hostes sive nocentes, sive innocentes. Hoc pariter docet Victoria, *Relect. 6. de jur. bell. num. 42.* 4

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an belli Duci liceat captos in bello justo ducere in captivitatem, & servitutem, Henricus Bocerus Jurisconsultus. *Tract. de bello, edit. 3. lib. 1. c. 15. num. 5.* affirmativè respondet sine ulla distinctione captorum, scilicet, sive Christiani, sive non Christiani sint: ibi sic dicens. *Etiam liberi homines captivitate in servitutem capientium rediguntur, l. cum loco, 36. ff. de Religiosis, l. adeò quidem, 7. in princip. ff. de acquirend. rer. dom.* §. *penult. inst. de jure personarum*; & §. *item ea, quæ ex hostibus, inst. de rer. divis.* Suam doctrinam, hasque leges poterat roborare Testamento tum veteri, tum novo, ubi usus servorum, & servitutis permissus apparet, ut Exod. *cap. 21.* Levit. *cap. 25.* Deuteron. *cap. 15.* Ephes. *cap. 6.* Timot. *1. cap. 6.* Tit. *cap. 2.* Coloss. *cap. 3.* & 4. Galat. *cap. 5.* Ex quibus satis constat servorum usum juri divino, non solùm contrarium non esse, sed etiam omninò consentaneum; hocque jure in servitutem redigi eos, qui, devictis hostibus, capiuntur constat Deuteron. *cap. 21.* 5.

Veritas tamen est, Christianos, bello inter ipsos orto captos, servos, sive mancipia non fieri, ita ut vendi possint, ad operas congeri, & alia pati, quæ servorum sunt. Bart. *in l. hostes, 4. in fin. ff. de capt. & postlim. rever.* Angel. *in dict.* §. *Item ea, num. 2.* & *3. Instit. de rer. divis.* Boer. *decis. 178.* Covarr. *in reg. peccatum, p. 2.* §. *2. num. 6.* Vict. *de jure belli, num. 42.* Sylv. *in verb. Bellum, 1. num. 1.* Villalob. *in Summ. tom. 2. tract. 5. diff. 13. num. 2.* Laym. *lib. 2. tract. 3. cap. 12. num. 57.* Trullen. *in Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 5. num. 11.* Lessius, *lib. 2. cap. 5. dub. 4. num. 21.* & plures alij, quos citat, & sequitur Valentia, *tom. 3. disp. 3. quæst. 16. de bello, punct. 3.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 117.* Panor. *cap. Sicut, 3. de jurejurando*, Suarez. *disp. 13. de bello, sect. 7. num. 13.* Diana, *punct. 11. tract. 3.* & *Miscell. 5. Res. 1.* & Coradin. *tom. 7. tract. 7. de bello, Resol. 19.* ubi citat, & sequitur alios. 6.

Movetur

7. Moveor primò jure, *in l. minimè, de leg.* ubi habetur, quòd consuetudo vim legis habet, ut consentiunt communiter DD. & inter Christianos præscripta consuetudo est, ut Christiani ab alijs Christianis bello justo capti non efficiantur mancipia, quamvis possint justè detineri, donec puniantur, vel justo pretio redimantur: quod confirmatur, *leg. Regia, 1, tit. 29. p. 2.*

8. Moveor secundò rationibus; quia non decet ut servi Christi, qui ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, ad Ephes. *cap. 4. num.* 8. fiant servi, & mancipia hominum. Tum quia, ita exigit charitas Christiana, quæ unire debet omnes Christianos, qui sunt membra Christi. 1. ad Cor. *Cap. 6. num.* 15. ut faciant unum corpus mysticum cum Christo, qui est eorum Caput: & ideò Christianos magis fratres invicem, quàm servos esse decet.

9. Moveor tertiò exemplo Græcorum, qui inter se hoc debebant servare, ut refert Socrates, & Mahumetistarum, qui inter se hoc servant: Detrimentum igitur pateretur Christianæ legis reverentia, si Christianis veritatem profitentibus denegaretur, quod inter falsas Religiones videmus jure gentium introductum, & observatum.

10. Concludendum est igitur, inter Christianos, propter charitatem Christianam, hodie jus captivitatis, & postliminij cessare; ideóque minimè licere Ducibus captos in bello justo ducere in captivitatem, ac proindè eos de consuetudine generali capientium servos minimè fieri, sed liberos remanere. Esto possint capti à Victore retineri usq; ad permutationem cum Adversarijs faciendam.

11. Ad fundamentum oppositæ opinionis responsio sufficienter ex dictis habetur.

12. Infero primò ex dictis, Hæreticos gaudere hoc privilegio, quia saltem aliquo modo Christum fatentur. Suarez, *de char. disp. 13. sect. 7. n. 13.* Trullen. *in Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 2. dub. 5. n.* 10. & alij plures. Contrarium tenet Jacobus Granado, *in 2. 2. D. Tho. controv. 3. tract. 13. disp. 4. sect. 8. n. 72.*

13. Infero secundò, hoc privilegium non extendi ad Apostatas à fide, ut sunt hi, qui ad Paganismum transeunt; ideóque captos in bello posse fieri mancipia, sicut possunt fieri cæteri infideles; & ita habet consuetudo, ut notat Coninch. *in Decal. lib. 5. cap. 2. dub. 5. n.* 10. Suarez, *disp. 13. de bello, sect. 7. num.* 13. Et ratio, quia cùm ipsi negent Christum, non est, quòd fruantur privilegio Christianorum. Quare nullo pacto est censurandus Catholicus Rex Philippus III. si voluerit noviter ad fidem Conversos, qui crimen læsæ majestatis, & divinæ commiserunt, perpetuò ad triremes damnare, & in captivitatem redigere, eò quòd noluerint obedire edicto, quo eis exilium generale ab Hispania in pœnam delicti præcipiebatur.

14. Infero tertiò, omnes Infideles tam nocentes, quàm innocentes in bello captos posse in captivitatem redigi, ut habet jus gentium, & communis consuetudo, *ex leg. hostes, ff. de captivis*; quia, si licet illos occidere, multò magis redigere in servitutem, quod mitius est.

15. Infero quartò, Infantes infidelium etiam innocentes, bello captos, fieri posse servos, quia in pœnam delicti Patris possunt filij puniri servitute. Trullen. *loc. cit. n. 9.*

Infero quintò, Infantes baptizatos Apostatarum, si fuerint innocentes, & immunes omninò à culpa apostasiæ, captos in bello, non posse fieri servos. Petrus Ledesma, *in Summa, tr. 3. de char. cap. 13. conclus. 36.* Salon. 2. 2. *quæst. 3. de dominio, art. 1. concl. 4.* & potest probari ijsdem rationibus, quibus probatum est, hæreticos in bello non posse capi in servitutem: quidquid dicant alij. 16.

Infero sextò, captos in bello habito inter Christianos, posse licitè redimi. & in conscientia teneri solvere pretium, quod Galli vocant *Rancon.* & hoc quidem de jure consuetudinario in bellis Christianorum introducto; non verò de jure belli, quod nunquam in Legibus Cæsareis inveni. Ita tenet Alvarus Valascus, *tom. 1. consult. 30. num. 4. & 5.* Diana, *part. 6. tract. 7. Miscell. 2. Res. 16.* 17.

Infero septimò, milites capientes in bello, posse cogi à Judicibus exercitûs pro pretio tegulato captum relaxare, etiamsi nolint, & pretium redemptionis esse regulandum ex qualitate, & divitijs personæ captæ. Rebuff. *in Cap. Hostes*, Diana, *loc. cit.* 18.

Infero octavò, peccare contra justitiam cum onere restituendi eum, qui consulit servo fugam, quando nefas est servo fugere: & si fugiens eripuit aliquam summam notabilem pecuniæ, teneri consulentem ei fugam, præter servi pretium, totam illam summam restituere. Navar. *Cap. 7. num. 109.* Trullen. *in Decal. lib. 5. cap. 1. dub. 6. num. 5.* Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 37.* 19.

Infero nonò, injustè in servitutem tractos, non solùm posse licitè fugere. *L. nihil interest, ff. de captiv.* Innoc. *in Cap. Olim, in 1. de restitut. spoliat.* sed etiam posse impedientem illis fugam vi repellere, nec non surripere à suis Dominis quantum sufficit ad compensationem injuriæ, & operæ præstitæ; imò quantum possunt, si adhuc duret bellum injustum ex parte capientium: ideóque Christianos à Turcis captos posse eos spoliare, & fugam arripere. Sà, *verb. Bellum, num. 2.* Sanchez, *in consil. p. 1. lib. 1. cap. 5. dub. 11. num. 3. 4. & 5.* Less. *in suo tom. de 4. Cardin. virtut.* Et ratio est, quia hujusmodi capti possunt tunc hoc modo nocere hosti ex præsumpta Principis voluntate justum bellum gerentis. 20.

Infero decimò, captos in bello non esse Dominos eorum, quæ quotidiè labore labore lucrantur, sed solùm eorum, quæ vel dono susceperunt, vel hæreditario jure, vel ludo licito lucrati fuerint: quod non potest dici de servis, qui se, & omnia sua jura vendiderunt; hi enim quidquid acquirunt, non sibi, sed Domino: & licèt jus civile de omnibus indifferenter loquatur: tamen quantùm ad servos in bello captos, leges civiles contraria consuetudine arbitror esse abrogatas; ut patet in multis servis Lusitaniæ, de quibus mentionem habet Sayr. *in Clav. Regia. lib. 9. cap. 6. n. 39.* 21.

Infero undecimò, captos in bello ita justo, ut de justitia capientium, & de injustitia adversariorum constet, mortaliter pec- 22.

care,

care, si fugiant Dominos suos, tenerique se ipsos restituere, etiamsi ad suos perveniant. Molin. *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 37. quia illorum Domini illos legitimè possidebant; & ipsi fugiendo, se ipsos ab illis furantur, ut habetur, *l.* 1. *Cod. de servis fugitivis*, *& Cap. Si quis servum*, *causa* 7. *quæst.* 4.

XX. DIFFICULTAS.

An Filii Ducis exercitum deserentis, & fugam arripientis, ut Princeps in eo existens ab Hostibus caperetur, sint capaces succedendi ex testamento, & ab intestato, quibuscunque consanguineis, & extraneis.

1\. NOtandum primò, Conspirantes contra Principem, vel eos, qui sunt ad latus Principis, incidere in crimen læsæ Majestatis, sola etiam ordinatione, & tractatu, licèt non sequatur eventus; unde ultore gladio esse puniendos, & bona eorum effici Fisci. Bald. *in l. quisquis*, *Cod. ad leg. Jul. Majest.* quam legem correctam fuisse ab eisdem Arcadio, & Honorio Imperatoribus, *per l. sancimus*, *Cod. de pœnis*, putat Budæus, *in annotat. lib.* 1. *ff. ad leg. Jul. Majest.* quod ab alijs negatur.

2\. Notandum secundò, Filijs reorum criminis læsæ Majestatis per præfatos Imperatores, *in d. l. quisquis*, impositam fuisse pœnam, quod à paterna, materna, avita, ac omnium etiam proximorum hæreditate, ac successione habeantur alieni, sed sint perpetuò egentes, & pauperes. Ita observat Decian. *Tract. crim. lib.* 7. *cap.* 41. *num.* 2.

3\. Notandum tertiò, In dispositione *d. l. quisquis*, comprehendi filios naturales spurios; & est opinio communis omnium, *in d. l. quisquis*: non autem filios adoptivos, cùm non sint conjuncti sanguine, neque filios legitimos natos ante delictum, ut Cin. Pet. & Ang. *in de l. quisquis*, tenuerunt contra communem sententiam contrarium asserentem; neque Nepotes, de quibus fuit quæstio per graves Doctores, & præcipuè per Thom. de Formag. ut refert Alberic. *in d. l. quisquis*, disputata, qui tenuit appellatione filiorum non venire Nepotes, *in eand. l. quisquis*; quidquid Cin. *in d. l. quisquis*, dicat.

4\. Notandum quartò, filijs Rebellium, qui olim occidebantur per Arcadium, & Honorium, *in d. l. quisquis*, §. *1.* Imperatoria specialiter lenitate vitam concedi.

5\. Notandum quintò, filios non posse puniri, juxta *d. leg. quisquis*, nisi crimen læsæ Majestatis sit commissum in primo capite ejus legis, id est contra Imperatorem, vel Principem non recognoscentem Superiorem. Ita Alex. *cons.* 13. *col.* 2. *in* 6. Soc. *cons.* 275. *col.* 2. *&* 3. Afflict. *in cap.* 1. §. *Et bona committentium*, *q.* 25. *in tit. quæ sint regal.*

6\. Notandum sextò, dispositionem *d. l. quisquis*, non esse correctam per *Auth. Bona damnatorum*, *Cod. de bon. damnat.* quia *in fin. ipsius Auth.* excipitur crimen læsæ Majestatis, in quo veteres leges servari jubetur.

Notandum septimò, in crimine rebellionis, bona intelligi ipso jure, absque ulla declaratoria, confiscata, si rebellio fuerit notoria. Abb. *in cap. Cum non ab homine*, *in* 12. *col.* Felin. *in cap. Rodulphus*, *n.* 66. *de rescript.* Cor. *cons.* 96. & alij. Secus verò, si delictum non fuerit notorium, tunc enim requiri præviam declaratoriam, quod tale crimen fuit commissum, ut amittantur bona, concludunt omnes in locis citatis, & probatur *in l. pen. in fin. Cod. ad leg. Jul. Majest.* & tradit Bart. *in l. si debitor*, *ff. de* 91, *quæ in fraud. cred.* & alij. 7.

His, cum aliqua prolixitate, ita hac materia exigente, adnotatis, ad propositam difficultatem, an Filij Ducis exercitum deserentis, & fugam arripientis, ut Princeps in eo existens ab hostibus caperetur, sint capaces succedendi ex testamento, & ab intestato quibuscunque consanguineis, & extraneis; affirmativè videtur respondendum; quia Ezech. *Cap.* 17. *& in cap. Judas*, *can.* 1. *q.* 4. habetur, quòd filius non portabit iniquitatem Patris; & ideò Ral. & Sal. *in Rubric. Cod. res inter alios acta*; dixerunt Constitutiones, in quibus unus pro alio punitur, esse contra jus naturale, & divinum; & idem Bald. *in l. dotis*, *Cod. de jur. dot.* dixit Statutum, quo filijs pro parentibus pœna imponitur, esse durum, & rigorosum valdè. Præterea injure civili, *l. cognovimus*, *Cod. de heret.* *&* §. *Causas*, *versic. si quis de prædictis*, *Authent. ut cum de appellat. cognosc. & l. regia*, 7. *tit.* 7. *par.* 6. *& l.* 2. *tit.* 26. *par.* 7. habetur, filios reorum læsæ utriusque Majestatis, Divinæ, scilicèt, & humanæ, posse succedere in parentis condemnati bona: Ergo à fortiori in bona consanguineorum, & extraneorum. Tum denique quia pœnæ, *d. l. quisquis*, *Cod. ad l. Jul. Majest. de consuetudine*, hodie non servantur, neque in usu habentur, ut tradit Socin. *cons.* 273. *col.* 2. *vers. confirmatur hoc in secundo*, & alij. 8.

Veritas tamen est, Ijs non obstantibus; filios Ducis machinantis desertione exercitus & fuga, contra personam Principis, privari successione materna, avita, & aliorum Consanguineorum, & Extraneorum. Socin. *cons.* 275. *num.* 12. *vers. tertio principaliter*, *in* 2. Tiber. Decian. *in tract. crim. lib.* 7. *c.* 41. *n.* 20. Sanch. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 10. & alii. 9.

Moveor primò juribus, expressè *in d. l. quisquis*, §. *Fily verò*, *Cod. ad l. Jul. Majest.* ubi filij Patria rei criminis læsæ Majestatis excluduntur ab hæreditate omnium etiam proximorum; *& d. l. regia*, 2. *tit.* 2. *par.* 7. ubi idem deciditur. & à materna successione probat Tex. *in Cap. Quæro*, §. *Verùm*, *causa* 6. *q.* 1. *& in cap. Quisquis*, *dist.* 1. *de pœnit.* 10.

Moveor secundò rationibus; nam filij ratione sanguinis, quem à Patre recipiunt, imitatores præsumuntur vestigiorum, & criminum paternorum, ut dicitur *in d.* §. *Filij.* Unde si Pater animatur contra Principem, præsumitur & filius ab ipso natus contra Principem animari: & ideò si Pater omnibus bonis privatur, eamdem privationem debet pati & filius. Tum quia, ut paren- 11.

tes, qui magis terrentur propter filij pœnam, *l. isti quidem, ff. quæ met. cau.* scientes per legem puniri filios privatione omnis successionis, abstineant à tali crimine, ne filij innocentes ob eorum crimen puniantur. Ita Tull. *Ep. 12. ad Brutum*, ibi di-
„ cens. Ad filios autem ideò paterna pervenie-
„ bat pœna, ut charitas liberorum amiciores red-
„ deret parentes Reipublicæ.

12. Moveor tertiò exemplo, seu potiùs argumento à contrarijs ducto, quorum eadem esse solet disciplina, *l. 3. ff. de his, qui sunt sui, vel alien. jur.* in filijs, qui remunerantur ex parentum meritis, ut videre licet ex *l. nemini. versic. filios autem. & l. petitionem, versic. filijs scriberet, Cod. de Advoc. divers. judic. & l. jubemus, vers. & filio, Cod. eod. & alijs juribus:* quas leges citat Roma. *cons. 29.* in causa majoris: Atque adeò & ex parentum demeritis possunt filij puniri, & quidem privatione sucessionis.

13. Concludimus igitur, Filios reorum criminis læsæ Majestatis privari successione Consanguineorum, & Extraneorum, non solùm successione ex testamento, sed etiam ab intestato; & ne dum successione civili, sed etiam prætoria, & non solùm successione directa, sed etiam fideicommissaria.

14. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, nempè Filium non esse puniendum ob delictum Patris, respondet D. Thom. 2. 2. *quæst.* 108. *art 4. ad 1. & ad 2.* ubi tres adducit rationes, quibus probat posse aliquem justè puniri pro alterius peccato. Præterquam quòd, potest etiam responderi, Tex. Scripturæ, & cæteras auctoritates allegatas, excludentes filios à pœnis parentum, non loqui de crimine læsæ Majestatis, quod adeò horrendum est, ut videatur ex sui natura pœnam, quam meretur ad filios delinquentis etiam transferre.

15. Ad secundam, scilicet, contrarium fuisse dispositum in jure civili, respondetur, quòd contrarium fuit posteà dispositum eodem jure civili, *Authentica Gazaros. Cod. de hæret. & jure Canonico, cap. Vergentis, de hæret. & cap. Filij, & Cap. Quicunque, §. Hæretici, eod. tit. in 6.* ubi decernitur, bona hæreticorum ad Fiscum pertinere, exclusis omninò filijs ab eorum bonorum successione.

16. Ad tertiam respondemus, pœnas *d. l. quisquis*, hodiè non servari, non ex defectu vigoris in jure; sed ex effectu benignitatis in Principibus, quorum quilibet postulanti in filios reorum criminis læsæ Majestatis videtur respondere, sicut respondit Marcus Antoninus Philosophus uxori suadenti ei, ut in liberos Avidij Cassij læsæ Majestatis con-
„ victi sæviret. Ego verò, inquit, & ejus libe-
„ ris parcam, & generi, & uxori, & ad Senatum
„ Scribam, ne aut proscriptio gravior sit, aut
„ pœna crudelior, ut de eo refert Vulcatius Gallicanus, apud Decian. *loc. cit. n. 49.*

17. Infero primò ex dictis, Filios emancipatos per Patrem criminis læsæ Majestatis reum ante commissum delictum, non comprehendi *in leg. quisquis*, adeóque illius pœnas minimè incurrere. Glos. *in Cap. Si quis cum militibus, vers. filij verò, causa 6. quæst. 1.* in quo Textu registrata est *d. l. quisquis*: ibi Turrecrem. Præp. Archid. modò tamen emancipatio non probetur facta in fraudem ex multis conjecturis, ut limitat Gig. *in tract. de crim. læsæ Majest. sub tit. de pœnis, quas filij*; & ratio est, quia emancipatus desinit esse de familia, *leg. quin etiam, §. fin. ff. de ritu nupt.* & nomen filij amittit, *l. Senatores, la seconda, ff. de Senat.*

Infero secundò, Filios Patris rei criminis læsæ Majestatis, si tempore delicti erant Clerici, non comprehendi *in d. l. quisquis*. Imola, *in l. cùm filius, de verb. oblig.* Secus verò, si tempore commissi delicti per Patrem erant Laici. 18.

Infero tertiò, fœminas non comprehendi in dispositione *d. l. quisquis*, nisi id expressè cautum sit aliqua lege loquente in specie de fæminis; & ideò filias Patris rebellis posse succedere alijs consanguineis, & extraneis ex testamento, & ab intestato, cùm hoc non reperiatur interdictum filiabus, sed solis masculis. Ita tenet Salicet. *in d. leg. quisquis, §. Ad filias.* Bart. *in l. 1. ff. de verb. signif.* ubi docet, pœnam infamiæ. & incapacitatis bonorum extraneorum non extendi ad filias fæminas. Gregorius Lopez, Molina, quos citat, & sequitur Sanchez, *in Decal. lib. 2. c. 29. num. 10.* 19.

Infero quartò, filias reorum criminis læsæ Majestatis non excludi omninò à successione matris, sed succedere ex testamento, & ab intestato in quartam bonorum matris partem: & hoc expressè habetur in dispositione, *d. l. quisquis, §. Ad filias, & alleg. l. regia, 2.* 20.

Infero quintò, Patrem filij rei læsæ Majestatis non esse puniendum pœnis, *d. l. quisquis.* Salicet. *in d. l. quisquis, §. Filij verò, Cod. ad l. Jul. Majestat.* Et res ex se patet, cùm nulla ratio *l. quisquis*, militet in hoc casu. 21.

Infero sextò, pœnas *d. l. quisquis*, non extendi ad filium rebellis hermaphroditum, si in eo prævaleat sexus fæmineus, quia ut fæmina habebitur, ut probat Gig. *loc. cit.* Secus verò, si in eo prævaleat sexus virilis, tunc enim ut masculus habebitur, nec ad illum extendi dictas pœnas, si non cognoscatur, in utro sexu magis prævaleat, probat idem Gig. *loc. cit.* 22.

Infero septimò, filios Patris rei criminis læsæ Majestatis non esse incapaces recipiendi aliquid ex donatione, vel alio contractu inter vivos; quia Textus *l. quisquis*, hos filios tantùm privat hæreditate, & legatis sibi relictis, vel ex legitima successione pertinentibus: & licèt Textus *d. l. quisquis*, dicat illos se hac successione privare, ut perpetua egestate sordescant: hoc debet intelligi respectu successionum, de quibus ibi fit mentio; ita observat Sanchez, *loc. cit. num. 11.* ubi plures DD. citat, & sequitur, & ante illos. Decian. *in Tract. crim. lib. 7. cap. 41. n. 21.* 23.

Infero octavò, *d. l. quisquis*, non privari filios Patris rei criminis læsæ Majestatis peculio castrensi, vel quasi castrensi, & adventitio, quia hæc lex est odiosa; adeóque non debet extendi: privari verò peculio profectitio, cùm à Patre proficiscatur, & ne fiat fraus legi, quia Patér volens committere crimen, posset ante suo filio dare peculium, & sic lex fraudaretur. Circa hoc dubitat Gig. *loc. cit.* 24.

Infero

25. Infero nonò, filios Patris rei criminis læsæ Majestatis privari beneficijs Ecclesiasticis, si crimen fuerit commissum in personam Summi Pontificis, vel Cardinalis. Ita tenet Turrecrem. *in Cap. Quisquis, de pœnit. Dist. 1. num. 8. versic. surgit iterum quæstio.* Henric. Boich. *in Cap. Vergentis, in fin. de hær,* & constat *ex Cap. Felicis, in §. Quodsi quis prædictorum.*

26. Infero decimò, filios Patris rebellis amittere jura sepulchrorum, *l. 1. §. Interdum, ff. de suis, & legit,* & ità etiam tenet Cæpol, *cons. 79. num. 2,* amittere pariter arma, seu insignia domus, Cassan. *in Catal. Gloriæ Mundi, 1. part. conclus. 42.*

27. Infero undecimò, pœnas *d. l. quisquis*, non extendi ad uxorem, si maritus committat crimen læsæ Majestatis. Ita disponitur *in l. quisquis, §. Uxores sanè, Cod. ad l. Jul. Majest. l. ob. maritorum, Cod. nè uxor pro marit.* & ideò potest uxor repetere dotem suam tam ante, quàm post confiscationem bonorum. Gig. *in tract. de crim. læs. Majestat. sub tit. de pœnis, quas filij incurrant, quæst.* 18.

28. Infero duodecimò, domus reorum criminis læsæ Majestatis justè devastari, & solo æquari, quemadmodum fuit devastata illa M. Manlij Capitolini, & illa C. Cassij, & Sp. Melij, teste Livio.

29. Infero decimòtertiò, pœnas *d. leg. quisquis*, non extendi ad committentes crimen contra Patriam. Ita Cin. *in d. l. quisquis,* Angel, Salicet, & alij plures per Gig. *quæst. 23,*

30. Infero decimoquartò, filios committentium crimen læsæ Majestatis divinæ, vel humanæ amittere nobilitatem, & excludi ab omnibus honoribus, quia hi sunt infames. Et hoc idem probat varijs juribus, & rationibus, & anctoritatibus Sanchez, *in Decal. lib. 2. cap. 28. num. 1. & seq.* ubi non intelligit de nobilitate sanguinis, cùm hæc sit naturalis; & naturalia, & jura sanguinis sint immutabilia, *§. Sed naturalia, Instit. de jur. natural, & regula, jura sanguinis, ff. de regulis juris, & l. regia, 34, tit. finali, p. 7.*

31. Infero decimoquintò, filios non privari nobilitate, si ex privilegio fuerit concessa non parenti reo criminis læsæ Majestatis, sed alijs ejus Ascendentibus immunibus illius culpæ, ita Tyraq. Simanc. & alij; cùm illam nobilitatem non habeant à Patre reo, sed ab antiquis progenitoribus.

32. Infero decimosextò, filium Patris rebellis, seu rei criminis læsæ Majestatis, non amittere privilegium nobilitatis, exemptionis militiæ, aut cujusvis honoris, quod ante parentis delictum ob propria sei vitia, aut benemerita obtinuit à Principe. Ita docet etiam Otalora, *de nobilit. p. 4. cap. 9. n. 9.* & alij, quia id independenter à parentibus reis acquisivit.

33. Infero obiter decimoseptimò, filios hæreticorum privari quidem bonis parentum, sed nullis pœnis corporalibus affici: esset enim inhumanum ob delictum parentis, verberare, fustigare, vel ad mortem damnare filium: nec privari bonis proprijs, habitis eo tempore, quo parentes deliquere; cùm nullibi inveniatur cautum; & pœnæ præcipuè non sint extendendæ absque manifesto jure, vel ratione; neque privari potestate succedendi in Majoratu, quem habet Pater in hæresim lapsus; cùm Majoratus non connumeretur inter bona parentia, sed potiùs inter bona familiæ, & generis. Præterquam quòd Majoratus non est à Patre, ut supponitur, sed à primo Instituente, qui omnes descendentes in successionem vocavit. Ita docet Molina Jurisconsultus, *lib. 4. de primogen. cap. ult. à num. 51. usque ad 55.* Menoch. *cons. 805. num. 31. & 38.* Farin. *Tract. de hæresi, quæst. 191. n. 42.* Vasq. *de leg. disp. 169. n. 96.* Gomez, Molina Jesuita, & alij; quidquid dicant nonnulli.

34. Infero decimooctavò, restitutos à Principe parentibus criminis læsæ Majestatis reis, intelligi restitutos etiam filios, quia accessorium sequitur naturam principalis, *jur. vulg.* nec non & filios restitutos, & habilitatos à Principe, qui potest illos restituere etiam cum privilegio non incurrendi pœnas in casu reincidentiæ Patris in crimen illud, intelligi etiam restitutos ad successionem maternam, & aliorum extraneorum, ac etiam ad jura fideicommissorum. Ita etiam docet Tiber. Decian. *loc. cit. à num. 40. usque ad 45.*

35. Infero decimononò, filios rei criminis læsæ Majestatis ad famam per Imperatorem restitutos, posse statim admitti ad dignitates Ecclesiasticas, dummodò adsit restitutio, seu dispensatio Summi Pontificis, quam dispensationem non esse necessariam putat Decian. *loc. cit. num. 31.* ubi asserit, Restitutos per Papam posse admitti ad dignitates sæculares; ibique tamen dubitans de damnatis ab Imperatore ob hoc crimen in ipsum commissum, non verò de damnatis à Summo Pontifice ob hoc crimen in ipsum commissum, & à Summo Pontifice restitutis, asserens hos posse ad dictas dignitates admitti.

XXI. DIFFICULTAS.

An Duce, vel Principe licentiam non concedente, si Miles deserat Castra animo serviendi parentibus infirmis, sit reus culpæ mortalis, & morte, aut alia gravi pœna plectendus.

1. NOtandum primò, soli Duci, vel Principi competere jus dandi licentiam militibus Castra deserendi, cùm officium Regentis exercitum sit dare, & conservare disciplinam, *l. omne, ff. de re militar,* ideòque nemini permitti, sive Centurioni, sive cuilibet eminentiori Officiali, commeatum militibus dare, pœna capitali, & dantibus, & accipientibus imminente, *l. 1,* & ibi Bart, *Cod. de Commeat. lib. 12,*

2. Notandum secundò, posse dupliciter militem deserere Castra, scilicèt, animo non redeundi, & tunc dicitur fugitivus, seu desertor, omnibus obnoxius pœnis, quas statuunt leges contra Desertores; & animo redeundi, & solùm brevi tempore faciendi se absentem, & tunc non intendit fugere, *leg. si quis ità legaverit, ff. de conditionib. & demonstrationib,* & benè declaratur à Bart, *in l. aut facta, §. tempus, ff. de pœnis.*

3. His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Duce, vel Principe non concedente militi commeatum, si deserat Castra animo curandi parentes infirmos, sit reus culpæ mortalis, & morte, aut alia pœna plectendus, videtur negativè respondendum; non enim intendit fugere, qui per breve tempus vult ex motivo charitatis abesse, ut per Tex. *in d. l. si quis ita legaverit, ff. de conditionib. & demonstrationib.* & egregiè declarat Bart. *in d. l. aut facta, §. Tempus, ff. de pœnis.* Præterea, certum est filium teneri de jure naturæ subvenire Parentibus, ut habetur *ex l. final. §. Ipsum autem, Cod. de bonis, quæ liber. & Capit. Cæterùm, 86. Dist.* & ex communi DD. sensu. Dein fas est Filio, ob auxilium suis Parentibus præstandum, egredi è Religione, in qua DEO promisit votis solemnibus permanere, ut probat Rainer. de Forolivio, *in l. qui cum, §. final. ff. de re militar.* quare militi non licebit ob charitatem cum Parentibus exercendam, Castra deserere, quamvis fuerit Sacramento militari adstrictus, ad permanendum sub signis? Clerici enim æquiparantur militi, ut notat Card. Albanus, *in Lucubr. in Bart. in l. Filiusfam. §. Veterani, ff. de Procur.*

4. Veritas tamen est, militem Castra deserentem etiam ex motivo pietatis, Duce inconsulto, & mortaliter peccare, & pœnam mereri. Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disput.* 116. Diana, *par. 6. tract. 4. Res. 25.* Castropalaus, *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 5. num.* 4. & alij, qui quamvis nostram in terminis difficultatem minimè agitent, cùm tamen universaliter asserant, nullatenus ex quavis causa licere militi Castra absque licentia deserere, nobis consentire videntur.

5. Moveor primò juribus, *in l. 3. §. Non omnes, l. omne crimen, §. Qui in acie, ff. de re militar. l. defunctorum, Cod. eod. tit. lib.* 12. *Cap. Infames, cau. 6. q. 1.* Gloss. *verb. Deferatur, in Cap. Jus naturale, 1. Dist.* ubi apparet ex jure communi disponi, militem Castra deserentem culpæ, & pœnæ esse obnoxium.

6. Moveor secundò rationibus: Nam miles fugiens de bellis publicis est reus læsæ Majestatis, ut *ff. ad leg. Jul. Majest. l. 3. & alijs juribus*, nisi quando Dominum defendere non potuerit, *d. leg. omne, ff. de re militar. §. Qui in acie*, & Gloss. *verb. De bellis publicis*; Ergo peccat mortaliter, cùm crimen læsæ Majestatis non possit citra gravem culpam committi. Tum quia, Castra deserentes inter infames reputantur. *Cap. Infames, cau. 6. q. 1.* & fiunt irregulares ex delicto. Ergo peccant graviter. Tum quia, ex desertione Castrorum sine Ducis, aut Principis facultate, præsertim si multi Castra deserant; multa possunt evenire mala, ut est amissio victoriæ, perditio exercitûs, consumptio ingentium sumptuum sine fructu, & alia similia. Quomodò ergo non peccabit, & quidem gravissimè miles tot & tanta damna ob suam Castrorum desertionem, Reipublicæ inferendo? Tandem, Miles non potest absque culpa, ut suæ consulat saluti, aut ad evitandam mortem, Castra deserere, non obtentâ à suo Duce licentiâ; Ergo ob majoritatem rationis non potest inculpatè Castra deserere, ut parentum subveniat saluti; in ordine enim charitatis primò est miles, secundò sunt ejus parentes.

7. Moveor tertiò exemplo, primò in Romanis, qui, ut tradit Joseph. *de bello judaico, lib. 9,* morte puniebant tanquàm graviter delinquentes eos, qui Castra deserebant, & alias negligentias admittebant. Secundò in milite exercitûs Urbani Papæ VIII. qui fuit ad triremes damnatus, quia absque debito commeatu Ferraria discesserat, teste Crispolt. *in Casib. militar. cas. 9. n.* 48.

8. Concludimus igitur, Duce, vel Principe licentiam non concedente, reum esse culpæ lethalis, & gravi pœna plectendum militem, si Castra deserat, animo serviendi parentibus infirmis; & hoc quidem ratione non causæ finalis, sed violationis jurium Castrorum desertionem rigorosè prohibentium, nec non contractus adstringentis Principem dare stipendium militi, militem Principi inservire.

9. Ad rationes in oppositum respondemus. Ad primam, quòd fuga militis per se est delictum, ut patet nostro primo motu, & in iis, quæ prohibita, & illicita sunt, mens prava præsumitur, ut per Tex. *in capit. 1. extra, de præsumptionib.*

10. Ad secundam, concedendo teneri filium subvenire parentibus, sed quando hujusmodi auxilium potest citra culpam præstare: Secùs verò, interveniente culpa; nam causa finalis bona non justificat actum per se malum, qui enim furatur ad eleemosynam erogandam, secundùm omnes Theologos, graviter, vel leviter juxta qualitatem materiæ peccat, quamvis causa finalis sit bona. Præterquam quòd, amori parentum esse præferendum honorem Principis, qui dicitur Pater Patriæ, probat Surd. *de alim. tit. 7. quæst. 3. num.* 11. & Reipublicæ salutem, ostendit Gloss. *in l. 1. §. Generaliter, ff. de ventr. in possess. mitt.* atque adeò meritò inquit Cicer. 1. *Offic.* „Chari sunt Amici, chari sunt Parentes, sed omnium charitatem una Respublica amplexa est.“

11. Ad tertiam, negando permitti Religioso exire de Religione absque licentia à Superiore, vel à Summo Pontifice obtenta, quamvis agatur de auxilio suis parentibus præstando, ut notat Valenzel. *cons. 11. num. 23.* cum alijs asserentibus, dolo minimè carere, qui non utitur remediis opportunis ad actum, quem gerit.

12. Infero primò ex dictis, nunquàm posse milites absque licentia Ducis, aut Principis, deserere Castra, præcipuè quando plùs imminet prælium, plúsque eis indiget Dux, aut Princeps: & hoc ratione damni, quod posset pati Respublica, & exercitus ex tali desertione.

13. Infero secundò, teneri militem Arcem, & locum sibi demandatum custodire, & defendere, etiam cum periculo suæ vitæ, aliàs peccare graviter cum onere omnia damna indè provenientia reparandi, & pœnam capitis patiendi, *ex d. l. 3. ff. ad leg. Juliam.* Hoc tamen limitant Doctores, scilicet, si fortè nulla esset spes prævalendi; nam in tali casu non tenetur miles mortem expectare, quia esset sine fructu talis expectatio. Hæc doctrina est Becani, *in 2, 2, cap. 25. quæst.*

quæst. 15. *num.* 1. Castropal. *tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 5. *num.* 4. Coninch. *disp.* 35. *de bello, dub.* 7. *num.* 97. & aliorum.

14. Infero tertiò, Duces exercitûs non debere esse faciles, præcipuè quando agitur de dispendio Reipublicæ, & Principis in concedenda militibus facultate discedendi, & quidem quando milites sunt valdè necessarij. Ita Gloss. *in l. Officium, ff. de re militar.* Molin. *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 116. & alij asserentes, esse à Duce Exercitûs commeatum parcissimè dandum militibus.

15. Infero quartò, Regentem exercitum non solùm debere parcissimè commeatum dare, sed neque permittere cum facilitate, militem ire piscatum, vel venatum, vel equum militarem extra Provinciam duci. Gloss. *in d. l. officium, ff. eod. tit.* Et tempore expeditionis hæc, & similia nullo modo debere permittere; ut *Cod. de commeat. l.* 1. *lib.* 12.

16. Infero quintò, Duces non debere esse admodum difficiles ad concedendum commeatum militibus, quando eorum ministerio non multùm indigent, vel urgens causa se se offert; quia difficultas obtinendi commeatum potest esse occasio militibus, vel deserendi Castra, vel non accedendi ad bellum. Quod etiam docet Molina, *loc. cit.*

17. Infero sextò, licèt desertio, juxta dicta jura, sit morte plectenda; attenta tamen discessionis causa, si verè est amor parentum, posse Duces uti aliqua moderatione in tali crimine puniendo, cùm miles discedens sine licentia, ut parentes ægrotantes visitet, mereatur aliquam excusationem. Felin. *in Cap. Cùm quidam, extra, de jurjur.* Roman. *in leg. si vero,* §. *De viso, ff. solut. matrim.*

18. Infero septimò obiter, non posse Religiosum in gravi necessitate parentum dimittere habitum Religionis, & servire viro nobili habitu sæculari indutum, ut illos juvet suo salario; quia licentia dimittendi habitum, cùm sit res magnæ considerationis, à sola Sancta Sede potest concedi; & est tam aliena à statu Religioso; ut nec Episcopus, aut Cardinalis habitum suæ Religionis dimittere possit. Contrarium sentit Facundez *in Decalog. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. ubi sic ait: Mihi etiam videtur, posse hujusmodi Religio- „ sum habitum dimittere, si non aliter, nec alio „ modo juvare possit parentes in gravi necessita- „ te constitutos, nisi illo dimisso.

19. Infero octavò, stando in jure novo, non posse Prælatum Religionis dare licentiam subdito manendi extra Claustra, ad subveniendum Patri, aut Matri graviter indigenti, quia Clemens VIII. *in Decretis de reformat. Regularium*, jubet revocari omnes licentias datas à Superioribus Religionum subditis degendi extra Conventus Claustra, de cætero non concedendas, nisi ex gravissima causa à Sancta Sede Apostolica approbanda. Quod Decretum fuit innovatum ab Urbano VIII. & quoad rem nostram, *num.* 25. subditur. Quamvis etiam ob necessitatem paren- „ tum posset Religiosus habitu retento, manere „ extra Monasterium ex vi juris communis. Nam ex jure communi antiquo poterant Prælati Regulares dispensare cum Religiosis subditis, ut habitu religioso retento, manerent extra Claustra, sublevandam parentum necessitatem, non solùm extremam, in quo casu tenebantur, sed etiam gravem; quod hodie propter jus novum adductum Clem. VIII. & Urbani VIII. fieri non potest, nisi de licentia Sedis Apostolicæ, talem causam approbantis.

Infero nonò, Prælatum Regularem, post memorata Decreta, concedentem subdito Regulari licentiam manendi extra Claustra, graviter peccare, & esse arbitrio sui Superioris puniendum, quia spernit Statutum Pontificis, cui obedire tenetur. Dixi arbitrio Superioris, nam ubi lex non apponit pœnam contrafacientibus, videtur Judici arbitraria; ut habetur *in Cap. Nihil, de elect.* 20.

Infero decimò, fas esse suadere militi volenti, aut deserere Castra, Duce inconsulto, aut aliquod furtum committere, ut parentibus infirmis subveniat, potiùs furtum committere, quando ipsa desertio Castrorum in præjudicium cederet Reipublicæ; Clarus est Tex. *in Cap. Duo mala,* 13. *Dist.* & ita docent Molina, Sot. Tabiena, Navarr. Pan. Adrian. & alij, quos refert, & sequitur Salas, *Tract. de usur. dub.* 49. §. *Dicendum ergo.* Hoc enim est consulere minus malum conditionaliter, & comparativè, non absolutè, quod nefas esset; Unde Aristot. *lib.* 5. *Ethicor. capit.* 3. dicit. Minus malum boni locum habere, si „ majori malo comparetur. „ 21.

Infero undecimò, non posse Generalem post dicta Decreta Pontificia, concedere facultatem alicui Religioso inquieto, & insolenti, damnato ad triremes, & ab his postea restituto, ut possit Eremiticam regulariter vitam ducere, vel in aliquo loco pio, præstita per eum obedientia Ordinario loci, vel Generali ipsi: quòd fieri posse ante dicta Decreta, asserebat Rodriq. *in Quæstionib. Regular. tom.* 3. *q.* 53. *art.* 5. 22.

XXII. DIFFICULTAS.

Dux Exercitus hostium aspectu perterritus, Exercitum deserens fugam arripuit. Dubitatur, an fuerit perduellionis reus.

Notandum primò, perduellionem, si etymologiam spectemus, non dici à duello, quatenus per duellum probari posset crimen perduellionis, id est crimen læsæ Majestatis, sicut quidam intellexerunt, & malè, ut notat Turrecrem. *in Cap. Si quis, caus.* 6. *quæst.* 1. §. *Porrò*: nam quo tempore primùm vox ista, *perduellio*, cognita est, duellum, id est monomachia, non erat cognitum in probationem criminis; sed derivari à bello; nam ut Varro, *lib.* 6. *de ling. Lat.* tradit, primò dictum duellum, postea perduellum, id est perfectum bellum, inde bellum dictum, sicut etiam duella Bellona postea dicta; bellum inquam, quasi inter duos Exercitus Duces exerceretur. 1.

Notandum secundò, juxta dicta, perduellem dici, 2.

dici, id est hostem illum, qui bellum in Rempublicam, vel Principem exercet: nam, ut ait Cajus, *in leg. quos nos, ff. de verb. signif.* quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant; Et ita etiam tenet Turrecrem *in d. Cap. Si quis, §. Porrò, causa 6. quæst. 1. & in Sum, caus. 3 q 4.* Grammat. *decis. 6. num. 4.* Decian. *Tract Criminal. lib. 7. cap. 6. num 2.*

3. Notandum tertiò, crimen perduellionis dici crimen læsæ Majestatis, *l. ult. ff ad l. Jul. Majest.* indè & rebellem dici perduellem, quasi contra Rempublicam, vel Principem bellum gerat.

4. Notandum quartò, quòd perduellionis crimen differat à crimine læsæ Majestatis, sicut species à genere: nam omnis reus perduellionis est etiam reus læsæ majestatis: At non omnis reus læsæ majestatis est reus perduellionis; ut colligit etiam Alciat. *in l. quos nos ff. de verb. signif.* Reus enim perduellionis is propriè dicitur, qui hostili animo adversus Rempublicam, vel Principem insurgit, quod etiam conjurationem appellaverunt Historici, teste Budæ, *in annot. ad l. 1. ff. ad leg. Jul. Majest.*

5. His adnotatis, ad difficultatem propositam, quam in terminis apud nullos, uno excepto inferiùs citando, agitatam reperio, an Exercitûs Dux, hostium aspectu perterritus, si deserens exercitum, fugam arripiat, sit reus perduellionis, videtur negativè respondendum; nam perduellum bellum est, ut notavimus, qui verò deserit exercitum, & præ timore fugit, non gerit bellum, sed cessat bellare. Tum quia, perduellis hostili animo in Rempublicam, vel Principem animatur. Atqui, derelicto exercitu, fugæ se dat, amisso animo, Rempublicam deserit, non in Rempublicam animatur.

6. Veritas tamen est, Ducem imperium, exercitumvè deserentem, & fugientem, præcipuè tempore belli, & conflictus, perduellionis reum esse. Ita Decian. *in Tract. criminal. lib. 7. cap. 6. num. 21.*

7. Moveor primò juribus, *in l. 3. ff. ad leg Jul. Majest.* ubi habetur, reum criminis læsæ majestatis esse eum, qui imperium, exercitúmque deseruit; ut ibi Intelligit, & notat Budæ. *& l. 3. §. ult. ff. de re milit.* qua capite punitur, qui Præpositum suum protegere noluerit, vel deseruerit; si ille pereat. Nonnè Præpositum suum recusat defendere, & deserit qui exercitum deserendo, & fugiendo, deserit Rempublicam, vel Principem? *& l. omne delictum, §. Exploratores, ff. de re milit.* qua capite pariter punitur, qui metu hostium languorem simulat, ut militare evitet, ut observat Decian. *Tract. crim. cap. 15. num. 6.*

8. Moveor secundò rationibus: nam perduellio respicit Reipublicæ ruinam. Ruit, perit profectò Respublica, si exercitus à Duce deseratur. Fugæ enim si Dux dedetur, militibus confusio datur: confuso exercitui. En Hostium victoria: En Reipublicæ ruina: En perduellionis crimen: En Dux perduellis. Tum quia, quid est perduellio secundùm Festum? quasi contra Rempublicam, vel Principem bellum hostili animo gerere: quis autem negaverit contra Rempublicam, vel Principem bellum animo hostili geri ab eo, qui fuga sua contra Rempublicam, vel Principem hostes animat, & animando victores reddit? Hostis igitur est, & contra Rempublicam bellat qui fugit. Si ergo perduellio dicitur crimen hostis, vel hostile, concedendum est, Ducem, relicto exercitu, fugientem, reum esse perduellionis.

Moveor tertiò exemplo, in Militibus Appij Cons. qui pro fœda fuga fuere ab eo, tanquam perduelles castigati; Et Signiferi, qui signa amiserant: Centuriones, & Duplicarij, qui ordines reliquerant, post virgas, fuerunt securi percussi; cætera multitudo decimata, ut legitur apud Livium, *lib. 2.* & Tranquil. *in Augusto*, refert, eum cohortes, si quæ cessissent loco, decimatas hordeo pavisse, & Duces, seu Centuriones statione deserta capite mulctasse. Et Paul. *Sententiarum, lib. 5. tit. 31.* scribit, quod olim, qui Imperatorem deseruissent, aquæ, & ignis interdictione in perpetuum puniebantur: nunc verò morte puniuntur, & reis criminis læsæ majestatis æquiparantur. 9.

Concludimus igitur, Duces, omnésque eos, 10.
qui fugam primi arriperent, atque ideò essent in causa, ut Respublica damnum pateretur, vel exercitus profligaretur, reos esse perduellionis morte plectendos.

Ad rationes, in contrarium patet clarissimè 11.
responsio in toto secundo motu rationum, & ex notatis; nec non constabit ex inferendis.

Infero primò ex dictis, crimen perduellionis 12.
esse crimen læsæ majestatis, licèt perduellis nihil directè in Rempublicam, vel Imperatorem, seu Principem superiorem non recognoscentem moliatur, quòd etiam docet Turrecrem. *loc. cit.*

Infero secundò, reum esse perduellionis, seu 13.
criminis læsæ majestatis illum, qui partem aliquam Reipublicæ tantùm lædit, ut puta, si Ducem aliquem hostium captivum liberaret; aut hostium Ducem in domo sua retineret. Quod etiam docet Decian. *Tract. crimin. lib. 7. caput. 6. num. 4.*

Infero tertiò, Ducem deserentem exercitum, 14.
& fugientem, per se loquendo, si confugiat ad Ecclesiam, gaudere privilegio Immunitatis Ecclesiasticæ, si nihil hostile in personam Principis molitus est. Secùs verò, si aliquid hostile tentavit in personam Principis, exercendo, scilicet, actionem aliquam in damnum, & offensam Principis, ut puta occidendo, vulnerando, percutiendo, conjurando, machinando, hostiliter insequendo personam Principis, vel revelando hostibus secretum Principis, ut ab illis capiatur. Et hoc ex vi Constitutionis Gregorij XIV. ut notat Magister meus Tho. Del Bene, *part. 2. de Immunit. Eccles. dub. 23. c. 16. sub num. 3.*

Infero quartò, filios Patris ob crimen perduel- 15.
lionis damnati, libertorum paternorum jura non amittere ex rescripto Veri, & Antonini, *l. jura libertorum, ff. de Jure patron.* quæ lex præscindendo à benignitate Principum, aliquando severitatem legũ dispẽsantium, locum in crimine perduellionis non habet, ut notat Dec, *loc. cit. num. 16.*

Infe-

16. Infero quintò, post crimen perduellionis contractum, perfectas donationes esse non posse, *l. donationes*, §. *ult. ff. de donat.* cùm hæredes quoque teneat, & si nondum postulatus decesserit.

17. Infero sextò, Regnum affectantem esse verè perduellionis reum; atque ideò eo nomine damnatos fuisse Vitellios, & Aquilios, qui de reducendo Tarquinio Rege cogitabant, testatur Plutarchus *in vita Publicolæ*, nec non Sp. Cassium Viscellinum, cujus domus fuit diruta, ut narrat Liv. *lib.* 2.

18. Infero septimò, perduellionis reum etiam illum esse, qui se subtrahit ab obedientia Principis, & sa illi hostem parat. Et hoc etiam docet Oldrad. *consil.* 43. *num.* 8. *in fin.*

19. Infero octavò, perduellionis speciem esse conjurationem, quando facta est hostili animo contra Rempublicam, ut fuit conjuratio Catilinæ. Et ita videtur docere Budæ. *in annot. ad l.* 3. *ff. ad leg. Jul. Majest.*

20. Infero nonò, gravioribus pœnis justè puniri crimen perduellionis, excepta Cruce, quæ olim in Campo Martio erecta puniebatur, ut colligitur ex Tul. *in orat. pro Rabirio*, & ex Dione, *lib.* 37. Cùm hoc Crucis supplicium per legem imperatoriam fuerit quibuscunque criminibus interdictum ob reverentiam Crucis, quæ Christo Domino nostro ob totius Generis humani crimina Crucifixo debetur.

21. Infero decimò, ad evitandum perduellionis infamiam, & alia incommoda, à Duce Exercitus ea esse in praxim deducenda, quæ Agasilaus dicebat oportere Duces habere, nimirùm erga Inimicos audaciam, erga subditos benevolentiam, erga temporum opportunitates rationem.

XXIII. DIFFICULTAS.

Dux præcepit militibus suis, ne in tali die occidant hostes: Miles quidem contra tale præceptum multos hostes occidit, & ex occisionibus viam aperuit ad victoriam. Dubitatur, an peccaverit.

1. NOtandum primò, obedientiam dici quasi abaudientiam, quod, nempè, vox, & præceptum Superioris audiatur, & admittatur, & definiri à D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *art.* 2. *ad* 2. sic. Est virtus moralis efficiens hominem promptum ad præstandum voluntatem, aut præceptum Superioris.

2. Notandum secundò, nervum militiæ, ut alibi tetigimus, in effectu esse obedientiam. Ayal. *de jur. & offic. bell. & disciplin. lib.* 3. *cap.* 2. *de offic. leg. Tribun. & aliorum*, *& cap.* 10. *de contum. & Ducum, edict. non parent.* Decian. *Tract. crim. lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 45. *& cap.* 12. *num.* 2. Gig. *Tract. de re milit. Rubr. qualiter*, *& in quibus læsa Majest. crim. incur. q.* 31. *num.* 6. *& seqq.* Gabal. *Resol. crim. cas.* 294. *n.* 165.

3. Notandum tertiò, occidere hominem ex officio non esse peccatum. Ita declarat Tex. *causa* 23. *quæst.* 5. *Capit. De occidendis*, ut notat *in Tex.* Archid.

4. Notandum quartò, obedientiam, generaliter loquendo, esse virtutem, ut patet ex Tex. *caus.* 8. *quæst.* 1. *Cap. Sciendum est*, ubi obedientia virtus appellatur. Item ibi dicit Gregorius, quòd sola obedientia fidei meritum possidet, quod obedientiæ minimè conveniret, nisi virtus esset.

5. Notandum quintò, licere aliquandò, & expedire interficere hostes omnes nocentes, præcipuè in ipso actuali conflictu prælij, vel in oppugnatione, aut defensione Civitatis. Vid. *Re lect.* 6. *de jur. bell. num.* 44. *&* 48. quia aliter rem benè gerere non possent Bellantes, nisi tollendo omnes impedientes, & contra pugnantes. Tum quia, bellum geritur ad parandam pacem, & securitatem; atqui aliquandò pax obtineri non potest, nisi occisione hostium, qui illam impediunt.

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles occidendo contra Ducis præceptum tali die hostes, ex qua occisione paratur via ad victoriam, peccet mortaliter. Respondeo affirmativè, si periculum damni gravis, aut sibi, aut exercitui ex hujusmodi occisione immineret. Archid. *in cap. Miles*, *causa* 23. *quæst.* 5. Turrecrem. *in eund. Tex. & in cap. Qui resistit*, *caus.* 11. *quæst.* 3. Card. Albanus, *in locubrat. in Bart. in l. Desertorem*, §. *In bello*, *ff. de re milit.* Molin. *tom.* 1 *de Just. tract.* 2. *disp.* 101. Cesped. *in Dub. milit. dub.* 91. & alij plures.

7. Moveor primò juribus, *in d. cap. Miles*, *caus.* 23. *quæst.* 5. ibi Gloss. ubi habetur, militem sua sponte, & auctoritate occidentem hominem, in crimen effusi humani sanguinis incidere, id est reum esse homicidij; ideòque puniendum. Et in *d. l. desertorem*, §. *In bello*, *ff. de re milit.* ex qua colligitur eum, qui mandata Ducis transgreditur, esse capite puniendum, etiamsi rem fæliciter gesserit.

8. Moveor secundò rationibus: nam homo ex ordinatione divina tenetur obedire homini superiori suo, ut patet, *ex cap.* 13. *num.* 2. *ad Rom.* ubi habetur ad literam. *Itaque qui resistit, potestati, DEI ordinationi resistit*, id est qui resistit habenti potestatem, non obediendo, DEI ordinationi resistit: ita explicant communiter DD. & præcipuè Turrecrem. *loc. cit.* & subdit Apostolus, *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et ad Hebræos ult.* dicit idem Apostolus, *Obedite Præpositis vestris, & subiacete illis.* Tum quia, videmus ex ipso ordine naturali, divinitus instituto, inferiora in rebus naturalibus necesse habere subdi monitioni Superiorum. Ita etiam in rebus humanis ex ordine juris naturalis & divini teneri inferiores suis Superioribus obedire. Atque ideò homo homini, cui tenetur obedire, non obediens, ordinem rerum destruit humanum naturalem, nec non divinum: quod citrà culpam, vel gravem, vel levem, secundùm qualitatem materiæ, evenire non potest. Cùm igitur hominum internecio sine debita jurisdictione res sit summè gravis, dicendum erit, militem occiden-tem,

tem, contra Ducis mandatum, in tali die hostes, graviter peccare.

9. Moveor tertiò exemplis; primò in exercitu, quem sub Albano Duce anno 1580. Philippus Hispaniarum Rex misit in Lusitaniam. Cùm enim Rex nulla ratione nocere hostibus in personis, aut in rebus intenderet, nec vellet, ut jus ullum belli, nisi adversùs resistentes exerceretur, & hoc quidem etiam moderatè, prout pietas Regis, & res ipsa postulabat; milites contrafacientes, seu aut hostes occidendo, aut illis grave damnum in rebus inferentes, acriter tanquam rei injustæ internecionis, aut rerum injustè sublatarum puniebantur. Molin. *loc. cit.*

10. Huic veritati nonobstat, quòd per talem interfectionem via aperitur ad victoriam, nam, præterquam quòd incertus est belli exitus, & consequenter ex hujusmodi hostium occisione non est certò speranda victoria; semper, ut diximus, ex natura sua, & genere suo culpa lethalis est, si miles aliquid faciat contra Ducis voluntatem, & præceptum, quod grave sit. Quid namque virtus bellica proderit, si, vel occasio eam exercendi non detur, vel desit in militibus obedientia, quæ est totus nervus militiæ? Alioqui quid arma, copiæ, viri, vires, si ex obedientiæ defectu exerceantur, quando non sunt hæc exercenda? Non malè propterea mihi visus est Comicus ille dicere.

„ Rerum omnium primum esse tempus in re ritè „ peragenda, præcipuè attendendum; unde & Lyricus mittens Augusto librum, monet eum, qui laturus est, ut tempestivè adeat, ut videlicet,

Si validus, si lætus erit, si denique poscet:

Item temporis opportunitatem sic describit,

Nisi dextro tempore Flacci,
Verba per attentam non ibunt Cæsaris aurem.

Ex quo patet, victoriam esse potiùs desperandam, quàm sperandam, si hostes occiduntur in tempore, in quo Dux suis illos prohibet occidere; cùm ad Ducis prudentiam pertineat, temporis opportunitatem attendere, & observare.

11. Quæ omnia confirmantur exemplo. Epaminondas cùm ageret contra Lacedæmonios bellum, & instaret tempus creandorum Magistratuum, quod sine ipso in Urbe fieri non poterat, cùm Prætor esset; Stesimbrotho Filio exercitûs cura commissa, illi præcepit, ne contra hostes pugnaret. At Filius hostium injuriis lacessitus, in aciem contra eos descendit, hostesque profligavit, victoriam reportavit; sed reversus ad Patrem, cùm se victor lætum obtulisset, ab eo primùm, ceu victor coronatus; sed quia Patris jussa neglexerat, capite mulctatus est, ut refert Baptista Fulgos. *in suis factis, & dictis memorabilibus cumulatis.* Quod idem legitur apud Valerium Max. de Posthumo Tiburtio, qui Aulum Posthumium filium, quia sine ejus jussu, sponte in hostes progressus, eos fuderat, victorem securi feriri jussit.

12. Concludimus igitur, peccare mortaliter militem occidendo contra Ducis præceptum tali die hostes, quamvis ex tali occisione via ad victoriam paretur.

13. Infero primò ex dictis, militem occidentem, contra præceptum Ducis, hostes, teneri ad restitutionem damnorum; cùm occisor sit dupliciter injustus, respectu, nempè occisorum; ut patet, & respectu Ducis: nam sicut obedientia pertinet ad justitiam, secundùm Tullium, & ut probat Turrecrem. *in cap. Sciendum est, caus. 8. quæst. 1.* quia per ipsam redditur Superioribus, quod suum est, scilicet impletio mandatorum; ita inobedientia erit pars injustitiæ, & ab injusto occisore, sive mutilatore esse restituenda omnia damna ex tali occisione affirmant Sotus, Sylv. & alij plures contra Less. *lib. 2. cap. 9. d. 25.* ubi probat, quòd injustus occisor, aut mutilator tenetur tantùm restituere pro damnis bonorum fortunæ, quæ ex tali occisione, vulnere, &c. directè ab eo causata sunt, juxtà prudentis arbitrium; non verò præcisè pro vita, membro, cicatrice, cùm sint bona altioris ordinis, quæ pecunia æstimari non possunt.

14. Infero secundò, talem militem occidentem hostes contra mandatum Ducis, & quemlibet homicidam injustè alios occidentem teneri ad dictam restitutionem, licèt à Duce, sive Judice pœna præsertim capitali puniatur. Molin. *disp. 84. num. 8.* Less. Vasq. nam per hujusmodi punitionem non reducitur ad æqualitatem inæqualitas rerum temporalium facta parti læsæ; quemadmodum fur si capite plectatur, non propterea cessat obligatio restituendi, quæ rapuit. Contrarium tenent Rossella, Sotus, & alij.

15. Infero tertiò, non solùm homicidam, sed etiam ejus hæredes, si sufficit hæreditas, teneri restituere tum omnes legitimas expensas factas in curatione occisi, si non statim mortuus est, extracta ea pecunia, quæ alioqui eodem tempore pro ejus sustentatione consumpta fuisset; tum omne damnum reale, sive in honore, sive in fama, sive in pecunia per se sequutum ex injusta occisione, seu mutilatione. Ita Less. *lib. 2. cap. 9. dub. 19. num. 127.* De Lug. *tom. 1. de Just. d. 11. sect. 2. num. 31.* quia horum damnorum injusta causa fuit homicida. Exciperem tamen casum, in quo homicida à Judice est capite damnatus, & hæredes occisi sunt divites, vel nobiles, qui ejusmodi damna temporalia petere non solent. Facilè enim potest judicari, esse illis solo supplicio factum satis.

16. Infero quartò, si occisus, dum esset in vita, remisit expressè omne debitum homicidæ, hæredes, Patrem, uxorem, aliosque ad nihil teneri, Less. *lib. 2. cap. 9. dub. 26. num. 13.* Thomas Sanch. *lib. 1. Conf. cap. 4. dub. 12. num. 5.* Non tamen reprobamus Lugum asserentem, quòd hæc doctrina vera est in prioribus damnis, de quibus poterat occisus disponere, dum vivebat, non verò in posterioribus, quia hæc damna in se patiuntur Pater, filius, uxor, non in alio, id est non in persona occisi. Ergò is remittere non potest.

17. Infero quintò, militem speculativè tantùm dubitantem, an res præcepta à Duce sit licita, teneri obedire, idemque valere de subdito Religioso, respectu sui Superioris, ei aliquid mandantis, ita pro-

probabiliter docent Sanchez, Azorius, Valentia, Suarez, Molina, & alij, quos citat, & sequitur Diana, *p. 4. tract. 3. Resol. 9.* contra Vasq, & alios.

18. Infero sextò, militem teneri sub reatu peccati mortalis obedire Duci præcipienti non occidere hostes tali tempore, quamvis nullum periculum damni sibi, aut exercitui videat imminere ex hujusmodi occisione, ita deducitur ex doctrina Basilij Pontij, *de matrimon. lib. 5. cap. 5. num.* 11. Castropal. *tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct.* 14. *num.* 13. ubi docent, subditos Religiosos teneri obedire Superiori prohibenti in virtute obedientiæ ingredi in cellas, ob aliqua incommoda evitanda, licèt hujusmodi incommods ex tali ingressu non sequantur; quia esto non adsit periculum in illo casu, adest tamen generaliter, & in plurimum, quod sufficit, quia hæc fuit causa imponendi præceptum, Est contra Cesped. *in Dub. milit. dub.* 91.

19. Infero septimò, militem, & quoscunque subditos alios, non posse ab obedientia sui Superioris se eximere, quamvis notorium sit in aliquem casum ablationis, sive privationis ipso facto incurrendæ incidisse, nisi priùs per sententiam Judicis declaretur hunc Superiorem in illum casum incidisse. *Arg. ex cap. Cùm secundùm leges, de hæret. in 6.* ubi definitum est, quòd licèt bona hæreticorum sint ipso jure confiscata, executio confiscationis fieri non debet, donec sententia fuerit super tali crimine publicata. Et ita docet Valer. *in Different. utriusque fori, verf. pœna, Diff.* 20. *n.* 4. Diana, *p. 2. tract. 17. Res. 67. §. Ex his deducitur.* Nicolius, *in Flosculis, sub verb. Pœna, num.* 14. ubi dicit; hanc opinionem fuisse approbatam à Sacra Regularium Congregatione 1646. 5. Oct. & 1649. 26. Novemb. Alter. *tom. 1. de Censur. Ecclesiast. lib. 2. disp. 8. cap. 1. lit. B.* ubi dicit, hanc opinionem esse communiorem, & probabiliorem, quam tamen ibi *lit. C.* sic limitat, Quod „ diximus, intelligendum est, dummodò ex com„ munione non immineret aliquod periculum, „ aut damnum Reipublicæ, aut Ecclesiæ, tunc „ enim jure defensionis naturalis possent subditi „ eos repellere, & negare illis obedientiam; „ quod etiam liceret, si non essent excommu„ nicati.

XXIV. DIFFICULTAS.

An absque licentia Ducis possint milites privati prædari Agros, aut incendere Domos.

1. NOtandum primò, prædam dici, ut placet Varroni, à *pario*, quasi *parida*, quod sit manu parta; vel dici à *pra*, quod est ante, & *do*, quod auferatur per vim, antequàm detur à possidente. Hinc prædo dicitur, qui interrogatus cur aliquid possidet, dicit; quia possideo. Ulpian. *l. sed & si*, §. *Quod autem, de petit. hæreditatis.*

2. Notandum secundò, licitum esse in bello justo deprædari hostes, *causa* 23. *quæst. 8. cap. Prædem*, & *Dist. 61. cap. Quid prodesset*; licèt nefas sit militare principaliter ex avaritia, & causa deprædandi, & concutiendi proximum propter prædam, ut admonet Tex. *causa 23. quæst. 1. cap. Militare.*

Notandum tertiò, licitum esse in bello justo devastare Agros, comburere Domos, spolisre Innocentes bonis, & rebus, quibus hostes adversùm nos usuri sunt ad debilitandum hostium vires. Victor. *Relect. 6. de jure belli, num.* 39. quia aliter victoriam, quæ est finis belli; consequi nequaquam possemus. 3.

Notandum quartò, non esse per se illicitum in bello justo permittere, ex rationabili causa, militibus incendere non solùm Domos, sed etiam Civitatem, si ita necessitas postulaverit ad bellum gerendum, vel deterrendos hostes, vel ad accendendum militum animos. Vict. *Relect. 6. de jure belli, num.* 51. 4.

Notandum quintò, licitum esse Principi ante, vel post partam victoriam, ex damna inferre Reipublicæ vincendæ, vel victæ, quæ sufficiant ad justam vindictam, & satisfactionem, & restitutionem omnium damnorum. Ita communiter cum Suarez, *disp. 13. de bello, sect. 7. num.* 7. quia hic est finis belli: tum quia, in justo judicio hoc licet; ut alibi demonstravimus. 5.

Notandum sextò, in bello justo posse fieri à militibus licitè omnia, quæ necessaria sunt ad boni publici defensionem. Hoc dictum est omnium, & patet ex fine belli, qui non solùm est defensio propria, sed etiam defensio, & conservatio Boni communis, ut habetur *in cap. Noli, & cap. Apud veros, causa 23. q. 1.* 6.

His adnotatis, ad propositam difficultatem, an militibus in bello justo liceat, absque Ducis licentia, prædari Agros, incendere Domos. Videtur affirmativè respondendum; quia Milites Christiani sæpè numero, sine Principis, aut Ducis authoritate, Turcas, & alios Infideles invadunt, eosque spoliant, eorumque Agros prædantur, & nemo eos ad restitutionem compellit. 7.

Contrarium tamen, quod certissimum est, sustinemus cum Vict. *Relect. 6. de jure belli, num.* 53. Sylvest. *verb. Bellum, 1. quæst.* 10. Suarez, *disp. 13. de bello, sect. 7. num.* 2. Filluc. *tract. 29. in 5. prac. Decal. cap. 9. de bello, quæst. 7. num.* 191. Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 5. cap. 5. dub. 2. n. 5.* & alijs. 8.

Moveor primò juribus, *in cap. Militare, causa 23. quæst. 1.* & ibi expressè Gloss. ubi habetur, quòd si milites aliquid extorserint, tanquàm calumniatores, & concussores damnabuntur. 9.

Moveor secundò rationibus: Bellum enim, non privata authoritate geritur, sed publica: unde ad prædandos Agros, vel Domos incendendas, Ducis, vel Principis facultas requiritur. Tum quia, milites privati non sunt legitimi Judices, sed tantùm executores Ducis, vel Principis; ideòque sine illius facultate nil agere licitè possunt in hostes; & aliter facientes, tenentur ad restitutionem. Tum etiam quia, ita militaris exigit disciplina: nam militibus absque Ducis licentia Agros prædantibus, facilè Victores, aut securi de victoria evadunt Victi. Quod sanè novum non 10.

non est, sicut plura exempla tam vetera, quàm recentia allegari possent.

11. Movent igitur tertiò exemplis. Inter cætera, de Germanis scribit Tacitus, *lib. 1. Annal.* „ Romanos ab Herminio propè victos, juvit hosti- „ um aviditas, omissa cæde, prædam absque- „ Ducis licentia sectantium (ubi Commentator Annibal Scotus Placentinus ita dicit) Sæpè avi- „ ditate prædæ exercitus victoriam amiserunt.

12. In prælio illo memorabili Drocensi, anno 1562. Franciscus Guisius, industria militari ornatus, cùm adversa pars victoriam consecutam spe prædæ ex manibus amitteret, captata occasione in dissolutos irruit, & victores vicit, fugatoque Collinio Amirallio, Condæum captivum duxit. Unde laudabile fuit illud Joannis Trivultij Carol. VIII. Gallorum Regi datum consilium, in conflictu apud Tarum, cùm Italiæ confæderatis, relinquendi, scilicèt, impedimenta incustodita, & prædæ hostium exposita, ut illi in hac re occupati, faciliorem illis transitum, quod summopere optabant, redderent. Quod prout ipse cogitaverat, evenit Guicciard. *lib. 2. Hist. Ital.*

13. Omitto victorias egregias spe, & aviditate intempestivæ, & non concessæ prædæ amissas; totque victos ex victoribus factos ob militum libertatem in prædando; Ex quibus constat, nullatenus licere militibus absque Ducis, vel Principis facultate Agros, Domosque prædari, & alia hostibus damna inferre, & aliter facientes, utpotè proximum damnificantes ad restitutionem damnorum teneri.

14. Ad rationem in oppositum respondemus, quòd hi Milites possint excusari ex voluntate Ducis, seu Principis interpretativa, nempè quando adest maxima opportunitas, & non potest Princeps conveniri, ut conferat facultatem; tunc enim non solùm ab obligatione restituendi; sed forè à peccato excusantur. Nam hujusmodi Infideles sunt publici hostes Christianorum, & per consequens illud bellum virtualiter procedit ex licentia, vel ratihabitione Principis, quod non potest dici, quando bellum geritur inter Christianos: tunc enim voluntas Ducis, sive Principis non potest præsumi, ut milites sine ejus licentia Agros prædentur, cùm ei fas non sit velle nisi quod necessarium est ad belli finem consequendum, qui est victoria, & ex tali prædatione forte amittenda.

15. Concludimus igitur, absque Ducis licentia minimè licere privatis militibus Agros prædari, aut Domos incendere, &c.

16. Infero primò ex dictis, capta à Christianis in bello contra Turcas, absque Principis facultate indicto, esse à militibus suo Principi manifestanda, ut ipse ad suum placitum de ipsis disponat, vel donando illis omnia, vel partem; quia, cùm pugnent sine licentia, non fiunt Domini earum rerum, quas prædantur.

17. Infero secundò, cautos debere esse Principes in concedendo suis militibus hujusmodi licentiam; ne prætextu prædandi Turcarum agros, eosque suis bonis spoliandi, prædentur etiam agros Christianorum, eosque invadant, & sic paulatim Tyranni, vel saltem Latrones, & Grassatores evadant.

Infero tertiò, auferentes bona Hebræorum, aliorumque Infidelium propria authoritate rapinam committere, & ad restitutionem teneri. Ita D. Tho. 2. 2. q. 66. art. 8. 18.

Infero quartò, omnia bona hostium, tam mobilia, quàm immobilia, debita licentia acquisita, dummodò servetur æqualitas, fieri victorum. Ita habetur *in l. Hostes, & in l. si quis in bello, ff. de captivis, & leg. si quis pro redemptione, Cod. de donationib. & cap. Jus gentium, & cap. Jus militare, Dist. 1.* Idem docet S. Ambros. *lib. 1. de Abraham, cap. 3.* D. Tho. *lib. 3. de regimine Principum*, & plures refert Covarr. *regul. peccatum, punct. 2. §. 13.* 19.

Infero quintò, milites teneri ex justitia ad actum fortitudinis, atque adeò ad non fugiendum, nec deserendum locum suum, aut Arcem, ut Agros prædentur, ut incendant Domos, &c. Circa quod extant multæ leges, *ff. de re militari.* 20.

Infero sextò, non licere militibus Ecclesiasticis nocere, non solùm in persona, sed nec etiam in bonis; & aliter facientes, teneri eis damna restituere. Hoc patet ex terminis, & habetur *in cap. Innovamus, de treug. & pace.* Sylv. Navar. & alij, quos citat, & sequitur doctissimus Molfes. *in Sum. p. 2. tract. 12. cap. 3. num. 187.* adducens hanc rationem, quia bona Ecclesiasticorum dicuntur patrimonium DEI, & ut talia debent tractari, & sic immunitate debent gaudere. 21.

Infero septimò, quòd si esset lata excommunicatio contra prædantes Agros, devastantes Civitatem, incendentes Oppidum, & milites absque licentia Ducis, vel Principis hujusmodi prædationem, devastationem, incendia committerent, tali excommunicationi subjicerentur. Sylvest. *verb. Bellum, 1. quæst. 10.* Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 5. cap. 2. dub. 2. num. 3.* 22.

Infero octavò, res oblatas à militibus, vel ab alijs esse restituendas Domino suo, quando de ipsius jure liquidò constat. Nald. *in Sum. verb. Restituere, num. 3.* ubi notat aliquas fallacias in hac decisione occurrentes. 23.

Infero nonò, militem, & quemvis alium debitorem, qui cedit bonis, ex quo Creditores non recipiunt solidum, & integrum creditum suum, si deveniat ad pinguiorem fortunam, teneri ad omnia debita persolvenda; aliàs non esse tutum in conscientia. Cessio enim el tantùm favet, ne in carcerem detrudatur: quidquid dicant alij, Textus est *in l. 1. Cod. qui bo. ced. poss.* ubi habetur, quòd debitor non liberatur ob actum cessionis, sed tantùm evadit carcerationem. Hoc etiam colligitur *ex decis. Gratianop. 344.* Guid. Pap. Contrarium tenet Covarr. *lib. 2. var. resolut. cap. 1. num. 6.* Less. & alij, quorum opinionem esse probabilem notat Nald. *loc. cit. num. 22.* 24.

Infero decimò, non teneri restituere eum, qui visis militibus, vel alijs furantibus rem proximi sui, ab ipsoque interrogatus, negat veritatem. Secùs verò, si interrogatus à Judice, ei occultaret veritatem: ratio disparitatis est, quia in primo casu peccat tantùm contra charitatem; in secundo verò peccat etiam contra justitiam juxta om- 25.
nes.

nes, & in specie Sot. *de just. lib. 4. quæst. 7. art. 1. in fin.*

16. Infero undecimò, teneri militem, & quemvis alium debitorem in articulo mortis constitutum, manifestare suo hæredi consanguineo sibi conjuncto usque ad secundum, & etiam tertium gradum, obligationem suam ob rapinas, usuras, & similia delicta erga certum creditorem occultum: quia confidere propria delicta tam strictè conjunctis nullum affert præjudicium honori, famæ: quidquid dicant nonnulli oppositum sentientes *ex cap. Officij, de pænit. & remiss.* ubi mulier timens detegere marito filium esse ex adulterio conceptum, dicitur tamen, quòd sit absolvenda, injuncta illi pœnitentia peccati præteriti. Cui tamen respondeo, hoc posse fieri, non solùm ratione infamiæ, sed damni corporalis, & propriæ vitæ.

XXV. DIFFICULTAS.

An Duces belli teneantur corrigere milites delinquentes, eorumque delicta committenda impedire.

1. Notandum est primò, correctionem dici Hebr. *Musar, Mosar;* quod significat disciplinam, castigationem; & cognationem habet cum verbo *Asar*, quod sonat ligare.

2. Notandum secundò, dari discrimen inter correctionem, & correptionem, ut colligitur ex D. Aug. *lib. 1. de Civit. cap. 9.* & alijs, qui dicunt correctionem esse Prælatorum, & actum justitiæ, & correptionem esse fratris, & actum charitatis, & misericordiæ.

3. Notandum tertiò, quòd correctio est duplex: una exterior, quæ est actus corrigentis, quæ fit verbis, & factis, ut puta, quando quis virga, aut alijs pœnis nititur delinquentem castigare, & à malis operibus coercere, & talem homo potest exercere. Alia est correctio interioris hominis detestantis culpam, & obtemperare volentis divinis mandatis: & ista principaliter est à DEO inspirante, & gratiam infundente. Turrecrem. *in cap. Necesse, Dist. 45. num. 5.*

4. Notandum quartò, peccata mortalia etiam gravissima esse materiam correptionis fraternæ: quod colligitur apertè *ex cap. 18.* Matth. & ostenditur à D. Aug. *in d. Tex. serm. 16. de verbis Domini.*

5. Notandum quintò, obligationem corrigendi, non solùm intelligi de Prælatis Ecclesiæ, sed etiam ad sæculares extendi suo modo, pro ratione sui officij.

6. Notandum sextò, Ducem exercitûs eamdem fermè auctoritatem habere in exercitu, quam habent summi Principes in eorum Territorijs. Cæpol. *de Imperat. milit. eligen. Cap. Pro Imperatore, num. 9.* Paris. *de put. in tract. de re milit. cap. An Comes, num. 4.* Farinac. *consil. 197. num. 11.* ideòque Ducem exercitûs omnimodam, & absolutam habere in omnes milites coercitionem, ita ut omnes pœnæ sint ei arbitrariæ. Bald. *in l. 1. col. 6. in ult. oppositione*, per illum Tex. *Cod. de Summa Trinit. & Fide Catholic.* licèt arbitrium illorum non à lege scripta taxetur, sed ex cælesti motu sumatur. Petrin, Bell. *de re milit. p. 8. n. 87.*

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Duces belli teneantur corrigere in militibus delicta commissa, aut committenda impedire, videtur negativè respondendum: nam Origenes, *tract. 5. in Matth.* docet correptionem solùm respicere leviora proximorum peccata, quæ mortem inducunt æternam, ut sunt homicidia, fornicationes, hæresea, idololatriæ, & similia. Christus enim Matth. 18. solùm præcipit corrigere fratrem in nos peccantem. Qui autem graviter delinquit frater minimè esse potest, quia 1. ad Cur. *cap. 5.* dicitur, Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, &c. ubi Apostolus illum, qui dicta facit, non dicit esse, sed solùm fratrem nuncupari, insinuans eum verè non esse fratrem. Certum est autem peccata militum non esse levia, sed sæpè gravissima, nempè fornicari, furari, blasphemare, &c. Ergo frater non est. Ergo minimè corripiendus. Ergo belli Dux hujusmodi obligatione nequaquàm gravandus. 7.

Verius tamen est, & ab omnibus asserendum, teneri Duces belli militum, omnésque Prælatos subditorum commissa delicta corrigere tam ex justitia, ut vult Turrecr. *in Cap. Si peccaverit in te, causa 2. q. 1. num. 9.* Coninch. *de char. disp. 28. nu. 70.* Hurtadus de Mendoza, *in 2. 2. tom. 2. disp. 162. sect. 4. §. 40.* Suarez, *disp. 8. de correct. sect. 4. num. 4.* Valent. *tom. 3. disp. 3. quæst. 10. puncto 3. versic. Perrò hanc*, & alij apud Dianam, *p. 7. tract. 3. Resol. 9.* quàm ex lege charitatis, ut volunt alii, inter quos, Petrus Lorca, *in 2. 2. quæst. 33. art. 5. sect. 3. disp. 42. num. 4.* & delicta committenda impedire. Aplacha, *in epit. delict. cap. 28. num. 30. in fin.* Farinac. *quæst. 51. n. 48.* Intrigliol. *Tract. de Cas. conscien. cas. 5. num. 16.* Domin. Sur. *lib. 4. de just. & jur. quæst. 7. art. 3.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 122.* 8.

Moveor primò juribus, *Arg. caus. 23. quæst. 4. Cap. Sicut non est. 83. Dist. Cap. Error:* ubi habetur, quòd error, cui non resistitur, approbatur, & errantes foventur, Glossa, *Cap. Tam Sacerdotes, causa 24. quæst. 3. & cap. Ita planè, causa 23. q. 4. verb. Personam.* 9.

Moveor secundò rationibus; nam Duces exercitûs, & cæteri Magistratus sæculares pecuniam accipiunt pro exercendo munere, quod est procurare bonum commune, & impedire malum oppositum tali bono, ut sunt subditorum delicta, sive commissa, sive committenda. Ergò lege non solùm charitatis, sed etiam justitiæ tenentur delinquentes corrigere. Tum quia, Duces, cæterique Prælati ratione authoritatis, non solùm habent admonere, sed etiam cogere puniendo, ut alij à peccato timentes desistant; quod est actus justitiæ, per quam intenditur Bonum commune. Ergò Duces tenentur ex lege charitatis, & justitiæ corrigere in militibus peccata commissa, & impedire committenda. 10.

Moveor tertiò exemplo in Prælatis, non solùm Catholicis, sed etiam Gentilibus, solo lumine naturæ ductis. Fuit enim Magistratus apud Cumæos, 11.

rnaeos, quem Phylactum vocant, cujus erat munus in frequentem Senatum venire, teosque manu apprehensos, de quorum judicio agebatur, detinere, donec de illorum praemio, aut poena, Patrum decreto statueretur. Alex. *lib. 3. cap. 5.* Ex quo lumine naturali constat, habentes publicum munus, ex quo stipendium accipiunt, teneri delinquentes non impunitos relinquere. Et hoc in praxi apud Catholicos videmus; Quoad rem nostram, Videmus enim, quia non expedit, ut Dux in delicta militaribus indagandis curam impendat, rebus gravioribus intendens, constitui ei ministrum, qui Auditor generalis nuncupatur, cujus munus est omnium militum crimina inquirere, & punire nomine Ducis, de quo mentionem facit Ginuz, *in sua disciplina militar. lib. 3. tit. dell' Auditore:* & Mastrill. de Magistr. *lib. 5. cap. 16.* Hic Minister soli Duci subest, ut notat Tull. Crispol, *in suis Casib. militar. cas. 29. num. 14.*

12. Concludimus igitur, teneri Duces exercituum tam ex justitia, quàm ex charitate corrigere milites delinquentes, eorumque delicta committenda impedire.

13. Ad opposita nostro asserto respondemus; quòd mens Origenis non est satis clara; quia non apparet, an omnia peccata mortalia ibi vocet peccata ad mortem, an verò solùm aliqua graviora, & quae magnum scandalum, aut perturbationem pariunt. Sed, quidquid sit de mente Origenis, fatentur Doctores Catholici, omnia peccata mortalia, etiam gravissima esse materiam correptionis fraternae: quod apertè colligitur ex loco cit. Matthaei, ut advertit Coninch, *disp. 28. de corrept. frat. dub. 3. num. 21.* & docet D. Aug. *in Tex. serm. 16. de verbis Domini.*

14. Infero primò ex dictis cum Lorca, *in 2. 2. D. Tho. disp. 45. num. 4.* teneri Duces in militibus, & à fortiori quoscunque Praelatos in subditis, corrigere etiam culpas veniales, praecipuè eas, quae paci, & tranquillitati Reipublicae, & bono ordini politico adversantur, cùm soleat disciplina militatis ex permissione defectuum venialium, si graves sint, & nocivi, nimiùm labefactari: unde Heraclitus dicebat, injuriam magis extinguendam, quàm incendium; ex levissimis enim offensa, si negliguntur, nascuntur atroces tragediae. Laert. *lib. 6.*

15. Infero secundò, Superiorem Religiosorum, aliosque Praelatos non solùm teneri in suis subditis corripere peccata venialia, sed quandoque posse gravem culpam committere, si illorum quamvis levia sint, correptionem omittant, si propterea disciplina Religiosa jacturam notabilem patiatur. S. August. *tom. 5. lib. 1. de Civ. DEI, cap. 9.* apud Dian. *p. 4. tract. 4. & Misc. Res. 218.* Ratio est, quia Superior tenetur, quantùm potest, dare operam, ut haec disciplina integrè servetur.

16. Infero tertiò, Duces, aliosque Praelatos teneri monere eum, qui peccat ex ignorantia, non solùm vincibili, si est communis, sed etiam invincibili juris, tam naturalis, quàm positivi, si speretur fructus. Secus verò, si non speretur fructus. Coninch. *loc. cit. dub. 4. n. 38.*

17. Infero quartò, omnes personas idoneas teneri ad corripiendum, etiamsi ex officio aliàs non teneantur, quia, ut dicitur Ecclesiast. 17. *ver. 11. Et mandavit illis unicuique de proximo suo;* ut scilicet peccantem corrigat, praecipuè verò hoc praeceptum magis obligare Praelatos, quàm alios, & proportionaliter magis Patrem circa filium, Dominum erga servos, docet D. Thom. 2. 2. *quaest. 33. art. 3. ad 1.* citans S. Aug. & sumitur ex Greg. Mag. *Cap. Quamvis causa extrà, de regul. jur,* quia ipse ordo charitatis ita postulat.

Infero quintò, Praelatos teneri ad reparationem damni, quod oritur ex omissione correctionis in ipsis, puta, si furtum aliquod commissum fuerit defectu hujus correctionis in Praelatis. Duvallius, *in 2. 2. D. Thom. tract. de charit. quaest. 9. art. 4.* 18.

Infero sextò, esse benè fundatam opinionem Nicolai Intriglioli, asserentis, *in tract. de Casib. conscien. cas. 5. n. 15.* esse deponendam potestatem, si viderit ruentes ad arma, & non obviaverit; ibidem pro se citantis plures Canonistas, & Jurisconsultos. 19.

Infero septimò, Ducem teneri cavere, ne ejus Ministri injustè militem invadant, vel modum in corrigendo, vel castigando excedant; quoniam tunc militi licita esset defensio, ipsique de excessu erunt corripiendi, & puniendi, *l. officium, in fin. ff. de re militar. l. item quaeritur, §. Item Julianus, ff. locat.* & latè Ginuz. Bell. Gaball. 20.

Infero octavò, non solùm justos, sed & peccatores teneri, per se loquendo, corrigere delinquentem. Est communis cum D. Thom. *2. 2. quaest. 33. art. 5.* Richard. *in 4. Dist. 19. art. 2. q. 2.* Palud. Sylvest. Sot. & alijs, quos citat, & sequitur Suarez, *disp. 8. de correct. sect. 4. num. 6.* Ratio est, quia misericordia, & charitas obligant omnes. 21.

Infero nonò, Duces, Praelatos, & Magistratus teneri in exploratores designare homines pietatis, & veritatis studiosos, à quibus edoceantur, quae sint apud suos crimina. Hurtadus de Mendoza, *in 2. 2. vol. 2. disp. 162. sect. 5. §. 45.* Ratio est, quia ipsi non possunt occultè interesse toti Exercitui, Urbi, aut Communitati. Verum quidem est, eos, quibus ex officio competit in aliorum mores inquirere hoc ita moderatè, & prudenter debere facere, ut non dent alijs justam causam turbationis. 22.

Infero decimò, tunc urgere praeceptum correctionis, quando adsunt hae conditiones, secundùm DD. necessariae. Prima, ut certa notitia habeatur de peccatis proximi. Secunda, ut ex correctione speretur probabiliter fructus. Tertia, si probabiliter judicatur, quod proximus indiget alterius correctione ad sui emendationem. Quarta, ut locus sit debitus, debitumque tempus. Si hae conditiones deficiant, facilè est passim nos excusari à peccato mortali non corrigendo. 23.

Infero undecimò, Praelatum, qui omisit correptionem proximi, debere in confessione se accusare in specie, si fuit ille subditus, nisi aliundè Confessarius id agnoscat, aliter non satisfacit. Ita Filliuc. Castropal. Suarez, Valentia, & alij plures, quos citat, & sequitur. Diana, *p. 7. tr. 3. Res. 9. num. 9.* 24.

XXVI.

XXVI. DIFFICULTAS.

An Duces belli possint tempore obsidionis, vel penuriæ, compellere Ecclesiasticos, ut vendant frumenta, & alia necessaria, absque injuria Immunitatis Ecclesiasticæ.

1. Notandum primò, Personas Ecclesiasticas dici omnes fori privilegio gaudentes, atque adeò omnes eos, qui aliquo actu eximuntur à Laica potestate, nempè per receptionem ordinis, aut per conversionem ad aliquam ex Religionibus approbatis, ut benè docet Sayr. *in explicat. Can.* 11. *Bull. Cœn. lib. 3. Thes. tom.* 1. *cap.* 19. *n.* 7, undè dici Personas Ecclesiasticas omnes Clericos, sive Sæculares sint, sive Regulares; Religiosos, ac Religiosas, eorumque Conversos, & Conversas in aliqua Religione approbata vota profitentes, ut *in cap. Cùm ad Monasterium, de stat. Monac. & Cap. Lex continentiæ, causa* 27. *q.* 1.

2. Notandum secundò, Ecclesiasticos in Republica, seu Communitate degentes, esse etiam cives, & membra Religionis, seu Communitatis: quod etiam docet Thom. Del Bene, *p.* 2. *de Immunit. cap.* 9. *dubit.* 1. *n.* 4.

3. Notandum tertiò, tempore penuriæ posse cogi Cives vendere frumentum, & quidem viliori pretio, vel eo justo pretio de publico ordinato, Ita plures, quos producit, & sequitur Menoch. *in conf.* 137. *n.* 12. *& seqq.*

4. Notandum quartò, æquitati consentaneum esse, ut tempore penuriæ, & urgentis necessitatis, nec non & belli, privilegia omnia Laicis concessa sileant, ut per Tex. *in l. pro Tyronibus, Cod. de privileg. dom. Aug. lib.* 11. Hinc Cicero, *lib.* 2. „ *offic.* scribit. Non esse dubium, quin propter „ Ærarij tenuitatem tributum sit conferendum, „ ut omnes intelligant prò salute Reipublicæ ne„ cessitati parendum esse. Et docet Ripa. *in tract. de peste, tit. de remedijs ad conservandam ubertatem, num.* 184. Menoch. *loc. cit. n.* 9.

5. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Duces belli possint tempore obsidionis, vel alterius necessitatis cogere Ecclesiasticos, ut vendant frumenta, & alia necessaria, absque violatione Immunit. Ecclesiasticæ, affirmativè respondent sine hæsitatione aliqui ex Jurisconsultis, & præsertim Villadieg. *in Polit. cap.* 5. *num.* 90. Ex Theologis, Ortiz. *in Sum. cap.* 4. *num.* 9. & alij, quos citat, & reprobat Thom. Del Bene, *p.* 2. *de Immunit, cap.* 9. *dubit.* 14. *num.* 1. Rationes, quibus eorum opinio fulcitur, sunt hæ; prima, quia quando adest periculum, publica necessitas potest dare jurisdictionem Laico super Ecclesiasticos. Secunda, quia Ecclesiastici in hujusmodi casibus Principibus Laicis non obedientes mortaliter peccant contra jus naturale, & divinum.

6. Veritas tamen est, nullam posse à Duce exercitus vim coactivam, seu coercitivam super Ecclesiasticos exerceri, sed esse in tali casu recurrendum ad eorum Judicem Ecclesiasticum, qui illos ad id impellat; aliàs Immunitas Ecclesiastica violatur, Caballus, *Cen.* 1. *cas.* 9. *num.* 10. Molfesius, *in Sum. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 5. *num.* 85. Bellet. *in disquis. Cler. p.* 1. *tit.* 5. §. 2. *num.* 9. Duard. *in Bullam Cœnæ, lib.* 2. *Can.* 15. *num.* 45. Madius, *Tract. de sacris Ordinib. cap.* 14. *num.* 58. Diana, *tract.* 2. *de Immunit. Res.* 9. Del Bene, *par.* 3. *tit. eod. cap.* 9. *dubit.* 14. Cespedes, *in Dub. milit. dub.* 20. *quæst.* 4.

Moveor primò juribus, *in Cap. Non minùs, & cap. Adversùs, de Immunit. Ecclesiast. cap. Quamquam de Censib. Cap. Judex Laicus, de sent. excom. & ex Bulla Cœna, Can.* 12. *& alijs juribus*, quæ vetant Laicæ Potestati jurisdictionem super Ecclesiasticos exercere. 7.

Moveor secundò rationibus; nam nemo potest cogi ad aliquid agendum, sive per mandatum, sive per leges, nisi ab habente in illum jurisdictionem. Ita docet D. Thom. *in* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. & constat *ex leg. fin. ff. de jurisdict. omnium judicum.* Atqui Laica potestas non habet in Ecclesiasticos jurisdictionem, ut determinat Innocent. III. *in Cap. Ecclesia S. Mariæ, de constit. & cap. Placuit, causa* 16. *quæst.* 7. *& cap. Sæculares, de foro compet. in* 6. Ergo. Tum quia, publica necessitas, aut publica utilitas non potest Laico tribuere jurisdictionem super, vel contra Ecclesiasticos; aliàs quælibet lex, aut Statutum ligaret Clericos; eò quòd nulla lex, aut statutum validum esse potest, quod ob publicam utilitatem conditum non existat, ut est Tex. *in cap. Erit autem lex*, 4. *Dist. l.* 1. *&* 2. *ff. de leg.* & tradit Molin. *de just. & jur. tom.* 1. *disp.* 2. Duard. *in Bullam Cœnæ, lib.* 2. *Can.* 15. *quæst.* 17. *num.* 47. Ideóque Laica Potestas, seu Dux Exercitus non potest cogere Ecclesiasticos ad vendendum tempore obsidionis frumenta, & alia, sed debet recurrere ad eorum Judicem Ecclesiasticum, qui illos cogat. 8.

Moveor tertiò exemplo in Judicibus Laicis, qui in Regno Neapolis, tempore maximæ penuriæ obtinuerunt à Nuncio Summi Pontificis licentiam cogendi Ecclesiasticos ad frumentum revelandum, & vendendum, ut refert doctissimus Thomas Del Bene Neapolitanus, *in par.* 2. *de Immunit. & jurisd. Eccles. cap.* 9. *dubit.* 14. *n.* 6. 9.

Concludimus igitur, minimè licere absque injuria Immunitatis Ecclesiasticæ Duci, tempore obsidionis, vel penuriæ, compellere Ecclesiasticos ut vendant frumenta, & alia; sed esse in tali casu recurrendum ad eorum Judicem Ecclesiasticum, qui illos ad hoc impellat, si potest adiri, & fames, aut necessitas non urgeat, & periculum non sit in mora; aliàs Dux belli, & Judex Laicus poterit frumentum sequestrare, & ab horreis Ecclesiasticorum extrahere, & vendere non vi jurisdictionis, sed ob instans periculum de facto, ut notat Diana, *p.* 1. *tract.* 2. *de Immun. Eccl. Res.* 9. Idem dic de Magistratibus laicis, seu sæcularibus, tempore penuriæ, pestis, &c. 10.

Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, negando necessitatem publici, vel privati incommodi avertendi tribuere Magistratui Laico, aut Duci belli jurisdictionem in Ecclesiasticas Personas, ut docet Del Bene, *p.* 2. *de Immunit. cap.* 9. *dubit.* 1. *num.* 30. & in secundo nostro motu demonstratum est. Potestas enim Lai- 11.

ca à publica necessitate tantùm jus habet defensionis, quam naturale dictamen cuilibet permittit.

12. Ad secundam, concedendo in dictis casibus Ecclesiasticos laicæ potestati non obedientes mortaliter peccare contra jus naturale, & divinum. Verùm ab hoc nil aliud sequitur, nisi quòd sint cogendi ad vendendum frumentum, & alia necessaria per Judices Ecclesiasticos in ipsos jurisdictionem habentes, quod fatemur & nos; non autem per judices laicos, qui jurisdictionem in ipsos non habent, nec possunt habere.

13. Infero primò ex dictis, Ecclesiasticos vi Statutorum Principum, aut Civitatum non posse compelli tempore carestiæ, ad vendendum frumentum, & alia ad victum necessaria, quia Statuta annonam publicam concernentia non includunt Ecclesiasticos. Ita docet etiam celebris Duardus, *in Bullam Can. lib. 2. Can. 15. q. 17. n. 45.*

14. Infero secundò, posse Ecclesiasticos à Judice laico compelli ad vendendum frumentum, & alia ad victum necessaria in casu, in quo famis necessitas urgeret, & ex alio capite Superior Ecclesiasticus requisitus clauderet aures impiè, & non provideret, & periculum esset in mora; non quidem per viam jurisdictionis, quam Laicus non habet in Ecclesiasticos; sed per viam justæ defensionis, ad vitandum, scilicèt periculum, quod ex tanta fame Communitati immineret. Hoc etiam docet Del Bene, *par. 2. de Immunit. cap. 9. dubit. 14. n. 2.*

15. Infero tertiò, non posse Principem laicum, tempore pestis, adstringere Ecclesiasticos, ad observandum ipsius banna pro bono publico, & pro tuenda sanitate promulgata, sed debere Episcopum pro execution prædictorum rogare; & nolente illo, vel impotente, quia absente, posse Principem laicum per viam defensionis naturalis, per suos Ministros totum exequi. Et ita declaravit Sacra Congregatio Cardinalium, facto verbo cum Sanctissimo, sub die 21. Januarij, anno 1531.

16. Infero quartò, ad vitandum imminens periculum, Judice vel absente, vel opem ferre nolente, & re moram minimè patiente, posse ne dum Magistratum, sed personam privatam compellere Ecclesiasticos, per viam tamen defensionis naturalis; ut optimè probat Crivellus, *Decis.* 30. Dolan. ex Benedicto, *in verbo, Uxorem, decis.* 2. *num.* 163. Sor. *in* 4. *Dist.* 25. *q.* 2. *art.* 1.

17. Infero quintò, Ecclesiasticos vendentes res suprà pretium à Principe taxatum, non posse à laica potestate privari ijs rebus: quia licèt teneantur servare legem taxantem pretia rerum, ut docet Sotus, *de just. & jur. lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 7. Molina, *tom.* 1. *de just. d.* 31. *num.* 13. Navar. & alij communiter; tamen ad id non tenentur, nisi ad summum, secundùm vim directivam; non autem secundùm vim coactivam. Contrarium sentit Bobadilla, cum alijs non paucis.

18. Infero sextò, non posse Ecclesiasticos à laica potestate privari rebus, equis, pecunia, frumento, & similibus, quas extrà Regnum exportant contra legem Principis id prohibentem fieri sub pœna commissi: quia Ecclesiastici non subduntur legibus Principis, secundùm vim coactivam. Ita docet Azor. *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 19. *quæst.* 13. Alterius, *de censur. tom.* 1. *disp.* 16. *lib.* 5. *c.* 5. cum multis alijs. Contrarium tenet Jn. de Hevia, *in Curia Philippica, par.* 3. §. 3. *num.* 11. Bobadilla, asserentes, hoc posse fieri absque fractione Immunitatis Ecclesiasticæ, & excommunicationis timore: quorum opinio non est tuta.

Infero septimò, posse Principem in casu, quo Pontifex absit, vel renuat, & periculum sit in mora, non solùm ad sedandas præsentes turbationes, sed etiam ad imminentes præcavendas, posse, inquam, è Regno expellere inobedientes, ac rebelles Ecclesiasticos, non quidem per modum jurisdictionis, sed per modum defensionis naturalis, quod etiam docet Del Bene, *de Immunit. p.* 2. *cap.* 9. *dub.* 10, *sect.* 2, *n.* 1. 19.

Infero octavò, Ecclesiasticos, licèt per potestatem sæcularem non possint cogi ex defectu jurisdictionis, peccare mortaliter, sicut & Laici, non observando Leges, & Statuta publicum Bonum concernentia, puta, si prohibita extrahi, extrahant à Regno, tanquam juri naturali contravenientes: & propter illam naturalem rationem, qua tenentur Ecclesiastici, posse per Episcopum compelli, ut ex Tex. *in cap. Non minùs, de Immunit. Eccles. & cap.* 1. *eod. tit. in* 6. Cyn. & Bald. *in l. ad instructiones, Cod. de Sacros. Eccles.* 20.

Infero nonò, Ecclesiasticos leges civiles Principum sæcularium violantes, non posse à Laica Potestate puniri, sed querelam ad proprium Judicem Ecclesiasticum esse deferendam, qui illos puniat pœna condigna, vel eadem, scilicèt, quæ in Laicos taxata est, vel alia arbitraria mitiori. Covarruv. *in pract. quæst. cap.* 33. Vasq. 1. 2. *disp.* 176. *cap.* 4. Suarez. *de leg. lib.* 3. *cap.* 34. *n.* 118. Salas, *de leg. disp.* 14. *sect.* 8. *num.* 104. & 110. & alij plures. 21.

XXVII. DIFFICULTAS.

An Dux Exercitus mandans occidi in Ecclesia milites desertores, seu delinquentes, absque extractione, incurrat excommunicationem Gregorij XIV. aliorumque Canonum pœnas.

Notandum primò, antiquum esse jus asyli, quod olim erat locus sacer, in quo vel deorum numine, vel hominis alicujus majestate ab externa vi defendebantur, qui ad eum refugiebant. 1.

Notandum secundò, jus asyli Ecclesiæ DEI convenire; hoc enim lumine naturæ ostenditur, cùm privilegium Immunitatis habuerint apud Gentiles templa, araque deorum; nec non apud Judæos, de quorum templorum immunitate plura extant exempla. Exod. *Cap.* 21. 3. Reg. *Cap.* 1. 2. 3. ubi præcipuè Adonias, *Cap.* 1. *num.* 51. Salomonem timens, intravit tabernaculum, & tenuit cornu altaris dicens, *Juret mihi Rex Salomon hodiè, quòd non interficiet servum suum gladio.* 2.

Notandum tertiò, in Lege Evangelica Reis, & fontibus Asyla esse omnes Ecclesias, Cœmeteria, Domus Religiosas, & Ecclesiasticas; undè 3.

dè Alarico, & Gothi, capta Roma, fugientibus ad Ecclesias parcebant.

4. Notandum quartò, mandatum esse, quod alicui agendum committitur, & fieri à potestatem habente: & dici à mandare, quod est committere, injungere, jubere. Teren. *in Adelp.*

5. Notandum quintò; in Bulla Gregorij XIV. incip. *Cùm aliàs*, septima in ordine. §. 8. de facto excommunicari omnes attentantes facere aliquid præter, vel contra formam ipsius Constitutionis, „ cùm expressè ibi dicatur. Si quis quacunque „ dignitate præditus præter, aut contra hujus no- „ stræ Constitutionis tenorem attentare præsum- „ pserit, declaramus eum ipso facto censuras in- „ currere.

6. Notandum sextò, similia, secundùm Baldum, esse illa, in quibus est eadem ratio, vel major, *l. non solùm*, §. *Qua privilegium*, *ff. de excusat. Tutor*, & allegat Cynum ibi. Quæ etiam tradit Alphon. Moditius, *in §. Lex est, instit. de jur. gent. dub. 54. n. 1.*

7. Notandum septimò, licèt lex pœnalis extendenda non sit, tamen ubicunque etiam in odiosis, & pœnalibus est eadem ratio, & omnimoda similitudo, debere esse eandem juris dispositionem; quia tunc non dicitur fieri juris extensio, sed potiùs quædam declaratio. Glos. *in cap. 1. verb. Itala de tempor. ordinand. lib. 6.* quam prò singulari valdè commendat Abb. *in cap. Nihil, de elect. & in cap. fin. de rescript.* Cynus, *in l. 1. Cod. de interdict.*

8. His adnotatis, ad propositam difficultatem, quæ forsitan practicabilis aliquibus non videbitur, an Dux exercitûs jubens in Ecclesia occidi milites desertores, seu delinquentes, absque extractione, incurrat excommunicationem Gregorij XIV, aliorumque Canonum pœnas, videtur negativè respondendum: quia in dicta Constitutione excommunicantur occidentes reos in Ecclesia; ideòque cùm sit pœnalis, non est extendenda ad mandantes illos ibi occidi, ex Glos. *in cap. In pœnis, 49. de regul. Jur. in 6. & ex cap. Pœna, de pœnitent. Dist. 1. & ex leg. interpretatione, ff. de pœn.* & docet Castrus, *lib. 1. de leg. pœnali, cap. 7. document. 3.* Larrea, *decis. Granatens. tom. 2. decis. 78. num. 16.* Tum quia, mandans aliquem occidi in loco sacro, non contrahit privationem immunitatis, ut infrà demonstrabimus in Difficultate sequenti. Ergo neque contrahet excommunicationem, qui mandat occidi reum in loco sacro.

9. Veritas tamen est, meo videri, Ducem jubentem in Ecclesia occidi milites desertores, seu delinquentes, & morte juxtà jura plectendos, incurrere excommunicationem, si ministri ibi illos occidant. Naldus, *in Annotationibus practicis ad Jus Canonicum, fol. 61.* Joannes Maria Novarius, *Tract. de elect. fori, tom. 2. p. 2. quæst. 14.* Paulus Squilant. *Tract. de obligat. Cleric. par. 5. dub. 14. num. 90.* Diana, *par. 6. tract. 1. de Immunit. Eccles. Res. 35.* Thom. Del Bene, *par. 2. de Immunit. dub. 37. n. 16. sect. 1.*

10. Moveor primò juribus, *in leg. scire, ff. de leg. l. non aliter, ff. de legat. 3. l. nominis, & rei, §. Verbum ex legibus, ff. de verbor. significat.* ubi habetur, mentem legis magis esse attendendam, quàm verba: quod tenet Surdus, *decis. 35. num. 14.* Ferrerius, *in Constitut. Cathal. gloss. 4. num. 66.* Ergo licèt Pontifex verbis non exprimat excommunicationem contra Ducem exercitûs, vel Judicem laicum mandantem occidi milites delinquentes in Ecclesia, cùm sua Constitutione intendat immunitatem Ecclesiæ conservare, puniendo excommunicatione occidentes in ipsa reos, censendum est velle, seu intendere excommunicare etiam mandantem reos occidi in Ecclesia.

Moveor secundò rationibus, nam tradunt Do- 11.
ctores, *ex leg. unic. Cod. de raptor. virg.* cum Glossa ibi, *& in l. verbo DEI, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. & Clement. 1. verb. Præsidentes, de rescript.* & præcipuè Valascus, *tom. 1. consil. 6. num. 2.* Sanchez, *de matrim. lib. 3. disp. 20. num. 3. & lib. 9. disp. 14. num. 16.* à lege non excludi, sed comprehendi casum minùs frequentem, quando frequentioris usus causa aliquid decernit; ideòque quamvis Lex, seu Constitutio Gregoriana decernat excommunicari occidentes reum in Ecclesia, qui est casus frequentior, videtur etiam comprehendere mandantes reum in Ecclesia occidi. Tum quia, in legem committit, non solum qui contra ejus verba, sed à fortiori qui contra ejus mentem facit, ut habetur *in l. non dubium, Cod. de legibus*, & docent ibi Bartolus, & Juristæ communiter. Ergo cùm mens, & ratio finalis Constitutionis Gregorianæ fuerit, ut patet etiam ex ipso contextu, reverentia debita Locis sacris, & sic indemnitas confugientium ad illa, dicendum est Constitutionem Gregorij dirigi in occidi jubentes, & occidentes, ut ejus mens, intentio, & ratio servetur, licèt ejus verba dirigantur solùm in extrahentes reum ab Ecclesia, vel ibi occidentes.

Moveor tertiò exemplo in personis, quas, 12.
suppresso nomine ob dignas rationes recenset Diana, *par. 6. tract. 1. de Immunit. Res. 35.* quæ cùm mandaverint reos occidi in Ecclesia, tanquam excommunicatæ habitæ sunt, & Paulus Squillante, *loc. cit.* testatur, ita etiam fuisse observatum in facti contingentia.

Concludimus igitur, quòd Dux exercitûs, vel 13.
quilibet Judex Laicus, si jubet occidi delinquentes in Ecclesia, quamvis sine abstractione, est excommunicatus.

Ad rationes oppositas respondemus, ad pri- 14.
mam, dicendo cum Merolla, *in disput. theol. tom. 3. disp. 6. cap. 6. dub. 1. num. 14.* quòd lex lata pro Ecclesiasticæ Immunitatis tuitione, licèt secundariò sit odiosa, & pœnalis; primariò tamen est favorabilis, quia simpliciter est favorabilis, & sic est extendenda; Glos. *in cap. Sciant cuncti, de elect. in 6. num. 6. verb. Alios*; & ibi Dominicus, *num. 6.* Francus, *num. 6.* & Lels. *de just. & jur. lib. 2. cap. 5. dubit. 4. n. 22.* ubi ex Suarez excommunicationem *in cap. Conquesti, de sent. excomm.* latam contra infringentes, & spoliantes Ecclesiam, extendit etiam contra comburentes, quia lata est in favorem Ecclesiæ, cùm dispositio ex primario fine attendenda sit. Glos. *in cap. Si propter, de rescript. in 6. vers. primi anni.* Constitutio igitur Gregoriana, licèt censuram imponat, hoc facit ad tuendam Immunitatem Ecclesia-

cum, atque adeò favorabilis censenda. Prætereà quam quòd, si dispositio etiam odiosa ex ipsius ratione expressè extenditur, hoc non est verè extendere, ut suprà notavimus, sed comprehendere, tanquam genus species suas, undè mandare occidi delinquentes in Ecclesia, est velut species, quæ comprehenditur in dispositione, odiosa occidentibus.

15\. Ad secundum argumentum respondemus, concedendo ant. & neg. conseq. quia à diversis, & disparatis non valet illatio, *l. Papinianus exul. ff. de minor.*

16\. Dicet aliquis: Qui mandat occidere in Ecclesia, gaudet immunitate, quia dispositio odiosa occidentibus non comprehendit mandantes occidere, ut infrà dicemus. Ergo mandans occidere debet esse immunis ab excommunicatione lata contra occidentes, cùm sit par ratio. Respondemus, concedendo antec. & negando consequentiam. Ratio est, quia, dum *in cap. Inter alia, de Immunit. Eccles.* & in Constitutione Greg. XIV. excipiuntur ab immunitate quidam casus, apponitur ibi particula taxativa, nempè *tantùm*: quapropter alios non comprehendit: quæ particula taxativa in casu non apponitur; cùm ibi non dicatur, excommunicari sint extrahentes, vel occidentes tantùm: ideòque censura juxtà mentem Legislatoris censenda est ad jubentes occidi, vel extrahi extensa.

17\. Concludimus igitur, Duces exercitûs, Judices laicos, eorumque Ministros mandantes occidi in Ecclesia delinquentem, incurrere in excommunicationem Gregorianæ Constitutionis, esseque omnibus pœnis, quas Sacrorum Canonum, Pontificum, generalium Conciliorum Constitutiones statuunt, obnoxios. Et licèt opposita opinio aliquibus videatur probabilis: nostra tamen opinio, quia facit pro Ecclesia, amplectenda est; cùm in dubio favendum sit Ecclesiæ, ut disponit Textus, *Cap. fin. de sent. & re judic. l. sunt personæ, ff. de Relig. & sumpt. funer.* & docet Jas. *in l. Filiusfamilias, §. Divi, num. 28. & in repet. num. 110. ff. de legat. 1.* Felin. *in cap. 1. num. 104. de constitut.* Diana, *par. 1. tract. 2. Resol. 27.* & alij plures.

18\. Infero primò ex dictis, non posse reum in Ecclesia incarcerari, vinculis alligari, vel alio quocunque modo vexari: quia hoc esset locum sacrum in carcerem permutare, & in loco exempto jurisdictionem exercere. Sic habetur *in l. præsenti, Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt; & in capit. Definivit, caus. 17. quæst. 4.* Et ita docent communiter Juristæ, & Canonistæ.

19\. Infero secundò, Reum, dum in Ecclesia existit, non posse victu, & vestitu, & reliquis vitæ necessarijs privari. Et ita expressè habetur *in l. 2. & l. præsenti, Cod. de his, qui ad Eccles. confug. & in d. Cap. Definivit, Cap. Nullus, cap. Si quis contumax, cap. Miror, & cap. Constituimus, causa 17. quæst. 4.* ubi mandatur, ne ei quodcunque nocibilitatis, vel damni inferatur. Et ita communiter DD.

20\. Infero tertiò, non posse Reum in Ecclesia bonis suis justè possessis, quæ secum ad Ecclesiam transtulit, spoliari. Ita habetur *in cit. cap. Definivit*, & docent Covarr. *lib. 2. var. resol. cap. 20. num. 16.* Laym. *lib. 4. tract. 9. cap. 2. n. 13.* Bonacin. *disput. 3. quæst. 7. de immunit. punct. 5.* & alij.

Infero quartò, si Reus in Ecclesia existens non habeat neque de suo, neque de bonis consanguinei, vel amici, unde vivat, teneri Ecclesiam supplere; ipse tamen manebit obstrictus ad compensandas expensas, quia tunc præsumitur, Ecclesia non velle donare absolutè, sed solùm subvenire præsenti necessitati. D. Thom. *quodlib. 5. art. 17.* Sylv. *verb. Immunitas, 3. n. 5.* 21.

Infero quintò obiter, mandantes offendi Cardinales, aliósque Antistites in excommunicationem *Can. 11. Bullæ Cœn.* incidere, & maximè secuto effectu. Ita docet Ugolin. *in explicatione d. Can. verb. Nec non ea mandantes, §. 2. num. 1.* Thes. *tom. 1. cap. 14. num. 9.* Graff. *lib. 4. Decis. par. 1. cap. 18. num. 17.* & alij. 22.

Infero sextò, à censura, quam contrahit mandans occidi delinquentem in Ecclesia, posse probabiliter absolvere Ordinarium, & de illius facultate quemlibet Confessarium, facta tamen restitutione, & satisfactione ab eo, qui censuram contraxerat, modò eam præstare possit juxta regulas, quas tradunt DD. quia nullibi talis censura reperitur, ut observant aliqui apud Nald. hìc citandum, Pontifici reservata: ideòque conceditur etiam Ordinario, & sic de illius licentia cuilibet Confessario, ex Tex. *in cap. Nuper, de sent. excomm.* & docent communiter DD. quos refert, & sequitur Del Bene, *loc. cit. dubit. 32. sect. 1. num. 1.* At nunc de stylo Curiæ absolutio est obtinenda à sola Sede Apostolica, ut notat etiam Nald. *in Sum. verb. Casus reservatus, sub num. 1.* 23.

XXVIII. DIFFICULTAS.

An Dux, qui in bello injusto mandat hostes mutilari, vel interfici in Ecclesia, privilegio Immunitatis privetur.

Notandum primò, mandantem, & occidentem posse pluribus modis intelligi, ut suprà dictum est, & infrà clariùs explicabitur. 1.

Notandum secundò, minimè gaudere Immunitatis Ecclesiasticæ privilegio eos, qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs, earumque Cœmeterijs committere non verentur, ut expressè habetur in Constit. Gregorij XIV. *Cùm alias, §. 3.* septima in ordine. 2.

Notandum tertiò, non mutari circumstantiam, sive mandatum mutilandi, vel occidendi in Ecclesia, detur in Ecclesia, sive extra Ecclesiam; cùm Bulla Gregoriana respiciat solùm mutilationem, vel internecionem in Ecclesia secutam. 3.

Notandum quartò, Principem, vel alium Superiorem mandantem Judici aliquem injustè damnare ad mortem, esse etiam reum homicidij, & hoc dici de omnibus mandantibus, aut præ- 4.

præcipientibus injustum homicidium fieri, ut notat Molfesius, *in Sum. p. 1, tract. 11. capit. 19. num. 42.* ibi addens parem culpam habere, & parem pœnam mereri.

5. Notandum quintò, magis esse puniendum præcipientem injustum homicidium, quàm ipsum homicidam, nisi antequàm fieret homicidium, revocasset mandatum: quod notat Jodoc. *verb. Homicidium, num. 9.* Farinac. *q. 3. de inquisitione, quæst. 7. num. 47. & q. 44. de indicijs, & tortura.* Et ratio videtur desumi à S. August. *tract. 119. in Joan.* ubi dicit: Plùs peccat, qui potestati Innocentem occidendum livore tradit, quàm potestas ipsa, si cum timore alterius potestatis occidit.

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Dux exercitûs, qui mandat in bello injusto hostes mutilari, vel interfici in Ecclesia, privilegio immunitatis privetur: Pro parte affirmativa videtur respondendum: nam qui per alium facit, per se ipsum facere censetur. *Reg. 72. de regul. juris*: Et ratio est, quia actus tribuitur mandanti, & non exequenti, *l. item, §. Si Decuriones, ff. quod cujusque univers. l. unum ex familia, §. 1. ff. de legat. 2 l. omnia, Cod. de veter. jur. enucl. Cap. Super literis, cap. Cum aliquibus, de rescript. & cap. Ut fama tua, in fin. de sent. excommun.* Ideòque si mutilans, vel occidens in Ecclesia aliquem Immunitate Ecclesiastica non gaudet, neque gaudere debet mandans mutilare, vel occidere. Tum quia, talis mandans mutilare, & occidere in bello injusto, verè committit crimen homicidij. *Cap. Mulieres, §. Ille verò, de sent. excommun. Cap. Si quis, causa 23. q. 8. & cap. Perniciosè, 23. de pœnit. Dist. 1. l. verum, ff. ad leg. Pomp. de patricid. l. non solùm, §. Si mandato meo, ff. de injur. & l. non ideò minùs, Cod. de accusat.* & ibi communiter Doctores. Atqui committens crimen homicidij in Ecclesia ex vi Constitutionis Gregorianæ excluditur à privilegio immunitatis Ecclesiast. Ergo Dux belli mandans occidi hostes in Ecclesia, Ecclesiastica Immunitate privatur. Ita docuerunt Gambacurta, *lib. 5. num. 25.* Duardus, *in Bull. Cœn. lib. 2. Can. 35. q. 16. num. 23.* & ante Bullam Gregorianam. Suarez, *de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 11. num. 7.* Portel. *in dub. Regul. verb. Ecclesiæ Immunitas, num. 15.*

7. Veritas tamen est, Ducem in bello injusto mandantem mutilari, vel occidi hostes in Ecclesia, sive mandatum detur in Ecclesia, sive extra Ecclesiam, privilegio immunitatis minimè privari. Megala, *in 3. par. lib. 4. cap. 1. q. 1. num. 13.* Farinac. *de Immunit. Ecclesiast. cap. 16. num. 231.* Bonacin. *de leg. disp. 3. quæst. 7. §. 4. num. 11.* Diana, *p. 2. tract. 1. de Immunit. Resol. 10.* Thom. Del Bene, *de Immunit. par. 2. cap. 16. dub. 19. sect. 8.* & alij.

8. Moveor primò juribus, *in l. non aliter, ff. de leg. 3. l. 1. §. Si quis navem. ff. de exercitat. action.* ubi habetur, quòd non licet recedere à significatione verborum; & proprietas verborum dicitur, quæ ex primæva impositione verbis convenit. Mandare autem homicidium, aut mutilationem committi in Ecclesia, non est propriè occidere, & mutilare; sed tantùm interpretativè, sicut mandare ut sic secundùm propriam verbi significationem non est facere verè, & propriè, sed tantùm interpretativè, non secùs ac consulere, & favere, ut *in cap. de Cler. pugn. in duell.* ubi Pugil verè homicida dicitur, & non mandans, licèt teneatur de homicidio; & ideò dum Dux exercitûs in bello injusto mandat occidi in Ecclesia hostes, asserendum est non privari immunitate Ecclesiæ; cùm verba Bullæ excipiant tantùm occidentes, & mutilantes. Et in *cap. Humanæ aures, causa 22. quæst. 5. l. scilæ etiam, §. Aliud, ff. de excusat. tutor.* cum aliis cumulatis per Doctores; ubi habetur, quòd in lege verba servire debent intentioni, non autem intentio verbis, ideòque attendenda est mens Legislatoris, successivè ejusdem legis. Ubi verò Pontifex in suis Bullis vult comprehendere mandantes, consulentes, facientes, etiam de illis expressam facit mentionem, ut notant Sayr. & alij. Porrò Gregor. XIV. excludit à privilegio immunitatis solùm occidentes, & mutilantes in Ecclesia. Ergo ejus intentio non fuit excludere mandantes occidi, & mutilari; ideòque dicendum est; Ducem exercitûs mandantem hostes in Ecclesia occidi immunitate gaudere.

Moveor secundò rationibus: nam si quis existens in Ecclesia mandet mutilari, vel occidi aliquem extra Ecclesiam, non privatur Immunitate, quod etiam fatentur Auctores contrariæ sententiæ, quia mandans videtur habere reverentiam Ecclesiæ, ne, scilicèt homicidium committatur in Ecclesia. Ergo neque debet privari immunitate qui mandat occidere in Ecclesia, quia, cùm ipse non occidat in Ecclesia, videtur habere reverentiam Ecclesiæ, quia mandare occisionem non est, verè, & propriè loquendo, occidere. Tum quia, & quidem fortiùs, talis casus non est casus exceptus in Constitutione Gregoriana, ut notat Decianus, Peregrinus, Farinacius, & alij, quos refert Del Bene, *loc. cit.* Unde cùm simus in pœnalibus, & in materia odiosa, utpote libertati delinquentium, & Immunitati Ecclesiasticæ contraria, verba Bullæ contra occidentem, non sunt extendenda ad mandantem occidere. Et sic Dux exercitûs mandans inimicos occidi in Ecclesia non debet privilegio immunitatis privari. 9.

Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi: videmus enim mandantem in Ecclesia aliquem occidi, si ad Ecclesiam confugiat, ab Ecclesia defendi, ut constat ex pluribus Decretis Sac. Congregationis Immunitatis. 10.

Concludimus igitur, Ducem exercitûs, qui in bello injusto mandat hostes mutilari, vel interfici in Ecclesia, privilegio immunitatis minimè privari. 11.

Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, dicendo illud axioma, qui per alium facit, per se ipsum facere, intelligendum esse quoad culpam, non autem quoad pœnam; ut optimè advertit. Avil. *de cens. part. 4. cap. 5. disp. 3. dub. 2.* Diana, *p. 1. tract. 1. de Immunit. Res. 10.* 12.

13. Ad secundam, nempè qui mandat aliquem occidi, verè committit crimen homicidij, respondemus cum distinctione, moraliter, concedimus, physicè, negamus: Bulla vero Gregorij privat immunitate occidentem physicè, non verò occidentem moraliter, ob rationes supradictas.

14. Infero primò ex dictis, non privari immunitate eum, qui occidit, vel mandat occidere propè Ecclesiam, vel Cœmeterium, vel exeuntem ab Ecclesia, vel existentem in atrio, tecto, Monasterio, vel scalis Ecclesiæ, vel campanili; vel palatio Episcopi, licèt hæc loca gaudeant immunitate, ac gaudet Ecclesia; quia licèt veniant appellatione Ecclesiæ in favorabilibus, non tamen veniunt in odiosis. Diana, *in Sum. v. Immunitas Ecclesiarum, quoad Delicta, numero* 27.

15. Infero secundò, privari immunitate eum, qui existens extra Ecclesiam, sclopo, vel lapide, vel sagitta, vel quovis alio instrumento occidit, vel mutilat existentem in Ecclesia. Del Bene, *par. 2. de Immunit. cap. 16. dub. 19. sect.* 7. quia talis reverà occidit, vel mutilat in Ecclesia; qui est casus exceptus in Bulla Gregorij XIV.

16. Infero tertiò, non privari immunitate eum, qui vi, vel fraude extrahit inimicum ab Ecclesia, & extractum illum occidit extra Ecclesiam, propter dictas rationes. Contrarium sentit Azor. *Instit. moral. 2. part. lib. 9. cap. 9. quæst.* 14 *vers. is item qui, &c.* Farinac, *in append. de immunit, cap.* 16. *num.* 232.

17. Infero quartò, non privari immunitate eum, qui vulnerat aliquem existentem extra Ecclesiam, etiam si vulneratus intret Ecclesiam, & ibi moriatur; quia tunc non est is causa mortis in Ecclesia, esto sit causa mortis vulnerati. Ita docet Navarr. *cap. 25. num.* 71. Covar. 2. *var. capit.* 26. *num. 15. vers.* 27. Decian, Laym. Farinac. & alij plures.

18. Infero quintò, gaudere immunitatis privilegio eum, qui commisit gravia delicta extra homicidium, & mutilationem membrorum in Ecclesia, seu Cœmeterio, ut est stuprum, sodomia, & similia, licèt tales delinquentes sint à Judice Ecclesiastico puniendi ratione loci delicti, & etiam possint tradi Curiæ Sæculari, consulto tamen priùs Summo Pontifice. Ita docet Peregrin, *in tract. de Immunit. Eccles. cap. 6. nu.* 23, Ricc. *par. 5. collect.* 1792. & alij, quia privatio immunitatis non est extendenda ad casus in Bulla non expressos.

19. Infero sextò, gaudere immunitate eum, qui existens in Ecclesia, vel in aliquo Monasterio, & ex fenestra pilam tormentariam jecit in aliom extra Ecclesiam existentem, & illum occidit: quia Gregorius in sua Constitutione ait illos non gaudere immunitate, qui mutilant, & occidunt in Ecclesia, quæ verba denotant actum completum, & perfectum in Ecclesia. Ita advertit Diana, *loc. sup. cit. Ref.* 9. Contra Gambacurtam, Megalam, Doardum, & alios à Diana ibid. productos.

20. Infero septimò, gaudere immunitate eum, qui in Ecclesia occidit, vel mutilat aliquem non deliberatè, sed accidentaliter, puta, ex rixa subitanea, vel ex calore iracundiæ, & multò magis ad se defendendum. Ita docet Farinac. *Tract. de Immunit. Eccles. cap. 16. nu.* 240. Diana, *tract. 1. tit. eod. Ref.* 11. Contra Gambacurt. *lib. 5. cap.* 23. Peregrin. *de Immunit. capit. 6. numero* 15. & alij.

Infero octavò, non privari immunitate eum, qui voluit aliquem proditoriè occidere, & devenit ad actum proximum, sed casu non occidit. Ita docet Peregrin. *de Immunit. Eccles. capit. 7. num* 13. Bonac. *de leg. disput. 3. q. 7. §. 5. num.* 16. Farinac. *de immunit. cap. 9. nu.* 145. & 146. Contra Gambacurtam, *lib. 5. cap,* 30. *num.* 6. 21.

XXIX. DIFFICULTAS.

An possint Duces, sine violatione Immunitatis Ecclesiasticæ, milites delinquentes, & ad Ecclesiam confugientes, ibi armis vetitis spoliare.

NOtandum primò, quòd Immunitas dicitur quasi muneris vacatio; & munus significat onus, cujus remissio, & liberatio immunitatem præstat. Ita habemus *in l. munus, ff. de verbor. signif. & in l. 1. ff. de jur. immunit.* Unde Immunitas Ecclesiastica solet sic definiri: "Est jus, quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ à communi onere, seu obligatione liberæ, & exemptæ sunt." Ab alijs Immunitas Ecclesiastica nuncupatur libertas, seu exemptio Ecclesiastica, fundatis in jure, *Arg. cap. Adversùs, de Immunit. Eccles.* inter quos est Sylv. *verb. Immunitas, in princ,* Covarr. 2. *resol, cap.* 20. Suarez, *de Immunit. Eccles. lib. 4. cap. 1. & de censur. disp. 11. sect. 2. num.* 89. Azor. *tom. 2. lib. 9. cap.* 8. & novissimè Augustinus Michel, *in sua Discuss. Theologico juridica, cap. 2. §. 1. & per tot.* 1.

Notandum secundò, nomine Ecclesiæ, quæ gaudeat privilegio immunitatis, venire quemcunque locum auctoritate Episcopi erectum, etiam si actu consecratus, & benedictus non sit, sed alia ratione, v.g. Crucis erectione ad publicum Sacrificij, & Sacramentorum usum deputatus; cùm hujusmodi locus sacer censeatur, ideóque omni veneratione dignus. Ita declarat Tex. *in cap. Ecclesia, de Immunit. Eccles.* Et sic sentit Abb. *in d. cap. num.* 5. Bacconus, *in 4. Dist. 13. artic.* 1. Sanch. *tom. 2. consil. mor. lib. 6. cap. 1. dub, 7. num.* 2. & alij; quidquid dicat Tuschus, Julius Clarus, Sarpus, & alij apud Thom. Del Bene, *de Immunit, Eccles. cap. 16. dub. 9. sect. 1. num.* 4. asserentes, ut Ecclesia gaudeat immunitate, requiri, ut ibi Sanctissima Eucharistia conservetur; quod minimè approbamus, nisi adsit contra nos consuetudo legitimè introducta, cùm jura de immunitate loquentia nobis faveant, id minimè exigentia. 2.

Notandum tertiò, Judicem Sæcularem nullam habere jurisdictionem in Reum, extra casus exemptos existentem in Ecclesia; cùm Ecclesia sit locus exemptus à jurisdictione laicali, ut optimè ostendit juribus, & rationibus Thom. 3.

Del

Del Bene, *part. 2. de Immunit. Eccles. capit. 16. dub. 34.*

4. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an possint Duces absque violatione Immunitatis Ecclesiasticæ milites delinquentes, & ad Ecclesiam confugientes armis vetitis spoliare, videtur affirmativè respondendum cum Villadiego, *in polit. cap 3. num. 214.* Joan. della Crux, *in direct. conscient. p. 1. precept. 8. quæst. 3. art. 1. dub. 1. concl. 3.* Suarez, *de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. c. 12. sub num. 3.* Laurent. de Portel. *in dub. Regul. verb. Ecclesia*, Nald. *in Sum. verb. Ecclesia*, *sub num. 5.* & alijs, quos citat Diana, *p. 1. tract. 1. de Immunit. Eccles. Resol. 8.* quorum fundamentum est: nam qui gestat arma prohibita, committit crimen læsæ majestatis, ut in Statu Ecclesiæ, ubi à Pio IV. & V. in Bulla, quæ incipit, *Vices ejus*, breviora ignis tormenta sub pœna talis criminis gestari prohibentur. Tum quia, detinere hujusmodi arma contra legem est, quod Ecclesia defendere non intendit; cùm Immunitas proximi injustitiam minimè tueatur.

5. Fateor in hac sententia magnam relucere probabilitatem; saltem ob rationem extrinsecam, nempè Auctorum multiplicitatem; verùm nostris inhærendo principijs, circa hanc materiam de immunitate *in lib. 1. circa Difficultates pertinentes ad Principes*, expressis, oppositam, scilicet, negativam sententiam libenter sustinemus, & amplectendam putamus, tanquàm probabiliorem. Farinac. *tract. de Immunit. Eccles. cap. 16. num. 248.* Peregrin. *de Immunit. Eccles. cap. 13. num. 5.* Diana, *p. 1. tract. 1. titul. eod. Resol. 8. & 17. & par. 6. tract. 1. Res. 8.* Guazzin. *tom. 1. defens. 1. cap. 29. num. 7.* doctissimus Sperell. *decis. 46. num. 15.* Del Bene, *p. 2. de Immun. Eccles. cap. 16. dub. 19. sect. 3. num. 1.* & alij penes ipsum.

6. Moveor primò juribus, *in capit. 1. extra, de Immunit. Eccles. & cap. 2. eod. tit. in 6.* ubi expressè prohibetur Judicibus sæcularibus aliquam jurisdictionem in Ecclesia exercere; & meritò, cùm Ecclesia sit de territorio Episcopi: & extra territorium jus dicenti etiam à subditis non pareatur impunè, *cap. 2. de constit. in 6. & ult.* cum Gloss. *ff. de jurisdict. omnium Judicum.*

7. Moveor secundò rationibus: nam Judex laicus non potest extrahere reum ab Ecclesia, etiam in casibus exceptis sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ, ut jubet Gregorius XIV. in sua Bulla de Immunitate Ecclesiarum. *Cùm aliàs*, §. 4. Ergo neque potest illum armis vetitis expoliare in Ecclesia absque licentia Episcopi, vel ejus Officialis: nam accessorium sequitur naturam sui principalis. Tum etiam quia, licèt miles fugiat ad Ecclesiam cum armis prohibitis, in illa non mutilat, nec occidit; ergo non privatur privilegio immunitatis, quod aufertur per occisionem, vel mutilationem factam in illa. Ergo armis vetitis in illa non potest à Duce, vel ejus Officiali spoliari.

8. Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi Episcoporum, qui semper procedunt contra Judicem laicum aliquam jurisdictionem in Ecclesia sine eorum licentia exercentem. Addo, quòd Sacra Congregatio Immunitatis, *in una Salernitana, die 30. Septembris, 1616.* determinavit Immunitate Ecclesiarum gaudere eos, qui cum armis prohibitis in Ecclesiam se recipiunt, ut notat Diana, *part. 6. tract. 1. de Immunit. Resol 8.* ideóque miles, de quo loquimur, ad Ecclesiam cum armis prohibitis confugiens immunitate nequaquam privatur; & ideò suis armis à Duce spoliari non potest.

Concludendum est igitur, esse quidem arma Reo in Ecclesia auferenda propter rixas vitandas, aut propter Bonum publicum, & reverentiam debitam Loco sacro, non tamen per Ducem, aut Judicem Sæcularem, sed per Judicem Ecclesiasticum, qui jurisdictionem ibi exercere potest. 9.

Ad rationes in oppositum respondemus. Ad primam, quòd talis miles non committit crimen læsæ majestatis, in personam Principis, ut notat Del Bene, *p. 2. de immunit. cap. 16. dub. 19. sect. 3. num. 4.* 10.

Ad secundam, patet responsio ex dictis. 11.

Infero primò ex dictis, militem delinquentem non posse à Duce spoliari armis prohibitis in Ecclesia interdicta, quia secundùm magis communem, illa etiam gaudet Immunitate Ecclesiastica, ut testatur Azor. *tom. 1. fol. 1025.* Nald. *verb. Ecclesia, num. 4.* 12.

Infero secundò, neque posse spoliari armis vetitis militem in Ecclesia nondum consecrata, & in qua non sunt hactenùs divina Officia celebrata; quia & ipsa gaudet Immunitate Ecclesiastica. Nald. *loc. cit.* ibi subdens in hoc standum esse consuetudini locorum, quæ variè servari solet, ut notat Covarr. *tom. 2. lib. 2. cap. 20. num. 4.* 13.

Infero tertiò, idem esse dicendum de Oratoriis, dummodò auctoritate episcopali sint consecrata: post Abb. Suar. notat Beller. *disquis. Cleric. par. 1. §. 4. num. 26.* Secùs verò dicendum de privatis Oratoriis, quamvis in iis Pontifex, vel Episcopus licentiam dederit Missam celebrandi. Hæc enim immunitate non gaudent, ut ex communi notavit Sanch. *lib. 9. de matrim. disput. 15. num. 4.* Del Bene, *p. 2. de immunit. cap. 16. dub. 9. num. 4.* 14.

Infero quartò, neque posse militem spoliari armis vetitis in Ecclesia non perfectè constructa, quæ etiam privilegio Immunitatis gaudet Abb. *in Cap. Ecclesia, de Immunit. Eccles. num. 5.* Sanch. *de matrim. lib. 9. disp. 15. num. 39* & alij: quia hoc ipso, quòd auctoritate Episcopi construi cœpit, dicitur locus divinis Officijs dicatus, & successivè sacer. 15.

Infero quintò, idem esse dicendum de Ecclesia diruta sine auctoritate Superioris; quia & ipsa gaudet privilegio immunitatis; Del Bene, *p. 2. de immunit. cap. 16. dub. 9. sect. 5.* quia saltem ratione soli, in quo posita erat, non desinit ejus sanctitas, ut non sit locus sacer, & amittat sua privilegia. Secùs verò, si fuerit destructa auctoritate Superioris, & sine spe reædificationis, ut habetur *in l. ad sacra. ff. de contrab. empt. & l. in tantam, §. Sacræ, in fin. ff. de verbor. divis.* contra Ludovicum Corream, *in Relect. de Immunit. Eccles. p. 2. n. 10.* & alios. 16.

17. Infero sextò, idem esse dicendum de palatio Episcopi, quia & ipsum gaudet privilegio immunitatis. Ita habetur *in cap. Id constituimus, causa 17. quæst. 4.* ex Concilio Aurelianensi I. *cap. 3.* & docent communiter DD. ut testatur Covar. *lib. 2. var. resol. cap. 20.* Quod verum est, etiamsi Episcopus absens, vel mortuus sit (modò non sit palatium alteri locatum) sicut rectè docent Farinac. *in Append. de Immun. Eccles. cap. 17. num. 270.* & alii plures.

18. Infero septimò, idem esse dicendum de domibus Religiosorum, quia & hæ gaudent eodem privilegio immunitatis, ut patet ex Bulla Gregorij XIV. ibi, *Monasterijs, Domibus, Locisque sacris, vel religiosis.* Quod privilegium asserunt DD. extendi etiam ad claustrum, dormitorium, hortum, domum familiarium, animalium, & similia; quia hæc omnia cùm adhæreant Ecclesiæ ad effectum immunitatis, loca sacra, & religiosa reputantur.

19. Infero octavò, idem esse dicendum de Cœmeterio, de Hospitali, de Domibus Clericorum in communi viventium, de Domibus Puellarum, vel Orphanorum, & de omni alio loco auctoritate Episcopi fundato: quia tunc Canonico jure censentur loca sacra, pia, seu religiosa, ut patet ex Bulla Gregorij XIV. & passim ita docent Doctores, quos citat. & sequitur Genuensis, *in praxi, cap. 17. num. 10.* Diana, *p. 6. tract. 1. resol. 1.* & alij.

20. Infero nonò, non posse militem delinquentem armis vetitis spoliari in Ecclesia; licèt miles sit Paganus, aut Saracenus, & Infidelis, quia & ipse gaudet privilegio Immunitatis. D. Antonin. *p. 3. tit. 12. §. 1. verb. His ergò exceptis*, Sylv. *in Summ. verb. Immunitas, 3. num. 2.* Azor. *Inst. mor. p. 2. lib. 9. cap. 9. q. 9.* & inter Jurisconsultos, Riccius, *de jure person. lib. 2. cap. 1. 2. per tot.* & alij, quos citat, & sequitur Barbosa, *in Collect. tom. 1. lib. 5. tit. 49. cap. 6. num. 50.* Faber. *in l. 2. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt, & in §. Sed & hoc, num. 3. Instit. de his, qui sunt sui, vel alieni juris.* Et ratio est, quia tale privilegium non conceditur à Summo Pontifice intuitu personarum, sed Loci. Atqui privilegia locis concessa ad quaslibet personas ibi stantes extenduntur, ut notat Bartol. *in l. final. Cod. de testam. & in l. cunctos populos*, & Bald. *in leg. si non speciali, Cod. de testam.*

21. Infero decimò, idem esse dicendum etiamsi miles sit hæreticus ad Ecclesiam confugiens, non quidem ob hæresim, quæ est crimen exceptum in Bulla Gregorij XIV. de Immunitate Eccles. *Cùm aliàs.* Sed ob alia delicta distincta ab hæresi, quia & iste gaudet privilegio immunitatis, ut docet Portell. *in dubijs regul. verb. Ecclesia Immunitas, num. 10.* Azor. *p. 2. Instit. moral. loc. cit.* Sylvestr. *verb. Immunitas, 3. quæst. 3.* Suar. *de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. quæst. 10. num. 13.* Bonac. *de leg. disp. 3. quæst. 7. §. 3. num. 3.* contra Gambac. Pereg. Bobadil. Taner. & alios. Ratio est, quia non habemus fundamentum ad excipiendam personam, ubi crimen non est exceptum.

22. Infero undecimò, Duces spoliantes in Ecclesia militem delinquentem armis prohibitis, incurrere pœnas Sacrorum Canonum contra violatores Immunitatis Ecclesiasticæ latas, dummodò actus sit consumatus: aliàs hæ pœnæ non incurruntur, si actus est tantùm inchoatus, ut notat Tho. Del Bene, *p. 2. de Immunit. Eccles. cap. 16. dub. 19. sect. 5. num. 3.* & fusiùs, *lib. de parlamentis, dub. 4. sect. 19. subsect. 1.*

XXX. DIFFICULTAS.

An Ducibus liceat extrahere ex Ecclesia eos, qui machinati sunt dare Arcem obsessam Hostibus.

NOtandum primò, non gaudere privilegio Immunitatis Ecclesiæ confugientes ad Ecclesiam, si fuerint publici Latrones, vel Grassatores; si homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs, earumque Cœmeterijs commiserint; si proditoriè proximum suum occiderint: aut Assassinij, vel hæresis, aut læsæ majestatis in personam ipsius Principis rei fuerint. Ita expressè in Bulla Gregorij XIV. de Immunitate Ecclesiastica, quæ incipit. *Cùm aliàs*, & est septima in ordine. 1.

Notandum secundò, multis modis committi crimen læsæ majestatis, puta offendendo statuas, vel imagines Principum; cudendo falsam monetam; offendendo eum, qui habet Salvum conductum; tractando de faciendo Rege, ipso vivente, expoliando Nuncios Regis, vel alterius Principis, ad penetranda Regni arcana; vulnerando, vel occidendo Ministros Regis, præcipuè in Palatio Reali, & alia similia delicta perpetrando, ut notat Diana, *p. 1. tract. 1. de Immunit. Eccles. Resol. 7.* 2.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an liceat Ducibus extrahere ab Ecclesia eos, qui machinati sunt tradere hostibus Arcem obsessam, affirmativè respondet Gambacurta, *de Immunit. lib. 1. cap. 44. dub. 5.* quia qui machinatur dare hostibus Arcem obsessam, est reus criminis læsæ majestatis. quod est unum ex exceptis in Bulla Gregorij XIV. suprà relata. Ergò non debet gaudere immunitate: Ergò licet Ducibus eum extrahere ab Ecclesia. 3.

Veritas tamen est, illicitam esse omninò hujusmodí extractionem; ideóque Ducem extrahentem machinantes tradere hostibus Arcem, sive Urbem obsessam incurrere omnes pœnas statutas à Sacris Canonibus contra violatores Ecclesiasticæ Immunitatis. Peregrin. *de immunit. cap. 10. num. 7.* Farinac. *in append. cap. 14. num. 190.* Mar. Italia, *de immunit. lib. 1. cap. 5. §. 7. num. 45.* Martinus Bonac. *in Decalog. disp. 3. q. 7. punct. 6. §. 6. num. 5.* Cesped. *in Dub. milit. dub. 21.* Diana, *p. 4. tract. 1. Res. 103.* ubi citat, & sequitur alios. 4.

Moveor primò juribus, *in l. Tribunus, §. ult. ff. de mil. test. & in l. nam quod liquida, §. ult. ff. de supell. lega.* ubi habetur, quòd exceptio ostendit regulam esse in contrarium, seu declarat regulam, & in quibus casibus loquatur. 5.

Moveor secundò rationibus deductis à motu 6.

ante-

antecedenti. Bulla enim Gregorij XIV. de Immunitate, quæ incipit, *Cùm aliàs*, excipit crimen læsæ majestatis, non quomodocunque patratum, sed in personam ipsiusmet Principis. „ En verba expressa Bullæ. Ut Laicis ad Ecclesias, locaque sacra, & Religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici Latrones, &c. aut læsæ majestatis in personam ipsiusmet Principis rei, Immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Qui autem machinatur dare hostibus Arcem, contra personam Principis non machinatur, nec dicitur facere actionem offensivam personæ, sed solùm dignitatis, quæ tali personæ competit; Ideòque ex Constitutione Gregoriana non privatur privilegio immunitatis. Unde non licebit Duci illum ab Ecclesia extrahere; præcipuè cùm machinatio non habuerit effectum, Constitutio enim Gregorij XIV. videtur excipere casus suprà memoratos, quando actus est consummatus cum effectu subsequuto. Et ita docet Diana, *p. 5. tract. 1. de Immunit. Eccles. Res. 18.* ubi citat, & sequitur alios.

7. Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi, quam observatam pluries testatur vidisse Nald. *in Sum. verb. Carceres, num. 8.* ubi notat, pijssimos Judices censuisse restituendos esse Ecclesiæ ab Ecclesia extractos, & ita in Concil. Regio frequentissimè omnium voto conclusum fuisse testatur, Lud. Pegn. *in decis. A carceribus, Consilij Cathaloniæ, 62.*

8. Concludimus igitur, minimè licere Ducibus belli de Ecclesia eos extrahere, qui machinati sunt dare Arcem obsessam hostibus, dummodò in personam Principis nullatenus fuerint machinati.

9. Ad rationem in contrarium patet responsio ex dictis in nostris motibus.

10. Infero primò ex dictis, gaudere immunitatis privilegio machinantem in bona, & dignitatem Principis, si Ostio clauso Ecclesiæ adhæserit; ideòque non posse eum lictores ab eodem divellere. Est contra Sarpum, *cap. 4. fol. 41.* Nam sicut appellatione domus Ostia etiam continentur, *ex l. si aquæduct. Cod. de contrahen. empt.* maximè in favorabilibus, ut notat Vincentius de Franchia, *decis. 402. num. 11.* & doctissimus Sperellus, *decis. 20. num. 38.* ita nomine Ecclesiæ etiam venire debent Ostia. Præterquam quòd, portas Ecclesiæ gaudere ejus immunitate testatur Textus expressus *in cap. Si quis contumax, caus. 17. quæst. 4.* ubi declarantur spatia immunitatis, & dicitur usque ad extremas fores. Ita communiter Doctores, quos citat, & sequitur Diana, *p. 6. tract. 1. de immunit. Res. 3.*

11. Infero secundò, gaudere Immunitate Ecclesiastica, non solùm Baptizatum, sed etiam Judæum, & alium Infidelem machinantem in bona, aut dignitatem Principis, si ad Ecclesiam confugiat; imò si eam clausam reperiens manu portas ipsas, seu portarum vectes apprehendat; & à fortiori, si Ecclesiam ingreditur. Ratio est manifesta; quia *in cap. Inter alia, cap. Miner, cap. Frater, cap. Si quis inventus, cap. Si quis contumax, de immunit.* omnibus sine distinctione conceditur hoc privilegium.

12. Infero tertiò, dum causa agitatur, an machinans in bona Principis, vel alius Reus gaudeat immunitate, nec ne, non posse Judicem Sæcularem illum ab Ecclesia extrahere, & in suis carceribus detinere, quia cùm Reus sit jam intra Ecclesiam dicitur ipsa Ecclesia in ipsius quasi possessione, & ideò in eadem possessione conservanda, donec de veritate quæstionis appareat; & ita docet Decianus, *tract. crim. lib. 6. cap. 29. num. 2.* Farinac. *de immunit. cap. ult. num. 370.*

Infero quartò, machinantem in bona Principis, vel alium Reum, dum existit in Ecclesia, non posse à Judice Sæculari damnari ad mortem, vel ad pœnam corporalem, v. g. ad exilium, ad verbera, ad triremes, ad perpetuam carcerationem. Ita definitum est *in d. cap. Inter alia*, illis verbis, Neque damnari debet ad mortem, vel ad pœnas: *& in cap. Id constituimus, causa 17. quæst. 4.* & docet Tho. Del Bene, *par. 2. de immunit. cap. 16. dubit. 31. num. 1.* ubi refert plures Doctores. Est contra Sarpum, qui in libro de jure Asylorum intendit procaciter Ecclesiarum immunitatem evertere. 13.

Infero quintò, Ducem teneri restituere Ecclesiæ machinantem dare hostibus Arcem, etiamsi non mandaverit eum ab Ecclesia extrahere, sed milites, vel alij extraxerint vi, vel dolo (Item dicitur de quovis Judice laico circa alios reos) Megala *in 3. p. lib. 4. cap. 2. quæst. 1. num. 32.* Peregrin. *Tract. de Immunit. Ecclesiæ, cap. 20. num. 314.* Nam reus est affectus pro restitutione Ecclesiæ; quæ fuit injustè spoliata; ideòque ad quemcunque transierit, cum tali onere transit, sicut res furtiva transit ad omnes cum onere restitutionis. Contrarium sentit Suar. *de Relig. tom. 1. tr. 2. lib. 3. cap. 3. n. 17.* 14.

Infero sextò, machinantem in bona Principis, nempè dare hostibus Arcem obsessam, vel alium reum, non amittere immunitatem, si deceptus fuerit subdolis verbis, & fallacijs ad egrediendum ab Ecclesia, ut posset à Duce, vel Judice laico puniri. Bobadill. *in Polit. tom. 1. lib. 2 cap. 14. num. 80.* Villadieg. *in Polit. cap. 3. num. 222.* Megala, *in 3. p. lib. 4. cap. 2. quæst. 1. num. 32.* Contrarium sentit Bonac. *de leg. disp. 3. quæst. 7. §. 2. num. 10.* Filliuc. *tom. 1. tract. 15. cap. 6. num. 154.* Duardus, *in Bull. Cœn. lib. 2. Can. 15. quæst. 16. num. 34.* Fernandez, & alij. 15.

Infero septimò, à carcere confugientem Reum ad Ecclesiam, ejus immunitate gaudere. Naldus etiam hoc docet, *in Sum. verb. Carceres, n. 8.* 16.

Infero octavò, gaudere immunitate reum, qui dum ad carcerem, vel ad mortem ducitur, transit per Ecclesiam, nec ab ea vult exire; & præcipuè si Reus eriperet se de manibus Officialium, & postmodùm in Ecclesia se collocaret. Contrarium tenet Gutier. *pract. quæst. civil. lib. 3. q. 4.* ubi dicit suam opinionem esse communem. 17.

Infero nonò obiter, debitorem ad Ecclesiam confugientem gaudere ejus immunitate, quod est in praxi. Nald. *in Sum. verb. Ecclesia, num. 5.* Quidquid sentiant alij. 18.

Infero decimò etiam obiter, non licere Judicibus laicis, sine licentia Episcopi, extrahere reos, etiamsi constaret notoriè eos non gaudere immunitate, quia commiserunt delicta exceptua- 19.

ta: ita videtur disponere jus Canonicum *in cap. Frater, causa 17. quaest. 4.* ubi prohibetur Potentioribus saecularibus reum invitum ab Ecclesia extrahere, non obtenta Sacerdotis licentia. Item facit Textus *in cap. Definivit, causa 17. q. 4.* in quo datur facultas reddendi Ecclesiae extractum sine consensu Sacerdotis. Quod etiam probatur ex jure civili per Textum *in l. pateant, in fin. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt*, ubi Imperator statuit quidem extrahi posse confugientem in Ecclesiam cum armis non depositis etiam admonitum, fieri tamen posse noluit, Episcopo inconsulto.

20. Infero undecimò, machinantem contra bona Principis, vel alium reum esse necessariò restituendum Ecclesiae, à qua fuit violenter extractus, ideóque non sufficere restitutionem alteri Ecclesiae, vel Episcopo factam. Ita Barbosa, *de jure Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 34.* ubi testatur ita declarasse Sacram Congregationem Immunitatis ann. Domini 1632. Contrarium tenet Castropal. *tom. 2. tr. 11. disp. unic. q. 11. n. 13.*

21. Infero duodecimò, omnia acta esse nulla, si Reus extra casus exceptos extractus Ecclesiae non restituatur. Ita expressè definitur in Constitutione Gregorij XIV. & docent plures Doctores, quos citat, & sequitur Thom. Del Bene, *par. 2. de Immunit. Eccles. cap. 16. dubit. 34.*

22. Infero decimotertiò, violatorem Immunitatis Ecclesiasticae incurrere specialem culpam, & varias poenas, quas fusè refert Thom. Del Bene, *par. 2. de Immunit. Eccles. cap. 6. dubit. 35. sect. 1.*

XXXI. DIFFICULTAS.

An de belli causis, & consequentibus liceat belli Duci transigere.

1. NOtandum primò est, Duces belli propriè, & excellenter dici illos, qui habita à Summis Potestatibus fide exercitum ducunt, & de occurrentibus in bello inter se quaedam paciscuntur, *l. conventionem, ff. de pact.* de quibus illud Livij capiendum. „Nec Ducem novimus, nisi „cujus auspicio bellum geritur. *lib. 4.*

2. Notandum secundò, quòd transactio est litis decisio, vel pactum interpositum de re dubia, vel lite incerta, vel iterata, aliquo dato, vel remisso, vel retento, vel retineri permisso. Ita Turrecrem. *in cap. Sicut, causa 23. quaest. 4.* Abb. *in rubri. de transact.* Filliuc. *tr. 39. cap. 8. de transact. quaest. 1. num. 127.* & colligitur *ex cap. Ex literis, extrà, de transactionib.*

3. Notandum tertiò, ad validitatem transactionis requiri praeter rei dubietatem, ut non sit circa rem, de qua jam lata sententia sit; & quae jam transierit in rem judicatam, *leg. si causa, Cod. de transact. & l. elegantèr, §. Si post, ff. de condict. indeb.*

4. Notandum quartò, transactionem esse contractum innominatum, facio, ut facias, vel do, ut facias. Alter enim recedit à lite, suumque jus arbitrio talis personae committit, ut alter idem faciat. Ita Filliuc. *loc. cit. num. 132.* habereque similitudinem cum locatione arbitramur, & juxtà hanc esse regulandam habetur ex Bart. Greg. Lopez, ut notat Molina, *de contract. disp. 558. num. 7.*

Notandum quintò, invalidam esse transactionem, non solùm in conscientia, sed etiam in foro exteriori, si constaret rem, de qua controvertitur, esse alterius. Colligitur *ex l. in Summa, ff. de condict. indeb. & leg. Praeses, Cod. de transact.* 5.

Notandum sextò, ad justitiam transactionis requiri, ut inter transigentes aequalitas servetur; ità scilicèt, ut quantum pro cessione ab actione transigens amisit, tantum illi accesserit, vel juris, vel pecuniae communi aestimatione. Ita communiter DD. 6.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, quam à nemine in terminis agitatam invenio, an de belli causis, & consequentibus liceat belli Duci transigere; respondeo negativè, si non habet specialem ad id facultatem. 7.

Moveor primò juribus argumento à simili, *l. transactionis, Cod. de transact. & cap. Qui ad agendum, de procurat. in 6.* ubi habetur, quòd Procurator alicujus ad agendum, & defendendum, non potest transigere; cùm non sit Dominus rei controversae; *& l. non solùm, Cod. de praed. & aliis reb. cap. Cum tempore, de arb.* ubi habetur nec minorem, tutorem, aut curatorem, absque Judicis decreto, posse transigere; quia hi non possunt alienare. Posse belli Ducem ea, quae supremae potestatis sunt, alienare sanè dixerit nemo, Ergo neque transigere de belli causis, & consequentibus. Neque enim belli gerendi pars est bellum finire, imò & si cum maxima potestate praepositus fuerit, ea de belli ductu erit intelligenda, non verò de causis belli, rerumque bellicarum decisione, quae omnia ad supremas Potestates solummodò spectant, vel ad eos, qui ad id specialiter ab ijsdem deputantur. 8.

Moveor secundò rationibus; nam transactio dicta est, ut Bar. & alij, quos Padilla, *in rubr. Cod. de transact. num. 17.* & Gutier. *de jur. confir. p. 3. cap. 2. n. 2.* referunt, ac sequuntur; quasi transitio actionis, eò quòd is, qui transigit, actor nimirùm, vel reus recedat ab actione, quae sibi competebat, & in alia re conveniat. Actio verò Principis, seu supremae Potestatis competit Principi, non Duci: Ergo non potest Dux, ut constat ex ipsa transactionis natura, de belli causis, & consequentibus transigere. Tum quia, in transactione receditur à lite, cedendo jus, quod is, cum quo transactio fit, in ea re praetendebat, undè qui cedit rem, si verè illius erat Dominus, transfert dominium in eum, cui titulo transactionis rem tradit. Ita docet Lassarte, *de decim. vend. cap. 17. num. 51. arg. l. ex causa transactionis, Cod. de usucap. pro empt. & leg. si per errorem, ff. eod. tit.* Cùm igitur Dux nullum jus circa causas belli habeat, nullatenùs potest jus cedere, & dominium transferre; ideóque neque transigere. 9.

Moveor tertiò exemplo, in responso Agesilai „ad Persas. De pace constituendi jus esse Civitati. Quam pacem A. Albinus cum Jugurtha Rege Senatus injussu fecerat; Senatus rescidit, 10.

inquit

inquit Salluftius, & apud Livium eft, *lib. 37.* „ Cui tata ifta pax erit, quam non ex auctoritate „ Senatus, non juffu Populi Romani peregeri- „ mus? Sic Caudina, fic Nomantina fponfio Populum Romanum, teftantibus omnibus hiftorijs, non obligavit.

11. Concludendum eft igitur, nullatenus licere belli Ducibus de caufis belli tranfigere, nifi ad hoc habeant fpecialem à fuis fummis Poteftatibus facultatem, quæ ijs ordinariè non folet concedi, illa tantùm tradita, quæ belli ductum concernit.

12. Infero primò ex dictis, Duces exercituum non poffe tractare pacem, abfque ordine fupremorum Dominorum, poffent enim illos obligare, & populos ad res injuftas, atque indignas. Dux enim belli fe habet, tanquam procurator Principis. Procurator verò non poteft pacifci de re aliena, abfque mandato, *l. itaque, ff. de procurator.*

13. Infero fecundò, Ducum non effe concedere homines, imperia, agros, aliaque fimilia bello quæfita. De Sophinifba, quæ bello capta erat, „ inquit Scipio, Senatus, Populique Romani „ judicium, atque arbitrium effe, ideò à Maffa- „ niffa, quo Duce capta erat, libertatem ei dari non potuiffe, *Livius, lib. 30.* Poffe verò Duces, nec fummos tantùm, fed & minores indocias dare ijs, nempè, quos oppugnant, aut obfeffos tenent.

14. Infero tertiò, Duces exercitûs poffe condonare nondum quæfita bello. Tum quia, in illa nondum fuprema Poteftas jus acquifivit. Tum quia, Oppida plæraque, & homines fæpè in bello dedunt fe fub conditionibus vitæ falvæ, aut & libertatis, aut & bonorum, de quibus fummæ Poteftatis arbitrium exquiri res plærumque non patitur.

15. Infero quartò, juramentum additum invalidæ Ducum tranfactioni, non magis illam convalidare, quàm promiffionem ufurarum, vel pecuniæ furtum latroni; quod obligat tantùm promittentem ad non contraveniendum juramento, nifi priùs ab eo abfolvatur. Hoc etiam videtur docere Filliuc. *tract. 39. cap. 8. de tranfact. quæft. 3. num. 119.*

16. Infero quintò à fortiori compofitionem factam à Ducibus exercitûs invalidam effe: quod patet ex definitione compofitionis. Compofitio enim eft pactio de re aliqua, vel circa quam nulla controverfia eft, vel circa quam fit, aut effe poffit. Ita Canoniftæ, & Jurifconfulti communiter: ut quando Summus Pontifex per feipfum, vel per fummum Pœnitentiarium debitori fummæ perfonis incertis condonat majorem partem, & minorem applicat in aliquod opus pium. Dux verò condonare non poteft, nec in parte, nec in toto id, de quo nullum jus ei competit, fed foli Principi.

17. Infero fextò, ex vi contractus tranfactionis validè facti fub certa pœna nolenti illi ftare, aut contravenienti, cogi poffe nolentem illi ftare, vel ad illi ftandum, vel ad folvendam pœnam, non ad utrumque, *l. refcriptum, §. Si pactum, ff. de pact. l. pradia, ff. de actionib. empt. l. apud Celfum, §. Labeo, ff. de dol. except. l. 1. §. ult. ff. de ftipulat.* fervor. & *alijs juribus*; ideóque optionem dari ei, qui volt ftare tranfactioni, cogendi alterum, vel ad ftandum tranfactioni, vel ad folvendam pœnam, *§. Si pacto, & l. pradia* citat, & affirmat Glof. *l. cùm proponas, verb. Exceptio, Cod. de tranfact. juxta l. eleganter, §. penult. in fin. ff. de condict. indeb.* Non videtur Bart. contra fentire, ut notat Molina, *de contract. tract. 2. difput. 556. num. 13.*

Infero feptimò, quòd quando tranfactio confirmata eft juramento, & fimul appofita eft pœna contraveniendi tranfactioni, tunc utrumque peti poffe; fcilicèt, & quod ftetur tranfactioni, & quod folvatur pœna; efto non appofita fuerit claufula, *rato manente pacto, l. fi quis major. Cod. de tranfaction.* de alijs etiam pactis eft communis fententia, ut notat Filliuc. *loc. cit. quæft. 9. num. 138.* Juramentum enim habet vim dictæ claufulæ, *rato manente pacto.* 18.

Infero octavò, eum, ad quem devenere bona vinculata, non poffe tranfigere circa illa, nec compromittere; quia tranfigere eft alienare, & qui non poteft alienare, non poteft tranfigere. 19.

Infero nonò, ob eam rationem Feudatarium non poffe tranfigere, aut compromittere circa res feudales. 20.

Infero decimò, prohibitam effe, & invalidam tranfactionem factam cum debitore hæreditaris, fi fieret fine fcientia eorum, quæ in teftamento continentur, *l. de his, & l. non eft ferendus, ff. de tranfact. l. 1. §. Ratio, ff. quemadmodum teft. aperia. l. ult.* juncta Glof. ibi, *verb. Lucrum, C. de rebus cred.* & confentiunt alia jura, & favet ratio naturalis. Satis autem effet fcientia eorum ex vera aliorum relatione ad hoc, ut tranfactio valida effet. 21.

Infero undecimò, tranfactionem refcindi, ac nullam reddi, quando alter tranfigentium tempore celebrationis contractus fciebat rem ad alterum pertinere, & etiam quando aliquis per vim, aut metum cadentem in conftantem virum, coactus eft tranfigere, *l. interpofitas, Cod. de tranf.* 22.

Infero duodecimò, Prælatum non poffe tranfigere, neque compromittere circa Bona Ecclefiaftica, quæ alienare non poteft, Molina, *de contract. tract. 2. difp. 557. num. 1.* Quæ Bona Ecclefiaftica poffint, aut non poffint alienari à Prælato, explicat idem Molina fupe riùs, *difp. 465. & 468.* 23.

Infero decimotertiò, tranfactionem non effe faciendam, ubi lis eft pro Ecclefia, quia fimonia effet, *cap. conftitutus, extrà, de tranfact.* 24.

Infero decimoquartò, tranfigere non poffe Prælatum fine litteris Capituli, *eod. tit. cap. Contingit.* 25.

Infero decimoquintò, varios effe eventus, in quibus in bonis majoratuum, & alijs alienari prohibitis valida eft tranfactio, validumque compromiffum, ut videre eft apud Molin. *de contract. tract. 2. difp. 557. n. 7.* 26.

Infero decimofextò, eafdem rationes militare de tranfactione, ac de compromiffo, ut oftendit Molin. *loc. cit. num. 1. & difp. 556.* ideóque Duces non poffe compromittere circa res bellicas, ficut non poffunt tranfigere. 27.

XXXII. DIFFICULTAS.

An Dux belli teneatur servare fidem hostibus promissam; si promissum metu gravi injustè incusso extortum est ab hostibus, animo illud extorquendi.

1. NOtandum primò, hostibus servandam esse fidem, tam inter Catholicos, quàm Gentiles. Præclarum est enim illud Silij Romani Consulis dictum.

Optimus ille
Militiæ, cui postremum, primumque tueri
Inter bella fidem.

Fatentur omnes, jurium custodiam inter Armatos, nec non Pacificos, fidem esse. Fides, ut „ apud Quintilianum legimus, Supremum hu„ manarum rerum vinculum est: Sacra laus fidei inter hostes. Propterea ait D. Ambrosius *lib. 1.* „ *de offic. cap. 29.* Fides etiam hostibus servanda „ est, ut si constitutus sit cum hoste aut lo„ cus, aut dies prælio adversùs justitiam pute„ tur, aut loco prævenire, aut tempore. Sanctus „ etiam Augustinus inquit, Fides, quando pro„ mittitur, etiam hosti servanda est, contra „ quem bellum geritur, *Epist. 1. ad Bonif.*

2. Notandum secundò, quòd licèt voluntas quoad nativam inclinationem nullam in suis actibus, seu actionibus vim pati possit, cùm doceat Arist. *3. Ethic. cap. 1.* vim esse, quod est à Principio extrinseco passo non conferente vim, considerata tamen secundùm suum appetitum elicitum, potest & in alijs facultatibus, & potentijs sibi subjectis, & in se ipsa violentiam pati, ut docet Castropal. *par. 1. tract. 2. de libert. disp. 1. punct. 4. num. 1. &* 2. Si enim, repugnante mea voluntate, Petrus meum caput moveret, talis motio violenta est voluntati. quia est ab extrinseco principio voluntate non conferente vim, sed potiùs renitente.

3. Notandum tertiò, ut alibi tetigimus, quòd metus est instantis periculi, vel futuri causa mentis trepidatio. Ita Ulp. *in l. 1. ff. de eo, quòd metùs causa*; undè à metu excludit malum remotum quantumvis grave, quia mentem non turbat, cùm non apprehendatur efficaciter eventus, & tradit optimè Glos. *in cap. Ad audientiam, de ijs, qua vi, metusve causa fiunt.*

4. Notandum quartò, metum induci, non solùm à malo instante, & mox futuro, sed etiam à suspicione fundata mali post longum tempus futuri, si credatur probabiliter eventurum, quod satis esse, ut vir constans timere illud possit, *l. novissimè, ff. quod falso tutore*, ubi sic: Quid enim si compulsus, aut metuens, ne compelleretur. Hoc pariter docet Basil. de Leone, *lib. 4. disp. 2. num. 17.* Sanch. *lib. 4. de matrim. disp. 1. num. 17.* ubi plures refert Doctores.

5. Notandum quintò, ad metum justum tres esse conditiones necessariò requisitas: Primam, ut malum, quod timetur, grave sit: Secundam, ut incutiens potens sit, & præsumatur probabiliter executurus: Tertiam, ut patiens metum resistere facilè non possit: undè conveniunt ferè omnes Doctores timorem damnorum omnium graviam sive in corpore, sive in bonis omnibus fortunæ, vel majore parte justè possessis, vel possidendis, sive in fama, esse timorem cadentem in virum constantem. Quæ omnia constant, *ex l. nec timorem, 7. ff. de eo, quod metus causa, l. isti quidem, l. ego puto, eodem tit. & ex cap. cùm dilectus, de his, qua vi.*

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Dux belli teneatur servare fidem hostibus promissam, si promissum metu gravi injustè incusso extortum est ab hoste, animo illud extorquendi, videtur affirmativè respondendum. Constat enim *ex cap. Sicut nobis, de Regular.* votum ægri timore mortis emissum validum judicari. Ergo ex vi ejusdem juris valida erit promissio hostibus facta de fide servanda, etiam interveniente timore, seu metu, cùm votum juxtà D. Thom. *2. 2. quæst. 88. art. 1.* à promissione non differat. Tum quia, si obsessus ab hostibus, vel damnatus etiam injustè capitis pœna eligat sua sponte Religionis professionem, si obsessio solvatur, vel vita ei condonetur, valebit professio, & quodvis aliud promissum. Ergo non obstante quovis metu, etiam injustè incusso gratia extorquendi promissi, Dux, qui hostibus fidem servare promisit, promissum servare tenetur. Tum quia, non servare promissum, semper est illicitum, ut docet D. Thom. *2. 2. quæst. 40. art. 3. in corp.* & hoc modo nullus debet hostes fallere; cùm sint quædam jura bellorum, & fœdera etiam inter ipsos hostes servanda, & inter ea locum præcipuè habet fides promissa, ut tradit S. Ambrosius, *de offic. lib. 1. cap. 29. & lib. 3. cap. 10, tom. 3.* 6.

His minimè suffragantibus, contrarium, quod vobis videtur verissimum, & in conscientia tutum, sustinemus, nempè Ducem belli minimè teneri servare fidem hostibus promissam, si promissum metu gravi injustè incusso extortum est ab hostibus, animo illud extorquendi. Tuetrecrem, *in Cap. Ut constitueretur, 50. Dist. n. 12.* Valent. *tom. 3. disp. 3. quæst. 16. de bello, punct. 3. §. Qua tamen*, Castropal. *de charit. tract. 6. disp. 5. punct. 4. nu. 4.* Menoch. *in consil. 917. n. 39.* Diana, *p. 6. tract. 4. Res. 10.* Bannes, & alij plures. 7.

Moveor primò juribus, *in cap. Pervenit, extrà, de jurejur.* ubi Pontifex declarat promissionem coactè factam nullam habere vim, talem coactionem nefandissimam nuncupando, *Cap. Frustrà, de usur.* ubi habetur, quòd ille, qui vim intulit, meretur, ut ei promissum non servetur, *Cap. 1. de his, qua vi*, ubi declaratur irrita professio fœminæ tali metu emissa; & definitio illius Tex. non fictioni, ut aliqui dixere, sed metui innititur, cùm decidat fœminam illam minimè ad Religionem cogendam, si metus proberur. 8.

Moveor secundò rationibus: nam nulla adest obligatio, ubi non adest libertas obligandi: atqui metus gravis, seu cadens in virum constantem, adimit sufficienter libertatem ad se obligandum: atque adeò qui per metum gravem promisit hostibus fidem, sine sufficienti libertate promisit. Ergo fidem non tenetur servare. Tum etiam 9.

etiam quia, si quis extorqueret consensum à me per metum gravem; injuriam sanè, & injustitiam mihi faceret; ergo justum non est, ut commodum ex tali injustitia habeat; haberet autem maximum, si me injuriatum sibi obligaret, & fides data firma esset. Tum denique quia, vota etiam simplicia per injuriam extorta, incusso metu cadente in constantem virum, hoc est gravi, puta mortis, aut alterius gravis calamitatis, sunt irrita, aut jure divino naturali, ut volunt plures Doctores, uti innuit Sanch. mox citandus, aut jure Ecclesiastico, ut tradunt Sotus, *lib. 7. de justitia, quæst. 2. art. 1.* Navar. *cap. 2. num. 52.* quos citat, & sequitur Valentia, *tom. 3. disp. 6. q. 6. de voto, punct. 4. §. Secunda ex sententia.* Rosel. *verb. Votum, 2. num. 4.* Sà, *in Sum. verb. Votum, num. 6.* Tabiena, *verb. eod. quæst. 1.* & alij innumeri, quos producit, & sequitur Sanchez, *in præcept. Decal. p. 1. lib. 4. cap. 3. num. 12.* Ergo idem dicendum est de alijs promissionibus. Ergo Duces belli non tenentur servare hostibus fidem, si promissionem extorsit hostis per metum cadentem in constantem virum.

10. Moveor tertiò exemplo in Episcopo Landicienfi, qui spoliatus à Comite Arnulpho rebus Ecclesiæ suæ, ab ipso coactus fuit promittere, interposito jurejurando, quod non repeteret sublata, & tamen Pontifex declaravit *in d. Cap. Pervenit, extrà, de jurejur.* per talem promissionem non fuisse obligatum, & adstrictum, licèt dixerat, debuisse ad cautelam absolvi à tali juramento, ut notat Glos. hic.

11. Concludimus igitur, Ducem belli liberari ab obligatione fidem promissam servandi hostibus, etiam jurejurando firmatam, si promissum per injuriam fuit extortum incusso metu cadente in virum constantem, nempè gravi, dummodò à juramento priùs per Ecclesiam absolvatur.

12. Ad opposita respondemus. Ad primum, dictum Capitulum nobis minimè obstare, quia tunc à nemine impellitur vovens ad votum emittendum, sed sponte sua hujusmodi medium eligit ad illud periculum mortis vitandum, quæ ratio cessat in casu nostro: Supponimus enim nostrum Ducem promittere hostibus fidem illis servare, non sponte sua, sed metu gravi, seu cadenti in virum constantem adactum.

13. Ad secundum eodem modo respondetur, & ex inferendis clariùs responsio apparebit.

14. Ad tertium concedendo, illicitum esse non servare promissum, sed quando licitè, & liberè fit; Secus verò, quando causa turpis intervenit, vel violentia, quo in sensu allegatos Doctores, nempè D. Thom. & D. Ambros. esse intelligendos arbitramur.

15. Infero primò ex dictis, inhærendo prædictæ opinioni, omnes contractus requirentes liberum consensum reddi nullos per metum cadentem in constantem virum: quamquàm si accessisset juramentum, oporteret implere promissum, aut petere absolutionem à juramento, & illam obtinere. Valentia, *tom. 3. disp. 3. quæst. 16. de bello, punct. 3. versic. qua tamen.*

16. Infero secundò, promissionem dotis metu extortam esse jure positivo irritam. Ita Glos. *cap. 2. verb. coactus, de his, quæ vi.* Abb. *n. 9.* Anchar. *num. 3.* Host. *ad fin.* Padilla, *l. interpositas, num. 9. Cod. de transact.* Azor. *lib. 1. cap. 11. quæst. 7. §. Secundus casus.* Less. *lib. 2. cap. 17. dub. 6. num. 37.* & alij plures, quorum fundamentum est *l. si mulier, 21. §. Si dos, ff. de eo, quod metus causa;* ibi. Si dos metu promissa sit, non puto nasci obligationem, nec talem promissionem dotis ullam esse. Contrarium sentit Augustinus Barbosa, *rubric. ff. sol. matr. 4. p. num. 31. & 32.* Bart. *in d. l. si mulier, §. Si dos, ff. de eo, quod metus caus.* Alex. de Neu. *cap. Cum locum, num. 28. de sponsal.*

17. Infero tertiò, electionem factam per metum gravem irritam esse. Navar. *in cap. Accepta, de restitut. spoliat. opposit. 5. num. 8. & 23.* Flamin. *de resignat. lib. 13. quæst. 2. num. 14.* Sanch. *de matrim. lib. 4. de consensu, disp. 1. illat. 3. num. 18.* cum Glos. *in cap. Bona il secondo, de elect.* Innoc. *in cap. Quod sicut, eod. titul.* Azor. Covar. & alij. Contrarium tenet Castropal. *de libert. tract. 2. disp. 1. punct. 9. sub. n. 6.*

18. Infero quartò, Constitutionem Procuratoris ad negotia factam per metum irritam esse. Flamin *de resignat. lib. 9. quæst. 7. num. 42.* Basil. de Leon. *lib. 4. cap. 8. num. 15.* & alij, qui testantur esse communem. Est contra Sanch. Covarr. Padill. Azor. quorum opinio est probabilis.

19. Infero quintò; irritam esse sententiam per metum latam. Host. *Summ. tit. de his, quæ vi.* Salas, *1. 2. tractat. 3. disp. 3. sect. 1. num. 27.* contra Azor. Archid. Panorm. & alios, quorum opinionem aliqui putant probabiliorem, quod nos negamus.

20. Infero sextò, matrimonium metu coactè contractum non valere. Thomas Sanchez, *lib. 4. de matrim. disp. 12. n. 20.* ubi plures refert Padilla, *in l. interpositas, num. 6. Cod. de transact.* Basil. de Leon. *lib. 4. cap. 24. num. 14.* Covar. Bart. Bald. contra Azor. Sylv. Alb. Felin. imol. Jason. quos producit Covarr. *4. decret. 2. p. cap. 3. §. 5. n. 8.*

21. Infero septimò, validum esse matrimonium condemnati ad mortem, cui libertas offertur, si ducat meretricem, vel filiam, aut consanguineam occisi. Ratio est, quià tunc matrimonium non extorquetur per metum, sed metu mortis jam per delictum incusso offertur matrimonium ut medium purgandi metum. Ita Sanch. *de matrim. disp. 18. n. 6.* & 10. ubi plures refert.

22. Infero octavò, non esse implendam promissionem etiam juramento firmatam, si in grave damnum Boni communis, Reipublicæ, vel Religionis cederet. Castropal. *de char. tract. 6. de disp. 5. punct. 4. sub. num. 4.*

23. Infero nonò, fidem datam servis ex metu non esse servandam, nisi fuisset interpositum jusjurandum, sicut M. Pomponius Tribunus plebis jurejurando obstrictus servavit quod L. Manlio metu coactus promiserat.

24. Infero decimò, si is, cui promittitur, metum intulerit non justum, sed injustum, quamvis levem, atque indè secura sit promissio, eum teneri ad liberandum promissorem, si promissor velit, ob damnum injuria datum, & quia inefficax fuit promissio.

25. Infero undecimò, servandam esse fidem etiam perfidis, quando non fuit metu coactè data, sic docet D. Ambrosius: & hoc extenditur quoque ad hostes, quamvis perfidos, quales fuerunt Pæni, quibus Romani fidem laudabiliter servaverunt.

26. Infero duodecimò, mulierem vi corruptam non peccare, ejus voluntate omninò repugnante, & nullo prorsùs modo consentiente. S. Aug. relat. *in Cap. De pudicit. caus. 32. quæst. 5.* ubi habetur, quòd corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas. Ratio est, quia peccatum in voluntate consistit. *Cap. Ad DEUM, C. Non potest, ead. caus. & 9.* Ergo sine illius consensu peccatum esse non potest.

27. Infero decimotertiò, fidem datam Bannito à Judice non habente facultatem assecurandi sub fide publica, ac nomine regio, si non fuerit per metum extorta, esse servandam, & si nulliter sit concessa, & hoc ne aliquis sub fide publica decipiatur. Bart. *in l. si quis reus, num. 12. ff. de publ. judic.* Albert. & alij, quos citat, & sequitur Molfesius *in Summ. par. 2. tract. 12. cap. 20. num. 19.*

28. Infero decimoquartò, nunquam violentiam præsummi, nisi probetur. *Cap. Causam matrimonij, de offic. deleg. & ex l. merito, ff. pro socio*, nam sicut delictum nunquam præsumitur; à fortiori, neque hoc delictum, quod naturæ repugnat, erit præsumendum. Ita docet Menoch. *consil. 2. num. 326.* Alciat. *respons. 504. num. 7.* Mascardus, *verb. Violentia, conclus. 1416. num. 2.* ubi alios refert.

XXXIII. DIFFICULTAS.

An Duces Exercituum possint ad mortem obsides condemnare, si hostes fidem fregerint.

1. NOtandum primò, obsidem dici eum, qui alterius imperio traditur ea conditione, ut si is, qui obsidem dedit, à fide recedat, recipienti sit potestas in corpus, & vitam ejus sæviendi, qui datus est obses. Ita communiter DD. Hic verò, quoniam obsidionis solvendæ causa dari consuevit, indè nomen assumpsit: quamvis Just. ex *ob*, & *fides*, compositum velit per mutationem literæ, quod sit, ob fidem datus. Cic. *1. Verr.* cecinit circa hoc Ovid. *Musa 2. Metam.*

Missi de gente Molossa
Obsidis unius jugulum Mucrone resolvit.

2. Notandum secundò, licitum esse obsides, sicut etiam juramenta dare & recipere pro fidelitate servanda. Sic docet Turrecrem. *in Cap. Supplicitor, causa 23. q. 8. sub n. 1.*

3. Notandum tertiò, obsides solitos dari, aut sua voluntate, aut ejus qui imperium habet, esse duos ex nobilioribus Regionis; & etiam pueros, ut à Parthis; quod & à Simone Machabæorum factum legimus, 1. Mac. *cap. 13. n. 16. & 17.* Et ,, nunc mitte argenti talenta centum, & duos filios ejus obsides. Fæminas quoque, ut à Romanis Porsennæ temporibus, & à Germanis, testante Tacito, *4. hist.*

Notandum quartò, odiosam esse obsidum obligationem; tum quia libertati repugnat; tum quia, facto alieno exoritur, ideóque posse obsides retineri, & quandóque etiam eo gentium jure, quo subditi ex facto Dominantium detineri possunt; posse, inquam, retineri ubi & usque dum id, cujus nomine dati fuere, impletum erit. 4.

His adnotatis, ad propositam difficultatem; an Duces possint ad mortem condemnare obsides, si hostes fidem datam fregerint, affirmanter respondet Azotius, *Instit. moral. tom. 3. lib. 2. c. 7. quæst. 16.* Filliuc. *tract. 29. in quint. præcep. Decal. cap. 9. de bello, num. 191.* quibus videtur adhærere Diana. *part. 5. tract. 4. Resol. 35.* quorum hoc est fundamentum, quia ea conditione dantur obsides, ut hostes fidem servent. Ergo si hostes fidem frangunt, danda est obsidibus pœna fractionis, quæ est mors. Præterea, si fracta hostium fide, impunes evaderent obsides, pax & securitas belli haberi non posset: unde Volsci cùm ex professo in Romanos exercitum comparavissent, fuerunt bello à Consulibus petiti: inopinata verò re perculsi, trecentorum Principum filios à Cora, & Pometia, obsides Consulibus dederunt. Quibus Romam reversis, vix paucis interjectis diebus, illi bellum occultè repararunt. Eos Publ. Servilius Consul repressit foris. Domi autem Appius Claudius; utque Volscorum supplicium aliis documento esset, ne datis obsidibus fœdera violare ampliùs auderent, trecentos ejus gentis obsides in foro securi percussit, Sab. *lib. 8. En. 2.* 5.

Verius tamen est, & humanius, præcipuè inter Catholicos, non posse jure interno interfici obsides, etiam violata ab hostibus fide, nisi par ipsorum culpa accedat, scilicet, nisi & ipsi obsides sint nocentes. Victor. *Relect. 6. de jur. belli. n. 43.* Bonacin. *de contract. disp. 2. quæst. ult. sect. 1. punct. 7. num. 2.* Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disput. 120.* Trullen. *in Decal. lib. 5. cap. 2. dub. 5. sub num. 3.* Less. & alij. 6.

Moveor primò juribus, *in cap. Non debet, de reg. jur. in 6.* ubi habetur, quòd quis puniri non debet ex delicto alterius, *l. aut si quis, §. Divus, ff. de Religio. & sumpt. fune.* ubi dicitur, pœnam alicui non esse indicendam, nisi expressò jure cautum sit. Occidere autem obsides ex delicto alterius nullo jure cavetur. His juribus favet Sacra Scriptura, ubi habemus aliquam hominis occisionem jure naturali, & divino esse illicitam, & prohibitam. Patet Gen. 9. *Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe DEI factus est homo.* Et ex quinto Decal. præcepto, Exod. 20. *Non occides.* Et 1. Joan. 3. *Scitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam in se ipso manentem.* Certum est autem hoc esse intelligendum de occidentibus innocentes. Ergo si innocentes sunt obsides, ut sunt pueri, aut fœminæ, aut alii non delinquentes, non possunt occidi. Quod confirmatur doctrina D. Thom. asserentis 2. 2. *quæst. 64. art. 6.* nunquam licere occidere innocentem, nisi 7.

ex

ex divina revelatione, vel nisi fuerit probatus nocens, ut declarat optimè Valent. *tom. 3. disp. 5. quæst. 8. de homicid. punct. 2.*

8. Moveor secundò rationibus: nam intrinsecè malum est occidere directè innocentem. Tum etiam quia fractio fidei datæ est obsidum culpa. Ergo puniendi sunt, qui culpantur, non obsides sine culpa, ut tradit D. Thom. *loc. cit.*

9. Moveor tertiò exemplo in Narsete optimo Duce, cui, ut narrat Agathius, *lib. 1.* atrox visum fuit de innoxiis obsidibus supplicium sumere. Etiam Scipionis exemplo, qui, testante Livio, *lib. 28.* ajebat, se non in obsides innoxios, sed ab armato hoste pœnas expetiturum.

10. Concludimus igitur, Duci exercitùs minimè licere ad mortem obsides condemnare, violata ab hostibus fide ab eis data.

11. Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondet Bonacina, *loc. cit. num. 21.* dicendo, dari quidem obsides, ut hostes fidem servent; at illis fidem non servantibus posse obsides non morte, sed aliis pœnis affici, ut carcere, exilio, privatione bonorum, damnatione ad triremes, &c. quæ, meo videri, sufficiunt, ut obsidum cautione par, & securitas ex bello haberi possit.

12. Infero primò ex dictis, obsides nequaquàm fieri servos, imò & jure gentium bona habere, testari, & hæredibus bona relinquere posse, quamquam jure civili cautum sit, ut bona eorum in Fiscum cogantur, *l. Divus, de jure Fisci*, ubi sic. Divus Commodus rescripsit obsidum „ bona sicut Captivorum omnimodo in Fiscum „ esse cogenda.

13. Infero secundò, ut validitatem testamenti obsidum licentiam Principis requiri, ut *in l. obsides*, ubi Gloss. & DD. *ff. de testam.* Angel. *consil. 179. sub num. 3.* Tusch. *in verb. Testari, concl. 104. n. 13.* & alij plures.

14. Infero tertiò, eum, qui obses datus est tantùm, ut alterum captivum; aut obsidem redimat, si ille moriatur, liberari: ita disponit Textus in *l. si Patre, ff. de capt.* nam in illo, dum moritur, jus pignoris extinctum est, ut in captivo redempto.

15. Infero quartò, posse interfici obsides, si in causa fuerunt, ut Princeps, aut Respublica, quæ illos dedit, fidem frangeret, vel aliquo dolo ob hunc finem usi sunt, modò culpâ tantâ pœna sit digna. Ita docet Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 120.*

16. Infero quintò obiter, post mortem Principis, qui fœdus fecit, adhuc teneri obsidem, si fœdus fuit reale: & tale censendum puto; si adjectum fuit fœderi, ut in perpetuum esset, aut factum in bonum Reipublicæ, aut cum ipso, & successoribus, aut ad tempus definitum. Hujus naturæ fuit Romanorum fœdus cum Philippo Macedonum Rege, quod eùm Perseus ejus filius ad se pertinere negaret, bellum eo nomine exortum est. Secùs verò, scilicet, obsidem non teneri, si fœdus fuit personale, ut si contractum fuit cum Principe, nulla penitùs habita ratione ad Rempublicam, quia moriente persona, extinguitur personalis obligatio. Advertendum tamen est, non statim personale censendum esse fœdus, si cum Principe fuit contractum, eùm Pedius, & Ulpianus dixerit plerumque personam pacto inseri, non ut personale pactum fiat, sed ut appareat, cum quo pactum factum est, *l. Jure gentium, §. Pactum, ff. de pact.* Verùm si pares sint in utrumque conjecturæ, ita ut prudens vir discernere nequeat, an personale fuerit pactum, an reale, tunc favorabilia eredenda esse realia, odiosa verò personalia arbitramur.

Infero sextò, fugere non licere obsidi; si ab 17. initio, aut postea, quò laxiùs haberetur, fidem dederit permanendi; ideóque pœnam mereri, si fugiat, minimè tamen severiorem, illique æqualem, qua ob fugam puniti sunt Tarentinorum obsides, qui Romæ atrio Libertatis custodiebantur; eùm enim sub noctem Urbe delapsi, domum fugam intendissent; postridiè Terracina Romam retracti, in foro priùs virgis cæsi sunt, atque de saxo præcipitati. Cujus atrocissimi supplicij fama Tarentum delata, in causa fuit; ut maturata sit proditio, & Annibal in Urbem noctu receptus anno decimo secundi belli Punici. Sab. *lib. 3. En. 5.*

Infero septimò incidenter, obsides, qui tem- 18. pore induciarum, vel peracto bello, ab Hostibus recipiuntur, gaudere quoad consecutionem universalis Jubilei privilegio, quod Summus Pontifex Carceratis concedit. Carceratorum enim appellatione veniunt & obsides, cùm & ipsi libertate privati sint, ut benè advertit Jacobus Pignatellus, *Tract. de Anno Sancto, capit. 15. dub. 13.* ubi asserit hoc verum esse, quamvis ab hostibus possent facultatem obtinere ad Urbem accedendi, quia, cùm sint legitima causa impediti, non tenentur impedimentum tollere, sed possunt se se tanquàm impeditos tractare, & successivè Impeditorum frui beneficio.

XXXIV. DIFFICULTAS.

De conventione Ducum contrariorum facta est treuga. Altera pars rumpit, & frangit treugam. Dubitatur, num liceat alteri parti treugam frangere.

Notandum primò, hanc vocem, treuga, ut 1. alibi tetigimus, componi de *tris*, quod est *tres*, & *eu*, quod est bonum, & *ago agis*: unde sic dicitur treuga quasi trium bonorum actio, quia inter tres benè agitur per treugam, scilicet, inter Judicem, Actorem, & Reum. Arch. *in Cap. Illi, num. 2.*

Notandum secundò, treugam, quæ solet fie- 2. ri tempore belli, sic definiri. Treuga est se- „ curitas præstita personis & rebus ad tempus, di- „ scordia nondum finita. *Cap. Illi, causa 24. quæst. 3.* & Gloss. *in cap. 1. de treug. & pace.* Hæc securitas quandóque in juribus appellatur fœdus, *l. non dubito, ff. de capt.* aliquando verò induciæ, *l. postliminium, §. Inducias, eod. tit.* Et Isidorus relatus *in 1. Dist. cap. Jus gentium*, eodem modo treugam vocat: unde treuga dicitur quasi gnerram terens, vel tenens; quia interim habetur securitas.

curitas, & plerumque trectatus pacis, quo guerra evanescat: & ideò treuga pax nuncupatur, ut notat Arch, *in d. cap. Illi.* Pax verò est discordiæ terminus, quæ debet haberi in voluntate, bellum in necessitate: unde Principes bellant, ut pacem habeant. *Cap. Nisi bella, causa 23. quæst. 1. & Capit. Noli existimare, ea. causa, & q.*

3. Notandum tertiò, treugarum duas esse species, legalem, sive Canonicam, & conventionalem: ita not. *in cap. 1. de treu. & pace.* Treuga Canonica est quæ præter omnem conventionem certis diebus & temporibus est observanda, *d. cap. 1.* scilicet, à quarta feria post occasum Solis, usque ad feriam secundam in ortu Solis, ab Adventu Domini usque ad Octavam Epiphaniæ. Et hoc quidem propter reverentiam Mysteriorum, quæ dictis diebus, & temporibus à Sancta Ecclesia commemorantur. At hodie istæ treugæ non sunt moribus utentium approbatæ, ut notat Turrecrem. *in d. cap. Illi, num. 4.* Graff. *part 2. Decis. lib. 1. cap. 21. sub num. 2.* Treuga verò conventionalis ex conventione recipit formam; & hæc est, quam non jura, sed inter se faciunt Discordantes, quæque semper debet servari, quia etiam hosti servari debet. *Cap. Noli, causa 23. quæst. 1.* & hæc treuga est in usu.

4. Notandum quartò, aliquas esse personas, quibus treugæ Canonicæ perpetuò sunt observandæ, ut sunt Presbyteri, Monachi, Conversi, Peregrini, Mercatores, Rustici, euntes, & redeuntes, & in agricultura existentes. Item Romipeti, & Oratoria visitantes. Item animalia, quibus Rustici arent, & semina portant ad agrum, Turrecrem. *in cap. Illi, causa 24. q. 3.*

5. Notandum quintò, præcipuum treugarum finem esse, ut Episcopi interim tractent de pace, *Cap. Præcipimus, 90. Dist. arg. Cod. de fer. l. dies, arg. Cap. Placuit, causa 13. quæst. 2.* Archid. *in d. cap. Illi.*

6. His adnotatis; ad difficultatem propositam, an fracta ab altera parte treuga conventionali, de qua sermo est, seu facta de conventione Ducum discordantium, liceat alteri frangere treugam, negativè respondet Vinc. quem sequitur Joan. And. & D. Anton. *in cap. 3. de jurejur.* & Archid. *in d. Cap. Illi, cap. 24 quæst. 3. num. 4.* ubi sic arg. nem licèt comburas domum meam, non tamen debeo comburere tuam. Tum quia, si vir, & uxor pari consensu continentiam voveant, uno labente, alter perseverare tenetur.

7. Fateor hanc sententiam esse probabilem, verùm parti affirmativæ, quam probabiliorem esse arbitror, nempè Duci licere treugam frangere, altero treugam frangente, libenter adhæreo cum Turrecrem. *in 2. part. Decreti, in Cap. Illi, n. 3.* Graff. *part. 2. Decis. lib. 2. de treug. cap. 21. nu. 2.* & aliis.

8. Moveor primò juribus, *extra, de jurejur. cap. Pervenit, il secondo, causa 28. quæst. 1. cap. Si infidelis, 95. Dist. Cap. Esse subjectus, Cap. Frustrà, de regul. jur. in 6.* & ibi Gloss. §. *Item, Cod. de pact. l. si proponas*; quæ jura volunt, quòd si hostis fidem non servat, nec alter servare tenetur.

9. Moveor secundò rationibus: nam in omnibus contractibus, & pactis semper intelligitur illa conditio, si feceris, ego faciam: Servebo treugam, si treugam, servaveris. Frangenti ergo fidem, ei servanda non est; cui non obstat etiam alterius partis juramentum; quia nunquam valet juramentum, nisi conditio servetur, *d. Cap. Pervenit, extra, de jurejur.* Et hoc valet, non solùm quando in toto non servatur promissum, sed etiam quando aliquid particulare non adimpletur: tunc enim in nullo tenetur alter fidem servare, quia absolutè non servatur conditio. Ita Bannes, *2. 2. q 40. artic. 3.* Petrus Ledesma, *tract. 3. de eharis. cap. 13. concl. 65.* Tum etiam quia, frangere treugam est pœnæ compensatio, seu justa punitio, quam meretur pars infidelis. Cùm enim treugam frangat, seu fidem non observet, graviter partem fidelem offendit, quapropter licita erit talis offensionis punitio.

Moveor tertiò exemplo, quod licèt propriè, 10.
& directè non probet licitum esse frangere, & rumpere treugam, si altera pars frangit, & rumpit; demonstrat tamen, quàm sit DEO, hominique injuriosum frangere, & rumpere treugam; & consequenter esse divina, & humana dignum punitione.

De Uladislao Rege Hungariæ nota est historia, 11.
quòd magnis contra Amurathem Turcarum Tyrannum potitus victoriis; cùm inducias, quas solemniter pactus fuerat, & juramento (& ut quidam scribunt interposita Sanctissima Eucharistia, eaque velut in obsidem data) firmaverat, à nonnullis Christianis Principibus inductus violasset, & bellum redintegraret, alea prælij mutare, post quam Amurathes inclinasset, ait. Christe, si DEUS es, quem tui perhibent de te, „ vindica perfidiam tuorum, qui contra pacta „ jurata me invadunt; in medios Turcas impetum faciens, equo excutitur, & capite truncatus, perfidiæ pœnas dedit. Gerg Scheidius, *in suis ad Tarnovianam disputationem notis.*

Puniendam esse treugæ, seu fidei fractionem, 12.
vel ipsi Gentiles solo naturæ lumine cognoverunt, ideò refert Plutarchus, quòd Agesilaus, cùm inducias per tres menses pactus Tissaphernes non servasset, Oratores ad eum misit, qui agerent gratias illi, quòd promisso non servato Deos sibi hostes reddidisset. Plut. Ex quibus deducitur nefas minimè esse treugam frangere in pœnam fractionis treugæ.

Concludimus igitur, Duci licere treugam fran- 13.
gere, altero treugam frangente.

Ad fundamentum, & quidem præcipuum op- 14.
positæ sententiæ respondemus, uno labente, alterum teneri perseverare, quia non fuerat fides homini promissa, sed DEO; & sine ulla conditione adimpleri debent, quæ DEO voventur, *causa 32. quæst. 8. cap. unico, in fin.* & Gloss. *in cap. Frustrà, de regul. jur. in 6.* & vides, quòd licèt uxor adulteratrix fuerit, nihilominùs vir peccat adulterando, *causa 32. quæst. 1. cap. 1. per tot.*

Infero primò ex dictis, idem esse dicendum 15.
de treugis Canonicis; nam conventionales, quæ procedunt ex consensu, fortiores sunt, & fortiùs ligant, quàm illæ Canonicæ, quia ligant de jure

re

re naturali, divino, civili, Canonico: Naturali. *ff. de pact. l. 1. & 2.* Divino, *causa 23. q. 1. capit. Noli*, Civili, *in Auth. de pac. te. & eius viola.* Canonico, ut in juribus allegatis: & tamen istæ non sunt servandæ hosti, nisi & hostes servaverint; Ergo nec Canonicæ, *Arg. de elect. Capit. Cùm in cunctis, in princ. Cod. de Sacros. Eccles.* Auth. *multò magis*, Henric. *in cap. Innovamus, de treu. & pac.*

16. Infero secundò, bellum justum, imminente necessitate, vel ubi inevitabilis est defensio, posse inferri quacunque die; & ita intelligi potest Tex. *in cap. Si nulla, causa 23. q. ult.*

17. Infero tertiò, treugas Canonicas esse servandas omnibus diebus statutis, nisi aliter exigat imminens necessitas, vel ubi inevitabilis sit defensio. Ita Dom. Anton. *in capit. 1. de treug. & pac. num. 21.*

18. Infero quartò, quòd, cùm treuga Canonica jam, ut patet, non sit in usu, potest contra Legem, seu Canonem præcepti induci consuetudo, quòd illa lex præcepti non liget. Gloss. *in cap. 1. de treug. & pac.*

19. Infero quintò, quando bellum non fuit inceptum, sed tantùm fiebat præparatio ad bellum, & interim facta fuit treuga per annum, vel per tres menses, finita treuga, non posse sine ulla diffidatione bellum exerceri. Bald. *de pace Const. in 1. col.* Secùs verò, si bellum fuit inceptum, tunc enim finito tempore treugæ, posse sine alia diffidatione bellari. Jo. And. *in novel. in cap. Pro humani. de homic. in 6.* Felin. *in capit. Significavit, de Juda. num. 3.* Jo. de Anan. *in cap. 1. num. 1. de treu. & pac.*

20. Infero sextò obiter, emptores gabellarum, qui tempore belli excusantur à tributo, etiam excusari tempore treugæ. Cæsped. *in Dub. milit. dub. 100. quæst. 1.* quia tempus belli comprehendit etiam tempus treugæ, ut patet *ex cap. Significavit, de Judæis.*

21. Infero septimò, animalia, quibus Rustici arant, & semina portant, debere eadem securitate treugæ gaudere. Archid. *in cap. Illi, sub n. 6.* Turrecrem. *in d. cap. sub num. 4.*

22. Infero octavò, quòd quando promissio sit DEO, & principaliter concernit ipsum DEUM, tenetur altera pars fidem servare, licèt una partium fidem fregerit, vel non servaverit, quod ostenditur, *in Cap. Quod Deo, causa 33. q. 5.*

23. Infero nonò, post promissionem, sive ea fuit homini, sive DEO facta, peccatum esse non facere, quod est statutum: nam violatur non id adimplendo virtus fidelitatis, sive fidei, cujus præceptum est, ut fiat quod est sic constitutum. Ait enim Cicero, *lib. 1. offic.* & S. Aug. *Epist. 19. ad Hieronymum.* Fides duabus suis syllabis significat, ut fiat, quod dicitur.

24. Infero decimò, frangentem treugam incidere in excommunicationem, non latæ sententiæ, sed ferendæ, ut patet *ex cap. 1. de treu. & pac.* Et ita docet Cæsp. *loc. cit. quæst. 2.* ubi citat, & sequitur Graff. *p. 1. lib. 2. de treug. cap. 21.*

25. Infero undecimò, incidere in excommunicationem Canonia septimi Bullæ Cœnæ eum, qui tempore treugæ defert arma, victualia, & alia in eodem Canone prohibita, Turcis, Hæreticis, aliisque Christiani nominis hostibus; quia tempus treugæ non dicitur tempus pacis, sed belli; nam licèt tempore treugæ non sit actuale bellum, sed potiùs pax, adhue durat bellum, quoniam per treugam bellum non tollitur, sed tantummodò intermittitur. Sylv. *in Sum. verb. Excommunicatio, 7. sub num. 58.* & hic est communis Doctorum sensus: & ita explicat Azor. *lib. 8. Instit. moral. p. 1. cap. 23. q. 16.*

XXXV. DIFFICULTAS.

Dux belli, qui multa furta secretò patravit, ad sacrum pœnitentiæ Tribunal accedit. Dubitatur num circumstantia Ducis sit necessariò in confessione explicanda, si Confessarius ignorat illum esse Ducem.

Notandum primò, ad confessionem per se, & ordinariè requiri integritatem materialem, sitam in eo, ut quisque postquam diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus, & latebras exploraverit, confiteatur omnia mortalia memoriæ occurrentia, nondum confessa, eorùmque numerum, quæ speciem mutant. Ita habetur expressè Trid. *Sess. 14. cap. 5.* 1.

Notandum secundò, septem assignari à Doctoribus circumstantias peccatorum, ad quas aliæ reduci possunt, scilicet: 2.

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.

Ita de Lugo, *de Sacram. pænit. disput. 16. sect. 4. num. 144.*

Notandum tertiò, circumstantias afferentes novam speciem esse necessariò explicandas, ut definitur in Trid. *loc. cit. & Can. 7.* Ut si quis furetur rem sacram in loco sacro. Illa circumstantia est explicanda, quia transfert peccatum furti ad novam speciem sacrilegij. Ita communiter DD. 3.

Notandum quartò, circa circumstantias, quæ non dant novam speciem, sed aggravant notabiliter intra eandem speciem; ut si quis furetur viginti, graviùs peccat, quàm qui furatur decem, sed tamen intra eandem speciem; duplicem esse sententiam, utramque probabilem, & tutam in praxi: alteram, quæ affirmat hujusmodi circumstantias aggravantes esse necessariò aperiendas in confessione: alteram negantem debere has circumstantias explicari; ut videre est apud De Lugo, *loc. cit. sect. 3. num 204.* Diana, *p. 2. tract. 7. Res. 1.* & coordinat, *tom. 1. tract. 7. Res. 1.* ubi innumeros pro quavis sententia allegat Doctores. 4.

Notandum quintò, Duces belli posse variè, & graviter peccare, nempè fraudando militum stipendia: Transitum per aliqua loca fingendo, ut ea inducant ad contributionem: Milites, quos non habent, repræsentando, ut plura recipiant stipendia: Signando in milites amicos, servos, familiares, non ut militent, sed ut plures cartellas 5.

rellas in Hospitio habeant: Ob furtum necessaria ad bellum minimè parando, aut ponendo in Arce pauciores milites, quàm à Principe fuerit constitutum: & alijs pluribus modis, fusè explicatis à Castropal. *par. 1. de charit. tract. 6. punct. 5. n. 3.* Molfes. *in Sum. part. 1. tract. 8. cap. 13. à nu. 110. usque ad* 118. Diana, *p. 6. tract. 4. de bello, Res. 27.* nec non à nobis suprà in primis difficultatibus hujus Libri secundi.

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Dux se accusans in confessione sacramentali de multis injustè, sed secretò ablatis, teneatur explicare circumstantiam *quis*, scilicet, explicare esse Ducem, si Confessario non sit notus; affirmativè respondent uterque Medina, Complutensis, & Salmaticensis; hic *in Sum.* ille *in Cod. de Confess.* Nugnus, *in addit. ad 3. p. quæst. 9. art. 2. dub. 4. conclus. 5.* Facundez *precept. 2. lib. 4. cap. 3. num. 8.* quorum præcipuum fundamentum est, quia circumstantia officij addit speciem novam, quæ est contra justitiam, non solùm commutativam, sed etiam contra distributivam, quæ obligat Ducem ad impedienda furta sua, & alia damna, seu mala propter Bonum publicum; ideóque videtur Dux teneri, dum confitetur sua peccata, seu sua furta secreta, hanc circumstantiam *quis* explicare.

7. Verius tamen censemus, minimè teneri. Henriq. *lib. 2. de Sacram. pœnit. cap. 6. num. 3. in Glossa, lit. O.* Coninch. *de Sacram. disp. 7. dub. 4. nu. 18.* Filliuc. *tom. 2. tract. 30. cap. 7. num. 125.* Villalob. *in Sum. tom. 1. tract. 9. dub. 36. numero 14.* Sanchez, *de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 27. num. 33.* Diana, *p. 1. tract. 7. Res. 6. & Resol. 36.* ubi approbat sententiam Henriq. De Lugo, *de Sacr. pœnit. disp. 16. sect. 4. num. 180. & 181.* Cesped. *in Dub. militar. dub. 37.* & alij communiter.

8. Moveor primò jure, sive Trid. *Sess. 14. cap. 5.* ubi hæc. Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas, quæ speciem „ peccati mutant; quòd sine illis peccata ipsa, „ nec à Pœnitentibus integrè exponantur, nec „ Judicibus innotescant, & fieri nequeat, ut „ de gravitate criminum rectè censere possint, & „ & pœnam, quam oportet, pro illis Pœniten- „ tibus imponere. Cùm igitur Sancta Synodus, agendo de circumstantiis, dicat esse præceptum confitendi illas, quæ speciem mutant, & taceat aggravantes, videtur explicitè negare tale præceptum extendi ad aggravantes; inter quas illa, de qua loquimur, enumeratur, ut ex motu secundo constat, & ex responsis ad objecta constabit.

9. Moveor secundò rationibus; nam furta, quæ secretò commisit Dux belli, sunt intra terminos injustitiæ, & ideò quamvis noster Dux teneretur ex justitia furtum suum impedire pro debito sui muneris, circumstantia tamen Ducis, si ejus furtum fuerit secretum, non adderet novam speciem, ut patet consideranti, cùm jam ipsum peccatum furti constitutum sit intra terminos, sive in specie injustitiæ. Tum etiam, quia omnis Officialis jurisdictionem habens, constituitur in ordine ad alios in officio continendos, non in ordine ad suamet delicta impedienda, ut advertunt Doctores citati; atque adeò titulus hic non potest novam malitiæ speciem conferre furto, quod à Duce exercitûs secretò committeretur: talis enim circumstantia publici officii tantummodò, & non multùm aggravat peccatum intra eandem speciem. Tum denique, quia cùm circumstantia muneris enumeretur inter aggravantes, si Dux teneretur hanc explicare, quilibet peccator teneretur circumstantias aggravantes scire, sicut tenetur scire, peccata mortalia, quæ confiteri debet. Hoc autem est valdè durum; ideóque pœnitentibus minimè imponendum, ne ob tedium, vel difficultatem sciendi hujusmodi circumstantias à confessione removeantur, vel confessionem malitiosè mutilent.

Moveor tertiò exemplo, seu potiùs paritate 10. illius, qui ex vi Bullarum Pontificiarum tenetur denuntiare proferentes hæreticam propositionem; non tamen seipsum: vel paritate Fiscalis, qui debet ex officio suo aperire delicta contra Bonum publicum Principi, non tamen sua, sed aliorum: vel Custodis vineæ, qui debet manifestare fures, non tamen seipsum. Et est doctrina communis, communiter recepta; quia ij, ut suprà diximus, constituuntur in ordine ad alios in officio, vel charitate continendos, non in ordine ad ipsorummet delicta impedienda.

Concludimus igitur, teneri Ducem in confes- 11. sione sua furta secretò patrata, & omnia alia peccata mortalia, eorumque numerum, ac circumstantias mutantes speciem, non verò circumstantiam sui officij explicare. Secùs verò, si furta essent publicè cum scandalo commissa, & Confessarius illum esse Ducem ignoraret; tunc enim, inquit Diana, *loc. cit.* adversùs specialem officij obligationem delinqueret, qua tenetur Milites, non solùm verbo, sed etiam exemplo regere; atque adeò specialis malitia ex officii circumstantia contraheretur, necessariò in confessione explicanda.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ patet re- 12. sponsio ex dictis. Dux enim non tenetur ex speciali justitia ad impedienda furta propria, sicut tenetur ad impedienda aliena, etiam si justitia ipsum obliget ad non furandum. Cùm justitia sit constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuens, *instit. de just. & jur.* atque adeò constituitur Dux, & quilibet Superior ad hoc, ut impediat delicta aliorum, non autem ut impediat sua; ideóque tale peccatum furti à Duce patratum non mutat speciem, & sic circumstantia *quis* non est necessariò aperienda.

Infero primò ex dictis, Episcopum, Genera- 13. lem Religionis, aliúmque Prælatum peccantem non teneri, per se loquendo, & in universum, in omni peccato mortali etiam interno, vel occulto, eam circumstantiam, seu propriam dignitatem explicare, quando ea circumstantia non afferret secum in peccato peculiarem malitiam scandali; quia, secluso scandalo, illa circumstantia non transfert peccatum ad aliam speciem, licèt illud aggravet ratione majoris obligationis. Contrarium tenet Nugn. Facundez, *loc. cit.* quorum opinioni probabilitatem minimè negamus.

In-

14. Infero secundò, Sacerdotem, qui percutit aliquem Laicum sine tamen occisione, aut membri mutilatione, etiamsi sit percussio cum effusione sanguinis, non teneri explicare circumstantiam proprij Sacerdotij; quia id non videtur continere speciem malitiæ diversam, licèt valdè dedecear Sacerdotem alium percutere. Hoc etiam docet De Lugo, *de pœnit. loc. cit. sub numero* 181.

15. Infero tertiò, Religiosum peccantem (dummodò peccatum non sit contra castitatem) non teneri in quolibet peccato mortali explicare circumstantiam status Religiosi, licèt ratione sui status magis debeat procurare perfectionem; ex quo magis aggravatur peccatum, quod committit; sed non induit novam, & diversam speciem.

16. Infero quartò, quòd quando constat Cives omnes teneri ad præliandum, etiamsi specialiter teneantur milites, & Duces; si isti nempè milites, & Duces non certant, non adest obligatio istam circumstantiam aperiendi, nempè se esse milites, & Duces; quia dicta circumstantia est solùm aggravans; & ideò non necessariò in confessione aperienda. Ita Diana, *loc. cit.*

17. Infero quintò, Regularem, seu Monialem professam peccantem contra votum castitatis, satisfacere in confessione, si dicat, se fregisse toties votum castitatis, vel se polluendo, vel cum fœmina libera, vel non libera copulam habendo, tacendo circumstantiam professionis, seu non manifestando votum solemne, dummodò tamen non intervenerit violatio clausuræ; quia votum solemne à simplici non differt specie. Ita docet Diana, *Coordin. tom.* 1. *tract.* 7. *de circumst. agg. Res.* 73. Contrarium tenet Rodriq. *in Sum. tom.* 1. *cap.* 109. *n.* 5. Laym. & plures alij.

18. Infero sextò, Sacerdotem sæcularem peccantem contra castitatem, non teneri dicere in confessione, se habere sacros Ordines, sed sufficere si dicat, se habere votum castitatis, & contra illud toties peccasse, exprimendo tamen qualitatem peccati, nempè pollutionis, adulterij, &c.

19. Infero septimò, fœminam se carnaliter miscentem cum Sacerdote, vel cum Religioso professo satisfacere, si in confessione dicat se toties fornicatam esse, vel copulam sodomiticam habuisse cum viro voto castitatis adstricto. Hoc etiam docet Diana, *loc. cit. Res.* 73. *nu.* 3. Idem dic de viro carnaliter cognoscente Monialem citrà violationem clausuræ.

20. Infero octavò, Episcopum occultè fornicantem satisfacere in confessione, non solùm tacendo se esse Episcopum, ut suprà diximus, sed etiam tantùm dicendo, se habere votum castitatis. Ità docet Sanch. *de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *disput.* 17. *num.* 33. Contrarium tenet Facundez, *de precept. Eccles. tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 8.

21. Infero nonò incidenter, eum, qui jactavit se de peccato mortali, v. g. de copula habita cum conjugata; non teneri in confessione circumstantiam conjugij fateri, sed sufficere se accusare de jactantia in re mortaliter peccaminosa; dummodò tamen jactantiæ non sit conjuncta complacentia de illo peccato. Quod etiam docet Diana, *part.* 3. *tract.* 4. *Resol.* 160. *aliàs* 161. Navarrus. Contrarium tenet Sanchez, *in Summ. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. Lopez, Rodriq.

Infero decimò pariter incidenter, eum, qui commisit peccatum superstitionis, aut hæresis non teneri in confessione explicare qualitatem superstitionis, aut hæresis, sed sufficere si dicat: Toties peccavi peccato divinationis, absque eo quòd addat, per pyromantiam, aut per hydromantiam. Toties lapsus sum in hæresim, absque eo quòd dicat, semel in Calvinianam, bis in Molinisticam; quia in hisce casibus non est diversitas specifica moralis, sed physica. Ita etiam docet Reginaldus, *in praxi, tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 4. *nu.* 214. Sotus, *in* 4. *sentent. Distinct.* 18. *q.* 2. *artic.* 4. *conclus.* 6. Contrarium tenet Valentia, *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 10. *punct.* 3. Sanchez, *in Sum. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 31. *num.* 39. 22.

Infero undecimò, Judicem, vel aliam personam publicam furto capientem res alienas, quas vi sui muneris tenetur custodire, non astringi in confessione explicare hanc circumstantiam officij sui; dummodò absit scandalum; quia esto quod circumstantiæ aggravantes forent necessariò in confessione aperiendæ, quòd nos negamus; nihilominùs hujusmodi circumstantia publici officij non multùm aggravat peccatum intrà eamdem speciem; adeòque nulla videtur adesse obligatio illam confitendi. Sic etiam sentit doctissimus Diana, *p.* 1. *tract.* 7. *Res.* 36. ubi allegat etiam Henriq. 23.

Infero duodecimò, furantem pecuniam, pannum, gemmas, vestes, & similia in notabili quantitate, non teneri in confessione explicare rei furatæ qualitatem. Et est communis Doctorum sensus absque ulla controversia. 24.

Infero decimotertiò, probabiliter Sponsum de futuro se commiscentem cum fæmina, non teneri hanc circumstantiam in confessione detegere, cùm non mutet speciem, neque sit adulterium. Covarr. *in* 4. *decret. p.* 1. *cap.* 1. *num.* 11. Vivval. *in Candelabro aureo, p.* 1. *tit. de sponsalibus, n.* 10. quam opinionem probabilem esse docuit Ledes. *de matrim. quæst.* 43. *art.* 1. *dub. ult.* & esse probabiliorem docet Azor. relatus à Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 30. *cap.* 2. *n.* 53. Idem pariter dici de Sponsa de futuro ab aliquo cognita tenet doctissimus noster Megala, *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 11. *q.* 5. *n.* 9. Henriq. *lib.* 11. *de matrim. cap.* 13. *n.* 4. ubi dicit, hanc circumstantiam speciem minimè mutare. Contrarium tradunt, & quidem probabiliùs, Naldus *in Sum. verb. Sponsalia, num.* 12. Pitigianus, *in* 4. *sent. tom.* 2. *Dist.* 17. *q. unic. art.* 5. Sylv. *in* 3. *p. quæst.* 43. *art.* 1. *quæritur* 2. Sarmiento, *Select. inter. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 3. Lopez, *in Instructor. conscien. p.* 1. *cap.* 29. & alij. 25.

Infero decimoquartò, nec mulierem habentem rem cum Novitio, aut cum Clerico minorum Ordinum, nec solutum copulam habentem cum Novitia Religiosa teneri hanc circumstantiam in confessione explicare, cùm hujusmodi circumstantia sit tantummodò aggravans. Sic etiam Megala, *loc. cit. num.* 7. Contrarium tenent alij, sed absque valido fundamento. 26.

Infero decimoquintò, proferentem unico impetu 27.

petu plures graves injurias, non teneri necessariò in confessione explicare quantitatem, & numerum injuriarum, & incceffivè rectè confiteri, si dicat, se toties injuriam gravem intulisse suo proximo, cùm omnes contumeliæ sint ejusdem speciei. Cajet. *in 2. 2. quæst. 72. num.* 1. Sot. *de just. lib. 5. q. 9. art.* 1. Sà, *verb. Contumelia, n.* 1. Molina, *tom. 5. tract. 4. disp.* 19. *num. 3.* Reginald. *tom. 2. lib. 24. cap. 5. num.* 102. Azor. *part. 3. lib.* 13. *cap. 5. dub.* 1, & sic non requiri, ut dicat, servos vocavi ebrios, fures, &c.

28. Infero decimosextò, Inducentem ad peccandum personam jam paratam, ut puta, si quis copulam haberet cum fœmina parata, non teneri circumstantiam inductionis confiteri: Sic etiam sentit Coninch. *de Sacram. disp.* 7. *dub.* 4. *num.* 13. Azor. *par.* 1. *lib.* 12. *cap.* 16. *q.* 5. Ledesm. *in Sum. tom.* 2. *de pœnit. capit.* 19. *dub.* 7. Suarez, *in 3. part. tom.* 4. *disp.* 22. *sect.* 4. *num.* 18, & alij, asserentes in tali casu revera non dari scandalum, neque propriam, & moralem esse inductionem, cùm voluntas mulieris sit ex se, & sua sponte jam exposita, ut supponimus. Contrarium tenent Sanchez. *in Sum. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 14. Bonac. *de Sacr. disp.* 5. *punct.* 2. §. 3. *diff.* 3. *n.* 19.

29. Infero decimoseptimò obiter, illum, qui confessus est peccatum, oblitus alicujus circumstantiæ mutantis speciem, satisfacere postea in alia confessione explicando circumstantiam oblitam, in casu tamen, quo tam peccatum, quàm circumstantia possunt separatim sufficienter explicari. Secùs verò, quando hujusmodi explicatio non est possibilis. Ita etiam docent Suarez. *in 3. par. tom.* 4. *disp.* 22. *sect.* 2. *num.* 8. & 9. Coninch. *de Sacr. disp.* 7. *dub.* 7. *num.* 60. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 4. *nu.* 80. Reginal. & alij communiter. Contrarium tenet Nugn. *in addit. ad 3. p. tom.* 1. *q.* 9. *art.* 1. *dub.* 2.

Infero decimooctavò, esse in confessione omnes circumstantias speciem mutantes omniáque delicta tum commissionis, tum omissionis à nobis sincerè aperienda, si cupimus, ut æquum est, sub Signis Domini nostri JESU Christi, qui Dominus DEUS est Exercituum, militare; esto possint circumstantiæ tantummodò aggravantes reticeri; plenámque, & perfectam peccatorum remissionem à Divina Misericordia obtinere. Dicit enim Sacrosancta Synodus Tridentina, *loc. cit.* Oportere à Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentiam sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantùm adversùs duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum graviùs sauciant, & periculosiora sunt ijs, quæ in manifesto admittuntur. Huic tam salubri admonitioni, si quispiam Venerabilium Patrum Ordinationi parere recusaret, addendum ducimus, quod Prosper relatus *in cap. Porrò, de pœnit. Dist.* 1. scripsit, *lib. 2. de Vita contemplativa, cap.* 7. Porrò illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab alijs publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum, quem habent testem, ipsum habituri sunt & ultorem. Et quid eis prodest humanum vitare judicium, cùm, si in malo suo permanserint, ituri sint in æternum, DEO retribuente, supplicium? Quod si ipsi sibi judices sunt, & veluti suæ iniquitatis ultores, hic in se voluntariam pœnam severissimæ animadversionis exerceant; temporalibus pœnis, mutabunt æterna supplicia, & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus, restinguent æterni ignis incendia. 30.

* * *

Finis Libri Secundi.

THEOLOGIA BELLICA,

LIBER TERTIUS.

Difficultates pertinentes ad Officiales Exercitûs.

I. DIFFICULTAS.

An in Republica officia sæcularia per electionem conferente, liceat absque ullo justitiæ distributivæ prajudicio, mediocrem ad officia bellica eligere, quando dignissimus ex aliquorum malitia non est eligibilis, ne minus dignus, sive infimus eligatur.

1. NOtandum primò, electionem dari dumtaxat ubi adest plurium concursus, ut benè notat Menochius *in Concil.* 303. *num.* 29.

2. Notandum secundò, ad electiones, antequam fiant, esse solemne juramentum præstandum ab Electoribus, se viros bonos, honestos, atque idoneos electuros, ut cautum est Constitutione Concilij Basilien. ut recenset Petrus Basius *in tra. de elect. p.* 1. *cap.* 25.

3. Notandum tertiò, electiones liberè, & sine aliquo metu esse fsciendas. *cap. Cum terra, de elect. cap. Ubi periculum, §. Cæterum, eod. tit, in* 6.

4. Notandum quartò, in Sæcularibus constitui differentiam inter electionem, & præsentationem, quæ non videtur esse in Ecclesiasticis, ut tradunt Abb. *in cap. Cùm autem, in* 3. *Not. de jurepatron.* Felin. *in cap. Cùm Bertoldus, num.* 7. *de sent. & re jud.* & alij, quos producit, & sequitur Menoch. *in consil.* 402. *n.* 2.

5. Notandum quintò, digniorem non semper dici eum, qui doctior, vel sanctior est, sed eum, qui juxta munus, cui præfigendus est, aptior ejus ministerio apparet, ut alibi dictum est; atque adeò in singulis officijs tam spiritualibus, quàm corporalibus requiri aliqua, præter bonitatem moralem, ad hoc ut aliquis fit idoneus ad illud officium exercendum, docent Turrecr. *in cap. Licet, can.* 8. *q.* 1. Intrigl. *tra. de casib. consc. cas.* 25. *num.* 34. & communiter DD.

6. Notandum sextò, varios esse in militari disciplina Officiales, & sic officia, Ducem supremum, de quo suprà *lib.* 2. egimus: Drungarium, seu Colonellum, qui uni, id est particulæ, sive cohorti millitariæ præest: Tribunum, vulgò *Maestro di Campo*: Capitaneum, seu Centurionem, qui ordinariè centum Viris præest: Signiferum, qui signum Cohortis gestat, & olim Bundophorus nuncupabatur; Decurionem, seu Decumanum, qui vulgò dicitur *Caporale*: Sergentem, & alios quosd Arma: Quo ad verò literas, Auditorem generalem, qui omnium militum culpas inquirit, & punit nomine Ducis; de quo disertè loquitur Ginuz. *in sua discip. militari, lib.* 3. *tit. Dell' Auditore*, Mastrill. *de Magistr. lib.* 5. *cap.* 16. nec non & alios Auditores particulares.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an in Republica officia sæcularia per electionem conferente, liceat absque ullo justitiæ distributivæ præjudicio, mediocrem ad officia bellica eligere, quando dignissimus ex aliquorum malitia non est eligibilis, ne minùs dignus, sive infimus eligatur, negativè videtur respondendum cum Turrian. 2. 2. *tom. de just. disp.* 22. *dub.* 2. *num.* 7. nam in Authen. *Ut judices sine quoque suffragio, §. Eos autem, coll.* 2. & Authen. *de defen, Civit, in princ. §. Nos igitur, collat.* 3. & pluribus alijs juribus habetur, ad administrationes dignissimos esse eligendos. Præterea, officia bellica respiciunt Bonum Reipublicæ, seu Exercitus; & ideò ut suum bonum Respublica, sive Exercitus consequatur, ad officia exercenda eligendi sunt Digniores. Præterea, primaria obligatio justitiæ distributivæ est suffragandi Digniori; nec ulla apparet obligatio de vitanda electione minùs digni, seu infimi. Præterea, secundùm plures Canonistas, & Theologos, eligens dignum, prætermisso Digniori, ad 7.

quodcumque Beneficium Ecclesiasticum etiam simplex, peccat mortaliter. Ergò idem dicendum est in electione ad officia sæcularia, præsertim cùm sit priùs juramentum præstitum de Digniore eligendo.

8. Veritas tamen est, attenta dignioris ineligibilitate, mediocrem posse licitè ad officia bellica eligi, ne infimus eligatur. Intrigliol. *loc. cit. num.* 20. ubi alios allegat. Sot. *lib. 3. de just. & jur. q. 6. art. 2. post conclus. 9. in dub. 2.* Pasqualig. *in Decis. moral. tit. de elect. decis.* 258. ubi citat Bannez.

9. Moveor primò juribus *in cap. Cùm Dilectus, extra, de elect. cap. Cùm nobis, eod. tit. cap. ult. extra, de custod. reor. & cap. Licèt ergò, causa 8. quæst. 1.* ubi apparet permitti electionem factam de digno, prætermisso Digniori: ex quo videtur impossibile peccare illum, qui juris Canonici authoritate aliquid fecerit, juxta Tex. *in cap. Qui peccat, causa 23. quæst.* 4. Lex enim prohibet peccata: unde S. Augustinus contra Faustum dicit, „ Peccatum est dictum, vel factum contra le- „ gem æternam.

10. Moveor secundò rationibus: nam justitia distributiva obligat tantùm Electores ad servandum jus ijs, quibus debet, & potest servari, non autem ijs, quibus servari non potest: cùm igitur, stante malitia electorum, Dignissimus non possit eligi, eligibilitas trahitur ad proximè dignum; & sic proximè dignum, seu mediocrem fas est illis eligere. Tum quia, licita est quæcumque electio', si fiat juxta dispositionem Juris Canonici, & respiciat majus Bonum Communitatis: hujusmodi autem est nostra electio ad bellica officia: Est enim conformis Juri Canonico, ut patet in primo motu; & respicit majus Bonum Communitatis: nam Electores eligendo mediocrem, sufficientem eligunt ad officium necessariò exercendum, & impediunt electionem infimi, qui, utpotè carens sufficientia, communi Bono posset probabiliter detrimentum inferre.

11. Moveor tertiò exemplo in priscis illis Romanis, qui solo lumine naturæ ducti, eligebant quidem Tribunos militum, cæterosque & pacis & belli Magistratus ex patricijs Dignioribus: his verò, ob aliquam causam, minimè eligibilibus, ad electionem ex mediocribus, seu dignis deveniebant, ut videre est apud Livium, *lib. 6. hist. ab urbe cond.* putantes suæ satisfacere obligationi sufficientem Ministrum eligentes. Quodque videmus laudabiliter in praxi apud Christianos Electores, & præcipuè Principes, & Prælatos, qui non semper Dignissimum ad officia eligunt, sed frequenter mediocrem, seu dignum: hoc sanè non aliundè proveniente, nisi quia Dignissimi ex aliqua justa causa non sunt eligibiles.

12. Concludimus igitur, in Republica officia per electionem conferente, licere Electoribus, absque ullo justitiæ distributivæ præjudicio, mediocrem ad officia bellica, seu idoneos Officiales ad bellicas res gerendas eligere; & si dignior, & magis idoneus, ex aliquorum malitia minimè eligibilis, prætermittatur, ad excludendam minùs digni, seu infimi electionem, etiamsi jurejurando se adstrinxerint eligere digniorem.

Ad rationes in contrarium respondemus: ad 13. jura, suam habere vim, quando Dignissimi sunt eligibiles. Secus verò, quando non possunt eligi, aut ex defectu, seu culpa electorum, aut ut majora evitentur inconvenientia.

Ad primam, secundam, tertiam, & quartam 14. rationem, respondetur eodem modo.

Ad particulam juramenti de eligendo Digniori, 15. respondetur pariter intelligi de Digniori eligibili, non ineligibili; cùm juramentum debeat esse de re possibili, ut advertunt Sot. Pasq. *loc. cit.*

Infero primò ex dictis, Electores teneri suffragari mediocri, quando Dignissimus non est ex 16. aliqua causa eligibilis; quando electio minùs digni, aut indigni posset sequi. Sot. *loc. cit.* Bannes, 2. 2. *quæst. 63. art. 2. dub.* 3. Contrarium tenet Pasq. *in Decis. moral. tit. de elect. decis. 259. num.* 2.

Infero secundò, eligentes mediocrem, seu 17. dignum, prætermisso Dignissimo inaligibili, non gravari dispositione juris, *in cap. Cùm in cunctis, §. Clerici, de elect.* privantis sic eligentes facultate eligendi. Secus verò, si scienter indignum eligerent. Abb. *in d. cap. Cùm in cunctis, & in cap. 1. de postulat. Prælat.* Petrus Baisus, *in tract. elect. p. 1. cap.* 11.

Infero tertiò, commissa solùm in alicujus ar- 18. bitrium electione, illum non posse eligere indignum, sed teneri eligere dignum, si Dignissimus ex aliqua justa causa non esset eligibilis. Ita sentit etiam Molin. *de primogen. Hisp. lib. 2. cap. 5. num. 46.* Intrigliol. *loc. cit. num.* 15. ubi plura jura allegat.

Infero quartò, illicitam esse electionem, sed 19. tamen valere in foro exteriori, si dignus eligatur, prætermisso Digniori eligibili. Gloss. *in versic. qui non offenderit, l. cùm quidam, ff. de leg.* 2. ubi Bart. *num.* 6. & Covar. *in reg. peccatum, p. 2. §. 7. sub num.* 4. testatur hanc esse opinionem communem.

Infero quintò, in Digno ad aliquod officium 20. eligendo, non esse considerando Parentum merita, sed esse perpendendam propriam virtutem: propria enim virtute nitentes idoneos, imò potiores esse probat Bald. *in l. jubemus, Cod. de Advocat. div. jud.*

Infero sextò, in eligendo ad aliquod munus es- 21. se inspiciendam idoneitatem ad exercitium illius muneris, aliàs peccare Electores. Et sic eligentes aliquem in Episcopum debent priùs considerare, an possit Ecclesiam & instruere, & defendere, & pacificè gubernare. Turrecrem, *loc. cit. num.* 6.

Infero septimò, in Magistratibus bellicis deli- 22. gendis esse inter cæteras dotes, considerandam rei militaris peritiam. Ita etiam vult Cicero *in Orat. pro lege Manilia*, & Veget. *de re milit. in proæmio, & cap.* 1.

Infero octavò, in electione Officialium Sapien- 23. tes esse Nobilibus præferendos; nam Sapientes priùs in Sacra Scriptura nominantur, deindè Nobiles. *Tulique de Tribus vestris viros sapientes, & nobiles, &c.* Deuter. *cap. 1. num.* 15.

Infero nonò, Reges, Principes, eorumque 24. Ministros teneri resarcire damnum Reipublicæ, si, omis-

fi, omiſſo digniori, aut digno eligibili, indignum elegiſſent, ex cujus malo gubernio damoa eveniſſent Reipublicæ. Ita etiam Molf. *in Summ. part. 1. tra. 6. cap. 6. num. 86.*

25. Infero decimò, impedientem electionem mediocris, ſeu digni ad aliquod Officium, vel Beneficium, quod ei debetur ex juſtitia, teneri ad reſtitutionem damnorum, quamvis impediat ſine vi, & fraude: violat enim jus, quod dignus habet. Bonac. *de reſtitut. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 12. num. 3.* Secus verò, quando officium, beneficium, aut aliud bonum non debetur ex juſtitia. Sic, v. g. non tenetur ad reſtitutionem is, qui ſine vi, aut fraude impedivit, ne Infirmus inſtitueret Cajum hæredem, vel Legatarium, quem volebat hæredem, vel Legatarium gratis inſtituere, etiamſi oraverit, ut ſeipſum, vel alium amicum loco Caij inſtitueret. Azor. *3. p. lib. 4. cap. 9. in princ.* & alij: Neque ille, qui ſine vi, vel fraude curavit teſtamentum factum mutari, & alium hæredem inſtitui, vel aliquid ſibi, vel Amicis relinqui. Bonac. *loc. cit. n. 5.*

26. Infero undecimò, quando Officium, vel Beneficium eſſet fundatum, ut daretur aliquibus de familia, ſive de Communitate, ut ſunt Jurapatronatus, Præbendæ, & ſic de alijs, tunc ſatis eſſe, ut, ordine ſervato, detur officium, vel beneficium Propinquiori in gradu, ſi ita ad eſt fundatio; aut Propinquo, ſi Propinquior ſit incapax; vel eligatur dignior de familia, quando non vocatur proximior in gradu; aut dignus, ſi dignior ex aliqua juſta cauſa non poſſet eligi. Ita etiam tenent Major. Sot. Covar. Reginal. & alij, quos producit, & ſequitur Molf. *in ſua Summa aurea, tra. 6. cap. 6. num. 76.*

27. Infero duodecimò, non poſſe Prælatum Eccleſiæ licitè conferre beneficia, aut officia Eccleſiæ Conſanguineis, aut Amicis, quamvis idoneis, magis idoneis poſtpoſitis, nulla juſta cauſa illorum eligibilitatem impediente. Et etiam probatur per Tex. *in cap. Decenter, Diſt. 89.* in quo Concilium Toletanum prohibet, ne Epiſcopus Eccleſiaſtica beneficia committat Conſanguineis, aut favore ſibi conjunctis: nam in Concilio Toletano facta fuit quærela, quòd quidam Epiſcopi res Eccleſiæ gubernandas dabant Conſanguineis, vel amicitia ſibi conjunctis: propter quod Eccleſiæ res plurimùm lædebantur; & Patribus de Concilio hoc placuit reſcindere, & extirpare de Eccleſia, Tum quia, Prælatus debet Chriſti exemplum imitari, qui Joanni Evangeliſtæ, quamvis maximè idoneus eſſet, tamen quia Conſanguineus erat, prætulit Petrum in regimine Eccleſiæ: atque ideò Prælatus in conferendis beneficijs, officijsque Eccleſiaſticis, præferre debet magis idoneos extraneos eligibiles propinquis ſuis, ſuisque amicis minùs idoneis: quidquid ſentiant alij, qui limitant ſuam opinionem, dicendo, niſi fortè agatur de beneficio curato, in quo melior debet præferri minùs digno, etiam conſanguineo: vel niſi ex hoc oriatur ſcandalum vel activum, vel paſſivum, ut probabiliter præſumi poteſt.

28. Infero decimotertiò, nullam pœnam mereri Compromiſſarios, eligentes mediocrem, ſive dignum in Epiſcopum, vel ad Superiorem dignitatem, prætermiſſo Digniori, utpotè ineligibili. Secus verò, eligentes indignum; quos incurrere ſuſpenſionem per triennium à beneficijs, quæ poſſident in ea Eccleſia, quam offendunt, ſuſpenſionem, inquam, reſervatam Summo Pontifici, durante triennio, notat Bonac. *in Sum. ſub. verb. Electio, num. 12.* ubi dicit, Compromittentes ratam habentes electionem indigni, non affici hac pœna, cùm nuſpiam hoc habeatur.

Infero decimoquartò, quando aliquis ad ali- 29.
quod officium eligitur, ex quo in electioni de ſe factæ conſentit, cenſeri ſeipſum eſſe peritum, & idoneum fateri, atque adeò ſi non eſt talis, teneri de imperitia propter illum tacitum conſenſum. Ita Card. Albanus, *in l. nam, & Servius, §. Mandato, ff. de neg. geſt. num. 2.* ubi allegat Gloſſ. *in l. 2. ff. quod quiſq. jur.* & ſubdit, quòd etiam ſi malè eligens teneatur, fortè tamen poteſt repetere ab electo damnum, & intereſſe, quod ipſe ob illius imperitiam paſſus eſt.

Infero decimoquintò incidenter, quòd nemo 30.
Cardinalium in Conclavi pro eligendo Pontifice exiſtentium poteſt ſeipſum eligere; & ſucceſſivè ſuffragium alicujus non eſt annumerandum in duabus partibus ſuffragiorum, quæ in electione Pontificis exiguntur. Card. Alban. *in l. ſi mandavero, §. Si tibi, ff. mand. num. 1.* ubi citat Bart. dicentem, neminem ſeipſum poſſe eligere. Quidquid dicat Abb. *in cap. Licet, de elect.* ubi ait, Prædicta locum habere, quando per ſcrutinium occultum hujuſmodi electio fieret; alioqui verò ſi per ſcrutinium apertum, ſive acceſſum procederetur, quia eo caſu alij ipſum eligentibus conſentire viderentur.

II. DIFFICULTAS.

Princeps vendit Officia Bellica.

Dubitatur, num ei hujuſmodi venditio licita ſit.

NOtandum primò, officium eſſe nomen gene- 1.
rale, ſignificans omne miniſterium, & negotium, *l. legatis, §. Si ex officio, ff. de leg. 3.* cum alijs cumulatis per Dec. *in rubr. ff. de off. ejus, cui mandata eſt juriſdictio, num. 6.*

Notandum ſecundò, eſſe diſtinguendum inter 2.
officia nullam adminiſtrationem habentia, & officia, quibus juriſdictio, ſeu adminiſtratio annexa eſt; quæ diſtinctio communis eſt apud Juriſtas, & Canoniſtas.

Notandum tertiò, dari differentiam inter in- 3.
dignitatem facti, & indignitatem juris; ideóque poſſe aliquem excludi à conſecutione officij, ſive Eccleſiaſtici, ſive Sæcularis, ob indignitatem facti, non juris; & è contra.

Notandum quartò, Regem, ſeu Principem ſu- 4.
premum dici à regendo, vel gubernando, non autem à regnando; aliàs eſſet Tyrannus, ſuam & non ſubditorum procurans utilitatem, ut teſtatur S. Aug. *lib. 5. de Civit. DEI, cap. 12.* & ideò ſi Rex, aut Princeps poteſtate ſibi conceſſa abutatur, ad Regni, ſeu Principatûs deſtructionem, vel ad finem contrarium illius, ad quem Regna,

seu Principatus se concesserunt Ipsis Regibus, & Principibus, licitum esset Principatu, & Regno consentiente, saltem Summo Pontifice, Regem, & Principem privare, ut post Navarr, *in cap. Novit, de judicijs*, *notab.* 3. notat Jodoc. *in verb. Regnum*, §. *Quartò*, *Regna sunt Regibus*, Molf. *in Summ. tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 13. *num.* 3. & alij.

5. Notandum quintò, in officijs quoad eorum venditionem num debeat attendi consuetudo loci, plura tradi à Doctoribus, *in l, Barbarius, ff. de offic. Præsid.* & in alijs locis, ut notat Molfesius, *Comm. de Consuet. Neap. p.* 1. *cap.* 6. *num.* 5.

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Regi, seu Principi liceat vendere officia bellica, puta, summum Ducatum, Capitaniatum, Auditoratum, & cætera officia etiam ad bellum non pertinentia; affirmativè respondent aliqui; dummodò personæ, quibus venduntur, sint idoneæ; & ex illis non possit resultare damnum Reipublicæ, & Civibus, & pretium sit justum; & hoc efficiatur ob Reipublicæ necessitatem, vel utilitatem. Ita docent inter alios Less. *lib.* 2. *cap.* 32. *dub.* 4. *num.* 29. Ledesma, *in Sum. tom.* 2. *tract.* 7. *cap.* 1. *concl.* 15. Sylvius, *in* 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. Valentia, *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 2. §. 5. *ad* 3. & alij plures, quos refert Diana, *par.* 2. *tra.* 5. *Miscel. Res.* 108. asserentes, attento jure divino, posse Principem, & etiam Papam vendere officia temporalia, quæ habent jurisdictionem principaliter annexam; & probant; primò, quia officia temporalia sunt per se, & ex propria eorum natura pretio æstimabilia; & in eorum venditione ut sic nulla continetur deformitas; venditio enim per se non est deformis. Tum quia, Princeps ex rationabili causa potest minuere stipendia hujusmodi officiorum, & sibi eorum partem applicare: Ergò etiam potest ea separare in partem, vel in totum à cumulo (ut sic dicam) bonorum Communitatis, distribuendorum ex justitia quoque distributiva, propter solam dignitatem eorum, quibus ut partibus Communitatis tribuuntur; & applicare ea sibi; ut nimirum possit tunc ea tanquam propria in totum, vel in partem pro pretio tribuere: & talia officia non erunt amplius bona communia; in tali casu pro sola personarum dignitate tribuenda, sed quasi privata Principis, quæ idcircò vendi ex toto, aut ex parte ab eo possint. Hæc Valentia, *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 7. *de accept. pers. punct.* 2. §. 5. *lit. C.*

7. Scio hanc sententiam esse communem, & in praxi utpotè gravissimorum Virorum, & præcipuè D. Tho. *Opusc.* 21. *ad Ducissam Brabantiæ*, quæ de hoc illum interrogavit; propterea hanc non audeo reprobare. Contrariæ tamen, quam publicæ utilitati tum temporali, tum spirituali favorabiliorem arbitror, libenter adhæreo cum Graff. *p.* 1. *Decis. lib.* 2. *de dignitatib. cap.* 90. *num.* 8. Medin. *Cod. de restit. quæst.* 4. *de usuris*, Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *disp.* 23. *dub.* 2. *num.* 5. & alijs. Et quamvis Ang. Doctor *in Opusc. cit.* dicat, non videre, quare hujusmodi officia non liceat vendere; statim tamen subdit, & egregiè probat, quòd talis venditio expediens non videtur.

8. Moveor primò juribus *in l.* 1. *ff. ad leg. Jul. de ambi, leg. æstimationem, ff. de muner. & honor.* ubi habetur, petentem precibus dignitates administrationem, vel jurisdictionem habentes, esse tanquam ambitiosum, & inverecundum projiciendum, eò magis si pecunia illas consequi tentaverit, ut habetur in *Auth. ut Judic. sine quoque suffra.* §. 1. vel si privatim sequatur venditio; quia tunc præsumitur contra ementem, ut *l.* 1. *Cod. de famo, lib.* Si ergò non licet officia emere, neque licebit illa vendere.

Moveor secundò rationibus; nam quodlibet officium ex sui natura exigit, ut rectè administretur, ita pariter exigente Bono communi: quomodò autem potest officium rectè administrari, si in illo conferendo attenditur non dignitas personæ, sed pecunia? Tum quia, ratio justitiæ distributivæ postulat, ut dignitates dentur ijs, qui sunt partes ejus Communitatis, & quidem digniores, vel saltem digni, prætermissis indignis; si verò venduntur, dantur, vel possunt dari alienigenis, non partibus Reipublicæ; plus offerenti, non plus merenti. Et sæpè contingit, pauperes esse, qui ad hujusmodi officia exercenda essent idonei, & sic non posse illa emere; & divites, si meliores sunt, talia officia non ambire, nec inhiare ad lucra, ex officijs acquirenda; unde sequitur ut plurimum, illos officia emere, & suscipere, qui sunt peiores, ambitiosi, inexperti, pecuniæ amatores; atque adeò probabiliter ob pretium exbursatum in officiorum emptionibus recuperandum, subditos oppriment, aliena rapient, regium patrimonium lædent, publicam utilitatem contemnent, plurimis Incommodis Rempublicam afficient, & quod pejus est, DEUM passim offendent: quæ omnia mala Imperator Justinianus *in l.* §. *Authent. ut Iudices, sine quoque suffragio*, ex officiorum venditione evenire testatur; quod etiam notat, inter cæteros, Reg. de Pont. *in tract. de potest. Proreg. tit.* 3. *num.* 10. 13. 14. Hinc Panorm. *cap.* 1. *ne prel. vic. suas*, meritò inquit, quòd illa pecunia data venditori vocatur turpe lucrum. 9.

Moveor tertiò exemplo, in observantia legum particularium, venditionem officiorum prohibentium: Sic in Regno Neap. adest Regia Pragmatic *par.* 2. *de Officialibus*, ubi prohibetur sub pœna privationis officij, ne officia vendantur. Ita refert Graff. *loc. cit.* Molf. *in Comm. ad Consuet. Neap. par.* 1. *cap.* 6. *num.* 7. Et in Hispania sunt multæ leges hujusmodi venditionem pariter prohibentes, & illas referunt Molina, *Tract. de just. & jur. disput.* 91. Ferdin. Rebell. *part.* 2. *de obligat. just. lib.* 9. *quæst.* 18. *sect.* 2. 10.

Concludendum est igitur, ut bellica officia optimum finem habeant; nempè, ut Militum oppressiones, Provinciarum destructiones, Subditorum violentiæ, Hostium victoriæ, offensiones DEI evitentur, non esse vendenda; cùm ex voluntate Reipublicæ distribuenda sint Dignioribus, neque concessum esse Principi, ut illa possit vendere, sed ut illa distribuat Dignioribus, vel æquè dignis, præmissa communi saltem diligentia. 11.

Ad rationes contrariæ sententiæ, quæ à nobis minimè reprobatur, patet responsio ex dictis. 12.

Infero primò ex dictis, circa officiorum venditionem 13.

ditionem nullo modo esse servandam consuetudinem, si aliter introduxisset, quia illa esset tot causa malorum, & principaliter nutritiva peccati. Ita docet etiam Reg. de Pont. *in cap. 1. de ijs, qui feud. dar. poss. sect. 4. num. 50.* & DD. *in cap. fin. de consuet.*

14. Infero secundò, Barones, Comites, Marchiones, cæterosque inferiores à supremo Principe non posse vendere officia; quæ habent annexam ex natura rei jurisdictionem. Ita communiter Doctores, quia leges tam communes, quàm municipales Locorum hoc illis prohibent.

15. Infero tertiò, consuetudinem non posse introducere, ut Principes Superiorem recognoscentes, licitè vendant officia jurisdictionem annexam habentia: quia hujusmodi Principes non possunt quoad hoc dispensare; cùm teneantur ad observantiam legum, nec possint contra leges dispensare. Ubi verò non fit dispensatio, consuetudo non inducitur, sed præscriptio: ut censet Bart. *Consil. 136.* & Alex. *consil. 173. lib. 6.*

16. Infero quartò, vendi non posse Officia Ecclesiastica temporalia, ut sunt Clericatus Cameræ, & similia: quidquid dicat Suarez. *lib. 4. de simon. cap. 20. num. 6.* Molf. *comm. ad Consuet. Neapol. p. 1. cap. 6. num. 12.* & licèt aliqui Pontifices illa vendiderint, non sunt propterea censurandi; quia hoc fecerunt ex rationabili causa, & ob publicam utilitatem, quæ privato commodo etiam Fisci præferenda est *leg. utilitas, Cod. de primipyl. lib. 10. cum vulg. alijs*; & ideò publica necessitate cessante, Innocentius XII. felic. record. pecuniam pro his officijs à Camera receptam, restituit illis, qui ea emerant non ampliùs inposterum vendenda; sed Dignioribus gratis conferenda. Ultra quamquod, Summi Pontifices nunquam vendiderunt prædicta officia ratione jurisdictionis illis annexæ, quod est illicitum, sed solùm ratione emolumentorum, quæ talia officia consequuntur, ut dicit Bonac. *de simon. disp. 1. quæst. 4. §. 17. num. 5.*

17. Infero quintò, ut licita reddatur officiorum temporalium venditio, non sufficere proclamata, ut volunt contrariæ sententiæ Authores; quia non obstante singulorum notitia, prædicta officia erunt liberanda plus offerenti: & sic sequerentur mala suprà enumerata, & plurima alia Reipublicæ incommoda.

18. Infero sextò, ementem, vel acceptantem officium, seu dignitatem aliquam, si est indignus, peccare mortaliter, præcipuè si scientiam non habeat sufficientem. Ita docet etiam Innoc. *in cap. Cùm in cunctis, de election. Princ.* Cujus dictum tanquam notabile refert, & sequitur Abb. ibid. *num. 4.* ubi plura in ejus comprobationem adducit: Pro quibus facit Text. *in cap. Cùm sit, de ætat. & qual.*

19. Infero septimò, Principem vendentem officia personis indignis, non solùm peccare mortaliter, sed etiam teneri restituere damnum subditis, à qua obligatione restituendi Principem absolvit Molfesius, *in Sum. tom. 1. tract. 8. cap. 13. num. 11.* si vendat personis idoneis.

20. Infero octavò, etiam peccare mortaliter eum, qui scienter indignum promovet ad beneficium; quia contra conscientiam facit, & sic in gehennam ædificat; *extra, de restitut. spoliat. cap. Literas.*

21. Infero nonò, dignitates tam Ecclesiasticas, quàm Sæculares habentes administrationem, vel jurisdictionem, non esse petendas munere, pecunia, nec precibus; &, si petantur, quia inverecundè petuntur; petentes, sive sæculares, sive Religiosos tanquam ambitiosos, & temerarios esse projiciendos. Graff. sic etiam sentit, *par. 1. decis. lib. 2. de dignit. cap. 99. n. 6.*

22. Infero decimò, mutuare Principi, Commintifati, & culvis pro habendo officio, ex quo speratur honor, & lucrum, esse usuram. Ita D. Tho. *ad Ducissam Brab. Opusc. 21.*

23. Infero undecimò, obtinentes officia sæcularia & dignitates, intercedente pecunia, esse culpabiles, & detestandos. Ita etiam sentiunt Bart. *in l. 2. in fin. Cod. de Mutileg. lib. 10. & in l. 1. ff. ad leg. Jul. de ambitu.* Card. Alban. *in leg. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* Idemque habetur *in Authent. Ut judic. sine quoque suffragio.*

24. Infero duodecimò, à nobis non reprobari opinionem illorum, qui asserunt, dignitates nudas, seu nullam habentes annexam administrationem, vel jurisdictionem, posse dari pecunia; cùm alijs non noceant, *l. 1. §. Sed & si quis. ff. de pollic.* Et hoc quidem si publicè fiat; secùs autem si privatim. Graff. *loc. cit. num. 7.*

III. DIFFICULTAS.

An Capitaneus, qui impedivit militem privatum à consecutione cujusdam officij, peccet mortaliter, & teneatur ad aliquam compensationem.

1. NOtandum primò, posse Titium impedire aliquem à consecutione officij multipliciter; uno modo justè, puta, si procuret, ut detur personæ digniori. Alio modo injustè, puta, si intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, & vindictam, aut aliud hujusmodi. Ita D. Tho. *2. 2. quæst. 62. art. 2. ad 4.* Alio modo, solis precibus, suasione, consilio. Alio modo, vi, fraude, infamatione. Ita Thom. Tamb. *in Decalog. lib. 8. tract. 3. cap. 4. §. 2. num. 1. & 2.*

2. Notandum secundò, justitiam, quæ est constans, & perpetua voluntas jus suum cuique tribuens, Ulpian. *leg. justitia, tit. de justitia, & jur.* dividi in commutativam, & distributivam. Ita Arist. *lib. 5. Ethic. cap. 2.*

3. Notandum tertiò, justitiam distributivam secundùm suam definitionem, esse justitiam particularem, quæ æqualitatem juxtà proportionem geometricam per se constituit. Commutativam verò esse justitiam particularem, quæ æqualitatem juxta proportionem arithmeticam per se constituit. Ita Molina, *tom. 1. de just. tract. 1. disp. 12.* Justitiam distributivam affirmat D. Tho. *2. 2. q. 61. art. 1. ad 3.* potissimum residere in Reipublicæ Rectoribus; in subditis verò solùm cerni, quatenus eis complacent, contentique sunt, ut ea distribu-

stributio eo modo fiat; & ideò arbitramur à justitia distributiva non procedere obligationem restituendi, cùm solùm procedat à justitia commutativa.

4 Notandum quartò, duobus modis dici, aliquem habere jus ad aliquid; uno, quia ei aliquo modo debitum, aut suum; & jus hoc pacto sumptum dividi in jus in re, & in jus ad rem: Altero modo dici, aliquem habere jus ad aliquid; non quòd sit ei aliquid debitum; sed quòd facultatem habeat ad aliquid, cui si contraveniatur, fit ei Injuria.

5. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Capitaneus, qui impedivit militem privatum à consecutione alicujus officij, peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem. Peccare quidem mortaliter, sed non teneri ad restitutionem, licèt miles sit dignior, & impediens moveatur ex odio, sed sine fraude, & vi, dummodò non sit ei debitum officium; respondent Lessius, Navarra, Valentia, Sylvius, Filliucius, & cum eis Cajet. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. Quam sententiam communem appellat Molina, *tom. 3. de just. & jur. disp.* 727. Cujus præcipuum fundamentum est; quia impediens sine fraude, ex vi, sed tantùm malo animo officium digniori, non lædit jus positum in libera voluntate Collatoris, seu illud conconferentis. Præterea, qui confert dignitatem digno, relicto digniori, nullam infert digniori injuriam: unde nec suadens ad hoc facit ei injuriam: ideóque licèt peccet agendo ex odio, non tamen tenetur restituere. Præterea, odium, animúsque nocendi in ijs rebus, in quibus potest quis alioqnin nocere absque injustitia, non est peccatum contra justitiam, sed contra charitatem; ut si Judex jubeat ex odio interfici malefactorem ob delictum, quod patravit, non peccat contra justitiam, sed contra charitatem. Ergo Capitaneus, qui impedit ex odio collationem officij, aut cujusvis alterius rei in eventu, in quo, seclusо odio, nec peccaret contra justitiam, nec ad restitutionem teneretur, etiamsi odium, nocendíque animus in illo eodem eventu interveniat, neque contra justitiam peccat, neque ad restitutionem tenetur.

6. Fateor hanc sententiam esse communem, & magis placere Doctoribus, & præsertim Reverendissimo Patri Magistro Julio Bianchi, vero S. Dominici Filio, doctrina celebri, veritatis propugnatori, Sacræ Indicis Congregationis Secretario, aliarúmque Sac. Congregat. Consultori, quem circa hanc materiam consului, mihi quoque minimo inter omnes, ideóque non intendo illam reprobare. Verùm contraria magis mihi placet, & libenter hanc sustineo; propterea dico, quòd si Capitaneus ex odio militis, cui utpote digniori Dux, seu Princeps officium conferre volebat, animo ei nocendi, persuadet Duci, sive Principi, ne illud ei conferat, peccat mortaliter, & tenetur restituere damnum ei datum. Palud. *in 4. Dist.* 15. q. 2 *art.* 2. *conclus.* 4. Scot. *ead. Dist.* & *quæst. in resp. ad ult.* Ricard. ibidem. *art.* 5. q. 4. *ad* 7. D. Thom. 2 2. q. 62. *art.* 2. *ad* 4. Sylv. *in verb. Restitutio,* 3. *quæst. ult.* Villalob. *in Summ. tom.* 2. *tract.* 11. *diffic.* 44. *num.* 9. Vasq. *p.* 2. *d.* 175. *cap.* 2. *num.* 19. & *tract. de beneficijs, cap.* 2. §. 3. *dub.* 19. *num.* 140. Bonac. *de contract. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 12. & alij plures ex Neotericis.

Moveor primò juribus, *arg. in l.* 1. §. *Idem ajunt,* 2 *ff. de aqua pluvia arcen.* & *l. si in meo, ff. eod. l. fluminum,* §. *ult.* & *l. Proculus, ff de dam. infect.* ubi habetur, quòd si aliquis in Agro suo præscindat venas, unde aqua derivabatur in fontem, aut in puteum vicini, aut fodiat puteum in prædio suo, eaque ratione in causa sit, ut aqua putei vicini in suum puteum confluat, jure suo utitur, nisi adsit particularis prohibitio, eaque de causa non competit adversùs eum actio aquæ pluviæ arcendæ: si tamen solo animo nocendi vicino id efficeret, tunc ex juris æquitate actio de dolo adversùs illum concederetur ad id Impediendum, cogeretúrque rem ad statum pristinum reducere. Pari ergo ratione Capitaneus, qui ex odio, animóque nocendi, persuadet Duci, vel Principi, ne militi aliàs digniori conferat officium, quod ex justitia tribuere illi non tenebatur, eaque ratione illum impedit, ne id assequatur, tenetur in foro interno, & exteriori damnum ei restituere, seu recompensare. 7.

Moveor secundò rationibus; nam ex una parte Capitaneus Impediens est causa moralis ejusmodi damni illati ipsi militi, & ex alia, peccat contra justitiam, cùm quilibet habeat jus, ne per vim, & malis artibus arceatur à boni consecutione. Tum quia, damnificat digniorem, cui debetur tale officium. Ergo ad restitutionem tenetur. 8.

Moveor tertiò exemplo in quodam Ministro hujus Curiæ Romanæ (cujus nomen ratio suadet omitti) qui non tam Theologorum motu, quos consuluit, quàm naturæ stimulo, apud sanctam memoriam Innocentij XI. dignitatem non mediocrem procuravit cuidam; quia illi Inter Concurrentes digniori ex animi passione impedimento fuerat à consecutione officij: ex quibus mihi ab eodem confidenter narratis, motivum sumpsi hanc sustinendi opinionem. 9.

Concludo igitur, Capitaneum, qui sinistro animo militem digniorem à consecutione officij impedivit, teneri ei, vel aliud officium apud Ducem procurare, vel alio modo damnum illi illatum resarcire, nisi oppositam amplecti velit sententiam, quam multi probabilissimam putant, Inter quos Diana, *part.* 3. *tract.* 6. *Miscell. Res.* 34. ibi asserens, quòd si nostra opinio esset vera, multi in Aulis Principum, & Prælatorum Ecclesiasticorum ad restitutionem tenerentur. 10.

Ad rationes in contrarium patet responsio ex dictis. 11.

Infero primò ex dictis, teneri dictum Capitaneum, nostram sequentem opinionem, ad restitutionem solùm tanti, quanti spes consequendi illud officium digniori valebat: quod remittendum est viri docti, atque prudentis arbitrio. 12.

Infero secundò, ad restitutionem teneri Capitaneum, etiamsi ille, quem ex odio impedivit à consecutione officii fuerit dignus, ut dignior illud 13.

illud consequeretur. Opposita opinio est probabilis, ut videre est apud Lessium, *lib.* 2. *capit.* 12. *dub.* 18.

14. Infero tertiò, sinistrè informantem Principem, ne dignitatem conferat alicui, dicendo, v. g. talem esse indignum; tale crimen commisisse, famam Principis laceràsse, &c. teneri ad restitutionem.

15. Infero quartò, impedientem alicui dignitatem falsis informationibus non teneri ad restitutionem, si revocet sua dicta, quando tamen res est integra, quia, stante re integra, & retractatione infamatoria, non censetur infamator damnum dedisse.

16. Infero quintò, impedientem ne dignitas detur digno, consulendo, quòd non detur, antequam sit firmatum quòd ei detur, teneri quidem ad aliquam recompensationem, pensatis conditionibus personarum, & negotij, secundùm prudentis, & sapientis arbitrium, non tamen teneri ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 4.

17. Infero sextò, teneri ad restitutionem omnes illos, qui judicio injusto, accusatione injusta, testimonio injusto damnum dant. Less. *lib.* 12. *cap.* 12. *dub.* 17.

18. Infero septimò, teneri ad restitutionem illum, qui potuit, & tenebatur dare beneficium, & non dedit, D. Thom. *loc. cit. art.* 1. *ad* 3.

19. Infero octavò, curantem absque vi, vel fraude, ut officium daretur indigno ad exclusionem dignorum, teneri quidem restituere, sed non ipsis dignis, vel dignioribus, sed Reipublicæ, vel Ecclesiæ de damno secuto, quia solùm Reipublicæ, non verò illis dignis, vel dignioribus damnum intulit. Ita etiam docet Thom. Tamb. *in Decalog. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 4. *de injusta damnif.* §. 3. *num.* 4. Secùs verò, si simili modo procuravit, ut daretur digno, relictis dignioribus.

20. Infero nonò, impedientes aliquem sine vi, vel fraude, sive sine illis quomodocúnque impedientes à consecutione boni, quod ipsi ex justitia commutativa debetur, & peccare, & restituere teneri. Molina, *tom.* 3. *disp.* 727. Less. *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 18. Dicast. & alij.

21. Infero decimò, avertentem Notarios, vel Consiliarios à *Moribundo* vocatos, ne is testamentum, vel legatum in alicujus favorem condat; vel distrahentes Testatorem, volentem disponere in favorem alicujus, distrahentes, inquam, falsa spe sanitatis, vel longioris adhuc vitæ à condendo testamento, peccare, & teneri ad restitutionem; quia hæc facere est fraudem, vel vim exercere; atque adeò contra justitiam impedire proximum, ne bona liberaliter ab alio danda consequatur.

22. Infero undecimò, non peccare, nec teneri ad restitutionem, vel ad aliquam compensationem eum, qui intendens honorem Dei, vel utilitatem Ecclesiæ, procurat quòd dignitas detur personæ digniori, D. Thom. *loc. cit. art.* 2. *ad* 4.

23. Infero duodecimò, non teneri ad restitutionem eum, qui manifestat Collatori crimen occultum, unde excludatur aliquis à Beneficio; etiamsi Collator, si talis non accessisset infamatio, illi beneficium collaturus fuisset. Quando enim agitur de beneficiis, & officijs; cujuscúnque est jus patefaciendi ea, quæ minùs habilem hominem faciunt; & ideò inquiri solent informationes. Ita etiam docet Thom. Tamb. *loc. cit.* §. 3. *num.* 5.

Infero decimotertiò, ad nihil teneri eum, qui impedit etiam vi, ne dignitas conferatur indigno; cùm ad beneficia, vel officia nullum habeat jus indignus. 24.

Infero decimoquartò incidenter, esse ex suo genere culpam mortalem beneficia, & officia, imò quælibet bona distribuere indignis, & immeritis; ita habetur ex D. Thom. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 1. & communiter. Ratio communis est, quia esset acceptatio personarum vitiosa in re gravi, ut supponitur, & damnum inferretur iis, qui deberent illa munera exercere. 25.

Infero decimoquintò, etiam incidenter, non peccare, nec teneri restituere Religiosos, qui ex zelo salutis Testatoris, ipsi suadent, ut potiùs alijs, quàm tali Ecclesiæ, vel Loco pio relinquat; nam licèt videatur Clementina id prohibere Religiosis, non ita tamen est, ex Sanchez, *in Consil. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 1. *num.* 18. contra Molina, *tom.* 3. *disp.* 727. *num.* 3. quia sacer Canon prohibere bona & prudentia consilia nunquam potuit. Excipitur casus imprudentiæ, in quo sine dubio peccarent Religiosi, sed sine onere restituendi. 26.

IV. DIFFICULTAS.

An liceat Christianis Officialibus sub Principe infideli bellare, si bellum gerat contra Christianos, vel Christiani bellum gerant contra Infideles.

1. Notandum primò, plura hominum genera à S. Sede in Bullis nominari, quibus prohibetur arma, aliáque auxilia præstare; Saracenos, hoc est, eas gentes Mahometicæ perfidiæ Sectatores, quæ incolunt Ægypti Terras, & Africæ; Turcas qui Asiam incolunt tam minorem, quàm majorem: Paganos, aliósque Infideles, Christianorum Hostes, contra aliquem Principem Christianum bellum gerentes: Hæreticos expressè & nominatim tales à Sede Apostolica declaratos.

2. Notandum secundò, nunquam licere cooperari ad peccatum alterius, quando, quod à cooperante fit, est intrinsecè malum. Secùs verò, cooperari licet ad aliquid, quod indifferens de se est, quando justa adest causa, & optimus finis; esto malitia alterius ad malum, & peccatum ordinetur. Ita docet Molina Theologus, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 115. & est communis DD. sententia.

3. Notandum tertiò, communicationem Fidelium cum Infidelibus posse dupliciter contingere, scilicet, vel in actionibus propriè, & directè spectantibus ad infidelitatem, puta, simul cum infidelibus sacrificando idolis, &c. quæ commu-

nicatio nunquam est licita: vel in actionibus non spectantibus ad infidelitatem, ut est politica conversatio; bellum, convictus, &c. ut distinguit Valentia, *tem. 3. disput. 1. quæst. 10. de infidel. punct. 5.*

4. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Christianis Officialibus liceat sub Principe infideli bellare; si bellum gerat contra Christianos, vel Christiani bellum gerant contra ipsum; affirmativè videtur respondendum; nam Christiani contra alios infideles possunt militare cum Infidelibus, & eos juvare. *Cap. Quid culpatur, causa 23. q. 1. & Cap. Julianus, causa 11. q. 3.* ubi „ sic. Julianus Imperator, quamvis esset Apo„ stata, habuit tamen sub se Christianos mi„ lites, quibus cum dicebat: producite aciem „ pro defensione Reipublicæ, obediebant ei. Ergo etiam bellare possunt cum infidelibus contra Fideles Officiales Christiani. Præterea, Christianus Princeps potest vocare, & adjungere sibi infideles in auxilium contra Fideles, ut tenet Oldrad. *consil. 81.* Joan. Andr. *in addit. ad Spec. sub rubrica, de Judæis, vers. convertendo hunc casum:* & tradit Abb. *in Cap. Quod super, ad fin. ver. ultimo hic quæritur, de voto,* Tiber. Dec. *lib. 5. de infidel. cap. 10. num. 4.* ibi asserens, hanc opinionem esse communem. Si igitur licet Christiano adjungere sibi infideles ad militandum contra Christianos, licebit etiam Christiano Officiali adjungere se infidelibus ad bellandum contra ram Christianos, quàm non Christianos.

5. Veritas tamen est, nequaquam licere, etiamsi Officiales Christiani subjecti sint temporaliter infidelibus; præsertim si eis constet de injustitia infidelium adversùs Christianos. Navar. *in Manu. cap. 27. num. 63.* & fusiùs *in cap. ita quorumdam, not. 11.* Molina, *tom. 1. de justitia, tract. 2. disp. 115.* Filliuc. *tract. 16. de censur. in part. cap. 6. q. 6. num. 141.* & alij.

6. Moveor primò juribus, scilicet, *Bulla Can. Can. 7.* ubi expressè prohibetur Christianis quodcumque auxilium deferre Christiani nominis inimicis: & Toletan. 1. *Can. 8.* quod vetat militare contra Fideles, & *Cap. Sæpè, causa 28. quæst. 1.* ubi, ut notat etiam Bocetus, *Tract. de bello, cap 6 num. 16.* dicitur, quòd Christiani nullum consortium, & nullam communionem cum infidelibus debent habere; quia, ait Textus, Sæpè „ malorum consortia etiam bonos corrum„ punt.

7. Moveor secundò rationibus; nam in Bulla prohibetur Fidelibus arma, aliáque instrumenta deferre Christiani nominis inimicis. Ergo à fortiori prohibetur deferre seipsos, cùm sint instrumenta bellica animata. Tum quia, Infideles, ut Turcæ, aliique Christiani nominis hostes, bellantes contra Christianos; supponuntur injustè bellare: atque adeò cum illis militare est intrinsecè malum; cùm sit innocentes offendere absque authoritate, aut jure ad id faciendum, quod nefas est efficere, adoriri, atque intendere. Denique, quia Officialis Christianus sub Principe ethnico bellans, si bellum esset Christianorum contra infideles, adhuc indirectè noceret Christianis, nam augeret vires communis hostis Christianorum. Si verò esset contra Fideles, scandalum præberet Fidelibus: si demùm infidelium contra Christianos; directè nocumentum Christianis inferret; & ideò ex omni capite nefas est Officiali Christiano sub ethnico Principe militare.

Moveor tertiò exemplo, in militibus Christianis, qui, ut scribit S. August. in Psal. 124. *vers. Quoniam non derelinquet*, & refertur *in d. causa 11 quæst. 3. Cap. Julianus*, serviebant quidem infideli Imperatori, ubi verò veniebatur ad causam Christi, seu bellum movebatur contra Christianos, nolebant pugnare, alium Imperatorem tunc non agnoscentes, nisi illum, qui in Cælo erat, ut explicat Textus. Cùm autem diceret eis: „ Producite arma in Christianos; tunc agnoscebant Imperatorem Cæli. 8.

Concludimus igitur, peccare lethaliter Officiales Christianos, militando pro infidelibus. qui sunt Christiani nominis actualiter, vel habitualiter hostes, cùm illis auxilium præstarent, illósque redderent potentiores: & si aliter fieri non possit, mors pro DEO subeunda eit. O felix Mors! 9.

Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, negando sequelam; quia militare cum infidelibus contra infideles est infidelium vires minuere in favorem Fidelium; uti militare pro infidelibus contra Fideles est minuere Fidelium vires in favorem infidelium, seu est vires infidelium augere contra Fideles: & ideò secundum prohibitum est, licitum verò primum. 10.

Ad secundam responderent fortassè aliqui, licere quidem Principi Christiano vocare, & adjungere sibi infideles in auxilium contra Christianos, his tribus concurrentibus conditionibus, 1. quòd nullum sit bellum activè, vel passivè illatum cum infidelibus. 2. quòd justum sit bellum, & necessarium. 3. quòd Princeps vocans auxilium, alio modo non possit se tueri, ut docent Anan. & Felin. *in Cap. Ad liberandam, de Judæis,* Carset. *in tract. de potest. Reg. in 4. part. princ. q. 83.* Decian. *loc. cit.* Quæ omnia intervenire non possunt, quando miles Christianus pugnaret sub Principe infideli contra Christianos. Sed nos, qui hujusmodi dubium indecisum libro primo reliquimus, alijs meliùs examinandum; respondemus, quòd semper militat ratio prohibitionis, qua illicitum redditur Christianis auxilium præstare infidelibus contra Fideles, & multò magis militare. 11.

Infero primò ex dictis, neque licere mittere milites infidelibus contra Fideles pugnantibus, quamvis mittentes subjecti essent temporaliter infidelibus. Paria enim sunt aliquid facere vel per se, vel per alium, *l. 1. §. Dejecisse, de vi, & vi arm. l. is damnum, de reg. juris, & in l. hac edictali, §. Si verò plus, Cod. de secund. nupt. & in leg. via, Cod. de donat.* 12.

Infero secundò, illicitum esse sub ethnico Principe militem agere, si militia idolorum cultui addicta sit, nec possit sine superstitionis, & falsi cultûs periculo exerceri, in quo sensu locutus est Tertullianus, *lib. de Corona militis, cap. 11.* quando negavit, Christianum hominem posse, fide salva, 13.

salvs, militem agere, ut notat Baronius *in suis Annalibus, anno* 201. §. *Sed non est nostrarum*; nam eo ævo talis erat militia, ut idololatriæ manifesto discrimini militans se exponeret: unde in Romano Pœnitentiali, *tit.* 19. *cap.* 14. dicitur, „ quòd miles, vel negotiator, vel alicui officio „ deditus, quod sine peccato exerceri non po- „ test, malè agit illud exercendo.

14. Infero tertiò, non licere militibus Christianis hodie in Orbe novo bellare cum Infidelibus, seu Paganis, si in manifesto idololatriæ discrimine versarentur; quamvis essent eorum subditi in temporalibus.

15. Infero quartò, à peccato mortali minimè excusari Christianum, qui, cùm non sit subditus Ethnici, aut Mahometani Principis, sine justa, aut gravi causa, sub eo militaret, si infidelis Princeps, hostis sit Fidelium; quia saltem indirectè noceret Fidelibus; augeret enim vires Adversarij communis Fidelium.

16. Infero quintò, non licere ad infideles afferre, aut eis dare aurum, argentum, pecuniam, & alias res, quibus possint fortiores fieri infideles, & atrociùs infestare Christianos, *l.* 2. *Cod. de commer. & merca.* nisi essent pro redimendis Captivis, alio modo non redimendis, & solo motivo redemptionis, ut probatur *in Cap. Significavit, de Juda.* & etiam extra tempus belli, quo tempore non licet dictas res afferre infidelibus. Sed hæc omnia, & sequentis clariùs in libro ultimo Tomi secundi explicabuntur.

17. Infero sextò, illicitum esse Christianis tempore belli accedere ad infideles, negotiationes exercendi causa, cum rebus ad eos afferri prohibitis, *l.* 1. *&* 2. *Cod. quæ res export. non deb. l.* 2. *Cod. quæ res vendi non poss. l.* 2. *Cod. de commerc. & merca.* ubi *in l. Mercatores, & in l. ult.* puniuntur pœna perpetui exilij, qui mercaturæ gratia ad eos se transferunt; & hoc ne Christiani videantur exploratores infidelium, ut notat Tiber. Decian. *loc. cit. sub n.* 8.

18. Infero septimò probabiliter, milites Christianos, nulla necessitate coactos, tradentes infidelibus Arcem aliquam, vel Civitatem Christianorum, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, quia saltem præstarent auxilium infidelibus. Tum quia, unà cum Arcibus & Civitatibus semper solent esse conjuncta multa instrumenta bellica, quæ ad infideles per se liberè, & spontè deferre sub pœna excommunicationis prohibet Bulla. Dixi liberè, seu spontè, per se; nam bellicorum instrumentorum delationem accidentalem & necessariam ad infideles, certum est pœnis spiritualibus, aut temporalibus, non esse obnoxiam, puta, quando milites defendentes Civitatem, aut Arcem à Turcis obsessam, in extremis angustijs constituti, ex pactione facta illam traderent cum bellicis instrumentis; cùm necessitas summa excludat delictum. *Cap. Si quis propter, de furt.* & excuset à multis. *Cap. Pervenit, 4. Dist. Cap. Si nulla, causa* 23. *quæst.* 8. & successivè excludat pœnam.

19. Infero octavò, prohibitum esse deferre prohibita ad subditos Principum infidelium, qui cum ipsis habitant, cùm per delationem eorum ipsi Principes potentiores fiant contra intentionem Bullæ; nec non & ad subditos infideles Principum Christianorum, si justè timeatur, quòd eadem sint deferenda ad alios infideles subditos Principibus infidelibus. Ita docet etiam Filliuc, *loc. cit. num.* 129.

Infero nonò, milites bellantes sub Principe infideli contra Fideles teneri ad restitutionem damnorum, quorum fuerunt causa, si bellum fuerit ex parte infidelium injustum; si verò dubitaverint de justitia belli, teneri restituere partem damnorum, majorem, vel minorem, juxtà prudentis arbitrium. Ita videtur docere Molina, *tom.* 1. *de justitia, tractat.* 2. *disput.* 114. *in fine.* 20.

Infero decimò, Christianis captivis in navibus Turcarum remigantibus, neque mortis metu fas esse pugnare adversùs Christianos, quemquam interficiendo, vulnerando, aut percutiendo; cùm offendere innocentes sit intrinsecè malum. 21.

Infero undecimò, contra Christianos subditos Turcarum, bellantes contra Christianos Albanenses, licitas esse omnes actiones belli, quæ licent contra hostes, si constaret certò moraliter processisse ad bellum, non coactè sed spontè. 22.

Infero duodecimò, incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ omnes Christianos, etiam subditos Turcarum spontè procedentes ad bellum contra alios Christianos etiam Albanenses; neque excusari si dicant Albanenses esse Turcarum Regis rebelles, & latrones, & se ire ad bellum contra sui Regni Rebelles; cùm falsum sit, Montanos Albanenses esse rebelles Regis Turcarum; imò, justè bellum gerere contra Turcas ob multas rationes, & præcipuè, quia Turcarum causa multi Montani Albanensium populi carent Sacerdotibus, Concionatoribus, Pastoribus, quibus Christianis mysterijs imbuantur: carent omninò scientijs humanis, ac majoribus, omnique divino, & civili cultu, ut vix pro Christianis Catholicis agnosci possint. 23.

V. DIFFICULTAS.

An milites obligentur sub mortali obtemperare Duci, ac Præsidi militiæ, justa præcipienti ad pugnam, vel ad custodiam Arcis, vel ad aliud militare munus spectantia.

Notandum primò, quòd obedientia, quæ est virtus, *Cap. Sciendum est, causa* 8. *quæst.* 1. pertinet ad justitiam, sicut pars partis justitiæ, id est observantiæ, quæ est justitiæ pars secundùm Tullium; nam reddere alteri, quod suum est, & sibi debetur, est justitiæ; & hoc operatur obedientia, ut probat Turrecrem. *in d. cap. Sciendum est, causa* 8. *q.* 1. *nu.* 4. 1.

Notandum secundò, obedientiam esse virtutem, quæ qualibet amplectitur injuncta necessariò implenda, nisi obstiterit imperantis auctoritas. Turrecrem. *in Capit. Non enim,* 2.

causa 22. *q.* 2. *num.* 2. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 5. *q.* 3. *num.* 190.

3. Notandum tertiò, subditos, & etiam servos non teneri, nec posse obedire in ijs, quæ per se mala sunt, ut quæ repugnant juri naturali, vel juri gentium; & in ijs, quæ divinis præceptis opponuntur, & est certum apud omnes.

4. Notandum quartò, militis delictum propriè esse eum aliquid aliter quàm disciplina communis exigat, admittit, & adest Tex. *in l. omne delictum, in princ. ff. de re militari.*

5. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an milites obligentur sub mortali obedire Duci, ac Præsidi militiæ justa præcipienti ad militiam spectantia, respondemus absque controversia affirmativè; si materia præcepta sit gravis, & nisi constet eis clarè de injustitia belli. Reginal. *lib.* 2. *sua praxis, sub nu* 38. §. 18. Duardus, *in Cap. Omnis utriusque sexus, disp.* 17. *sect.* 4. *num.* 10. Molfesius, *in Summ. p.* 1. *tract.* 8. *cap.* 13. *num.* 47. ubi plures alios citat, Diana, *p.* 6. *tract.* 4. *Resol.* 26. *num.* 7. Tiber. *tract. crim. lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 45.

6. Moveor primò juribus, *in d. l. omne delictum, ff. de re milit.* ubi habetur, militem propriè, ut miles est, delinquere, quando facit, aut non facit, quod disciplina militaris aut præcipit, aut vetat. Item *in l.* 2. §. *In bello, ff. eod.* vi cujus capite punitur, quod supponit grave delictum, qui rem à Duce prohibitam in bello fecit, aut mandata non servavit.

7. Moveor secundò rationibus: nam nervus militiæ est obedientia, ut alibi dictum est, & probat etiam Decian. *Tract. crimin. lib.* 7. *cap.* 15. *nu.* 45. *& cap.* 12. *nu.* 2. Gig. *Tract. de re milit. Rubr. qualiter, & in quibus læsa Majest. crimen incur. quæst.* 31. *num.* 6. Et ideò miles non obediendo graviter militiam offendit, nec non & justitiam, cùm non reddat Principi obediendo quod suum est, & sibi debetur. Tum quia, in omnibus, ut ait D. Thom. 2. 2. *q.* 104. *artic.* 6. nisi inferiores Superioribus obediant, non potest rerum humanarum status conservari; destruitur igitur status militiæ, si miles cui debet non paret. Magnum quippè malum est in omnibus inobedientia, præsertim in milite; cùm à quovia milite inobediente possit oriri totius Reipublicæ interitus, aut exercitûs, aut Civitatis amissio, aut multorum strages. Grave ergo damnum aut parit, aut potest parere miles non parendo; & ideò non parendo peccat graviter. Tum denique, quia Princeps tenetur sub mortali soluere militi debitum stipendium, *causa* 23. *quæst.* 2. *Cap. Militare*: Ergo miles sub mortali tenetur pro stipendio parere Principi; & etiam cum discrimine vitæ agere, & præstare, quod sibi commissum fuerit.

8. Moveor tertiò exemplis relatis per Gigan. *Tract. de crimin. læsæ Majest.* sub titulo, *Qualiter, & à quibus, q.* 31. & per Decian. *loc. suprà cit.* tot militum, qui fuerunt severè puniti ob inobedientiam; quamvia bonum in se fuerit, quod invito, & recusante Principe fecêre: necnon & praxi continua. Scimus enim in quolibet Exercitu, aut capite, aut alia gravissima pœ-

na mulctari militem, qui aut Principis
cis, aut Capitanei, aut alterius Officia
ra non servat, & gravis punitio peccat
tum est gravis.

Concludendum est igitur, milites ob
mortali, Principi, aut Duci obtempera
mandat, justum est, & expediens a
rem, seu bonum exercitûs; & aliter
incurrere, præter peccatum, obligati
ciendi omnia damna, quæ ex eorum
quoad id, ad quod tenentur, subsequ
notat Reginal. *lib.* 21. *sua praxis, nu.* 1
quos ibi citat.

Infero primò ex dictis, militem Pr
Duci non obedientem, teneri ad stipe
pei restitutionem. Reginal. Duard. *lo*

Infero secundò, teneri milites obedire
cipienti in die festo bellare, quia bellare i
ut alibi demonstratum est, quasi semper
cùm semper sit aliqua utilitas, aut nec
differendi bellum ad aliud tempus, si
possit. Ita etiam Granado, *in* 2. 2. *D.*
trov. 3. *tract.* 12. *disp.* 4. *sect.* 7. *num.* 65
ibi, *quæst.* 40. *art.* 4. Sà, *verb. Bellum*
Valentia, & alij, asserentes præliari in
etiam extra necessitatem, si præcept
dienda Missa adimpleatur, non esse pe
thale: esto contrarium doceat Suarez
Relig. lib. 2. *de festis, cap.* 28. *num.* 8.
cundez, Palaus, & alij.

Infero tertiò, excusati milites obed
ci præcipienti in die festo non audir
quando prælium est in procinctu,
Missæ potest impedire eis ne ad pugna
est, se præparent, ita docet Duvalliu
D. Thom. tract. de charit. quæst. 16. *art.*

Infero quartò, non licere militi è
scedere, quando Dux præcipit omne
manere, & discedendo contra hujusm
ptum teneri de toto damno, quod e
ne sequitur. Diana, *loc. cit.*

Infero quintò, milites indoctos, q
discernere, an bellum sit justum, a
teneri obedire Principi præcipienti b
vocanti illos ad bellum, si subditi sin
vis dubitent de justitia belli, dummo
de justitia belli sit purè negativum;
ter positivum, illo priùs deposito,
tione sufficienti, ut puta, si cognosc
Princeps, ad quem spectat videre, a
li sit justa nec ne, sit bonæ & timorata
tiæ; unde possint rationabile judiciu
illum benefacere, & consequenter eis
cipi obedire: aut consilio alicujus h
cti affirmantis eis licere obedire, &
ter bellare.

Infero sextò, esse severè à Judice
milites, qui, relictis contra præcep
militaribus Castris, ad hostes tuendo
eorum devastandos, ad deprædatione
trocinium se contulerunt, adest Tex. *in*
de desertor. lib. 12.

Infero septimò, inferiores cùm ad
cantur, quotiès non constat illis de inj
li, posse & teneri obedire suo Princip

At

ſſeantur de ſuperiore meliora cogitare. Victor. *Relect. 6. de jur. belli, nu. 30.* Graff. *p. 2. Decif. lib. 2. cap. 20. nu. 15.* & alij plures apud Sayr. *in Clavi Regia, lib. 1. c. 12. ſub num. 4.*

17. Infero octavò, milites, qui bona fide bellaverunt ob mandatum Principis, nil de juſtitia belli dubitando; ſi poſtea re ipſa cognoſcerent belli injuſtitiam; propter obedientiam præſtitam; peccatum non commiſiſſe, nec reſtituere teneri; quia ipſi cauſam examinare non tenebantur. Ità etiam tenet Sayr. *loc. proximè cit.*

18. Infero nonò, ſubditum poſſe operari contrà propriam opinionem ſpeculativam, & conſequenter teneri obedire Superiori; dummodò habeat dictamen practicum conſcientiæ; quod id facere poſſit.

19. Infero decimò, eſſe obediendum, quandò id, quod præcipitur, non eſt peccatum, licèt peccatum ſit præcipere; puta, ſi Dux præcipiat aliquid, quod eſt juſtitiæ, ex ira, vel odio, ſcilicet, ut milites moveantur contra hoſtes, & ſimilia, ut *cauſa 23. quæſt. 1. Cap. Quid culpatur.* Secùs verò, ſi id, quod præcipitur, ſit peccatum ſive veniale, ſive mortale. Ita Turrecrem. *in Cap. Manifeſtum eſt, cauſa 33. q. 5. num 5.*

20. Infero undecimò, quando Prælatus, ſeu Superior non eſt denunciatus, nec publicus Clerici percuſſor, ſed ſolùm aliquâ majori excommunicatione innodatus, & hoc eſt notorium in Monaſterio; non poſſe ſubditos ab ejus obedientiâ ſe eximere, niſi priùs Judex per ſententiam declaret à tali Superiore illud crimen fuiſſe commiſſum. Diana, *part. 5. tract. 9. Ref. 127.* Nam ſicuti quando Titius juxta legum diſpoſitionem, eſt ipſo facto bonis & juribus ſuis ob excommunicationem privatus, executio de facto non eſt facienda, niſi priùs ſuper crimine fuerit declaratum, ut probat Tex. *in capit. Cùm ſecundùm leg. de hæret. in 6.* Ita quando Superior eſt ſuo officio ob excommunicationem privatus, non debent ſubditi de facto ſuo jure illum privare, niſi priùs ſuper crimine declaratum fuerit; Id eſt niſi priùs declaratum fuerit à Judice auctoritatem habente Superiorem illum in illam excommunicationem incidiſſe. Ita Diana. *loc. cit.*

21. Infero duodecimò, ſervos, & famulos excuſari à peccato, obediendo Domino præcipienti ne audiant in die feſto Miſſam, vel ut laborent, ſecluſo tamen contemptu Eccleſiæ, ſi ſibi graviter nocerent, Domino non obtemperantes. Azor. *p. 1. Inſt. mor. lib. 7. cap. 7.* apud Dianam, qui illum ſequitur; *p. 7. tract. 7. Reſol. 53.* Secùs verò, ſi ſolam duriuſculam reprehenſionem Domini abſque gravi damno timerent. Ita Trullen. *tom. 1. lib. 3. cap. 1. dub. 9. num. 9.* cùm unuſquiſque teneatur præcepta adimplere per ſe loquendo, quoties ea poteſt adimplere abſque notabili nocumento; loquendo de præceptis Eccleſiæ, quæ non intendit cum tanto incommodo obligare.

VI. DIFFICULTAS.

Capitaneus quidam generoſus vulneratus in brachio, dum in conflictu pugnabat, fecit ſibi à famulo ſuo illud pendulum amputari, cum probabili periculo mortis, ut minori incommodo poſſet alterò pugnam proſequi contrà hoſtes, & victoriam reportare. Dubitatur num hujuſmodi amputatio fuerit ei licita.

NOtandum primò, nemini unquam licere, ſeipſum directè occidere, quod & ipſimet Gentiles fatentur. Socrat. *in Phædone* apud Pla. Ariſt. *lib. 5. cap. 11.* Tenent etiam Joſeph, *de bello judaico, lib. 3. cap. 21.* Ægeſip. *eod. tit. lib. 3. capit. 17.* Et meritò, cùm omni jure prohibeatur hominibus directa ſui occiſio, nempè divino; naturali, gentium; Canonico, & civili; ut fusè oſtendit Tiber. Decian. *in tract. crim. lib. 9. cap. 1. per totum,* poſt S. Auguſt. *lib. 1. de Civit. Dei, cap. 17.* quos Circumcelliones, ſeu Circuitores appellat, & etiam D. Thom. *2. 2. quæſt. 64. art. 5.* Niſi fuerit clariſſimus Dei inſtinctus, ut per Tex. *in cap. Si non licèt, cauſa 23. q. 5.* 1.

Notandum ſecundò, nunquam eſſe laudandos mortem ſibi inferentes ob laudes conſequendas; unde Lucianus *in vità Peregrini,* illum deridet, qui gloriæ cauſa in ignem ſe præcipitavit; & Heliodorus Emiſſenus, *lib. 2. Hiſtoriæ Ethiopiæ,* tradit, illum crimen læſæ majeſtatis incurrere; qui vitam ſibi aufert. 2.

Notandùm tertiò, graviter delinquere illos, qui impatientiâ alicujus doloris, vel tædio vitæ, ſibi vitam adimunt, ut habetur *in l. ult. §. Si quis autem tædio. ff. de bon. eor. & in l. 2. Cod. qui teſtam. fac. poſſ. & l. ſi quis filio exheredato, §. Ejus qui, ver. quòd ſi quis tædio, ff. de injuſ. rup. & irrit. teſtam. & in l. in fraudem, §. Ejus bona, verſ. quòd ſi is, ff. de jure fiſci.* 3.

Notandum quartò; nullam adeſſe cauſam; quâ quis poſſit licitè ſibi manus inferre, nec quidem cauſam æternæ gloriæ citiùs aſſequendæ, ut fusè probat S. Auguſt. *lib. 1. de Civit. Dei, cap. 17.* cùm plurib. ſeqq. Gentiles confutando: imò peccare mortaliter, & homicidam eſſe illum, qui ſeipſum interficit deſiderio melioris vitæ, ſeu felicitatis conſequendæ; ſicut legimus, Philoſophum quemdam Thembrotum, lecto Platonis libro de immortalitate Animæ, feciſſe. 4.

His adnotatis, ad difficultatem propoſitam; an licita ſit Capitaneo in conflictu pugnanti, brachij vulnerati & penduli amputatio, cum probabili periculo mortis, ut minori incommodo pugnam proſequatur, videtur affirmativè reſpondendum, cùm ſibi inferre manus, & necem ſibi ſua ſponte conſciſcere ob juſtas cauſas, apud varias gentes, & præſertim apud Romanos, & laude dignum, & maximi animi argumentum fuerit. Præterea, Samſon, ut Philiſtæos occideret, ſeipſum etiam ruina Prætorij oppreſſit, *Jud. cap. 16.* & nihilominùs laudatur, quinimò connumeratur ab Apoſtolo inter Sanctos, ut legitur 5.

gitur ad Hebræos, *Cap.* 11. Et Razias quidam vir sanctus, & de senioribus Judæorum, cùm à Nicanore vexaretur, gladio se petijt, eligens nobiliter mori potiùs, quàm subditus fieri peccatoribus, & contra natales suos indignis affici injurijs, Machabæor. 2. *Cap.* 14. Et Achitophel seipsum suspendit, quòd Absolon non esset secutus consilium ejus, 2. Reg. *Cap.* 17. Saul quoque, & ejus Armiger mortem sibi dederunt, ne in manus hostium suorum videlicet Philistinorum incircumcisorum venirent, 1. Reg. *Cap. ult.*

6. Veriùs tamen est illicitam esse militi brachij vulnerati amputationem, si periculum adest evidens, seu saltem probabile mortis ex tali amputatione secuturæ. Et ita videtur sentire Arist. 5. *Ethicor.* D. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 5. Decian. *in tract. crim. lib.* 11. *cap.* 1. *per tot.* & alij.

7. Moveor primò juribus, *in l. Prases, Cod. de servit. & aqua*; ubi habetur, primam & ordinaram charitatem incipere à seipso: *& in l. fin.* §. *Sic autem, ff. de bonis eorum*, ubi habetur, alijs non posse, aut velle parcere illum, qui sibi non parcit, *& in l. cum autem*, §. *Malus, ff. de adil. edict.* ubi dicitur, quòd malus censetur ille servus, qui conatus est sibi quoquo modo manus inferre, *& in l. liber homo, ff. ad leg. Aquil.* ubi habetur, neminem esse dominum membrorum suorum: & sic militi non licet imperare sibi brachium vulneratum amputari cum periculo vitæ, ut serviat Principi pugnando; & ideò Gloss. *in cap. Si Romanorum*, 19. *Dist.* dixit, *verb. Quanto*, „ absurdum esse alijs opitulari, & non sibi, *& in cap. Nisi, de author. & usu pal.* Insanum esse, „ alium diligere, se autem ipsum odisse, & negligere.

8. Moveor secundò rationibus, nam qui amputari sibi facit brachium vulneratum, cum periculo vitæ, fraudat exercitum uno milite; sicut enim quilibet homo est pars civitatis, cùm Civitas nil aliud sit, quàm civium unio; ita quilibet miles est pars exercitûs, & sic id, quod est, est exercitûs; & ideò si se ipsum aufert amputatione brachij, aufert quod est commune exercitûs non suum, quod ei non licet. Tum quia, qui seipsum occidit, hominem quidem occidit, ut dicitur *in cap. Si non licet, causa* 23. *quæst.* 5. Occidere autem hominem lege prohibitum est in Decalogo. Tum denique, quia exponendo se probabili periculo mortis hujusmodi amputatione, se in periculo constituit amittendi tempus pœnitentiæ, præcipuè in illa circumstantia temporis, in qua ratione conflictus tot impœnitentes moriuntur. Quis autem dixerit licere periculo æternæ damnationis Animam exponere?

9. Moveor tertiò exemplo in tot hominibus, non solùm Christianis, sed etiam Gentilibus, & quidem Philosophis famæ celebrioris, qui sibi mortem directè causare, valdè damnârunt; ut Socrates apud Platonem *in Phadone.*

10. Concludimus igitur, non licere militi, attento periculo mortis, sibi brachium facere ad pugnam minori incommodo prosequendam amputari, cùm hoc videatur potiùs timidi, quàm fortis, ut docet Arist. *Ethic.* 3. *cap.* 7. *in fine*, & Idem repetit, *lib.* 5. *Ethic. cap.* 15, nec non & Py-

thagora, ut refert Tull. *in Catone*: & A[...] *de bello Jud. lib.* 3. *cap.* 17, Joseph. etiam [...] *Jud. lib.* 3. *cap.* 21. Heliodorus Emis. *lib.* 2 [...] *Æthiop.* Et ex alia parte, vulnus in brac[...] ceptum curando, posset facilè mortem [...] Principi inservire, DEO placere, Anim[...] vare.

Ad rationes in contrarium respondem[...] primam, admittendo ab aliquibus lau[...] sibi inferre, & necem sibi sua sponte cau[...] simul & semel admonendo ab alijs plu[...] quidem celebrioris nominis, ut sunt The[...] Athenienses, & optimi Philosophi, u[...] censeri, ut refert Alexand. Genial. *lib.* 5. *in fine.*

Ad secundam respondet S. Aug. *lib.* 1. *Dei, cap.* 21. D. Thom. 2. 2. *q.* 64. *artic.* Samsonem & Raziam ductos fuisse Spiri[...] adeòque benè fecisse; cæteros verò, sci[...] chitophelem, Saulem, & ejus Armiger[...] lè fecisse, & in perniciem suam; prop[...] non esse imitandos, sed deflendos.

Infero primò ex dictis, nemini licere [...] castrare, ut suprà *lib.* 2. probatum est [...] consentire, ut castretur, cùm adsit in h[...] di incisione periculum mortis, aliàs ten[...] *Cornel. de Sicarijs*, 4. §. *fin. de Sicar.* Co[...] tenent alij; & præcipuè Pasqualig.

Infero secundò, neminem posse pro ali[...] bere in causa, in qua agitur de pœna c[...] & est Gloss. *singul. in cap. Cùm homo, cau[...]* quam sequitur Bald. *in cap. Brevi, in* 3. [...] *rojur. in l. neque, Cod. ne fil. pro pat. in* [...] *de constitut. pecun.* cùm concordant, [...] lin. *in cap. Cùm venissent, in pen. col. d*[...]

Infero tertiò, peccare, & posse pun[...] qui potest obviare, & impedire aliqu[...] mortem inferat, & non facit. Ita et[...] Bald. Ang. Rom. *in l.* 1. §. *Si sibi manus,* [...] *lan.* ubi igneus. *num.* 10. *& tt. in fine.*

Infero quartò, non teneri pragnan[...] stante periculo mortis, consentire se [...] baptizaretur infans, ne spiritualiter m[...] nam, sicut nemini licet innocentem [...] peccare enim mortaliter contra præcep[...] *occides. Cap. Non licet, causa* 23. *q.* 5. [...] licet consentire, ut ab alio interficia[...] *Cap. Contingit, de Jure patr. l. liber hom[...] leg. Aquil.*

Infero quintò, non posse reum [...] defensiones, & illis renunciare in caus[...] vel ubi agitur de pœna corporali: & [...] singul. *in l. pactum inter haredem, ff. de* [...] nunciando defensionibus, non valeret [...] rio, etiam non obstante juramento, si [...] stitum, ut per Felin. *in d. cap. Cùm ve[...] ult. col. de testib.*

Infero sextò, non valere licentiam, [...] tet uxor marito illam impunè occiden[...] in adulterio reperiat: adeóque maritu[...] cusari à culpa, & à pœna hujusmod[...] ad praxim deducendo. Ita etiam aff[...] Decian. *lib.* 9. *cap.* 1. *n.* 32.

Infero septimò, graviter peccare [...] medicinam non vult sumere, expecta[...]

nitatem; & dicens, quòd si Deus voluerit eum mori, medicina nil proderit, & si noluerit, etiam sine medicina sanus fiet, cùm hoc sit tentare Deum. Tunc enim Deum tentamus, quando prætermittimus facere, quod possumus ad pericula, seu mala evitanda, respicientes solùm ad auxilium divinum; D. Thom. 2. 2. q. 97. *artic.* 2. Cajetan. ibi, *conclus.* 3. sic explicando, Quando „ aliquis facit hoc, id est committit se divino „ auxilio sine utilitate, vel necessitate, id est no- „ lendo facere, quod in se est, ad evitanda pe- „ ricula, hoc est interpretativè tentare Deum. Ita etiam S. Antoninus, 3. *part. Summ. tit.* 7. *capit.* 1.

20. Infero octavò, mortaliter peccare eum, qui pro quavis adversitate mortem sibi desiderat, Graff. *par.* 1. *Decis. lib.* 2. *cap.* 62. *num.* 64. Secùs verò, si mortem optet ad effugienda gravia hujus vitæ incommoda: ut tenet Thom. Tamb. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 2. *de charit. proximo debita*, §. 3. *nu.* 34. Quod attentè debent notare Confessarij, ut corrigant conscientiam erroneam in indoctis, qui nunquam de mortali se accusant, quando mortem sibi optant, ut liberentur à gravi paupertate, & alijs gravibus miserijs; cùm in tali casu non malum sibi optent, sed bonum.

21. Infero nonò, peccare mortaliter, ut fusè lib. 2. demonstratum est, eum, qui damnum grave sibi inferret, etiam ob bonum finem, puta, si quis se castraret, ut meliùs castitatem servare posset, sicut de Origene refert Hist. Eccles. Sylv. *in verb. Homicidium*, 1. *quæst.* 2. Sic pariter qui virilia sibi abscinderet bona & sancta intentione, si enim moreretur, homicida esset. *Cap. Si quis abscinderit, Dist.* 55. & esset irregularis, ut sentit Graff. *loc. cit. num.* 64.

22. Infero decimò, non licere innocenti carcerato ob depositionem falsorum testium, se interficere ad evitandam mortem infamem, ut fecit Piso accusatus, quòd veneno necâsset Germanicum Filium Tiberij Imperatoris, cujus erat Custos.

23. Infero undecimò, bona inferentis sibi mortem Fisco acquiri, *l.* 3. §. 1. *ff. de iis, qui sibi mort. conscii. l. in fraudem*, §. *Ejus bona, el secundo, ff. de jure Fisci, & alijs jurib.*

24. Infero duodecimò, nulli licere seipsum interficere ob timorem consentiendi in peccatum, neque ob peccatum commissum, ut patet in facto Judæ contra Petilianum Donatistam hæreticum asserentem, esse Sanctos, & Martyres eos, qui ob hanc causam se occidunt.

VII. DIFFICULTAS.

An Officiales dantes militi pecuniam, seu solitum imprastantia, ut vocant, stipendium, antequàm adscribatur in Matricula militum, obligent illum ad non deserendam militiam sine eorum licentia.

1. NOtandum primò, Matriculam, vulgò *Ruolo* dici illam, in qua jussu, seu auctoritate Ducis Exercitûs, vel Officialis ab eo deputati, milites describuntur, & huic Matriculæ, sive *Ruolo* præstari fidem, *l. si duas*, §. *fin. de excusat. tutor.*

2. Notandum secundò, modum proprium probandi aliquem esse militiæ adscriptum in hac matricula militum desumi non solùm à Judice militari, sed etiam à quovis alio. Cotor. *de Jur. militar. cap.* 7. *in fin.* ubi etiam alios modos refert probandi aliquem esse militem, seu militiæ adscriptum; apud Rovit. *in Pragmat. de milit.* 16. *num.* 6.

3. Notandum tertiò, non amplius esse in praxi antiquam formulam Romani florentis Imperij assumendi homines in milites. In primis enim se ijs, qui deligendi jus habebant, offerebant, & habetur Tex. *in l.* 1. *Cod. qui militar. non poss.* Deinde admittebantur ad Tyrocinium; & adest *tit. specialis, Cod. de Tyron. lib.* 12. Posteà exercebantur in Scholis. Tex. *in l. fin. Cod. locat. exact.* Inde ad cingulum militare admittebantur, si in Scholis reperti idonei. De hoc habetur mentio *in l.* 3. *Cod. de Fabricens. lib* 11. Denique exactò priùs juramento militari, describebantur in militum numeris, & matricula, & tunc, & non antea reputabantur milites, *l. ex eo tempore ff. de milit. testam.* Petrin. Beli. *de re milit. p.* 1. *tit.* 6. Hæc breviter adnotanda in gratiam Curiosorum sum arbitratus.

4. Notandum quartò, quatuor præcipuè modis perfici contractum, nempè consensu, verbis, scriptura, & re ipsa. Filliuc. *tom.* 2. *de contract. in comm. tract.* 30. *cap.* 1. *quæst.* 3. *num.* 4. Et nomine consensus hic intelligi mutuum, & expressum aliquod ejus signum externum: hócque modo perfici emptionem, venditionem, locationem, conductionem, societatem, & mandatum. *Instit. de oblig. ex consensu*, §. *uni.*

5. Notandum quintò, Inter leges contractus militiæ, illam esse præcipuam, ut milites Duci suo obstringantur omnia se strenuè facturos, quæ ille mandaverit, & à bello, Castrísque non discessuros, nisi obtentâ licentiâ: ut patet ex ijs, quæ referunt Livius, *in* 2. & 5. *Decad lib* 3. *Decad.* 1. *l.* 7. Tholos. *in Sintagm. juris, par.* 2. *lib.* 19. *cap.* 4. *num.* 2.

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles, qui ab Officiali pecuniam vulgò, impræstantiam dictam, accipit antequam in matricula militum adscribatur, possit sine facultate Castra deserere, respondemus, attento jure antiqui belli, partem affirmativam à veritate non discedere. Nam antequam miles fit in matricula adscriptus, non est verè miles, *d. l. ex eo tempore, ff. de militar. test.* Desunt enim ea, quæ Romano florente Imperio constat fuisse necessaria ad assumptionem militis: ideóque adesse non potest contractus militiæ, & sic miles donec non sit in matricula adscriptus, semper potest absque facultate militiam deserere. Ad confirmationem hujus doctrinæ adducitur paritas Religiosi, qui donec professionem admittat, semper egredi à Religione potest, non obstante ipsius consensu, talem professionem emittendi. Ex quo patet, consensum non sufficere ad perficiendum multoties

toties contractum, quod dicendum etiam in casu nostro videtur.

7. Verius tamen est, hunc militem esse verè militem; ideòque Castra, sine licentia Ducis, aut Principis deserendo, peccare lethaliter, aliísque pœnis à jure præscriptis contra Desertores esse obnoxium. Ita sentire videtur Castill. *decis.* 105. Crispolt. *in Casib. militar. cas.* 51. *num.* 22. Cesped. *in Dub. militar. dub.* 13. ubi citat, & sequitur Oddum, & alios.

8. Moveor primò jure, licèt non expresso, *l.* 3. *ff. ad leg. Julian. Majest.* quæ nobis videtur favere, cùm statuat, militem esse plectendum capite, qui hostibus cedit, & nostrum militem esse verè militem ex dicendis constabit. Omnis verò pœna supponit delictum.

9. Moveor secundò rationibus; nam fatentur communiter DD. ex Covarr. *Cap. Quamvis pactum, p.* 3. §. 4. *num.* 23. omnem contractum, sive nominatum, sive innominatum obligationem parere in utroque foro, conscientiæ, nempe, & externo. Et ratio est, quia quisque tenetur jure præstare quod promisit, altero acceptante. Ad se enim obligandum sufficit animus verbis expressus, & acceptatus; cùm omnes contractus ab initio sint voluntatis, ex post facto necessitatis, *l. sicut ab initio, Cod. de act. & oblig. l. in commodato, §. Sicut, ff. commod. l. de contractu, Cod. de rescind. vend.* Negari autem non potest inter hunc militem, & hunc Officialem perfectum adfuisse contractum, licèt in matricula miles adscriptus non fuerit, quia intercessit hinc inde mutuus in idem consensus Officialis, scilicet, qui à Principe jus eligendi habet, & militis, qui assumi, & eligi contentus fuit, §. 1. *Instit. de verb. oblig. l.* 1. *ff. de pact.* Molina, *de contract. tract.* 2. *disp.* 52. & alij. Atqui inter leges contractus militiæ est, ut milites ita Ducibus suis obstringantur, ut discedere à Castris, seu à signis sine licentia nequeant.

10. Moveor tertiò exemplo in duobus Picenis, qui recepto in exercitu Urbani VIII. ab Officiali, habente munus militem deligendi, solito impræstantiæ ut vocant, stipendio, se describi in matricula voluerunt, & commeatui, vulgò *Marciata*, se subtrahentes, fuerunt ad debitam pœnam, tanquam illicitè se gerentes, seu tanquam graviter delinquentes, condemnati, ut refert Tull. Crispolt. Auditor Gener. *loc. cit. sub n.* 43.

11. Concludimus igitur, hunc militem, licèt in matricula nondum adscriptum, teneri omnibus militiæ oneribus se subjicere, & etiam cum vitæ periculo teneri servare stationem, defendere Arcem, & quodvis aliud sibi commissum diligenter sub reatu culpæ lethalis peragere, neque posse sine licentia Ducis, aut Principis Castra deserere.

12. Ad rationem in contrarium fundatam, *in l. ex eo tempore, ff. de milit. testam.* respondemus, negando militem in matricula nondum descriptum, non esse verè militem; quia Textus non dicit, quòd essentia contractûs militiæ consistat in illa descriptione; nam & alibi habetur, quòd quis est miles, licèt in numeris non sit, *l.* 1. §. *fin. ff. de bonor. possess. ex testam. milit.* & notant Crispoltus, Oddus, Cespedes, & alij, asserente[s] modi descriptionem esse signum quoddam [...]rius denotans talem esse militem. Quib[...] quòd milites dicti vulgò *Venturieri*, q[...] majori generositate pugnare, sunt verè milit[...]úmque gaudent privilegijs; & tame[n ma]tricula non sunt scripti.

Ad confirmationem à paritate Religio[...]mur ipsum, donec professionem admitt[...]per posse absque ulla licentia Religionem [...]re; sed assignamus disparitatem; nam a[...]ctum contractum Religiosi, præter ipsius [...]sum, requiritur Professio post annum con[...] probationis: quia tota essentia hujus co[...] in emissione votorum consistit, cùm id e[...] Jura Canonica, & dictet jus naturale. [...]tractu verò, de quo loquimur, sufficit [...]sus militis ad ipsum perficiendum, ad qu[...]fectionem nihil confert descriptio in ma[...] ut ex dictis constat.

Ad cætera, quæ objecta sunt, vel possu[...]ci, respondet doctissimus Crispoltus, *loc.* [...]dierna consuetudine antiquas illas solen[...] esse sublatas, & assumptionem in militia [...]ra voluntate Officialis deligentis, & pers[...]ligi volentis pendere: quod etiam notat [...] *decis.* 105. *num.* 20.

Infero primò ex dictis, milites tam de[...] quàm describendos debere privilegijs mil[...] gaudere, quod eis jus consentit, & consi[...] & hoc quoad milites nondum descriptos [...] non esset, nisi verè milites essent, *l. cum.* [...] *ad Sillan, l.* 1. §. *fin. ff. de aqua pluv. arcen.*

Infero secundò; quodvis pactum nud[...]rere obligationem in foro conscientiæ. [...] *tract.* 33. *de contractib. in comm. cap.* 5. [...] *sub num.* 84.

Infero tertiò, omnem contractum pa[...]ligationem in foro externo, sive civili, [...]clesiastico: patet ex definitione contrac[...] qua dicitur, esse ultrò, citróque obligat[...] ideóque & ab innominatis contractibus c[...]ligationem civilem, quando ex altera [...] re impleti sunt; quia omnes sunt contra[...]stiti; & ex contractu vestito oriri oblig[...] de utroque jure non dubitamus.

Infero quartò, omne pactum vestitu[...] obligationem in utroque foro: quòd eti[...]bat Fillinc. *loc. cit. q.* 5. *n.* 87.

Infero quintò, jure positivo posse aliq[...]tractus, qui alioquin essent validi, in fo[...]scientiæ esse irritos, & alios posse irrita[...] communiter DD. ut docet Less. *cap.* 17. [...] Ratio est, quia Respublica, cui naturali[...]petit potestas in singulos, & consequent[...]ceps sæcularis, in quem Respublica su[...]stulit potestatem, potest constituere form[...] conditiones, sine quibus contractus non [...]lidi ob Bonum commune.

Infero sextò incidenter, non posse fug[...] qui à se, vel à Parentibus legitimè sunt [...] quod etiam docet Diana, *part.* 7. *tract.* 7[...] Et ratio est, quia cùm sint facti servi p[...]mum contractum, in quem fuit justu[...] consensus, vel consensus Parentum eoru[...]

tenentur stare contractui, nec possunt ipsum violare, absque injustitia; quod dicitur etiam de alijs venditionibus.

21. Infero septimò, prolem non posse fugere, si ejus mater se vendidit, vel à parentibus justè vendita est, vel ob crimen servituti addicta; quia proles eam conditionem subit, quam mater.

22. Infero octavò, militem sive adscriptum in matricula, sive non adscriptum, si acceperit stipendium cum promissione militandi, si fuga sua causa sit damnorum, de justitiæ rigore teneri ea restituere; quoniam ex officio, & pro stipendio tenebatur defendere Arcem, servare stationem, &c. Hoc etiam videtur docere Molina, *tom. 1. de Just. tract. 2. disp. 114.*

23. Infero nonò, eum, qui hujusmodi militibus consilium, vel auxilium ad fugam præbet, peccare, & ad restitutionem totius damni indè secuti teneri; quia totius damni causa censetur; sicuti dicitur de ijs, qui consilium præbent in damnum alterius.

24. Infero decimò, idem esse dicendum de præbentibus consilium, vel auxilium ad fugam servis legitimè venditis, peccare, scilicet, & teneri restituere Domino, non solùm pretium servi, sed etiam damna, quæ servus fugiens intulit, ut si pecuniam abstulerit, vel alia mala fecerit; quia ob eorum consilium, vel auxilium totius damni causa censentur. Ita etiam Diana, *loc. cit.*

VIII. DIFFICULTAS.

An Officiales, qui Militibus pecuniam mutuant cum promissione non repetendi pecuniam mutuatam, nisi tempore, ut vulgò dicitur, delle Paghe, *possint licitè pro tali dilatione ultra sortem aliquid accipere.*

1. NOtandum primò, mutuum dici, ex eo, quod de meo fit tuum; quia sic à me tibi datur, ut ex meo fiat tuum: habetur *in l. 2. §. Appellata, ff. si cert. pet. & in §. 1. Instit. quib. mod. re contrah. oblig.* quod docent omnes Auctores.

2. Notandum secundò, mutuum in se esse unum, quamvis subdividatur in tres species. 1. Naturale, quando nulla intervenit scriptura, sed sola mutuatio. 2. Civile tantùm, dum quis per Chirographum confitetur sub spe futuræ numerationis se recepisse aliquid. 3. Naturale, & Civile simul, dum mutuatio intervenit cum scriptura. Ità habetur *tot. tit. ff. si cert. petat. & Cod. de non numer. pecun. cum alijs jurib. cumulat.* per Mant. *tom. 2. de tat. & ambig. lib. 8. tit. 2. num. 1. 2. 3.* Reginal. *lib. 25. num. 168.* Megal. *cap. 14. n. 25.* & alij.

3. Notandum tertiò, mutuum posse sumi dupliciter. Primò, pro ipsa re, quæ cadit in contractum mutui. Secundò, pro ipsa mutuatione, nempè pro sumptione pecuniæ, vel alterius rei mutuatæ, ut *in l. 1. ff. ad Velletan.*

4. Notandum quartò, usuram esse lucrum quæsitum ex mutuo vi mutui; seu esse quidquid ultrà sortem principalem accipitur in contractu mutui veri, vel palliati; sumitur ex Tex. *in Cap. In Civitate, de usur. & in cap. Plerique, causa 14. quæst. 3.* & ita docet Innoc. *de usur. cap. 3.* & est communis sententia.

Notandum quintò, sortem principalem appellari capitale, quod datur. Ità docent omnes 5.
in effectu: ideò meo amato Lectori examinandas relinquo cæteras descriptiones usuræ, quas videre potest apud Tusch. *in verb. usura, conclus. 336.* penes Salas, *dub. 1. de usur. num. 2 & 3.* Sicut & materiam de mutuo cernere potest, *tot. tit. ff. & Cod. de reb. cred. & si cert. pet.* & pariter *ff. & Cod. ad Senatus Consul. Maced.* &c.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an 6.
liceat Officialibus aliquid ultrà sortem principalem accipere à militibus, quibus pecuniam mutuaverunt ob promissionem non repetendi pecuniam mutuatam, nisi tempore, ut vulgò dicitur, *delle Paghe*; affirmativè responderi posse videtur cum Ledesma *p. 2. tract. 8. cap. 25. conclus. 4.* & alijs pluribus, quos citat Thom. Tamb. *in Decal. lib. 8. tract. 3. cap. 8. §. 5. num. 2.* Et ratio est, quia promissio non repetendi nisi tali tempore, est novum onus, & nova obligatio, quæ est pretio æstimabilis: atque ideò quod pro ea accipitur, non accipitur ex vi mutui, sed vi talis novi oneris. Præterea, Montes Pietatis ex mutuo recipiunt pignora, & aliquid ultra sortem principalem, ob dilationem solutionis; & tamen Montes Pietatis sunt licito jure erecti: illos enim, tanquam pios approbavit Leo X. *in Concil. Lateran. Sess. 10.* unà cum ipso Concilio, concedendo indulgentias ijs, qui ad eos erigendos auxilium porrexerint; excommunicando omnes contrarium docentes, ut patet ex Bulla ejusdem, *tom. 4. Conciliorum.* Eosdemque Montes approbat etiam Concilium Tridentinum, quatenus *Sess. 22. cap. 8. 9. & 11.* enumerans Loca pia, quæ ab Episcopo visitari debent, ponit etiam hos Montes, & sic supponit esse opera pia licita, & ab omni usura immunia: unde Thomas Del Bene, *Tract. de locis theolog. dubit. 22.* docet esse de fide, quòd Montes Pietatis sint liciti. Quidquid in contrarium dicat Soto, *lib. 6. q. 1. art. 6.* Sylvest. *verb. Usura, 5. q. 4.* Ergo si Mons Pietatis ob dilationem solutionis aliquid accipit ultrà sortem principalem, quare non licebit Officialibus pecuniam suis militibus mutuantibus, ultra sortem principalem, ob promissionem illam non repetendi nisi tali tempore, aliquid accipere?

Asserendum tamen est, nequaquam licere, ut 7.
vult communis sententia, & contrariam esse novam, inauditam, periculosam in fide, & aperientem viam usuris, justè ab Alexandro VII. damnatam, quæ est in ordine 12. Molina, *disp. 308. num. 10.* Lessius, *dub. 14.* Bonac. *in Summ. verb. Usura, num. 10.* Salas, *Tract. de usur. dub. 9. num. 12.* Aragon. *2. 2. q. 78. art. 1.* Card. de Lugo, *tom. 2. de just. disp. 25. sect. 3. num. 17.* & alij plures.

Moveor primò juribus, non civilibus, cum 8.
videantur usuras permittere, ut videtur Tex. *in l. placuit, ff. de usur. l. eos. Cod. eo.* Jas. *in l. 1. num. 48. Cod. de Summ. Trin. & Fide Cathol.* sed Canonicis, ex Tex. *in d. Cap. In Civitate, de usur.*

& in d. Cap. Plerique, causa 14. *q.* 3. ubi habe-„ tur: Quod accedit ad sortem, & usura est.

9. Moveor secundò rationibus, quia obligatio non repetendi mutuum pro aliquo tempore certo est imbibita in ipsa natura mutui; qui enim mutuat pro aliquo tempore mutuat: & ideò si mutuum est liberalis donatio, ita necesse est, ut sit id, quod est de essentia, seu natura mutui, hoc est, ut sit liberalis etiam obligatio dicta non repetendi ante certum tempus. Quare, sicut nihil potest accipi pro mutuo; ita neque pro obligatione non repetendi intra tale tempus. Tum quia, cùm clarè constet, nullo cessante lucro, nullo damno emergente, nullum posse haberi lucrum, cùm dilatio solutionis non variet rationem mutui, dicendum est nihil ultra sortem posse pro ipsa accipi. Deinde, sic ex omni mutuo posset exigi lucrum prætextu quòd non ex vi mutui, sed ex vi promissionis exigatur, & hoc modo nulla esset ampliùs usura; quia mutuum, seu res mutuata non restituitur subitò, sed post aliquod tempus.

10. Moveor tertiò exemplo in Æthnicis Philosophis, qui hanc veritatem agnoscentes, docebant nihil posse ex vi mutui, vel dilationis solutionis, secluso lucro cessante, & damno emergente, ultra sortem accipi. Unde Arist. 1. *Polit. cap.* 7. & alibi censuit, præter naturam esse, ut pecunia pariat pecuniam, vel ex ea debeantur fructus, prout disponitur *in l. neque eorum, ff. de usur.*

11. Concludimus igitur, nequaquam licere Officiali, qui militibus pecuniam mutuat, cum promissione non repetendi pecuniam mutuatam, nisi tali tempore, ultra sortem, aliquid pro tali dilatione accipere.

12. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam patet responsio in tertia ratione secundi motus; nempè quod ex omni mutuo posset exigi lucrum, non tanquam ex vi mutui, sed tanquam ex vi promissionis, quæ promissio posset fieri in omni mutuo.

13. Ad secundam respondemus, si Montes pietatis aliquid ultra sortem exigunt, & recipiunt, justificari contractum per hoc, quod recipiant, non ratione mutuationis, sed ratione expensarum, quæ necessariæ sunt ad Montis conservationem, & administrationem, puta ad stipendium Ministrorum Montis, & pro conductione Domorum; & sic de alijs expensis; quod à varijs Summis Pontificibus fuit confirmatum, & sic ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, illud recipiunt. Navar. *in Sum. cap.* 17. *nu.* 213. & habetur in Concil. Lateranens. X. & Trid. *Sess.* 22. *de reformat. cap.* 8. Et ita docent plures Doctores, quos citat, & sequitur doctissimus Molfesius, *in Sum. p.* 2. *tract.* 2. *cap.* 23. *num.* 24.

14. Infero primò ex dictis, Officialem, qui accepit aliquid ultra sortem principalem, pro tali dilatione solutionis, teneri illud restituere tanquam usurarium; cùm dominium rei acquisitæ per usuram non transferatur in ipsum creditorem usurarum. Covarr. *in cap.* 3. *vers. sed ad hujus, fol.* 743. ubi testatur, hanc esse communem opinionem Theologorum, & Canonistarum.

15. Infero secundò, ratione damni emergentis, vel

lucri cessantis, licere quid accipere sup
Molina, *Tract. de contract. disput.* 315. l
cap. 20. Bonacin. *de contractib. d.* 3. *quæst*
modò adsint tres conditiones quoad da
mergens, & lucrum cessans, quas enum
declarat Thom. Tamb. *in Decal. lib.* 8. *tr*
5. *de mutuo.* §. 3. *n.* 2.

Infero tertiò, posse aliquid propor
exigi supra sortem, quando rationabil
tur periculum, vel difficultas, vel im
recuperando mutuo; & quando hæc
ratione personæ mutuatarij. Hoc eti
Dicast. *lib.* 2. *de just. t.* 10. *d.* 2. *dub.* 10
lib. cit. dub. 13. Sylvest. *verb. Usura,* 1.
quia subire etiam spontè hæc pericula
æquè ac in sorte in gratiam alterius est
stimabile. Contrarium tenet Salas,
20. *num.* 8. ubi alios citat.

Infero quartò, non licere quid sup
reportare ob molestiam privationis
femis pecuniæ; cùm hujusmodi mol
levis, & parva sit in communibus
cijs, ut nihil reputetur: ac propterea
ne vix quidem sit pretio compensanda,
cet etiam Dicast. *lib.* 2. *de just. tr*
s. num. 251. Est contra nonnullos apu
Tamb. *loc. cit.* qui comprobant sensum il
ri apud Horatium. At mihi plaudo dom
nummos contemplor in arca.

Infero quintò, mutuantem Principi,
munitati sub conditione, ut quamdiu
non restituitur, ipse mutuator non i
bellas, talias, vel alias impositiones,
modi onera sunt justa, illicitè agere,
ctum esse usurarium; cùm contineat
nem ab oneribus justis, & ex mutuo
dem mutuator accipiat. Armilla, *in v*
ra, num. 5. Cajetan. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad*
quos refert Salas, *de usur. dub.* 16. *sub n*
cùs verò si hujusmodi onera essent inju
verb. Usura, 1. *quæst.* 9.

Infero sextò, licere mutuanti recipere
si illud recipiat tanquam spontè datum
pretium mutui, & mutuatarius non re
sed gratis omninò det: deficientibus i
conditionibus, esset usura. Ita Med.
reb. per usur. acquis. quæst. 3. *caus.* 3. N
jetan. Covarr. & alij. quos citat, & sequ
fes. *in Sum. p.* 2. *tract.* 12. *cap.* 23. *n.* 67.

Infero septimò, licitum esse dare mut
hac conditione, ut mutuatarius desist
cita persecutione in judicio, ut cesset a
rancore; quia hoc fit ad conciliandam
micitiam, quod est per se justum, &
ut notat Less. *lib.* 2. *de just. & jur. cap.*
& alij.

Infero octavò, usuram esse mutuare
dam turpem amicitiam; ut si juvenis
daret mutuò puellæ cum pacto fruendi
pore, quia hujusmodi onus est pretio
le, unde reddit mutuum usurarium, u
terminis, & notat Molfes. *loc. cit. n.* 63.

Infero nonò, esse usuram dare mu
niam Rustico, cum pacto, ut accepta

laboret in Agro suo; quia illa obligatio est pecunia æstimabilis, & libertatem tollit.

23. Infero decimò, committi usuram à mercatore, si mutuet alteri pecuniam, ut merces emat ab ipso, & non ab alio; & idem esse de similibus obligationibus. ita Navar. *in Sum. cap.* 17. *num.* 120. *&* 123. & plures alij. Estque sententia D.Thom. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 2. *&* 4.

24. Infero undecimò, pactum de obtinendo à mutuatario, vel ejus operâ, officio aliquo esse illicitum, & usurarium. Molina, *disput.* 310. & alij contra Navar.

25. Infero duodecimò, Debitorem, qui fuit in mora solutionis, teneri ad restitutionem damnorum, quæ passus est Creditor ob dilationem solutionis ultra terminum: ut si Creditor coactus fuit accipere pecuniam ad usuram propter usus necessarios: quia tunc censetur Debitor causa injusta damni per dilationem. Contrarium videtur dicendum, si Creditor pecuniam accepit ad usus superfluos, & illicitos.

26. Infero decimotertiò, esse usuram exigere aliquid ultra sortem principalem, non solum si exigatur tanquam ex justitia debitum, sed etiam tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine. Contrarium fuit damnatum ab Innoc. XI, & est propositio 42. in ordine.

IX. DIFFICULTAS.

An Centurioni, Sergenti, Decurioni, seu Caporali liceat militem delinquentem vulnerare.

1. NOtandum primò, delicta militum esse in duplici differentia, militaria, scilicet, & communia; delicta militaria esse, quæ committuntur contra disciplinam militarem. Gloss. *in l. omne delictum. ff. de re militari.* Delicta verò communia, quæ ab alijs etiam solent committi, ut furta, fornicatio, &c.

2. Notandum secundò, Officiales Duce inferiores, vitæ, mortisque potestatem non habere, ut probat Textus, *in l. officium, in fin. ff. de re militar.*

3. Notandum tertiò, licere Centurioni, Sergenti, Decurioni, seu Caporali coercere milites, & in illos etiam facto animadvertere, ut notat Petrin. Bell. *de re milit. part.* 8. *capit. unic. num.* 59. Ginuz. *lib.* 3. *in tit. dell' elettione del Capitaneo, del Sergente, del Caporale.*

4. Notandum quartò, ad indaganda, & punienda delicta militaria, dati Duci Ministrum, ut suprà diximus, qui Auditor Generalis nuncupatur, ut notat Ginuz. *in sua disciplina militar. lib.* 3. *tit. dell' Auditore*, & Mastrill. de Magistr. *lib.* 5. *cap.* 16. Et præter Auditorem Generalem, Auditores particulares uniuscujusque Regimenti, seu Tertij saltem in aliquo exercitu adesse, qui vice Tribuni militum, vulgò *Maestro di Campo, ò Colennello*, cui subsunt, militum delicta inquirunt, & puniunt, & ad mortem condemnant, consulto tamen Duce.

5. Notandum quintò, milites delinquentes posse esse in Acie, & in pugna; & extra Aciem, & pugnam.

Notandum sextò, nostram difficultatem non procedere, quando milites in arte militari exercentur, seu edocentur arma bene gerere, signa intelligere, ordinem servare, & similia: de quibus latè Veget. *lib.* 1. *cap.* 1. & tunc si errant, illos coercere spectat ad Centurionem, Sergentem, Decurionem, aliosque similes Officiales, qui errores militares animadvertunt; & hoc quidem privativè quoad Auditores, cùm eorum munus sit instruere milites. 6.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Centurioni, Sergenti, Decurioni, seu Caporali liceat militem delinquentem vulnerare, affirmativè videtur respondendum, cùm Tribunus, seu Centurio possit militem sibi subjectum etiam facto coercere; & adest Tex. *in l. milites agrum, §. Irreverens, ff. de re milit.* ubi apparet, quòd si miles suo Officiali eum castigare volenti restiterit, infamia notatur: Ergo & illum vulnerare, si delictum, quod committit, ita postulaverit. 7.

Verius tamen est, Sergenti, Caporali, aliisque Officialibus extra exercitium militiæ, & extra pugnam actualem, nequaquam licere militem delinquentem vulnerare; unde illum vulnerando, effici pœnâ dignos, & de vulnere illato teneri ad expensas. Crispolt. *in Casib. militar. cas.* 29. *num.* 38. Cesped. *in Dub. militar. dub.* 23. & ita etiam sentire videntur alij. 8.

Moveor primò ex juribus, quæ volunt, Reum nullatenus posse puniri, nisi priùs constet de delicto, & quidem per viam juris, & probationibus non arbitrarijs, sed in jure probatis. Colligitur enim ex *l. qui accusare, Cod. de edendo, axioma illud vulgatissimum*; quòd Actore non probante, Reus debeat absolvi, cum qua concordat, *l. actor. Cod. de probat. l. fin. Cod. de rei vend. l. nimis grave, Cod. de testib.* & innumeræ aliæ leges. Et licèt in milites reos possit summariè procedi, absque eo, quòd summi Duces exercitûs, seu eorum Auditores in modo procedendi teneantur servare ritus, & telam judiciorum, quæ servatur in pacatis Civitatibus, & Provincijs, si casus ita postulaverit, tamen in judicijs militaribus servanda sunt jura, & leges, ut admonet Paria de Put. *in tract. de re militar. cap.* 2. Farinac. *consil.* 197. *num.* 11. Ideóque quicunque Reum punit, non servata dispositione juris in puniendo, contra justitiam facit; & sic Sergena injustè agit ob delicta militem vulnerando. 9.

Moveor secundò rationibus; nam ut exercitus sit hostibus terribilis & molestus, esse debet ordinatus. Habemus enim in sacris literis. *Terribilis ut Castrorum Acies ordinata.* Cant. *Cap.* 6. *n.* 3. & ex Xenophonte Lipsius docet *Civil. doctrin. lib.* 5. *cap.* 13. Ordinatus verò exercitus non est, si jus castigandi milites delinquentes unicuique Officiali datum esset. Carere igitur jure castigandi extra Aciem cæteros Officiales, extra Auditores, res bellica bene ordinata ostendit; & consequenter nequaquam illis milites delinquentes vulnerare licere ratio clarè demonstrat. 10.

Moveor tertiò exemplo, in Sergente quodam exerci- 11.

exercitûs Urbani VIII. qui sciens militem furto eripuisse Commilitoni suo, dum munere custodiarum fungebatur, subuculas duas scorto cuidam custodiendas traditas, illum illicò nudo gladio in capite vulneravit, non sine vitæ periculo, & hoc crimen nempe vulnus delinquenti inflictum, judicatum fuit pœna dignum, cum onere damna vulnerato resarciendi, ut narrat Tullius Crispolt. *in suis Casib. militar. cas.* 29.

12. Concludimus igitur, posse quidem in Acie, & pugna omnes culpas, qualitate culpæ tamen attenta, & excessu semper vitato, etiam usque ad mortem puniri per quoslibet militiæ Officiales; cùm præliorum delicta præposteram emendationem non recipiant, Cato, apud Veget. *lib.* 1. *cap.* 13. & extra Arcem, & pugnam etiam militum delicta, furta, vulnerationes, injurias illatas, & similia posse quoque ab Officialibus puniri, leviter tamen, puta baculi, vel ensis inversi ictu; non verò graviter, & vulnere periculoso, tunc enim nefas illis esse, & teneri ad damnorum restitutionem.

13. Ad jura in contrarium allata respondet Tullius Crispolt. *loc. cit.* illa non obstare, quia Tex. *in dicto* §. *Irreverens*, est intelligendus juxta Tex. *in d.* §. *Officium*, ubi probatur licere Tribuno, secundùm suæ auctoritatis notam, militem castigare; hodierna autem consuetudine patet delicta communia militum Auditoribus remitti, & ab ipsis puniri.

14. Infero primò ex dictis, vulneratorem, & propter paritatem, imò majoritatem rationis, homicidam, seu ejus hæredes, si sufficit hæreditas, teneri restituere tum omnes legitimas expensas factas in curatione vulnerati, & occisi; si non statim mortuus est, extracta ea pecunia, quam alioqui eodem tempore ad sui substentationem expendisset: tum omne damnum reale, sive in honore, sive in fama, sive in rebus, per se secutum ex injusta vulneratione, seu occisione, Hoc etiam docet Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 19. *num.* 117. Lugo, *tom.* 1. *de just. disput.* 11. *sect.* 2. *num.* 31. quia horum damnorum injusta causa fuit vulnerator, seu homicida.

15. Infero secundò, homicidam non obligari ad restitutionem eorum, quæ ipse occisus acquisiturus esset, si occisus non fuisset, quando nulli sunt legitimi hæredes; quia nemo tenetur ad damnum resarciendum, nisi id proximo secutum fuerit.

16. Infero tertiò, eum, qui occidit, aut mutilat scientem, volentémque occidi, aut mutilari, peccare quidem, sed ad nullam restitutionem teneri ex vi occisionis, aut mutilationis, quia non peccat contra justitiam; sive quia ille dum spontè occidi, aut mutilari vult, remittere videtur. Excipitur tamen, si occidatur servus, invito Domino, cui pretium servi esset restituendum; aut alius, cujus mors in grave damnum cederet aliorum, quorum substentationi, v. g. ille esset obligatus, sicuti est Paterfamilias. Bonac. *de restit. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. *n.* 3.

17. Infero quartò, spontè convenientes in duellum, nisi occisus, vel vulneratus fuerit deceptus, vel ad duellum coactus, non obligari ad ullam restitutionem, quia sibi invicem remittere præsumuntur. Lugo, *tom.* 1. *de just. disp.* 11. *sect.* 3. *à num.* 71.

Infero quintò, expensas factas in curando vulnerato, antequam vitam finiat, aliáque similia damna, ante ejus mortem, fortè ipsi secuta, deberi hæredi, quicunque ille sit, sive necessarius, sive extraneus. Ratio est, quia hæres succedit in omnia jura defuncti. Alia verò damna facta ab occisore postquam occisus, seu vulneratus mortem obiit, qualia sunt alimenta, quæ is daturus fuisset alijs, puta parentibus, vel filijs, si non fuisset occisus, non deberi, nisi parentibus, filijs, uxori defunctі. Ratio est; quia parens & filius, maritus & uxor censentur una persona, atque adeò qui unum ex ijs occidit, alterum lædit. Si ergo læsus est, debet ad æqualitatem per restitutionem reduci. Ita etiam Less. *loc. cit.* 18.

Infero sextò, nullis existentibus hæredibus occisi, teneri occisorem damna facta occiso, antequam moreretur, restituere pauperibus; quia in similibus debitis ex delicto censetur Defunctus velle in usus pios ad Animæ suæ favorem rem suam distribui. Tum quia, sic videtur definitum fuisse ab Alexandro Pontifice. *Cap. Cùm tamen, de usuris.* 19.

Infero septimò, Sergentem, de quo nostra procedit difficultas, si vulneravit furem ex indeliberatione, ita ut nulla, vel saltem levis fuerit ejus culpa, in foro interno non teneri restituere; quia restitutio saltem in totum est solùm facienda, quando adest culpa gravis, hoc est peccatum mortale. Ita docet cum Communi de Lugo, *tom.* 1. *de just. disp.* 8. *sect.* 5. De hoc plura addit Bonacina, *de rest. disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 3. §. *unico*, *num.* 9. 20.

Infero octavò, Officiales statim punientes, etiam graviter militem, qui fugit, aut cedit, seclusо odio, aut excessu, non peccare, & consequenter neque teneri restituere. Et hoc etiam colliguntex legibus Ayala, Petrin. Bell. Decianus, quos citat, & sequitur Cesped. *in Dub. militar. d.* 23. 21.

Infero nonò, Officiales coercentes militem delinquentem, quando eis permittitur coercitio, non debere injustè militem invadere; quoniam tunc militi licita esset defensio, ipsique de excessu essent puniendi, *l. officium, in fin. ff. de re militar. l. item quæritur*, §. *Item Julianus, ff. locat.* & latè Jurisconsulti. 22.

Infero decimò obiter, Regularem extrà Monasterium degentem, si deliquerit, posse ab Ordinario loci, non tanquam Episcopo, sed tanquam Sedis Apostolicæ Delegato puniri, ut statuit Concilium Trid. *Sess.* 6. *cap.* 3. *de reformat.* Quæ dispositio habet etiam locum in Equitibus S. Joannis Hierosolymitani, ut notat Navar. *consf.* 21. *de Regular. in prima edit.* & plures alij apud Dian. *p.* 11. *tract.* 2. & *Miscell.* 2. *Ref.* 23. 23.

Infero undecimò, Regularem delinquentem intra Claustra alterius Ordinis, non posse ab Episcopo puniri, quia Episcopus nullum jus ex Tridentino habet super Religiosum delinquentem in Claustris alienis; posse tamen puniri, non solùm à proprio Prælato, sed etiam à Prælato illius Ordi- 24.

Ordinis, in cujus Claustris deliquit. Ita Diana coordin. *tom. 7. de dub. Regul. Ref.* 197. §. 1.

15. Infero duodecimò incidenter, habentes potestatem puniendi sibi subditos, non incurrere excommunicationem, si, quos puniunt, sint in minoribus constituti; & habetur *Cap.* 1. *Cap. Ex tenore, cap. Cum voluntate*, §. *ult. de sent. excomm.* Secùs autem, si iniriati essent sacris Ordinibus, ut notat Molina, *tom. 1. de just. tr. 2. disp.* 229.

X. DIFFICULTAS.

Sequuta verbali contentione inter Capitaneum, & Sergentem. Capitaneus primò ensem evaginavit, ut Sergentem vulneraret, & Sergens ut se defenderet ensem evaginavit. Capitaneus hoc intuens, jussit illum occidi. Dubitatur, an Capitaneus sit reus culpa, & pœna plectendus.

1. NOtandum primò, dari duplicem defensionem; alteram necessariam, & inevitabilem; alteram necessariam evitabilem, Turrecrem. *in cap. De occidendis, n.* 3. *caus.* 23. *q.* 5. Prima est, quando quis non potest evadere, nisi interficiat invadentem. Secunda est, quando invasus potest aliter evadere, ut fugiendo, vel alio modo. Prima excusat quoad culpam, & irregularitatem, juxtà Clem. *de homicid. Cap. Si furiosus.* Secunda verò inducit irregularitatem. Graff. *par.* 1. *Decis. lib.* 2. *de homicid. cap.* 65. *n.* 10.

2. Notandum secundò, aliquando juxta qualitatem personæ posse fugam alicui esse ignominiosam; *Argum. ff. ex quibus caus. majores, leg. in eadem causa*, & ita DD.

3. Notandum tertiò, conservationem honoris præferri utilitati rerum, *ff. si quis omiss. cau. testamen. l. Julianus.* Juxta illud. *Meliùs est enim nomen bonum, quàm divitiæ multa*, Prov. *Cap.* 22. *num.* 1.

4. Notandum quartò, mandantem sine dubio esse æquè principalem; imò magis delinquentem, quàm sit ipse mandatarius. Tex. *in Cap. Pro humani. extrà, de homicid. lib.* 6. *in verb. Mandaverit*; & semper ut principalem mandantem teneri. Bal. *in l. Athletas*, §. *Pomponius*, *ff. de his, qui not. infam.* & ideò majori pœna esse puniendum mandantem, quàm mandatarium exequentem. Bal. *loc. cit. per Glos. in l. si plures, ff. de iniur.*

5. Notandù quintò, militem inferentem manus Superiori suo esse capite puniendum; ut *in l. omne delictum*, §. *Qui manus, ff. de re milit.* & videmus, non solùm inter milites, sed etiam inter alios graviter puniri eum, qui Officiales offendit.

6. Notandum sextò, quòd quando mandans super delicto est convictus, antequam pœnam subeat, seu puniatur, posse torqueri, non ut delictum fateatur, sed ut mandatorios meliùs ostendat, & præcipuè in criminibus enormibus, in quibus debet reus de consocijs, & complicibus interrogari, secundùm Glos. *in l. fin. Cod. de accus.* quod est in communi praxi.

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Capitaneus mandans occidi Sergentem, qui evaginavit gladium ad se defendendum ab ipso, peccet, & sit pœnâ plectendus? Pars negativa videtur sustinenda; nam Capitanei de consuetudine, ac de omni crimine per Armigeros, & pedites cognoscunt, ac puniunt, seu puniri faciunt, juxta ea, quæ dicit Boer. *in tract. de cust. claus. numer.* 28. & 29. *tom.* 5. *fol.* 271. Præterea, Capitanei excubias visitantes, si quem dormientem, vel excubias deserentem reperiunt, sine remissione proprijs manibus interficiunt; & hoc quidem inculpatè, & impunitè: ex quo patet, Capitaneos, vel à jure, vel à consuetudine, jurisdictionem habere morte milites delinquentes puniendi. Sergens autem gladium evaginando contra suum Capitaneum, quamvis ad suam defensionem, grave crimen commisit. Ergo Capitaneus, qui illum occidi mandavit, non peccavit: Sicque culpa, & dolo caruit, sine quibus pœna non irrogatur, *l. sancimus, Cod. de pæn. cap. Sine culpa, de reg. Juris, in* 6.

Veriùs tamen puto Capitaneum, hujusmodi homicidium præcipientem, attentis omnibus circumstantijs, culpæ reum esse, & consequenter pœnâ plectendum. Ita sentire videtur Martin. Laudens. *in tract. de milit. q.* 37. Ayal. *de off. & jur. bell. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 8. Eugen. *cons.* 22. *lib.* 1. Tullius Crispolt. *in cas. militar. cas.* 29. *num.* 21. & alij. 8.

Moveor primò juribus, Tex. *in l. officium*, §. *fin. ff. de re milit.* ubi habetur, Capitaneis, imò Tribunis, alijsque Ministris Duce inferioribus, non esse permissam authoritatem ultimi supplicii inferendi, sed tantùm delicta secundùm suæ authoritatis modum castigandi: Text. *in l. fi. vindicari, Cod. de pæn.* ubi Imperator declaravit, & voluit Officialibus ex abrupto contra delinquentes procedere minimè licere. Tex. quoque in *l. qui cum uno*, § *Gravius, ff. de re milit.* ubi habetur severitatem pœnæ non esse exercendam, quando milites sunt voluntarij. 9.

Moveor secundò rationibus; nam Sergens videns contra se, ob levem tantummodò querelam, Capitaneum cum ense nudato, ensem evaginans ad sui defensionem, crimen militare non commisit: naturali etenim ratione unicuique permissum est, seipsum ab aggressore defendere, *l. ut vim, ff. de just. & jur.* adeò ut etiam licita sit defensio contra invasorem generaliter, quando injustè invadit, sive Superior sit, sive Judex, vel Potestas, quæ injustè invadit, id est, ut occidat: ita docet Graff, *p.* 1. *Decis. lib.* 2. *cap.* 65. *num.* 2. & à nobis clarius explicabitur infrà in sexta illatione; ideòque cùm Sergens non fuerit reus, nefas fuit Capitaneo illum occidere, vel occidi mandare. Tum quia, Officiales Duce inferiores, vitæ, necisque potestatem non habent, ut probat d. Textus *in l. officium, in fin. ff. de re milit.* & ideò si occidunt, vel mandant aliquem occidi, injustè agunt, & tenentur de occiso. Et licèt habeant aliquam authoritatem castigandi delinquentes, illam tenentur secundùm modum, id est modis militaribus exercere, ut vult Glossa *in* § *Officium Tribunorum, ff. de re militar.* dum exponit verbum *secundùm sua auctoritatis modum*; unde nostet Capitaneus cùm potuerit Sergentem ob ensis 10.

evaginationem ad sui defensionem virgis cædere, vel aliàs adversùs eum procedere; eum mandans occidi, modum justum, & ei permissum excessit, & sie reum culpæ, & pœnæ dignum se constituit.

11. Moveor tertiò exemplo, relato à Farinac. *tom. 1. Consil. consil. 4. num. 1.* In Capitaneo Guidone Ugolino de Assisio, & alijs ejus socijs militibus, qui tempore Gregorij XIII. fuerunt carcerati pro eo, quòd dicti milites de mandato ipsius Capitanei, dum ibant ad bellum, mortem dedissent Signifero suæ militaris cohortis dicto Capitaneo inobedienti, & resistenti, & plures celeberrimi Jurisconsulti censuerunt hujusmodi homicidium fuisse culposum, & ideò Capitaneum mandantem Signiferum occidi, & milites homicidas esse punibiles, seu puniendos.

12. Concludimus igitur, reum culpæ esse, & pœnâ plectendum Capitaneum, qui jussit occidi Sergentem, contra ipsum gladium evaginantem ad se defendendum.

13. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam; concedendo Capitaneos habere jurisdictionem in milites, & posse eos punire, seu puniri facere, sed tantùm quoad cognitionem; non autem quòd possint extra aciem, & pugnam, de facto procedere, & indefensum, atque inauditum morti tradere, & à fortiori quòd possint sibi jus dicere, aut in sua causa judices esse, ut per Tex. *in l. unica, Cod. ut ne quis in sua causa jus dicat: & in l. nullus, Cod. de judic.*

14. Ad secundam respondemus, nihil probare, cùm esse factum non probet licitum esse factum: plura enim fiunt, quæ sunt illicita: unde Cepol, *in Casib. militar. cas. 5.* non approbat licere Officialibus interficere militem in excubijs dormientem; cùm potuerit in somnum inculpatè incidere, ut manifestè ibi ostendit, & ubi culpa non est, pœna abesse debet: propterea Præfecti timoratæ conscientiæ, excubias visitantes, si quem dormientem reperiunt, ad summum, virgæ, aut ensis inversi ictu illum excitant, ut munus suum impleat.

15. Infero primò, mandatarios per torturam de se confessos, posse absque aliis indicijs tormentari, ut mandantem declarent, secundùm Angel. *in l. & si certus, ff. ad Sillan.* Dec. *cons.* 189. incip. *lætatus sum,* Bald. *in l. non ideò minus, in 1. col. Cod. de accusat.* Gloss. *in l. fin. Cod. de accus.* Imol. *in Cap. De confess.* & est Gloss. *in l. fin. Cod. de accusat.*

16. Infero secundò, mandantem committi aliquod crimen, esse puniendum eâdem pœnâ, ac si ipsemet tale crimen perpetrâsset. Paria enim sunt aliquid facere, vel per se, vel per alium, *l. 1. §. Deiecisse, de vi, & vi arm. leg. is damnum, de reg. jur. & in l. hac edictali. §. Si verò plùs, Cod. de secun. nupt. & in l. via, Cod. de donat.* cum simil.

17. Infero tertiò incidenter, occidentes filiam de mandato sui patris, in adulterio ab ipso deprehensam, non posse excusari, licèt aliquo modo, & in foro tantùm externo possit Pater excusari, si illam occidat in tali delicto repertam: quia in Patre adest ob sui honorem justus dolor; quæ ratio non militat in mandatario; in foro tame[n] & apud DEUM neuter excusatur.

Infero quartò, quòd, quando quis m[...] cidi Bannitum alicui personæ, quæ no[...] statuto permittente bannitum occidi[...] quis hoc mandaret filio, uxori, fratri, [...] lo, ut patrem, maritum, fratrem, aut [...] occideret; licèt mandans per se ipsum [...] possit, non tamen potest mandare illi, [...] dere non potest: & propterea si manda[...] cidat, punitur æquè mandans, secundù[...] cell. *reg. crim. 3. n. 21.* ex Cæpol. que[...] *in consil. 5. num. 30. & 31.* unde in hoc [...] militat, *d. leg. 1. §. Deiecisse, de vi, & v[...] l. is damnum. de reg. jur.*

Infero quintò, licitum esse unicuique [...] nem contra invasorem, quamvis Sup[...] quando injustè invaditur occidat, sive P[...] dens filium etiam in sua potestate degen[...] Prælatus, vel Abbas, qui injustè Mona[...] vadit, ut subitò occidat, sive Dominu[...] vel vassallum, maritus uxorem, Magi[...] pulum; qui omnes contra tales person[...] se defendere, si ultrà debitum juris ali[...] attentent; aliàs non, ut tradit Sylv. *in* [...] *lum, 2. §. 5.* Graff. *p. 1. Decis. lib. 2. d[...] cap. 65. num. 2.*

Infero sextò, illi, qui videns hostem [...] ginato gladio tendere, si timet conse[...] bus se defendere non posse, licere sagit[...] emissâ solo illum prosternere, *l. 3. Cod[...] Corn. de sicar.* Glos. *in Cap. Olim,* & ibi [...] *16. de restit. spol.* Bald. *in l. 1. Cod. unde v[...] verb. Bellum. 2. num. 2.* Ratio est, qui[...] netur expectare primum ictum, qui pos[...] pedire sui defensionem. Dummodò t[...] possit, nec debeat alio modo se defend[...]

Infero septimò obiter, licitum esse [...] rationem furti occidere furem; si furtu[...] ma notabilis, actualiter possessa, nulla [...] existente illud viâ juridicâ, vel alio li[...] recuperandi. Et favet Tex. *in l. furem* [...] *Cornel. de sicar.* ibi Glos. Sot. *tom. 1. de j[...] lib. 1. quæst. 5. ar. 8. circa fin.* Quod etiam [...] probabile, citatis alijs, tenet Tamb. [...] *lib. 6. cap. 1. §. 2. n. 6.*

Infero octavò, injustum homicida[...] conscientiæ non esse absolvendum, nisi [...] tum damnum compenset, aut propon[...] mittat, id est medicationis expensas, & [...] *hac lege, ff. si quadr. paup. fec. dic.* Et t[...] familiam, quam occisus alebat, arbit[...] virorum prudentum. Ita Afflict. *in cap[...] ex quib. caus. feud. amit.* ex Tex. *in l.* [...] *do, Cod. unde vi,* aliique plures G[...] *loc. cit. cap. 67. num. 4.*

* * *

XI. DIFFICULTAS.

An Officiales videntes milites inter se ensibus rixantes, peccent mortaliter, si rixam sedare non curent.

1. NOtandum primò, rixæ vocabulum, ut advertit Isidorus, *l. 10. ethymolog. cap. 17.* à verbo *Ringer* dictum esse, & significare pugnam privatarum personarum ex mutua excandescentie, & ira concitatam; propterea D. Tho. *2. 2. quæst. 41. art. 1.* esserit. Rixa quoddam bellum inter privatas personas est.

2. Notandum secundò, iram esse causam proximam pugnæ, quæ solet etiam remotè oriri ex varijs causis. Nam ira expetit apertam vindictam injuriæ veræ, vel existimatæ: quemadmodum ipsa rixa apertè instituitur, & ideò est ejus proxima causa, ut rectè docet D. Tho. *loc. cit. art. 2.* & Cajetanus ex ejus mente. Quod etiam docuit S. Gregorius, *lib. 3. Moral. cap. 31.*

3. Notandum tertiò, rixam ex parte invasoris semper esse peccatum mortale ex suo genere, quia ex se repugnat paci, charitati, & tendit in damnum corporale proximi: & ideò ad Galat. 5. numeratur ab Apostolo inter opera carnis, quæ excludunt spiritum à Regno DEI. *Qui talia agunt,* inquit ibi Apostolus, *Regnum DEI non consequentur.*

4. Notandum quartò, rixam ex parte invasi, seu ex parte ejus, qui se defendit, posse etiam esse peccatum mortale; ut docet D. Tho. *loc. cit. art. 1.* ut si plus lædat invasorem, quàm sit necessarium, ut se defendat; vel hoc procedat ex odio invasoris, aut ira inordinata; nullum verò esse peccatum, vel aliquandò tantùm veniale rixam ex parte invasi, si tantùm se defendit, quantùm exigit necessaria defensio, & hoc faciat ex ordinato amore sui ipsius; cùm dicant jure licitum esse vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

5. Notandum quintò, rixam ex parte invadentis posse etiam esse peccatum veniale; ut si ensem impugnendo non perfectè adverteret, seu non esset plenè deliberatus, vel propter exiguitatem materiæ: ut quando rixa talis esset, ut non posset inferre proximo notabile damnum; ut solet esse rixa puerorum, qui ordinariè in ipsorum puerilibus pugnis peccant solùm venialiter.

6. Notandum sextò, rixam differre à bello, quia hoc est inter integras Respublicas; & à seditione, quæ est inter partes multitudinis; atque ideò perniciosa Communitati ipsi politicæ; & à discordia, quæ propriè est in animis; quia est inter duos, aut paucos; & quidem etiam extra animum, & ideò solùm infert proximo privatum damnum.

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Officialis videns milites inter se ensibus rixantes, peccet mortaliter, si rixam sedare non curet; pars negativa videtur sustinenda, quia interponere se in rixa est se exponere periculo vitæ; nemo autem tenetur se exponere periculo voluntario, & vitam alterius præferre vitæ suæ, cùm Bonum proprium temporale esse præferendum alterius bono temporali dictet, & importet ordo charitatis.

Veritas tamen est, Officialem cernentem aliquos milites inter se certantes teneri sub reatu culpæ mortalis se interponere, eorumque rixam sedare. Ita videntur sentire Abbas *in cap. Quanta, de sent. excom.* Facchin. *cons. 38. num. 54. lib. 1.* Bald. *in l. 1. §. Quies, ff. de offic. Præfect. Urb.* Marant. *cons. 112. num. 3.* Farin. *de homicid. quæst. 125. num. 114.* Plach. *in Epith. delict. cap. 28.* Intrigliol. *tract. de Casib. consc. cas. 5. num. 11.* ubi plures citat Canonistas, & Civilistas. Cesped. *in Dub. militar. dub. 29.* & alij plures. 8.

Moveor primò, lege naturæ, quæ nos ad sedandam rixam impellit, Cost. *in cap. 1. de offic. deleg. num. 96. in fin.* ubi *num. 97.* ostendit, quod aliter facere est contra præceptum DEI. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, & contra charitatem, & contra legem naturæ, quæ est juvandi patrem, Ferrer. *de re militar. tit. de ferijs, & indutijs militar. num. 182.* Quod verò sit contra charitatem certantium rixam non sedare patet, nam rixantes in rixa periclitantur, & in extrema reperiuntur necessitate; ideóque non solùm Officialis, sed etiam quisquis tenetur ex charitate eos separare, & separando eorum vitæ subvenire. Unde & Cicero, *Offic. 1.* ita scriptum reliquit. Qui non defendit, aut obsistit, si potest, injuriæ, tam est in vitio, quàm si parentes, aut amicos, aut Patriam deserat. 9.

Moveor secundò rationibus, quia Officiales ex officio tenentur tumultus, & rixas inter milites subditos impedire, ut optimè probat doctissimus Farinacius, *loc. cit. sublimit. 6.* cujus hæc sunt verba. Publicus Officialis tenetur delictis, & scandalis obviare, & propterea subditos oppressos defendere, rixantes dividere, & eos capere, si potest, tenetur Bal. *in l. 1. §. Quies, ff. de offic. Præfect. Urbis.* Tum quia, rixas sedare redundat in bonum publicæ quietis, Cost. *in cap. Si Clericus, de sent. excomm. num. 3. in fin.* cui summoperè debet studere quisque, & præsertim Officialis. Ayal. *de jur. & offic.* Gell. *lib. 2. cap. 1. n. 3.* Ergò Officiales id non præstando, cùm deficiant in munere suo, peccant non tantùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam. 10.

Moveor tertiò exemplo in Decurione exercitùs Urbani VIII. qui videns duos ex suis Commilitonibus inter se gladio rixantes, cùm ipsorum rixam non sedaverit, tanquàm graviter delinquens fuit tribus funis ictibus mulctatus, & è numero militum deletus, ut refert Tull. Crispoltus, *in Casib. militar. cas. 15. num. 1.* Et licèt in hoc culpa tantùm juridica appareat, tamen culpa etiam theologica deducitur. 11.

Concludimus igitur, Officialem peccare contra justitiam, & contra charitatem milites subditos inter se rixantes conspiciendo, si opera, & verbis illos non coercet. 12.

Ad rationem in contrarium respondemus, ordinariè non esse tale periculum interponentibus se rixis, ut dividant, & separent rixantes, maximè cùm Officiales semper habeant secum alios Commilitones, qui absque dubio ad sedandam rixam se offerunt. Et dato etiam, quod esset periculum, 13.

culum, illud fugere non deberet Officialis ob rectum Reipublicæ regimen, aliàs pœnis esset obnoxius illius legis, quam Licurgus Spartarum Lacedæmonibus tulit, nempè, ut qui in ijs subeundis aliquod timoris præbuisset indicium, Reipublicæ muneribus fungi, uxorem ducere, & secundùm morem aliorum civium vestire interdiceretur; & insuper, cuilibet in hujusmodi homines injurias inferre liceret. Hæc fuit Gentilium lex, quam legis sanctitas non patitur evangelicæ, quæ cùm in sola charitate consistat, jubet quidem ab injurijs, & damnis defendi proximos insontes, corripi & coerceri delinquentes, non verò injuriari, aut damnificari.

14. Infero primò ex dictis, nefas esse rixantibus occidere mediatorem rixæ, eum, scilicèt, qui se in rixa interponit ad illam sedandam; quamvis licitum sit occidere aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ; ut vult Bald. *in l. scientiam*, §. *Qui cùm aliter*, *ff. ad leg. Aquil.* & ibi etiam Florian. *in princ.*

15. Infero secundò; Mediatorem interponentem se in rixa, ut rixantes dividat; si ob id ponatur ab aliquo ex rixantibus in periculo vitæ; puta, quia rixans contra ipsum arma dirigat; posse ipsum rixantem impunè occidere, pro suæ defensione personæ, prout explicat Bolognet. *in repetit. l. ut vim*, *num.* 77. *vers. ex quibus omnibus*, *ff. de just. & jur.*

16. Infero tertiò, mediatorem rixæ etiam non positum in periculo vitæ, vertere se posse in rixantem suo inimico insultantem, & existentem in periculo vitæ defendere, atque aggressorem impunè occidere, si alius modus non adsit illum à morte liberandi. Ita Farinac. *prax.* 11. *Theor. p.* 4. *de homicid. quæst.* 125. *part.* 3. *num.* 145. ubi limitat, nisi in defendendo ipsum rixantem sit in aliqua culpa, & excedat; quia tunc pro culpa & excessu, extraordinaria pœna punitur, citans Carrer. *in pract. crim. in* 3. *tract. de homicid. & assassin.* §. *Tertiò quæro*, *num.* 16. & alios.

17. Infero quartò, servum, subditum, vassallum, & similes teneri defendere eum, cui subjecti sunt. Ita docet Jas. *in l. ut vim*, *num.* 31. *in fin. ff. de just. & jur.* & ibi etiam Fortun. Garc. *sub num.* 34. Claud. Seyssel. *sub num.* 87. *in lectura.*

18. Infero quintò, teneri vassallum defendere suum Dominum, etiam omni periculo exponendo suam personam, Ita Bolognet. *num.* 82. & *num.* 84.

19. Infero sextò, vassallum, si viderit ex una parte insultatum suum Dominum, & ex alia parte suum Patrem, teneri potiùs defendere Patrem, quàm Dominum. Carrer. *in pract. crim. in tract. de homicid. & assassin.* §. *Quintò excusat defensio*, *num.* 49. *& seqq. num.* 64. *& seq.*

20. Infero septimò, teneri militem defendere Judicem, seu Officialem, etiam omni periculo exponendo suam personam. Jo. de Lignan. *in tract. de bell. cap.* 92. *& cap.* 95.

21. Infero octavò, etiam subditum spiritualem, ut est Diœcesanus, teneri defendere suum Episcopum, & Parochianum suum Curatum. Claud. Seyssel. *l. ut vim*, *num.* 87. *in fin. ff. de just. & jur. in lectura.*

Infero nonò, subditos Regulares tene
dere Abbatem, & Prælatum; & è conv
loc. cit. num. 78. Plach. *in epit. delict. l.*
num. 28. *vers. caterum.*
Infero decimò, in foro pœnitentiali
scientiæ unumquemque teneri alium d
si sine periculo suæ personæ defende
Gloss. *in l. ut vim*, *num.* 41. *in fin. ff. de j*
& ibi etiam Fortun. Gar. *num.* 34. *in fi*
55. *in discursu*, & alij plures, quos citat
tur Farinac. *loc. cit. num.* 306.
Infero undecimò, uxorem teneri
maritum insultatum, & aliàs vim patien
contra. Bolognet. *loc. cit.* Boer.
num. 6.
Infero duodecimò, Cives, & Oppid
ri defendere suum Officialem insultatun
loc. cit. num. 59.
Infero decimotertiò, Civitatem ten
dere suos homines. Ita vult Plach. *in*
l. 1. *cap.* 28. *num.* 24. *in fin.* & alij.
Infero decimoquartò, unumquem
defendere Clericum insultatum, quan
sic defendendo, & se in rixa interpone
adest periculum vitæ Jas. *in l. ut vim*,
de just. & jur.
Infero decimoquintò, fieri irregula
qui non impedit rixam, & consequent
dium, quod ex ea sequitur, quando
impedire tenetur, & commodè sine vi
potest impedire; ut sunt Judices, Minis
Gubernatores; Officiales exercitus.
disp. 6. *sect.* 2. *dub.* 7.
Infero decimosextò, Judices, & C
justitia teneri ea servare, vel impedire,
tra id, quod curæ suæ est demandatu
Farinac. *loc. cit. sublimita.* 6.
Infero decimoseptimò, esse liberos a
ritate eos, qui ad necessariam defensior
tum, uxoris, aut filiorum, in rixa, aut
aliquem occidunt, Sayr. *in Thes. lib.* 6
1. *num.* 5. citans pro se Covarr. *in Clem*
sus, de homicid. part. 2. §. 3. *num.* 2. P
1. *tract.* 6. *disp.* 5. *punct.* 6. *num.* 8. & a
est, quia personæ parentum in ea nece
indè habentur, ac si essent una person
defendente; ideòque ex naturali jur
charitatis tenentur eos defendere.
tenet Cajet. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. N
27. *num.* 215. quia *in d. Clement. si*
homicid. solùm excipiuntur casus pro
sionis.
Infero decimooctavò, Principem,
coercere latrones; undè viatores occi
spolientur; Ministros justitiæ non c
Civitatem; undè de nocte furta, &
patrentur; Duces exercitus non coer
tes, cùm possint; undè injustè aliqui
peccare mortaliter, vel venialiter ju
tem, levitatemque omissionis, seu r
Ita Navar. Molf. Avila, apud Dicast.
1. *de just. disp.* 10. *dub.* 14. *num.* 200.
Infero decimononò, hoc esse disc
omittentem actionem debitam ex
omittentem actionem debitam ex ch

qua sequitur occisio; quòd omittens actionem debitam ex justitia, præter peccatum, tenetur ad restitutionem damnorum; omittens verò actionem debitam solùm ex charitate, peccat quidem, sed absque onere restituendi. Ita Gasp. Hurtad. *Disp. 2. de irreg. diff. 9. num. 33.* & alij plures.

XII. DIFFICULTAS.

Gubernator cuiusdam Arcis ab Adversarijs obsessæ, observando somnium, ipsum crebrò infestans, & conturbans, utpote sibi indicativum mina, seu Camini ab hostibus excavati, ad Arcem eruendam, vel expugnandam, ordinavit fieri in illa parte contra minam, ut hostium mina evanesceret. Dubitatur, num huiusmodi observatio fuerit licita.

1. NOtandum primò, somnium, secundùm Arist. *lib. de somno, & vigil.* esse ligamentum omnium sensuum externorum, ad animalis quietem, & salutem institutum; & somnium, secundùm eundem Philosophum, *eod. lib.* esse phantasma in somno factum, id est apparitionem phantasticam in somno factam, sive visum, quod in somno apparet; & à Chrysippo somnium sic definiri, Somnium est jus cernens, & explanans, quæ à dijs hominibus significantur in somnis, ex Cic. *lib. de divinit.* quam definitionem à Catholicis unum Deum colentibus puto esse reijciendam.

2. Notandum secundò, somnium juxta mentem S. August. *in lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 12.* dici à somno, & esse quod dormientibus nobis videmur videre, audire, loqui, & agere.

3. Notandum tertiò, somniorum causas, juxta D. Tho. 2. 2. *quæst. 95. art. 6.* esse quatuor, duas corporales, & duas spirituales: & tam corporalium, quàm spiritualium alteram esse intrinsecam, & alteram extrinsecam: Somniorum causam corporalem intrinsecam esse habitudinem corporis, seu affectionem, quæ redundat in imaginationem, seu phantasiam; ex quo sequitur homines frigidæ complexionis multa somniare de aquis; siccos autem, & calidos, multa de rebus calidis & igneis: extrinsecam verò esse, vel aërem continentem, vel impressionem corporis cœlestis, vel aliud corpus circumstans, à quo imaginatio dormientis immutatur: Unde Arist. *in lib. de somn. & vigil* dicit, quòd quando somnia sunt ex his, quibus componimur, sunt signa, vel sanitatis, vel ægritudinis, secundùm eorum differentias: ut si quis somniet de occupationibus ignis, signum est, quòd dominetur in eo cholera; si aeris, signum est sanguinis; si aquæ, vel alterius liquoris, signum est phlegmatis: propter hoc Medici observant somnia, ad cognoscendum interiores dispositiones corporis, ut possint inde convincere aliquem eventum futurorum morbi, vel sanitatis: Causam spiritualem interiorem somniorum esse cogitationem, & affectionem immoratam in vigilando; & exteriorem esse Spiritum bonum, aut malum, videlicet, vel Deum, vel dæmonem.

4. Notandum quartò, discernere divina somnia à diabolicis ad prudentem Confessarium, & mysticum Theologum spectare, & eo modo, atque eisdem regulis discernenda esse, quibus divinæ revelationes à falsis discernuntur, ut admonet Delrius, *lib. 4. disquisit. magic. cap. 1. quæst. 3.* Pereira, *lib. 1. in Daniel. quæst. 3. & lib. 2. de magia, q. 3.* Molfesius, *in Sum. p. 1. tract. 11. cap. 7. num. 83.* ubi ad cognoscendum, quando somnium est à Deo, vel à dæmone, tradit hanc regulam; quòd Deus, qui multoties solet immittere somnia, per quæ doceat homines de futuris contingentibus, ut passim habetur in Sacra Scriptura, immittens somnium, semper solet reddere animum certum, & clarum, à quo mittatur: Et dum remanet in Anima quædam confusio, tarditas, vel pigritia ad bonum, semper est à dæmone. Quapropter, si somnium moveret ad deserendum sæculum, ad timorem Inferni, ad dolorem peccatorum, discretè ad pœnitentiam, ad auxilium præstandum Indigentibus, vel Animabus Defunctorum, vel ad aliud bonum, signum est esse à Deo. Si verò somnium moveret ad malum, vel ad bonum indiscretum, vel repugnans rectis moribus, vel consuetis Ecclesiæ ritibus, clatum est esse à dæmone.

Notandum quintò, licèt in somnis non possit esse perfectus rationis usus ad peccandum, vel merendum, cùm id perfectam libertatem exquirat, id est solutionem omnium sensuum & potentiarum; ita ut homo liber omninò sit ad agendum, vel non agendum, posse tamen sæpe in somnis aliquem usum rationis haberi. Docet enim experientia in dormiente rationem res simplices plenè cognoscere, easque vel componere, vel disjungere, discurrere, iudicare, mirari, nova quædam invenire, ad vetera reflectere, argumentari, respondere, solvere, eodemque tempore dubitare dormiat ne, an vigilet, Pereira, *loc. cit.* quod ego multoties expertus sum. 5.

His adnotatis, ad difficultatem propositam; an licita fuerit observatio somnij facta ab Arcis obsessæ Gubernatore, cùm ipsum moverit ad contraminandam partem, in qua ei dormienti videbantur hostes minas, seu caminos excavare, ad Arcem expugnandam, negativè respondendum videtur; cùm hoc expressè prohibeatur, *in cap. 18. num. 10.* Deut. *Non inveniatur in te. qui observet somnia, atque auguria:* & Levit. *cap. 19. 26. Non augurabimini, neque observabitis somnia.* Nec non & jure Canonico, *causa 26. q. 7. Cap. Non observetis*: unde Ecclesiast. *34. n. 7. Multos enim errare fecerunt somnia.* Præterea, Manasses Rex Israel deiectus est à Regno suo, & captus ab exercitu Regis Assiriorum, & vinctus catenis, atque compedibus ductus est in Babylonem, quia observabat somnia, sectabatur auguria, ut habetur 2. Paralipom. 33. Unde Simanch. *Catholicar. Institution. tit. 63. Rubr. de superstitionibus* Farin. *Tract. de hæres. quæst. 181. §. 1. num 40.* & alij concludunt superstitiosum, & impium esse somnijs credere; cùm aut ex repletione, aut vacuitate, aut ægritudine, aut illusione dæmonum, aut ex causis naturalibus eorum imagines, & phantasmata provenire soleant. 6.

Verum, si Arcis obsessæ Gubernator certò non credidit rem ostensam in somnio esse veram, sed tantùm ex somnio, à quo crebrò infestabatur, & con- 7.

conturbabatur, conjecturam sumpsit minarum, seu caminorum excavationem timendi, quæ in Arcium obsidione solet probabiliùs credi, & rationabiliter timeri, si, inquam, illud somnium hoc modo observando contraminas ordinaverit, licitam fuisse illius arbitror observationem, vel saltem non peccaminosam mortaliter. Ita videntur sentire D. Tho. 2. 2. q. 95. art. 6. Jodoc. *in verb. Somnia*, Reginald. *lib. 17. num.* 173. Suarez, *tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. de superstit. cap.* 13. Sanchez, *in Decal. lib. 2. cap.* 38. *num.* 51. Molf. *in Sum. p. 1. tract. 11. cap. 7. de observatione somnior. num.* 88 & alij plures.

8. Moveor primò juribus, *in cap. Sed & illud, causa 26. quæst. 2. & in d. cap. Non observetis, causa 26. quæst.* 7. ubi apparet, aliquando esse licitum observare somnia; & videtur esse, quando certò non credimus rem ostensam in somnio esse veram, seu futuram, sed ad vitandum aliquod malum, operamur aliquod bonum, aut saltem indifferens ex motivo illius somnij.

9. Moveor secundò, rationibus: nam certum est sæpè à dormiente sentiri rerum motum; & sic Arcis obsessæ Gubernatorem potuisse, dum dormiebat, sentire motum subterraneum, replicatum in ictibus excavationis. Cùm igitur imaginatio dormientis immutetur, vel ab aëre continenti, vel ab alia causa extrinseca; illud somnium Gubernatoris potest esse causa naturalis, & successivè observantia illius somnij licita; vel saltem non peccaminosa mortaliter.

10. Moveor tertiò exemplo, in veteribus illis Monachorum Magistris à Cassiano relatis, *Collat.* 22. quos legitur in perquirendis aliquorum somniorum causis diligenter esse versatos, absque ullo scrupulo, imò cum laude; ut, scilicet, prudenter discipulis aliqua adhiberent remedia. Refert Molfes. *loc. cit. num.* 88.

11. Concludimus igitur, licitam fuisse, vel saltem non mortaliter peccaminosam illam observationem, quam Gubernator Arcis ab Adversarijs obsessæ fecit, observando somnium, ipsum crebrò infestans, & conturbans, utpotè sibi indicativum minæ, seu camini ab hostibus excavati ad Arcem eruendam, & expugnandam, ordinando fieri in illa parte contraminam, ut hostium mina evanesceret, si fidem firmam somnio minimè præstiterit.

12. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam; dicendo à Sacra Scriptura, & Sacris Canonibus interdici somnia observare, quando extendunt se ad ea, quæ per ipsa cognosci nequeunt: ut sunt, inquit Sanchez, *loc. cit. num.* 53. velle per ea cognoscere futura contingentia, vel quæ ex arbitrij libertate pendent, certiùs, quàm ex somnijs cognosci valeant, cùm ex somnijs nequeat haberi de futuris contingentibus nisi levissima conjectura, suspicionis limites non prætergrediens.

13. Ad secundam respondetur, Manassem Regem Israël multa passum fuisse ob somniorum observationem; quia ita fuit somniorum observator, & augurijs deditus, ut ordinariè per illas indicationes in agendis negotijs gubernaretur, quod non potest à gravitate mortali, & superstitione excusari; quapropter cùm in culpam gravem inciderit, pœna gravi se dignum constituit.

Ad conclusionem Doctorum allegatorum; 14.
concedimus illicitum esse credere in somnijs, quando tamen firmiter creditur; aut in effectibus naturalibus, qui ex somnijs conijci possunt, exceditur, eos certiores, quàm par est, prædicendo; quod tunc potiùs esset peccatum temeritatis, quàm labes superstitionis.

Infero primò ex dictis, licitum esse observare 15.
somnia, quæ ad bonum incitant, & relinquunt hominem certum, & lætum, seu jucundum, dummodò duo copulativè interveniant, licentia scilicet Confessarij docti, approbantis somnium, antequàm ulla fiat executio; & ut somniator non faciat somnium regulam suarum actionum, sed exequatur solùm illud somnium, tanquam bonum continens, & immissum à DEO.

Infero secundò, non esse citò credendum som- 16.
nijs, licèt fuerint à DEO, juxta illud Eccles. *cap.* 19. *num.* 4. *Qui credit citò, levis corde est*; nam redibit iterum Dominus, si ab eo sit somnium: & non solùm non irascetur, sed & fidelitatem & prudentiam servi non citò credentis laudabit, quòd deceptionem timuerit in voce Domini sui. Ita S. Hieronymus *in cap. 13. Ezechiel.* D. Basilius *epist. 64.* Dominicus Gravina, *lib. 3. Catholic. Præscript. adversus hæres. controvers.* 2.

Infero tertiò, non esse fidem firmam somnijs 17.
præstandam, quamvis interdum eorum veritas fuerit effectu comprobata; quia vel casu postea verificantur, vel procurante Spiritu maligno, ut nos facilius inducat ad fidem præstandam somnijs, ut sic postea Animam nostram decipiat, & rapiat. Unde Cajetanus *in 2. 2. quæst. 95. art. 6.* fatetur, se nunquam ausum varijs somnijs sibi contingentibus fidem aliquam habere.

Infero quartò, esse licitum somnia observare, 18.
quatenus bonam, vel malam corporis affectionem, & morbos indicant; & ideò licere Medicis, somnia infirmorum inquirere: quia somnia habent virtutem naturalem ad indicandum humorem prædominantem. Ita Ciruelo, Navar. Pereira, quos citat, & sequitur Sanch. *in Decal. lib. 2. cap. 38. num. 49.*

Infero quintò, esse licitum considerare somnia 19.
nos sæpè ad flagitia incitantia, an sint à dæmone, & è contra, quibus ad bona instigamur, ut ad macerationes, ad Religionem, & similia; an sint à DEO.

Infero sextò, somnijs, sive læta fuerint, sive 20.
tristia, nullos debere facilè, & firmiter credere, ut evitetur dæmonis fraus. S. Gregor. *lib. 4. Dialog. cap.* 48. Less. *cap. 43 num.* 51. Valent. *in* 2. 2. *disp. 6. quæst. 12. punct. 3.* Reginald. *lib. 17. sub num.* 173. S. August. Suarez, Sanchez, & alij.

Infero septimò obiter, imputandam esse ad 21.
culpam mortalem pollutionem sequutam in somno, si pollutus in vigilia attentè turpia cogitaverit, & ex tali cogitatione secuta fuerit pollutio; cùm ex prævijs cogitationibus, ut plurimùm somnia succedant.

Infero octavò, illicitum esse extra nostrum ca- 22.
sum, seu nostram propositæ difficultatis decisionem,

nem, cum ijsdem circumstentijs, credere somnijs, præcipuè si ex somnijs vellet aliquis prædicere effectus futuros cum somnijs nullatenus connexos; cùm ad DEUM solum spectet revelare futura per somnia, & ea scire non possint nisi ij, quibus DEUS dignatur revelare, ut habetur Daniel. *cap. 2.* Genes. 40. & 41.

23. Infero nonò, esse pessimam superstitionem, quando quis ponit sub pulvinari aliquas res ob aliquod somnium habendum; vel more Gentilium, utitur certo modo, aut situ, se componendo ad somnum, ut sibi per somnia revelentur futuri eventus à sorte dependentes; uti faciunt illi, qui se applicant ludo Januæ, vel aliarum Regionum: hoc enim est dæmonis instructionem expectare, quod est gravissime culpa; ut docet Lessius, *cap. 43. num. 54.* Molfesius, *in Sum. tract. 11. cap. 7. num. 93.* ubi refert, quòd Gentiles olim præmisso jejunio, in pellibus cæsorum animalium dormire solebant, ut responsa in somnis acciperent, juxta illud Virgilij.

Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit, &c.

24. Infero decimò, diabolum in somnis frequenter vera prænunciare, ut ad falsitatem somnijs credentes protrahat. Ita asserit D. Bernardus in serm. incip. *Honestissima Soror*, & refert Greff. *par. 1. Decis. lib. 2. cap. 7. num. 6.*

25. Infero undecimò, temerarium esse inniti somnijs, quoniam difficile est cognoscere, quando causatum sit ex causis naturalibus, vel supernaturalibus; & quando ex Angelis bonis, vel malis. Ita docet Turrecrem. *in dict. cap. Non observetis, causa 26. q. 7 sub. n. 2.*

26. Infero duodecimò incidenter, non esse illicitum legitimes medicinas, & bonas scientias addiscere ab eo, qui hæc à dæmone habuit; quamvis ipse, quando habuit, peccaverit ex pravo commercio cum dæmone; & ideò hujusmodi addiscentem non peccare, dum ijs naturalibus medicamentis, & scientia bona ad bonum finem utitur. Ita docent Suarez, Delrio, Valentia, Sanchez, Vict. quos citat, & sequitur Tho. Tamb. *in Decal. lib. 2. cap. 6. de peccatis Relig opp. §. 2. num. 11.* & ratio videtur esse; quia addiscens non consulit Maleficum, ut meleficum, sed ut virum doctum, & expertum, qui illum res ex se bonas edocet, quamvis illicitè acquisitas.

27. Infero decimotertiò etiem incidenter, esse superstitiosum observare dies, quasi quidam sint fausti, quidam infausti, ut nolle opus incipere die Mertis; nolle die Veneris ungues præscindere, puellam nolle die Sabbathi nere; certis diebus tangere olera scopis, ne à vermibus lædantur; servare ove exclusa die Perasceve, vel die Ascensionis Domini Nostri JESu Christi ad extinguendum incendium, vel alium effectum præstendum; & alie similia, quæ licèt sint merè vana, & inutilia, nullamque graviorem superstitionem contineant; tamen si certò credantur, vel si semper adhibeantur ad vitam dirigendam, erunt peccata mortalia, ratione periculi existentis, ne dæmon se illic eorrò intermisceat. Hæc Sanchez, *in Decal. lib. 2. cap. 38. num. 21.* At si semel, aut iterum, non ita; Tho. Tamb. *loc. cit. num. 27.*

Infero decimoquartò, somnium esse contemnendum, quando illius non potest assignari causa nec intrinseca, nec extrinseca; vel dubitatur, an sit à DEO, vel à dæmone immissum; tunc esse contemnendum, ut à dæmone immissum putat etiam Delrius, *lib. 4. cap. 3. q. 6. post quintam conclusionem*, efferens hoc esse tutissimum. 28.

Infero decimoquintò, illicitum minimè esse observare somnia, quæ nos crebrò infestant, vel conturbant, ut rationem aliquam investigemus, quibusnam ex causis eveniunt; ut sic medio utamur licito, ad depellendam à nobis hujusmodi molestiam; atqueadeò aliquid ratione talis somnij operemur, quod aliàs malum non est, ut inquit Suarez, *loc. cit.* nec contra præcepta DEI, vel Ecclesiæ, ut vitetur aliquod malum, quod somnium minatur. 29.

XIII. DIFFICULTAS.

An Gubernator Civitatis, seu Arcis, absque debita licentia legens tempore belli epistolas, seu literas alicujus Hæretici, hæresis continentes, quæ ad Incolas mittuntur, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ.

NOtandum primò, in Bulla Cœnæ, *Can. 1.* excommunicari omnes legentes scienter libros Hæreticorum, continentes hæresim, aut de Religione tractantes, & hanc excommunicationem esse Summo Pontifici reservatam. 1.

Notandum secundò, licere Gubernatori Arcis, aut Civitatis, tempore belli, aperire literas obseratas, & illas legere, quæ mittuntur ad Incolas. Ita Graff. *p. 1. Decis. lib. 2. de testib. cap. 156. num. 34.* Cesped. *in Dub. militar. dub. 62.* & alij communiter, ut fuit à nobis demonstratum *lib. 1. Diss. pertin. ad Principes. Diff. XVII.* 2.

Notandum tertiò, aperientem & legentem alienas literas obseratas, cum animo nocendi, universaliter loquendo, non posse à peccato gravi excusari. Ita docent Rodriq. *tom. 2. quæst. 36.* Graff. *p. 1. Decis. lib. 2. cap. 105.* Azor. *3 p. Inst. moral. lib. 13. cap. 31.* Navarr. *in Manual. cap. 18. num. 53.* & alij plures. 3.

Notandum quartò, in aliquibus casibus, ad aliquid prohibitum peragendum, sufficere licentiam tacitam, vel prudenter præsumptam, quando scilicet creditur prudenter Superiorem ita velle; Sic docet Ascanius Tamb. *de jur. Abbatis, disp. 9. quæst. 3. num. 1.* Et ratio est, quia taciti, & expressi par est virtus, *l. cùm quid ff. si cert. pet. & juxta l. 3 ff. de lega. 1. & l. 3. Cod. de fidejuss.* quamvis hæc regula non semper procedat, ut tradit Menoch. *cons. 108. num. 14. & cons. 461. num. 45.* 4.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Gubernator Civitatis, aut Arcis, absque debita licentia, legens tempore belli epistolas, seu literas alicujus hæretici, hæresim continentes, quæ ad incolas mittuntur, incidat in excommunicationem 5.

tionem Bullæ Cœnæ, affirmativè videtur respondendum. Nam appellatione librorum veniunt etiam literæ, cùm hoc nomen, liber, significet chartam, ut notat Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 1. quæst. 44. num. 1.* Unde sicut volumen aliquod ex multis chartis constans liber appellatur; ita etiam epistola ex paucioribus; quia plus aut minus non variat speciem. Qui verò legit libros hæreticorum hæresim continentes, incurrit excommunicationem Bullæ Cœnæ: Ergò & qui legit talem epistolam, sic sentit Megala, *in 3. par. lib. 3. cap. 1. num. 55.* Suarez, *de fide, disp. 20. sect. 2. sub. num. 10.* Præterea, lex prohibens legere libros continentes hæresim est favorabilis, cùm edita fuerit in favorem Religionis, & Fidei Catholicæ, qui principaliter considerandus est; & ideò amplianda, ut locum habeat non modò contra legentes hæreticorum libros, sed etiam contra legentes eorum literas hæresim continentes, aut de Religione tractantes. *Arg. Tex. in l. sunt personæ, ff. de Religiosis; & sumpt. funer.* Nec obstat, quòd Princeps, aut Gubernator Civitatis, aut Arcis, possit tempore belli aperire, & legere literas, quæ ad incolas mittuntur; quia bonum Religionis, ac Fidei Catholicæ præferendum semper est bono temporali.

6. His tamen non obstantibus, puto probabiliter, Gubernatorem legentem, tempore belli, hujusmodi epistolas, non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ, ita Sanch. *in Summ. tom. 1. lib. 2. Decal. cap. 10. num 29.* Portel. *in addit. ad dub. Regul. verb. Libri prohibiti, num. 7.* Sousa, *in explic. Bull. Cœn. cap. 2. disp. 13. concl. 1. num. 5.* Laym. *in Theol. moral. lib. 2. tract. 1. cap. 15. num. 3.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 1. quæst. 44. num. 6.* Bonac. *disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 21, vers. quarto.*

7. Moveor primò juribus, *in cap. Cùm dilectus, de consuet. & l. librorum, §. Quod autem Cassius, ff. de leg. 2.* ubi habemus, quòd in legibus usus loquendi prævalet omni rigori, & significationi verborum: Literæ autem, secundùm communem loquendi modum, & secundùm verbi significationem, non dicuntur libri. Unde cùm legis verba hæreticorum literis non conveniant, non debet ejus dispositio comprehendere legentem eas, hæresim continentes, sed tantùm legentes libros, *Arg. Tex. in l. 4. §. Toties, ff. de dam. infect.*

8. Moveor secundò rationibus; nam bonum commune tam spirituale, quàm temporale anteponendum est omni bono spirituali, & temporali privato. Atqui epistolæ, tempore belli, aperiuntur ob bonum publicum & commune ad manifestationem machinationum, & insidiarum, non solùm contra Civitatem, & Arcem, sed etiam contra mores, & Fidem Catholicam; cùm tempore belli hæreses magis soleant dilatari, & præcipuè per literas, & sermones privatos, & secretos. Tum quia, nos sumus in odiosis, in quibus benignior interpretatio facienda est, *cap. In pœnis, de regul. jur. in 6. & l. interpretatione, ff. de pœn.* Ergo dispositio juris contra legentem libros non debet extendi ad legentem epistolas; præcipuè cùm epistola non possit tam graviter lædere Fidem Catholicam sicut liber; cùm libri ad plurium manus perveniant. Tum etiam quia, attenta circumstantia belli, censetur Pontifex tacitè concedere Gubernatoribus Civitatum facultatem legendi hujusmodi epistolas, etiamsi veniant appellatione librorum.

9. Moveor tertiò exemplo, seu praxi in tot Principibus, Ducibus exercituum, & Arcium Gubernatoribus, etiam timoratæ conscientiæ, qui tempore belli solent aperire, & legere indifferenter epistolas, sive literas tam Fidelium, quàm Infidelium ad incolas missas; & cùm plures sint hæreticorum, contra Fidem Catholicam machinantium, probabile est saltem aliquas hæresim continere.

10. Concludendum est igitur, excommunicationem Bullæ Cœn. nequaquàm incurrere Civitatum, vel Arcium Gubernatores, si tempore belli aperiunt, & legunt epistolas hæreticorum, hæreses continentes, vel de Religione tractantes. Illis tamen consulerem, si quid Fidei Orthodoxæ contrarium in Epistolis hujusmodi legendis offenderint, ultra non progredi; tum ob periculum perversionis; tum etiam, quia sententia asserens, excommunicationem Bullæ Cœnæ extendi pariter ad legentem Epistolas hæreticorum, hæresim continentes, videtur etiam probabilis. Duar. *loc. cit. in addit. lit. B.* Diana, *p. 1. tract. 11. de Bulla Cœnæ. Ref. 34.*

11. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, negando literas, secundùm communem usum loquendi, dici libros; & sic patet sub dispositione juris non comprehendi literas legentem.

12. Ad secundam, concedendo hujusmodi dispositionem esse Fidei Orthodoxæ favorabilem; verùm, cùm sit pœnalis, est simpliciter odiosa; & ideò non amplianda, sed restringenda. *Arg. Tex. in cap. Odia, de regul. jur. in 6. & cap. Pœnæ, de pœn. Dist. 1.* & eò magis, quia agitur de pœna, quæ est maxima omnium pœnarum, qualis est excommunicatio Pontifici reservata, ut in *cap. Corripiantur, causa 24. quæst. 3.*

13. Infero primò ex dictis, non incidere in excommunicationem *Can. 1.* Bullæ Cœnæ, nec etiam censuras Indicis, illum, qui legit minimam partem librorum hæreticorum, hæresim continentium, vel de Religione tractantium, scilicèt paucos versus, vel potiùs unam, vel alteram lineam. Busemb. *lib. 7. de Conf. cap. 2. dub. 4. art. 5. num. 5.* Azor. *lib. 8. Institut. moral. part. 1. cap. 16. quæst. 3.* Sanchez, Sayr. & plures alij, quos citat, & sequitur Duardus in *Bull. Cœn. lib. 2. in Can. 1 quæst. 47. num. 4.* Contrarium tenet Ugol. *in explicatione Can. 1. Bull. Cœn.* ubi varijs rationibus, & juribus suam probat opinionem.

14. Infero secundò, legentem hæreticorum libros hæresim continentes; non tamen illos intelligentem, non incidere in excommunicationem *Can. 1.* Bullæ Cœnæ; Sanchez, *in Summ. tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 51.* quia qui legit & non intelligit, non potest eorum hæresim, & doctrinam imbibere: & ideò non præsumitur sub Pontificia prohibitione iste casus comprehensus. Contrarium tenet Megala, *in 3. lib. 3. cap. 1. n. 45.*

Infero

15. Infero tertiò, audientem legere libros hæreticorum, hæresim continentes, vel de Religione tractantes, non excusari ab excommunicatione lata contra legentes eos. Ita docent plures Doctores, quos citat Diana, *p. 1. tract. 11. de Bulla Cruc. Ref. 33.* Contra nonnullos apud ipsum Dianam, *eod. loc.*

16. Infero quartò, excusari ab omni culpa, & pœna illum, qui sciens aliquam epistolam, seu literam esse hæreticorum, & hæresim continere, non tradit illam Inquisitoribus, sed comburit. Ita videntur sentire Zachin. *in tract. de hæreticis, cap. 7. num. 7.* & Repertor. Inquisit. *verb. Libr.* Filliuc. *tom. 2. tract. 22. cap. 7. num. 208.* Diana, *p. 1. tract. 11. de Bulla Cruc. Ref. 37.* dum excusant ab excommunicatione (quidquid sit de peccato) illum, qui intelligens aliquem librum esse hæreticum, comburit illum, vel tradit iis, qui dictos libros legere possunt. quod tamen negat Suarez, *Tract. de fide, disp. 20. sect. 2. n. 23.* Azor. *p. 1. Inst. moral. lib. 8. cap. 16. q. 11.* & alij communiter.

17. Infero quintò obiter, non peccare aperientem alienas literas, ob solam curiositatem sciendi nova, vel captandi risum ex barbara compositione; aut voluptatem ex eleganti. Graff. *p. 1. Decis. lib. 2. de restib. cap. 135. n. 33.* Cesp. *in Dub. militar. dub. 63.*

18. Infero sextò, non peccare alienas literas aperientem, si hoc faciat ad malum, quod sibi, vel proximo probabiliter timet evadendum, quia jus naturæ de servanda vita, debet prævalere præcepto naturæ de servando secreto. cùm non possint duo præcepta naturalia contrarium dictantia simul observari, Sylv. *verb. Falsarius. quæst. 1.* Sanchez, *in Consilijs, p. 2. lib. 6. cap. 6. dub. 3. n. 1. 2. 3.* Nau. & alij.

19. Infero septimò, legentem literas inimici sui manifesti, si dubitat de malo aliquo contra se in ejusmodi literis contento, non solùm non peccare mortaliter, sed nec venialiter, seclusa tamen omni alia passione vitiosa. Ita docet Naldus, *in Sum. verb. Legere, n. 4.* quia hoc non est contra charitatem, sed in suam defensionem.

20. Infero octavò incidenter, literas, seu scripta componentem, seu evulgantem cum injuria, ac detrimento honoris, ac famæ alienæ, gravibus pœnis, etiam ultimi supplicij esse obnoxium; per Constit. Pij V, incip. *Romani Pontificis providentia*, editam anno 1572. in ordine 37. & per Constit. Gregor. XIII. incip. *Est rerum*, &c.

21. Infero nonò pariter incidenter, justè à Sancta Sede damnari libros hæreticos, hæreses continentes, de Religione tractantes, vel de hæresi suspectos; eosdémque legere, aut retinere rectè interdici quibusvis personis tam Clericis Sæcularibus, aut Regularibus, quàm Laicis cujuscumque statûs, gradûs, ordinis, & conditionis sint, etiamsi Episcopi, aut his majores fuerint; exceptis Inquisitoribus, & Commissarijs super hæretica pravitate à Sede Apostolica deputatis. Et hoc quidem juxta Const. Julij III. incip. *Cùm Meditatur*, Pauli IV. incip. *Cùm in futurorum*, Pij IV. Incip. *Pro munere*; ut videre est *in Directl. Inquisit.* & apud Azor. *loc. cit. quæst. 13.* Scimus enim, ut refert idem Azor. *Inst. mor. lib. 8. c. 16. q. 9.* Platonem libros Poetarum, Athenienses, libros Protagoræ, aliósque Ethnicos libros noxios, & contra receptam Religionem editos, solo naturæ lumine ductos, damnare, & flammis in foro tradere consuevisse.

XIV. DIFFICULTAS.

An Gubernator Provinciæ, & cæteri Officiales, qui ratione officii morantur in aliqua Urbe, vel Arce, teneantur ad Festa, & jejunia, quæ sunt propria illius Loci.

1. Notandum primò, Principes sæculares licèt non habeant potestatem indicendi Festivitates, cùm hoc sit Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut clarum est, posse tamen mandare sub pœnis, ut subditi ipsorum in certis diebus Sanctorum non exerceant judicia, & se abstineant ab omnibus servilibus, & Transgressores statutis pœnis puniri. Abb. *in cap. 2. de Ferijs.* Sylvest. & alij, quos recensent, & probant Suarez, *lib. 2. de diebus festivis, cap. 12.* Reginal. *lib. 19. num. 7.* An verò Transgressores peccent mortaliter, videndos est doctus Molfesius, *in Summa tom. 1. tract. 9. cap. 9. à num. 29. usque ad 33.*

2. Notandum secundò, domicilium esse duplex, originis scilicet, & habitationis; domicilium originis non dici locum, in quo quis natus est tempore, quo parentes ejus ibi aderant ad tempus, negotiationis causa, aut alia ex causa; tunc enim non erit loci originarius, in quo natus est; sed natus fingitur, ubi parentes habitationis domicilium sortiebantur, & habetur ex Tex. *in l. filios, Cod. de Municip. lib. 10. & leg. cives, in fin. Cod. de Incol. eod. lib.* Domicilium verò habitationis contrahi statim, ac quis incipit alicubi habitare, animo ibi perpetuò manendi, ut in *leg. domicilium, ff. ad municipal.* undè ad domicilium habitationis comparandum duo copulativè requiri, nempè habitationem inchoatam, & animum perpetuò habitandi, docet Felin. *in cap. Dilectus, ll 2. num. 31. & 12. verb. secundus casus,* Rot. Rom. *in novis. p. 2. dec. 150. num. 4. & sub. 6.* Et ideò domus non est sufficiens domicilium constituere, ut habetur ex Inn. *Cap. Ex parte, de for. comp.* sicut nec sola habitatio sine animo in tali loco perpetuò habitandi.

3. His adnotatis, ad difficultatem propositam; an Gubernator Provinciæ, & cæteri Officiales, qui ratione officij, morantur in aliqua Urbe, vel Arce, teneantur sub pœna peccati ad Festa, & jejunia, quæ sunt propria illius Loci, negativè respondent Turrecrem. *in Cap. Quo jure, §. Dignit. Dist. 8. ad quartum n. 8.* Angl. *in florib. quæst. 4. 4. de jejun. diffic. 2. ante dub. 1.* Pasqualig. *de jejun, decis. 189.* & alij, quorum fundamentum est, quia hujusmodi Officiales, qui officij tantùm causâ in Civitate, aut Arce morantur, cùm non habeant animum ibi perpetuò commorandi, nullo modo acquirunt domicilium; & ideò non tenentur ad festa, & jejunia, quæ sunt propria loci, ubi morantur.

4. Veriùs tamen, longéque probabiliùs arbitror, Gubernatores Provinciarum, Oppidorum, cæterósque Officiales teneri ad festa, & jejunia, quæ de consuetudine sunt propria illius loci, ubi morantur. Cespedes, *in Dubijs militarib. dub. 58.* Leander, *p. 3. de observat. Festorum, tract. 1. disp. 3. quæst. 12. & 13.* & alij apud ipsum; in terminis, Suarez, *tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 14. num. 2.* Sanchez. *de matrim. lib. 3. disp. 18. num. 9.* Baldell. *in Theolog. moral. lib. 5. disp. 52. num. 4.* & alij loquentes de Scholaribus, & Advenis, qui, quoad domicilium, seu habitationem, militibus comparantur.

5. Moveor primò juribus saltem illativè *in Cap. Non decet, Dist. 12. & cap. Nolite, Dist. 11. cap. 1. Dist. 112. cap. Celebritatem, de consecrat. Dist. 3. cap. Cùm non liceat, de præscriptionib.* & alijs, ubi habetur, absurdum esse, quòd capita non se conforment membris, Præfecti autem, Prætores, Gubernatores, Officialésque omnes Civitatum, Arcium, Oppidorum, sunt Capita suæ Communitatis; ideóque eisdem obligationibus debent subesse, ac ipsa subest.

6. Moveor secundò rationibus; nam dicti Officiales, licèt non habeant animum perpetuò habitandi, seu morandi in tali loco explicitè, habent tacitè, & interpretative, scilicet, si ita mandaverit eis eorum Princeps; & sic acquirunt domicilium, vel saltem acquirunt quasi domicilium, quod omnes concedunt: & hoc puto sufficere, ut dicti Officiales teneantur ad festa, & jejunia particularia Oppidorum, in quibus majori anni parte morantur, ut optimè probant Suarez, Sanchez, *loc. cit.* Tum quia. ita postulare videtur bonum regimen; faciliùs enim à subditis leges, consuetudinésque observantur, si vident ab Urbium Majoribus illas observari. Tum etiam quia, Officiales inferioribus non se conformare in rebus negotia Animæ concernentibus, sensui communi repugnat, & bonis moribus; quia ex hoc non tam admirationes, quàm scandala orirentur.

7. Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi. Scimus enim ab Officialibus Urbium Festa observari, quæ in illis celebrantur. Et ita fuisse practicatum hisce nostris temporibus, durante ultimo Pedemontis bello, in pluribus locis, mihi responderunt duo Viri, pietate, doctrinâ, & experientiâ celeberrimi; ideóque omni fide dignissimi, circa hanc materiam à me utpotè Amici mei charissimi, consulti, nempè Sebastianus Valfrè ex Congregatione Oratorij, qui Taurinensis Archiepiscopus à Regali Celsitudine Victorij Amedei Ducis Sabaudiæ nominatus, mira humilitate insigne munus rejecit, & Hieronymus Meazza ex nostro Ordine Sac. Theol. Professor, & pro Sancta Inquisitione Mediolan. Librorum Censor; & dein Consultor, uterque multis voluminibus clarus.

8. Concludimus igitur, Gubernatores Urbium & Arcium, cæterosque Officiales debere vivere secundùm leges, & consuetudines loci, in quo sunt, si velint ibi habitare; atque adeò Festa, & jejunia, quæ ibi observantur, observare.

9. Ad rationem in contrarium ex dictis patet sufficienter responsio, nempè, Gubernatorem Urbis, vel Arcis, cæterosque Officiales pluribus annis, vel saltem majori parte anni esse ibi habitaturos, & hoc sufficere ad constituendum domicilium, si non simpliciter, saltem quasi domicilium, ut optimè probat Sanchez, *de matrim. lib. 3. disp. 18. num. 9.*

Infero primò ex dictis, familiam Officialium teneri sub pœna peccati observare Festa, & jejunia propria loci, in quo morantur; quia & ipsi veniunt nomine Officialium, ut notat Boer. *quæst. 149. post initium*: nam & ipsi acquirunt quasi domicilium. 10.

Infero secundò, milites in aliqua Regione degentes teneri ibi confiteri, & posse etiam ibi votorum, & aliorum casuum dispensationem obtinere; & posse etiam ibi omnia Sacramenta suscipere, excepto tamen Sacramento Ordinis. Ita sentiunt Ancharanus, Sanchez, & alij plures, quos refert Facundez, *lib. 1, cap. 8. de primo Ecclesiæ præcepto, num. 6.* 11.

Infero tertiò, Votum Communitatis de jejunio obligare etiam Officiales, & milites ibi hospitantes, aut de præsidio; quia cùm ibi habeant quasi domicilium, sicuti obligantur consuetudine loci, ut diximus, ita & voto Communitatis, quia non plùs obligat consuetudo, quàm votum. Contrarium sentit Pasqualig. *in praxi jejunij, decis. 195.* 12.

Infero quartò, Officiales teneri servare jejunia, quæ præcipiuntur ab Episcopo Communitati, quia acquirunt quasi domicilium; atque adeò incorporantur Communitati; & proindè lex, & præceptum respiciens Communitatem, extenditur etiam ad ipsos. Contrarium defenditur à Pasqualigo, *loc. cit. decis. 198.* 13.

Infero quintò, Vagos teneri ad festa, & jejunia propria locorum, per quæ transeunt, vel ubi reperiuntur; quia cùm Vagi non habeant proprium domicilium, illud sortiuntur ubicunque reperiuntur; & ideò ligantur legibus, & consuetudinibus proprijs locorum; aliàs essent exempti ab omnibus statutis, & legibus locorum; nullum haberent Episcopum, nullum Parochum, quod repugnat rectæ gubernationi, ut probat Sotus, *in 4. dist. 18. quæst. 4. n. 2. §. Similiter*, Sanchez, *loc. cit.* Suarez, *tom. 1. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 14. num. 20.* & innumeri alij. Contrarium tenent Medina, Sayrus, Lessius, Layman. & alij. 14.

Infero sextò, Advenas teneri ad jejunia propria Locorum, per quæ transeunt, aut dum sunt in transitu, aliquo tempore in illis morantur: ita docent etiam omnes asserentes Advenas esse subjectos consuetudinibus, & legibus jejuniorum, Festorum, & aliorum similium. Felin. *in Cap. Quod Clericis, de foro compet. Cardinal. in Clem. 2. quæst. 5. de celebrat. Miss.* & alij plures. Contrarium tenent Palud. *in 4. Dist. 15. q. 4. art. 3. n. 24.* & plures alij. 15.

Infero septimò, Peregrinos accedentes ad aliquem locum animo ibi habitandi per quatuor, tres, aut duos menses, imò & per unum, teneri ad Festa, jejunia, & alias leges proprias illius Loci. Ita tenet etiam Leander, *par. 5. tract. 1. disp. 3. quæst. 20.* ubi citat alios pro se; quia hoc 16.

tempus

tempus videtur sufficere ad inducendam obligationem Festorum, jejuniorum, & similium. Contrarium tenent plures ab eodem Leand. ibi relati.

17. Infero octavò, Religiosos teneri ad jejunia Loci, quæ ex voto obligant Communitatem. Ita docet etiam Sanch. *lib. 4. in Decal. cap. 15. num. 21.* Portell, *in Dubijs Regular. verb. Festi dies, in addit. num.* 4. & alij: quia tale votum est emissum pro communi omnium utilitate, de qua participant etiam ipsi Religiosi. Contrariam sententiam putant esse tenendam plures Doctores.

18. Infero nonò, Regulares exemptos teneri ad jejunia, quæ pro certò die, vel fixa lege indicit Episcopus. Ita etiam docent omnes, qui sostinent Regulares obligari ad servandas Constitutiones Synodales, & Episcopi. Vasq. *tom. 2. disp. 167. nu. 34.* & alij plures. Contrarium docet Azorius, *par. 1. Instit. moral. lib. 7. cap. 19. quæst. 2.* Fagundez, Suarez, & alij.

19. Infero decimò, Lectores, & Scholares Universitatum teneri ad Festa, ad jejunia, ad auditionem Sacri, & ad alias leges proprias Locorum, in quibus sunt, & studijs vacant. Sic Sanchez, *loc. cit.* Leander. *loc. cit. quæst.* 11. Sed contrarium docetur à pluribus præcipuè Pasqualigo, *in proxi de jejun. decis. 188.*

XV. DIFFICULTAS.

Officiali injuriam impingenti militi cuidam, nempè in excubijs obdormisse, respondit miles. Tu dicis falsum: *Dubitatur num miles peccaverit, & fuerit puniendus.*

1. Notandum primò, injuriam generaliter sumptam significare omne delictum ex animo, & à volente factum; & sic demum omne, quod non jure fit, *l. 1. ff. de injur. & Inst. de injur. in princ.* specialiter autem sumptam non differre à contumelia, & dolo; & in hac significatione videtur sumpsisse Ulpian. *in l. sed & si quemcunque, in princ. ff. ad leg. Aquil.* & quandoque sumi etiam pro iniquitate sententiæ, ut vult Ulpian. *in l. 1. §. 1. ff. de injur.* dum ait. Nam cùm quis iniquè, „ vel injustè sententiam dixit, ex eo injuriam di„ cam, quòd jure, & justitia careat quasi non ju„ riam.

2. Notandum secundò, mendacium esse loqutionem contra mentem, cùm unum habemus in ore, & aliud sentimus in corde, & successivè esse actum contrarium veritati, *Cap. Homines, causâ 22. quæst. 2.* & secundùm S. Aug. relatum *in Cap. Beatus, §. Ille, ead. causa. & quæst. & in lib. de mendacio, cap. 3.* esse falsam vocis significationem cum intentione fallendi, aut nocendi.

3. Notandum tertiò, defensionem, secundùm Theologos, & Casuistas, fieri ab injuria inferenda, seu quam Adversarius vult inferre, non autem ab ea, quæ est illata, aliàs esset vindicta, & consequenter non esset licita, ut notat Diana, *part. 6. tract. 6. & miscell. 1. Res. 16.*

4. Notandum quartò, secundùm Bart. *cons. 52. num. 12. & seqq.* idem prorsùs significare verbum, *mendacium dicis*, ac verbum, *mentiris*; cùm nihil aliud sit dicere alicui *mentiris*; quàm illi mendacium irrogare, quasi falsum asseruerit.

5. Notandum quintò, secundùm Menochium, *lib. 1. cons. 41. num. 9.* duas esse species mentitæ, unam, quæ non fit ad illatæ injuriæ repulsationem, sed potiùs ad impingendum mendacium asserenti: Alteram verò, quæ solet adferri ad proprij honoris defensionem, & ad repulsationem illatæ injuriæ.

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles respondens Officiali, eum asserenti obdormisse in excubijs. *Tu falsum dicis*, peccet, & sit puniendus, negativè respondent Alex. *in addit. ad Bart. in leg. item apud Labeonem. §. Ait Prætor, num. 3. lit. E. ff. de injur.* & alij, quos refert Farin. *in Theor. & prax. crim. quæst 105. num. 128.* & Crispolt. *in suis Casib. militar. cas. 12.* asserentes, hæc verba, *Tu dicis falsum*, nullam inferre injuriam præcisè per se, ex vi eorum significationis, dummodò absit in proferente animus injuriam inferendi. Nam Officialis asserens, militem in excubijs obdormisse, ejus famam, & honorem offendit: dedecus enim est inter milites in excubijs dormire. Qui verò pro sui defensione dicit alterum dicere falsum, non eum offendit. Siquidem offensa illa dicitur, qua quis alterum injustè lædit. Ita Bar. *in l. licitatio, §. Qui illicitè, num. 4. ff. de public. & vectig.* Ruin. *cons. 42. num. 16. cons. 43. num. 19. cons. 49. num. 6.* Menoch. *lib. 1. cons. 41. num. 23.* & ideò cùm miles offensus respondens Officiali, *Falsum dicis*, ad sui defensionem justè fecerit, non dicitur eum offendisse, sed suum honorem defendisse; & per consequens nec peccasse, nec puniendum fuisse.

7. Verùm, re attentè, theologicè magis, quàm juridicè, & quidem longo studio perpensa, contrarium verius esse existimamus, nempè militem & peccare, & pœnæ esse obnoxium, præsertim si ità agitatus illa verba protulerit, quamvis dixerit, *Falsum dicis*, aut *mentiris*, *salvo honore tuo.* Bartol. post Dynum, *in l. si quis extraneus. in princ. ff. de acquir. hæredit. & in leg. item, apud Labeonem, §. Ait Prætor, in vers. & ideò puto, ff. de injurijs*, Jas. *in l. ut vim, in fin. ff. de just. & jur.* Alciat. *in l. desertatio, §. 2. de verb. signif.* Dec. *cons. 487. num.* 4. Socin. jun. *cons. 123. num. 20. lib. 2. & cons. 103. num.* 10. Baiard. *in addit. ad Clar. in §. Injuria, num.* 20. Bertazzol. *cons. 152. num.* 12. & alij plures, quos refert Tull. Crispolt. *in Casib. militar. cas. 12. num.* 2. omnes firmiter asserentes, injuriam inferri ab eo, qui alteri irato animo dicit. *Tu dicis falsum*; atque adeò esse pœna extraordinaria puniendum.

8. Moveor primò juribus, *in l. 1. §. 1. ff. ad Senatus Consultum Turpil.* ubi idem videtur esse dicere, *Falsum dicis*, seu *mentiris*, ac dicere, *inscienter falsum dicis*: quod est excedere terminos defensionis à jure minimè concessum.

9. Moveor secundò rationibus; nam verbum, *falsum dicis*, aut, *mentiris*, ex natura sua est offensivum: non solùm enim illatam injuriam repellit,

pellit, sed etiam novam Officiali infert; facit enim illum calumniatorem. Tum quia, communis Theologorum doctrina est, defensionem debere fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ; ita ut vitetur, quantùm potest proximi offensa: quod miles accusatus minimè servavit, cùm potuerit dicere, *hoc non est verum, semper in excubijs vigilavi, vel fuisti malè informatus.* His, & tot alijs similibus modis poterat uti ad se defendendum; adeóque censetur potiùs vindicta, quàm defensio; præcipuè quia vindicta, ut docent Casuistæ, est ab injuria illata, & defensio est ab injuria inferenda: Vindicta autem est jure divino prohibita. Quibus addo, in militia, ubi modica honoris jactura magni æstimatur, verba etiam dubia, si convicium subolere possunt, quasi injuriosa puniri; à fortiori verba ex eorum natura offensiva. Ex quibus constat, militem dicentem Officiali, *falsum dicis*, aut, *mentiris*, graviter deliquisse, & delictum fore puniendum.

10. Moveor tertiò exemplo in Christo, qui est Dominus DEUS Exercituum; Isa. *cap. 6. num. 3.* cùm ei dicerent Pharisæi, *Dæmonium habes*, non respondit, *mentimini*, aut *falsum dicitis*; sed dixit, *Ego dæmonium non habeo*, Jo. *cap. 8. num. 49.* Quod aut præceptum sit, aut consilium, claré ostendit non licere alteri mentitam dare, aut dicere, *falsum dicis*; Unde Dux Sabaudiæ, ut refert Menoch. *lib. 5. Consil. conf. 41. num. 1.* suo edicto gravi admodum sub pœna sancivit nemini licere hujusmodi verba alteri impingere, tanquam graviter injuriosa, & sic offensiva, ne contendentes ad arma deveniant, & se defendentes christianam charitatem offendant.

11. Concludendum est igitur, cùm tantùm illa verba sint indifferentia, quæ à solo proferentis affectu injuriam sumunt; & miles potuerit alijs modis se defendere; verba, quæ Officiali dixit; *Tu dicis falsum*; tanquam ex se injuriosa, non posse à peccato excusari, & à punitione.

12. Ad rationes contrariæ sententiæ, quæ sua probabilitate non caret, patet responsio ex dictis.

13. Infero primò ex dictis, nihil valere, ad tollendam malitiam, conditionem, quæ aliquandò ponitur in mentita, adeóque non licere dicere; *Tu mentiris, salvo honore tuo*, Ita DD. citati.

14. Infero secundò, dicere animo irato alicui: *Tu non dicis verum*, esse injuriam, præcipuè secundùm Galios, ut notat Boss. *in tit. de injur. num. 7.* & secundùm omnes, asserit Socin. jun. *consil. 103. num. 10. lib. 3.* ubi consuluit in casu, in quo per testes probatum fuerit apud milites, & personas honoratas paria esse dicere: *Tu mentiris*, & *Tu non dicis verum.* Contrarium tenent alij.

15. Infero tertiò, injuriam inferri ab eo, qui alteri dicit: *Tu dicis mendacium.* Ita Bertazzol. *conf. crim. 152. num. 11. & seqq. lib. 1.*

16. Infero quartò, esse injuriam non solùm mentitam conditionalem, cùm quis dicit. *Si tu hoc dixisti, aut dicis, mendacium dicis, aut mentiris.* Sed etiam mentitam impersonaliter sumptam; ut puta, quando quis dicit: *Mento por la gola chi verrà dire.* Contrarium tenet Bertaz. *conf. 135. num. 1. lib. 1.* Baro, *conf. 173. num. 11. in fin. & seqq. lib. 3.*

Infero quintò, mentitam datam ex intervallo esse punibilem, quamvis fuerit data ad depulsionem injuriæ illatæ. Ita tenet Bologner. *in l. ut vim, num. 94. vers. sed ego puto, ff. de just. & jur.* Gayl. Boss. Baiard. & alij. 17.

Infero sextò, non licere dicere contumelioso, *mentiris*, quando objicit crimen verum occultum, aut quod scivit secreto naturali; ut si ab eo consilium petivit, sponso priùs secreto naturali. Contrarium docet Hurtadus de Mendoz *in 2. 2. disp. 70. sect. 14 §. 121.* Bannez. *in 2. 2. quæst. 64. art. 6. dub. 4. vers. ad argumenta*, Bart. *in l. qua omnia, ff. de procurat. §. 1.* Philip. Dec. *conf. 487. num. 4.* 18.

Infero septimò, non licere militi honorato interficere eum, qui sibi dicit, *mentiris.* Azor. *p. 3. Inst. mor. lib. 2. c. 1. q. 17.* Pasqualigus, & alij; quia nec minùs conservat suum honorem occidendo, cùm per talem occisionem non ostendat se non mentiri; adeóque adhuc remaneat injuriatus. 19.

Infero octavò, provocatum verbis, si facto offendit; ut si post mentitam, daret alapam injurianti, aut illum vulneraret, esse puniendum, licèt mitiùs Farin. *in prax. & theor. crimin. quæst. 105. num. 320.* ubi alios citat. 20.

Infero nonò, injuriantem, qui ab injuriato mentitam accepit, non posse licitè mentientem facto offendere ad depulsionem injuriæ ex mentita sibi data provenientis, etiam si ipse injurians verum dixerit, & quod mentita fuerit injusta. Ita tenet etiam Bologner. *in l. ut vim, num. 95. ff. de just. & jur.* quidquid dicant alij. 21.

Infero decimò, injuriam provenientem sive ex mentita data, sive aliunde, esse remittendam; ita præcipiente Domino Nostro JEsu Christo; & posse remitti, aut expressè, ut quando fit remissio per pactum, conventionem, seu transactionem, & præsertim juramento valiatam. Textus est *in l. non solùm, §. Injuriarum actio, in fin. vers. proinde, ff. de injur.* & ibi Gloss. *verb. Non tenebit*, Bart. ibi post *num. 2.* Aut tacitè; ut quando, ex signis, & conjecturis reconciliationis censetur remissa injuria. Ita docet Bart. & est communis DD. sensus, *leg. in ipsius, Cod. fam. ercifcun.* Conjecturæ verò, & præsumptiones, ex quibus deducitur tacita remissio injuriæ sunt plures. Ut est dissimulatio injuriæ. Familiaris conversatio cum eo, à quo recipitur injuria. Salutatio vicissim facta ab injuriato, & injuriante. Manducare, aut bibere simul injuriatus, & injurians. Grata servitia præstita ab injuriato injurianti: vel è contra; ludere, ridere, & quid simile facere simul injuriatus, & injurians; & aliæ plures, quas refert, & explicat cum suis limitationibus Farinac. *loc. cit. inspect. 8. num. 334. & seqq.* 22.

* *
*

XVI. DIFFICULTAS.

Milites contra expressam, vel tacitam supremi Officialis, seu summi Ducis prohibitionem, hostium Domos incenderunt, aliaque damna illis intulerunt. Dubitatur, num peccaverint; & ad restitutionem damni illati teneantur.

1. NOtandum primò, hoc verbum, *Restituo*, idem significata, tum apud sacros, tum apud profanos Auctores, quod reddere alicui, quod est ab eo ablatum, seu acceptum, ut *lib. 1.* fuit à nobis fusè explicatum.

2. Notandum secundò, restitutionem communiter sic describi. Restitutio est actus justitiæ commutativæ, quo secundùm æqualitatem rei, ad rem redditur alicui, quod ab eo, vel volente, vel invito est acceptum. Ita observat Valentia, *tom. 3. disp. 5. quæst. 6. de restitut. punct. 1.* sed meliùs, meo videri, saltem quoad rem nostram, posse restitutionem describi, seu appellari repositionem rei in pristinum statum, *l. 1. Cod. de sent. pass. & restit. l. quod simsuor. §. Restitutio, ff. de minor.* cum alijs cumulatis per Borguin. *decis. 14. num. 12.* Molf. *Comment. ad Consuet. Neapol. p. 4. de success. ab intest. q. 70. n. 8.*

3. Notandum tertiò, in bello justo non esse illicitum per se, si necessarium erit ad bellum gerendum, incendere hostium Domos, & Civitates, devastare Agros, aliaque damna inferre ad deterrendos hostes. Ita asserit Victoria, *Relect. 6. de jur. bell. num. 39. & 40.* Molin. *tom. 1. de just. disp. 120. & 121.* Azor. *3. p. Instit. mor. lib. 1. cap. 7. quæst. 14. & 15.* Tabiena, *verb. Bellum, n. 11.* Bonacina *tom. 2. de restit. in particul. disp. 3. quæst. ult. sect. 1. punct. ult. §. 2. num. 16.*

4. Notandum quartò, posse milites in bello justo incendendo, devastando, aliaque damna inferendo, moveri dupliciter, scilicet, ab expressa, vel præsumpta Principis, seu Ducis supremi voluntate, vel contra expressam, aut præsumptam illius voluntatem. In primo casu fas esse, in secundo nefas affirmat Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 101.*

5. Notandum quintò, posse Principem, seu Ducem supremum belli ex duplici motivo, seu fine moveri ad prohibendum militibus incendera Domos, Agros vastare, aliaque damna hostibus inferre, videlicet, aut ne hostibus nocumentum inferatur, aut ut disciplina militaris servatur; & ita observat Molina, *loc. cit.*

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, num milites in bello justo incendendo hostium Domos, aliaque damna illis inferendo contra expressam, vel præsumptam supremi Capitis voluntatem, peccent, & teneantur ad restitutionem damnorum; respondemus affirmativè, si finis, seu motivum prohibitionis fuit, ne hostibus damnum inferatur, vel ne inferatur, nisi ad certos limites, cùm id postulare videatur æquitas, aut justitia belli, vel Pietas christiana, præsertim quando bellum cum Christianis geritur. Victoria, *Relect. 6. de jure belli, n. 53.* Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 101.* Azor. *3. par. lib. 1. cap. 7. quæst. 14.* Reginald. *lib. 21. suæ praxis, num. 105.* Palaus. *de charit. tract. 6. disp. 5. punct. 4. num. 5.* Molfesius, *in Sum. par. 1. tract. 8. cap. 13. num. 105.* Sa, *verbo, Bellum, num. 6.* Bannez, Rodriq. Navar. & alij, quos citat, & sequitur Bonacina, *tom. 2. de restitut. disp. 2. quæst. ult. sect. 1. punct. ult. §. 3. sub. num. 16.*

7. Moveor primò juribus, *in l. qui à latronibus, ff. de testam.* ubi habetur, ablata, seu damna data in bello, sine auctoritate, seu facultate Principis, restitutioni esse obnoxia: & sic Raptores, seu Damnificatores, qui ad suum libitum discurrunt, puniendi sunt, ut *l. hostes, ff. de capt.*

8. Moveor secundò rationibus; nam damna, quæ sine legitima auctoritate inferuntur, etiam Adversarijs censentur injustè illata. Ergo sunt restituenda. Tum quia, milites privati non sunt Judices, sed executores; tantùm enim quod eis justè mandatur, possunt, & debent exequi; & ideò aliter faciendo, scilicet, contra legitimam prohibitionem damnum aliquod hostibus, vel alijs inferendo, ad restitutionem tenentur.

9. Moveor tertiò exemplo in exercitu sub strenuissimo Duce Albano misso in Lusitaniam anno 1580. à Philippo Hispaniarum Rege, qui cùm nulla ratione noceta hostibus intenderet, nec vellet jure belli contra hostes nisi resistentes procedere, sed vellet in eos moderatè admodum, & suaviter, prout pietas sui Animi, & res ipsa postulabat, se gerere, quicunque ex suis damnum hostibus inferebat, præter severam punitionem, ad restituendum obstringebat. Sic refert Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 101.*

10. Concludimus igitur, renuente tacitè, vel expressè Principe, vel summo Duce exercitùs militibus facultatem nocendi Adversarijs, semper milites peccare mortaliter, violando præceptum, & ad restitutionem damni illati teneri.

11. Infero primò ex dictis, milites Incendendo Domos, vel alia damna hostibus inferendo contra legitimam prohibitionem, non teneri restituere, si prohibitio solùm fuit juxta notata, ut servaretur disciplina militaris; cùm peccatum tunc sit ex transgressione præcepti, & non sit voluntas Principis, ut debeant damnum resarcire; probabiliter enim, ait Molfes. *loc. cit.* præsumitur ei gratum esse hostium damnum, cùm tali damno debiles fiant; quamvis militantium inobedientia illi displiceat.

12. Infero secundò, inferentes damnum alijs contra legitimam prohibitionem, ut in vineis, possessionibus, armentis, & similibus, peccare (seclusio casu extremæ necessitatis) & teneri saltem pro rata restituere, ut vult Navar. *in Sum. cap. 17. num. 22.* Sylvest. & alij. Dixi saltem pro rata; nam Covarr. *in reg. peccatum, par. 2. §. 11. num. 2.* & Joseph Angles sustinent, milites inferentes simul damnum teneri in solidum damnum restituere, ut infrà clariùs explicabitur.

13. Infero tertiò, ementem à milite, vel ab alio res contra legitimam prohibitionem furtivas, & scientem esse furtivas, teneri illas restituere, vel si pereant in suis manibus, valorem alio modo compensare. Secùs verò, si bona fide emat illas, & du-

& durante bona fide peterant, vel fuerint alienatæ, tunc enim ad nihil teneri, nisi ad id, in quo factus esset locupletior; benè docet Sayr. *lib.* 10. *Clav. Reg. tom.* 2. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 4. & 7. Duardus *in Bull. Cœn. lib.* 2. *Can.* 5. *quæst.* 11. *num.* 15.

14. Infero quartò, si domus, aliaque bona etiam Ecclesiastica, vel Ecclesiasticorum, vel aliorum innocentium essent igni tradita, vel alio modo devastata, sed auctoritate legitima, & juxtà belli indigentiam, non adesse obligationem ea restituendi, nisi quia ex illis factus esset locupletior: quoniam per accidens hujusmodi damna secuta sunt. Ita etiam docet Molina, *tom.* 1. *de just. tr.* 2. *disp.* 120.

15. Infero quintò, incendiarium bonæ fidei, vel bonæ fidei possessorem, licèt non teneatur ad ullam restitutionem, si res perierit, aut nisi locupletior evaserit; quia nec ipsa apud eum est, nec lucrum fecerit ex re; teneri tamen ad restituendos fructus rei si extant: nam qui Dominus est rei, idem naturaliter Dominus est fructuum rei.

16. Infero sextò, bonæ fidei possessorem teneri ad restitutionem & rei, & fructuum consumptorum rei, si modò aliàs quoque tantundem consumpturus fuerat: cùm in hoc locupletior censeatur factus: sic magnis extollitur encomijs circa initia Imperij C. Cæsar Caligula, quòd quibus Regna restituit, adjecit & fructus medij temporis.

17. Infero septimò, eum, qui scienter rem furtivam emit à fure, licèt teneatur in foro contentioso ad ejus restitutionem, vel æstimationem, *l. eos, Cod. de furt.* Joann. Lup. *in Rub. de donat. inter vir. & uxor.* §. 65. *num.* 53. Covarr. *in reg. peccatum, par.* 3. §. 12. *vers. qui certo*, non posse à Domino petere pretium, quod dedit, *leg. incivilem, Cod. de furt.* etiamsi statutum esset, quod petere posset, cùm sit contra bonos mores. *Cap. Quæ contra, Dist.* 8. neque in dicto foro contentioso agere de tali pretio contra venditorem; nam sibi obstaret sua turpitudo; nisi tamen expressè caverit, *Cap. Hoc jus, causa* 10. *quæst.* 2. *l. si mancipium, Cod. de rei vend.* Secùs verò in conscientia; cùm possit rem eidem restituere, & ab eo pretium petere, juxtà sensum Alex. de Ales. *in* 4. Alij tamen satis probabiliter judicant oppositum, cùm dicant illum teneri rem Domino suo restituere.

18. Infero octavò, conductorem domûs non teneri ipsi locatori ad damna passa occasione incendij, per ejus famulum in conductam domum immissi propter inimicitiam, quam habebat cum locatore, nisi vel is fuerit in lata, aut levi culpa, vel etiam famulus deliquerit in officio, cui præpositus erat, puta; in coquina, in fornace, in stabulo, vel similibus. Gozad. *cons.* 63. *num.* 14. *juncto num.* 16. & *num.* 18. *ad finem*, Rol. *cons.* 95. *num.* 11. *ad finem*, & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *Consil. criminal. tom.* 1. *cons.* 63. ubi respondet ad objectum, quòd in instrumento locationis fuit promissum uti re locata, more boni Inquilini, eamque restituere potiùs melioratam, quàm deterioratam, dicens, quòd tale pactum, quo continetur idem, quod ex juris communis dispositione venit, non obligat plùs, sed efficaciùs, *l. qui pactus est, Cod. de pact. pignor.* Natta, *consil.* 416. *num.* 8. *lib.* 2. omnisque promissio in contractu locationis apposita, intelligitur secundùm ejus naturam. *l. quæro*, §. *Inter locatorem, ff. locat.* Obiter hæc dicta sint ob aliquam contingentiam facti.

Infero nonò, eum, qui certò restituere debet uni ex quinque, sed verè ignorat, quisnam sit ex illis quinque, cui facienda est restitutio damni illati, teneri æqualiter pecuniam, seu aliam rem, quæ datur ad compensationem, inter illos dividere. Docet etiam Naldus, *in Sum. verb. Restituere, num.* 22. 19.

Infero decimò, eum, qui tenetur restituere ob damnum illatum, vel ob rem casu inventam, vel ob aliam causam, & facta diligenti inquisitione, si Dominus legitimus, vel ejus legitimus hæres non invenitur, debere rem illam, vel pecuniam dare pauperibus, vel, si ipse est pauper, posse sibi in parte, vel in toto retinere illam, saltem de consilio Episcopi, aut Confessoris, sine onere orandi, aut pia opera faciendi, pro Anima, cujus res erat. Navarr. *cap.* 17. *num.* 170. Graff. *par.* 1. *Decis. lib.* 2. *de restitut. cap.* 119. *num.* 10. Nos tamen ei orare pro Anima legitimi rei inventæ Domini suademus. 20.

Infero undecimò, damnificantem, quomodocunque damnum inferat; si à jure prohibeatur, absolvi ante restitutionem, nihilominùs posse absolvi, si excusetur aliquo ex illis modis, per quem alij excusari solent; quia jura hoc prohibentia, intelliguntur de illo, qui potest, & non vult, restituere. Ita docet etiam Nald. *loc. cit. num.* 24. 21.

Infero duodecimò, milites, qui contra voluntatem expressam, vel tacitam Principis, vel summi Ducis, incenderunt domos hostium, vel alia damna illis intulerunt, si non possunt restituere, & sunt constituti in articulo mortis, posse absolvi, sed cum onere, ut provideant, seu curent, ut saltem per hæredem fiat restitutio; & si esset periculum amittendi linguam, vel usum rationis, & consequenter impotentiæ mandandi hæredi restitutionem impositam, posse Confessarium ipsum, obtinere ab illis pœnitentibus facultatem, ut id vice eorum suppleat. Nald. *in Sum. verb. Restituere, num.* 24. Quod tamen cùm maxima cautela esset agendum, dum de inviolabili, & Sacrosancto sigillo agitur Confessionis. 22.

XVII. DIFFICULTAS.

Cuidam militi ex devastantibus contra præceptum sui Officialis hostium Regionem, volenti comburere domum cujusdam pauperis, consuluit socius comburere domum alterius civis ditioris, Dubitatur, num tale consilium fuerit licitum.

Notandum primò, consilium multipliciter sumi; aliquando pro deliberatione propria, qua unusquisque in se ipso decernit, & judicat de agendis, & non agendis. D. Tho. 1. 2. *quæst.* 1.

14.

24. *art.* 3. *&* 4. Aliquando pro consensu ratione subjectæ materiæ. Habetur casus *in cap. Venerabilis*, & ibi Gloss. *verb. Consilio*, *de off. delegat.* ubi dicitur, quòd Episcopus habens Coadjutorem, nihil faciat sine consilio Coadjutoris: & Gloss. intelligit sine consensu. Aliquando pro persuasione, vel propositione alicujus rei convenientis, de qua unus alterum admonet.

2. Notandum secundò, persuasionem, inflammationem, instigationem, hortationem, incitationem, instructionem, non differre à consilio; hæc enim & similia verba confunduntur à Doctoribus, ut videre est apud Canonistas *in cap. Sicut dignum*, *extr. de homicid.*

3. Notandum tertiò, consilium differre ab auxilio, quia consilium fit verbis, auxilium verò facto; ita Bart. *in l. non solùm*, §. *Si mandato*, *n.* 22. *ff. de jurejur.* & est Tex. *in l. in furt.* §. *Ope*, *vers. consilium*, *ff. de furt.*

4. Notandum quartò, consilium differre à mandato; quia mandatum duriùs, & efficaciùs obligat, quàm consilium, & plus delinquit mandans, quàm consulens Bal. *in l.* 1. *num.* 5. *in fin. vers. ex consilio autem nemo obligatur*, *Cod. de serv. fugit.* Ruin. *cons.* 6. *post. num.* 7. *lib.* 5. & Mandans obligatur mandando: Consulens verò non obligatur consulendo.

5. Notandum quintò, nostram difficultatem non procedere, quando ob justitiam belli licet omnia mala facere, quæ necessaria sunt pro pace, & tranquillitate, quæ est finis belli, & quæ aliter haberi non potest, nisi hostes malis, & damnis indifferenter afficiantur, quibus deterreantur, ne iterum audeant arma movere. Vict. *de jure belli*, *Relect.* 6. *num.* 19. sed quando militibus nefas est, aut ratione prohibitionis, aut ob aliam causam, hostibus damna inferre.

6. Notandum sextò, difficultatem nostram, scilicet, an licitum sit consulere combustionem domûs divitis, gratiâ vitandæ combustionis domûs pauperis, procedere quando miles, cui consulitur, constitutum apud se habebat majus illud malum perpetrare, id est domum pauperis comburere.

7. His adnotatis: ad difficultatem propositam, an militi volenti contra præceptum sui Officialis comburere domum pauperis, liceat consulere comburere domum divitis, negativè videtur respondendum; nam in Ecclesia celebratur memoria illarum fæminarum, relat. à S. Aug. *lib.* 1. *de Civit. DEI*, quæ se interfecerunt tempora persecutionis, ut non ab alijs corrumperentur; & ita majus malum laudabiliter elegerunt, cùm amissio pudicitiæ sit minus malum respectu ad sui internecionem. Si igitur de duobus malis, levius & minus non est eligendum, neque licitè erit consulendum. Præterea, consulere alicui facere minus malum est inducere illum, quantùm est in consulente, hic, & nunc ad peccandum; cùm illud minus peccatum sit peccatum: quis ergo dixerit licere invitare ad peccatum? profectò nemo. Ita discurrunt, & tenent Valentia, *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 21. *punct.* 4. Cajet. *in* 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. *Notab.* 3. Sà, *verb. Peccatum*, *num.* 8. Azor. *p.* 2. *Inst. mor. lib.* 12. *cap.* 16. *quæst.* 8. Covarr. *in* 4. *decret. p.* 2. *cap.* 4. *num. ult.* & alij.

Fateor, hanc sententiam esse satis probabilem, 8.
præcipuè quando minus malum, quod consulitur, non est circa eandem personam, cui imminebat illud majus periculum; sed circa tertium aliquem, ut cautè satis advertit Nald. *in Summa*, *verb. Consilium*, *sub num.* 8. Verius tamen puto contrarium, nempè licitum esse consulere militi, volenti comburere contra prohibitionem sui Officialis domum pauperis, ut comburat domum divitis, Sylvius *in* 2. 2. *D. Tho. quæst.* 43. *art.* 4. *quæst.* 2. *concl.* 3. Molina, *tom.* 2. *disp.* 335. Sot. *de just. lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 4. Sanchez, *de matrim. lib.* 7. *disp.* 11. *num.* 15. Sayr, *in sua Clavi Regia*, *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 2. Menoch. *cons.* 69. *num.* 50. Abbas, *in cap. Requisivit*, *num.* 3. *de Sponsa*, Molfesius, *in Sum. p.* 1. *tract.* 7. *cap.* 2. *num.* 54. Sylvest. *verb. Usura*, 7. *quæst.* 1. Medina, Angel. & alij plures, quos citat, & sequitur Diana, *p.* 3. *tr.* 5. *&* *Miscell.* 1. *Ref.* 37.

Moveor primò juribus, *in cap. Duo mala*, *Dist.* 9.
13. *cap. Considera*, *causa* 22. *quæst.* 1. *cap. Hi qui*, *causa* 26. *quæst.* 2. & ibi Gloss. *verb. Potiùs*, *&* *cap. Si quod verius*, *caus.* 33. *quæst.* 2. ubi S. Aug. volenti uxorem necare, ut aliam duceret, consulit, ut potiùs adulterij reus sit, aliud vivente uxore matrimonium ineundo, quàm uxoricidij.

Moveor secundò rationibus; nam quando mi- 10.
les consulitur ad comburendam domum divitis, incombusta domo pauperis relicta, supponitur adesse in illo determinatum affectum ad comburendum, seu ad peccandum graviùs; atque adeò illi licito jure consuli potest, ut minus malum committat in combustione domûs divitis. Tum quia, minus malum in comparatione majoris mali videtur habere quodammodò rationem boni, & desinere esse peccatum, teste S. Aug. dicente
„ de mendacio. Illa desinunt esse peccata; quæ
„ propter graviora vitanda suscipiuntur.

Moveor tertiò exemplo in Loth viro sancto, 11.
qui, ne committeretur vitium nefandum & abominabile à Sodomitis actu peccare volentibus, eis objecit proprias filias stuprandas, quia minus peccatum erat stuprum in comparatione ad sodomiam, quod in genere carnis humanæ est peccatum peccatorum.

Concludimus igitur, licere militi, & cuivis 12.
malum minus, ut majus evitetur, consulere; si miles aut domui pauperis, aut domui divitis ignem sit certò daturus; quia Consulens non præcipit, non mandat, non auxiliatur, seu non dicit ei absolutè, Fac hoc malum. Ure domum istam, neque ure domum illam, sed sub conditione: si omninò decrevisti malum facere, id est comburere unam domum; potiùs elige minus, quod reperitur in combustione domûs ditioris, quodque potiùs bonum, quàm malum nuncupari potest: quemadmodùm in rebus utilibus non vocatur damnum, quod propter majus lucrum admittitur; ita pariter in rebus moralibus, peccatum malum, seu peccatum non videtur vocandum, quod admittitur, ne graviùs peccetur.

13. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, negando procedere rationem, quia prædfatæ mulieres non peccaverunt se occidendo, cùm illud fecerint inspiratione Spiritûs Sancti: sicut refertur de Samsone, qui interfecit se, ut habetur Jud. *Cap.* 16. & dicit S. Aug. *lib. 1. de Civit. DEI.*

14. Ad secundum, & cæteras, quæ possunt adduci, patet responsio ex dictis, præsertim in conclusione.

15. Infero primò ex dictis, nobis licere consulere volenti occidere inimicum, ut potiùs eum percutiat, vel ab eo furetur, suadendo illi hoc esse minus malum, si nullo modo possumus in eo pravum animum permutare.

16. Infero secundò, nobis licere suadere fornicationem tamquam minus malum illi, qui certò statuit adulterium committere; si aliter non possumus illum à sua mala intentione removere, dummodò tamen non consulatur copulam fornicariam cum tali persona habere.

17. Infero tertiò, non peccare, neque teneri restituere illum, qui consulit, volenti furari absolutè, ut potiùs furetur à divite, quàm à paupere. Vasq. *in Opusc. de scand. tract.* 1. *num.* 14, quia hoc genus consilij eò rendit formaliter, ut impediatur majus peccatum, & nè graviùs DEUS ab hominibus offendatur. Non videtur tamen tuta sententia, ejusdem Auctoris assertentia, non peccare, neque teneri restituere illum, qui consulit volenti furari à Titio centum, ut furetur à Sempronio quinquaginta; cùm hoc consilium cedat in damnum tertij.

18. Infero quartò, nobis licere cum alijs Coelectoribus suffragari digno, relicto digniori, nè eligatur indignus; non tamen licere suffragari indigno ad exclusionem indignioris, contra Nald. *in Sum. loc. cit. num.* 8. Ex eo quia nunquam licet facere malum etiam ad evitandum majus malum.

19. Infero quintò, nobis licere consulere alicui ad mutuandum sub usura, ut ille desinat committere majus peccatum. Sylvest. *verb. Usura,* 7. *quæst.* 1.

20. Infero sextò, nobis licere ab exercente usuras mutuò accipere propter aliquod bonum, puta ad subveniendum propriæ, vel alterius necessitati. Sylvest. *loc. prox. cit.* ubi subdit, licere incidenti in latrones eis manifestare bona, quæ habet, nè ab illis occidatur; quamvis sciat latrones peccare talia bona diripiendo.

21. Infero septimò, consulentem delictum minus, ut evitetur majus, obnoxium minimè esse pœnæ, qua ipse delinquens punitur. Secus verò, si consuleret simpliciter, & absolutè delictum; tunc enim esset eâdem pœnâ puniendus, qua punitur delinquens, habetur Tex. *in Cap. Sicut dignum*, §. *Qui verò, in fin. extr. de homicid.* & Tex. *in Clem. 1. de pœn.* Dicit tamen Glos. *in cap.* 1. *verb. Pari pœna, vers. in secundo casu, extr. de offic. delegat.* & ibi Innoc. *num.* 1. *vers. secundus est consensus*, Host. Joan. And. & alij, quòd consulens non punitur eâdem pœnâ, qua delinquens, sed mitiori: quibus videtur consentire. Farin. *quæst.* 129. *num.* 24. ubi in antecedentibus, & subsequentibus numeris perfusè, & doctè materiam de consilijs, seu Consultoribus tractat, quam, mi Lector, sive Theologus sis, sive Canonista, sive Jurisconsultus, si curiosus es, potes ad tuum placitum videre, examinare, ut scias reprobare, quæ non sunt consulenda, aut consulere, quæ non sunt reprobanda.

XVIII. DIFFICULTAS.

Officialis & quidem nobilis provocatur ad duellum. Dubitatur, an possit illud citrà culpam mortalem acceptare, ne famam, & honorem suum amittere cogatur.

NOtandum primò, honorem, & famam virtutis præmium esse, ejúsque comitem individuum, juxta mentem D. Thom. 2. 2. *q.* 103. *art.* 1. *ad* 2. & 3. & Arist. 4. *Ethic.* Teste pariter experimento: videmus enim ab omnibus tam sapientibus, quàm insipientibus illos eximijs & perpetuis encomijs celebrari, qui virtutem colunt. 1.

Notandum secundò, quòd fama, prout spectat ad hanc difficultatem, est communis, & clara opinio, & æstimatio bonæ, & inculpatæ vitæ, voce mamifestata, quam de aliquo habent homines. Ita definitur Fama à Scoto, Navar. & alijs, quos adducit, & sequitur Sayr. *in sua Clavi Regia, lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 4. Honor verò est cultus, & reverentia, quæ alicui personæ exteriùs exhibetur ratione virtutis, dignitatis, vel alicujus excellentiæ. Sic Sot. *lib.* 4. *de just. quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 4. & *lib.* 5. *de just.* & *jur.* 9. 9. *art.* 1. 2.

Notandum tertiò, duellum esse pugnam duorum ex condicto, vel singulare certamen ab utraque parte ex condicto susceptum, ut *lib.* 2. explicavimus; & ita communiter Summistæ, Sylv. Cajet. *verb. Duellum*, & alij. 3.

Notandum quartò, duellum, quod à Longobardia fuit inventum, ut refert Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 15. *cap.* 5. *de censur. num.* 108. duplex esse posse, publicum, scilicèt, & solemne, quod fit determinato loco, undique concluso tempore, armis, Patrinis, & alijs spectantibus: Et privatum, quod tantùm requirit conditionem loci, & temporis determinati, sine qua conditione etiam potest esse, dummodò sit conditio loci, & temporis indeterminati: ut si quis provocet alium cum prima vice sibi occurrente, in Oppido, vel Civitate. Sic affirmant Duellistæ. 4.

Notandum quintò, duellum, communiter loquendo, adeò esse illicitum, ut nec consuetudo in contrarium valeat, ut per Host. *in Sum. d. tit. de Cleric. pugn. in duello.* & per Cardinalem Albanum, *in l. qua actione*, §. *In collectione, ff. ad leg. Aquil. num.* 1. ubi plures allegat: & per Alber. *in l. hac actione*, §. *Si quis in colluctatione, ff. ad l. Aquil.* & per alios, quos producit, & sequitur Tiber. Decian. *in Tract. criminal. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 4. quia lex ista abhorret sanguinem quoquo modo effundendum. 5.

His adnotatis, præter illa, quæ diximus, *lib.* 2. *difficul. pertinen. ad summos, Duces, diff.* 12. ad difficultatem propositam, an Officialis provocatus 6.

ris ad duellum; possit illud, citra culpam mortalem, acceptare, nè famam, & honorem suum amittere cogatur, affirmativè videtur posse responderi; nam acceptare duellum, & comparere loco, & tempore determinato, non est intrinsecè malum, sed quid indifferens, quod benè, & malè fieri potest; Ergo licitè fieri potest, dum adest justa causa, ut est honoris æstimatio, & famæ conservatio, dicente DEO ipso: *Curam habe de bono nomine*, Eccl. *Cap. 41. num. 15. Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*, Prov. *Cap. 22. num. 1.* Præterea, qui provocat ad duellum, honorem invadit provocati. Sed quando non potest aliter consuli honori, nisi invasoris occisione, fas est illum occidere. Ergo fas est duellum acceptare ad occidendum. Denique affirmant non pauci posse duellum acceptari ad defendendum vitam, & bona, quando aliter defendi non possunt, cùm tunc sit vera defensio; Non minoris fanè æstimationis est honor & fama, quàm sit vita cum cæteris alijs bonis, quibus multi honorem, & famam præferendo, mortem, & paupertatem libenter elegerunt: ob ergo majoritatem, vel saltem identitatem rationis videtur asserendum posse, ad tuendum honorem, famámque servandam, citra culpam mortalem, duellum acceptari.

7. Verùm, hanc opinionem esse explodendam, utpotè ab Alex. VII. damnatam, & contrariam tenendam asserimus cum Filliuc. *in Decal. tract. 29. cap. 8. quæst. 6. num.* 147. Coninch. *disp. 32. de rixa, & duello, dub. 2. num. 8.* Dicastil. *lib. 2. de just. tract. 1. d.* 10. *dub. 6.* Sanchez, Bonac. Molin. Less. Rodriq. Bann. Soto, & alijs, quos citat, & sequitur Thom. Tamb. *in Decal. lib. 6. cap. 1. de homicid.* §. 3. *n. 16.*

8. Moveor primò omnibus juribus *in not. quinto* tract s, per quæ universaliter omnis pugna privata præsertim exposita periculo cædis proximi est illicita, nisi in casu moderaminis inculpatæ tutelæ.

9. Moveor secundò rationibus; nam homines tantùm mundani, improbi, & sangui narij ignavi, & ignominiæ adscribunt non acceptare duellum ob defensionem honoris, non verò sapientes, probi, qui honori tribuunt Christianum decenti; illud reipuere, ut lex Christi servetur, cujus est omnis honor, & gloria: quam sapientum æstimationem improborum conceptui seu opinioni vel ipsum rationis lumen dictat esse præferendam. Tum quia, homicidium, quod potest contingere in acceptatione duelli, illicitum est extra casum necessitatis, quando non fit juridicè, & legitima auctoritate; adeóque & illicita acceptatio duelli ob periculum homicidij. Tum denique quia, si licita esset duelli acceptatio ad defensionem honoris, quot hominum interneciones, quot damna in Mundo sequerentur. Imò quot Animæ damnarentur saltem provocantium, qui cùm sint in peccato mortali, utpotè duellum contra omnia jura indicentes, si occiduntur, æternæ damnationi fiunt obnoxij. Quis ergo dixerit honorem mundanum, & transitorium saluti Animarum fore præferendum, & consequenter, ut ille servetur, licere duellum acceptare, dum Christus, qui est honor, & splendor Patris, omniúmque Fons honorum, ut omnes Animæ salvæ fierent, cum tot ignominijs mortem Crucis, non minùs acerbam, ac ignominiosam acceptavit?

Moveor tertiò exemplo in Curia Franciæ, 10. apud quam decreto Henrici IV, non minùs Regno, quàm militari virtute insignis, infamia est offerre, vel acceptare duellum, quod approbant, non solùm Summi Pontifices, sapientúmque Catholicorum Concilia, sed & ipsæ Hæreticorum Academiæ, ut patet per Hugonem Grotium, *de jure belli, lib. 3. cap. 20. num. 43.* nunc damnatum. Actio verò infamis tanquam illicita est reputanda, & abijcienda.

Concludimus igitur, militi quantumvis nobili 11. provocato ad duellum, minimè licere illud acceptare ad defensionem honoris, cùm non desint remedia, honorem in similibus provocationibus conservandi; quæ humana prudentia Christianæ Pietati conjuncta potest sufficienter edocere.

Ad rationes in contrarium respondemus. Ad 12. primam, negando comparere determinato loco, & tempore ad privatè pugnandum posse fieri benè, & malè, & consequenter licitè, cùm id omnia jura prohibeant. Et ad confirmationem, concedimus, nobis DEUM imponere conservationem honoris, sed modo licito.

Ad secundam, negando provocantem ad duel- 13. lum invadere honorem provocati; cùm invasio honoris fit per detractionem, aut contumeliam, quibus provocans non utitur, sed tantùm actionem facit, qua alteri, ut honorem legis divinæ, naturalis, & humanæ servet, expedit recusare duellum.

Ad tertiam, non admittimus opinionem dicen- 14. tium licere aliquando acceptare duellum ad vitam propriam tuendam, & bona pretiosa conservanda; cum multis alijs modis, vita propria defendi possit, & pretiosa bona conservari. Esto aliqui dicant, in his casibus licitum esse acceptare duellum, absque animo illud adimplendi; quando aliter propria vita defendi, vel propria bona pretiosa conservari non possunt. Præterquam quod, ob recusationem duelli in astantium Animis, si improbi sunt, solùm per accidens, & ex horum malitia honor provocati minuitur, si verò probi, augetur.

Infero primò ex dictis, non licere duellum ac- 15. ceptare ob defensionem honoris DEI, puta, si quis provocaretur à Turca, Hæretico, vel alio Infideli ad duellum, ob causam fidei, & veræ Religionis cognoscendæ, cùm possit tot alijs modis respondere ad ea, quæ contra fidem objicerentur; & consequenter defendere honorem DEI.

Infero secundò, provocatum ad duellum non 16. teneri reperire judicem, & tutum campum pugnæ, neque apud Principem Christianum, neque apud Principes infidelium, nec teneri se conferre ad locum infidelium, si provocans illum reperiat. Ita etiam docet Paris de Puteo, *in tract. de re milit. lib. 2. Cap.* incip. *An sit ad duellum*, Tiber. Decian. *in tract. criminal. lib. 5. cap.* 16. *n.* 14.

Infero tertiò, non licere acceptare hastiludia, 17. & torneamenta, in quibus mors intervenire potest; habetur *toto tit. extrà, de torneamen.* quæ de jure civili sunt permissa, *l. septitia, l. Imperatores, ff. de pollic. & toto tit. Cod. de spect. & de expen.* *Inde-*

ludorum, *lib.* 12. & per Tiber. Decian. *in tract. criminal. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 4. ubi asserit cum Zanet. *de diff. inter jus civile, & canonicum, differentia* 99. non dici delictum, ubi essent talia hastiludia, & torneamenta, in quibus à communiter contingentibus non posset sequi mors, aut sanguis effundi.

18. Inferoquartò, aggressum, licèt de jure civili non teneatur fugere, & interficiendo aggressorem excusetur; nec dicatur delictum committere, ut per Bartol. Bald. & omnes *in l.* 1. *Cod. unde vi, & in l. ut vim, ff. de just. & jur.* de jure Canonico teneri aufugere, quamvis sit vir equestris, si non habet vires sufficientes ad se defendendum; & non confugiendo, & occidendo, dici homicidam pœnâ homicidæ puniendum, ut per Imol. *in Clem.* 1. *de homic.* cùm hoc jure melius sit pati læsionem aliquam famæ, quàm in vita hominem graviter lædere, vel acriter in hominem exardescere, ut inquit Tex. *in Cap. Suscepimus, in fin. de homi.* ubi plenè Joan. de Ana, & Abb. *in Cap. Significasti, de homic.* & alij.

19. Infero quintò, incidere in excommunicationem non solùm comittentes duellum, ad illud instigantes, consilium, arma, favorémque dantes, Patrinos, Dominos loci scientes, & non impedientes; sed etiam & duellum acceptantes, ut patet ex Constitutionibus Pontificijs à nobis supra *lib.* 2. *diff.* 12. *not.* 6. allegatis.

20. Infero sextò, incurrere censuras spectatores duelli ex composito, ut in Bulla Gregoriana; socios de industria spectatores, ut in Bulla Clementis alibi allegata, omnésque adstantes, animum, vel authoritatem dantes duellantibus, vel tanquam testes, vel Judices, seu Arbitros, non verò eos, qui casu, & per transitum sistunt, ut videant, nihil eorum præsentiâ moventes pugnantes; & multò minùs, illuc se conferentes causâ advocandi Confessarium, vel Medicum, &c.

21. Infero septimò, incurrere excommunicationem latam, Summo Pontifici reservatam, ipsos principales provocantes, vel acceptantes, licèt propter aliqam rationem, altero non comparente, pugna non sequatur, Filliuc, *tom.* 2. *tract.* 29. *cap.* 8. *n.* 170. Escobar. *tract.* 1. *exam.* 7. *num.* 64. *cap.* 2. Contrarium tenent alij apud Dianam, *par.* 5. *tract.* 14. *Ref.* 102.

22. Infero octavò, Imperatorem, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine, Dominos temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis, inter Christianos, concesserint, eo ipso esse excommunicatos. Ita expressè in Trid. *Sess.* 25. *de reform. cap.* 19.

23. Infero nonò, indicentes duellum, vel illud acceptantes, in ipso actuali conflictu, sine sacramentali confessione morientes, privatos esse Ecclesiastica sepultura; etiamsi signa pœnitentiæ dederint; ut habetur *in Ritual. Pauli V. in Rubr. præfixa ordinationi, de exequijs*; & notat Thom. Tamb. *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 1. *de homic.* §. 3. *sub n.* 13.

* * *

(o)

XIX. DIFFICULTAS.

Miles juravit suo Capitaneo servire per tres annos in bello, & ab illo non recedere sine ejus expressa licentia: superveniente sua familia paupertate, absque licentia, à bello recessit, ut familiam adjuvaret. Dubitatur, num fuerit perjurus, & perjurij pœna puniendus.

NOtandum primò, juramentum, quod dicitur à jure, quia tanquam jus haberi debet; unde passim jusjurandum appellatur: & quod vocatur etiam Sacramentum; & habetur *in Cap. Qui Sacramento, Cap. Non est, cap. Non dejerabit, causa* 22. *quæst.* 4. *& Auth. Sacramenta puberum, Cod. si adverf. vendit.* esse invocationem tacitam, vel expressam Nominis divini, tanquam primæ, infallibilis Veritatis in testem alicujus rei, vel ad promissionem firmandam. Ita communiter DD. S. Aug. *de form. Dom. in monte, cap.* 17. D. Tho. 2. 2. *q.* 89. *art.* 1. 1.

Notandum secundò, juramenti modum à jure diversimodè præcipi. Aliquando enim simpliciter jurare præcipitur, aliquando corporaliter, aliquando super sancta DEI Evangelia, ut mos est apud Venetos, aliquando Evangeliorum tactura, ut est in praxi hic Romæ, & alibi; aliquando tangendo pectus, ut facit Episcopus, & Presbyter. 2.

Notandum tertiò, illum esse verè perjurum quoad DEUM, qui potest servare juramentum absque Animæ præjudicio, & tamen contravenit, *Cap. Si verò, cap. Quintavallis, Cap. Cùm contingat, & cap. Quemadmodùm, de jurejur.* ubi Glos. *verfic. oculos*, declarat, hoc verum esse rebus in eodem statu permanentibus. 3.

Notandum quartò, posse stare ista simul, nempe, quod quis quoad actum ipsum sit perjurus, sed non ideò sit reus perjurij, ut pœnis perjurij puniatur, ut probat Jas. *in l. qui jurasse, in princ. n.* 9. *vers. puto pro concordia, ff. de jurejur.* 4.

Notandum quintò, in juramento subintelligi varias conditiones, quæ à juramento excusant; & sunt inter alias istæ. Si DEO placuerit. Si placuerit Summo Pontifici, vel Principi. Si res in eodem statu permanserit. Si juranti servabitur fides. Si honestum erit, & possibile. Si non sine periculo vitæ, vel honoris: & tradit Glos. *in cap. Quemadmodum, in verb. Conditio, de jurejur.* & Glos. 1. *in cap. Beatus, causa* 22. *quæst.* 2. 5.

Notandum sextò, juramentum præstitum super re, vel facto illicito, & contra bonos mores, non obligare. *Cap. Non est obligatorium, de reg. jur. in* 6. & pariter si contra leges, ut habetur *in cap. Ubi, & cap. Sæpè contingit, & in cap.* 2. *de reb. Eccles. non alienan.* Contraria enim legibus, & bonis moribus pro impossibilibus habentur, *l. filius, & l. quidam, ff. de cond. inst.* & impossibilium nulla est obligatio; *l. impossibilium, ff. de reg. jur.* 6.

Notan-

7. Notandum septimò, varias esse pœnas perjurij, quas congerit Tiber. Decian. *lib. 6. cap. 13. de pœnis perjurij n. 1. & seqq.*

8. Notandum octavò; non esse ampliùs in praxi juramentum præstitum à militibus in genn Principis, se mortem non vitaturos pro salute Reipublicæ, aut à signis, seu stationibus sibi traditis non recessuros. *l. 1. §. Miles, ff. de re milit. & l. penult. ex quib. caus. major.* sed licere adhuc militibus jurare servire Principi, & à bello sine ejus licentia non recedere.

9. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles, qui juravit suo Capitaneo servire per tres annos in bello, & non recedere ab illo sine ejus licentia, & superveniente paupertate suæ familiæ, à bello recessit, absque licentia, ut familiam adjuvaret, fuerit perjurus, & perjurii pœna puniendus, affirmativè videtur respondendum. Juramentum enim est vinculum Animæ. *Cap. Cùm contingat, & cap. Si verò. de jurejur. & cap. Antecessor, caus. 11. q. 3.* & ideò qui tale vinculum Animæ contemnit, excusari non potest à culpa, & à pœna perjurii.

10. Veritas tamen est, nostrum militem, stante dicta causa, nec fuisse perjurum, nec perjurii pœnâ puniendum; quidquid sit de pœna Desertoribus statuta. Jas. *in l. qui jurasse, num. 5. & seq. de jurejur. & l. videamus, num. 11. de in litem jur.* Bal. *in l. pactum. in ult. quæst. Cod. de collat.* Dec. *cons. 345. num. 1.* Bald. *in cap. 1. §. Porrò, quæ fuit prima causa benefi. am.* Felin. *in cap. Intellextimus, col. 5. de jud. & cap. 1, colum. 13. de jurejur.* & omnes *in l. quod te, ff. si cert. pet.*

11. Moveor primò juribus, *in l. non dubium, Cod. de leg.* ubi habetur, juramentum contra bonos mores interpositum, & successivè contra charitatem non obligare. Et *in cap. fi. de jurejur. in 6.* ubi habetur, justam, & rationabilem causam excusare à juramento, *& in cap. Homines, causa 22. quæst. 2. & in cap. Inter cætera, causa 22. quæst. 4.* ubi dicitur, stante justa, & rationabili causa perjurii, non modò non puniri jurantem, sed neque mortaliter peccare. Justa profectò, & rationabilis est causa charitas propriæ familiæ in paupertatem prolapsæ præstanda.

12. Moveor secundò rationibus, quia ut docent omnes ex Tex. *in cap. Quemadmodum, de jurejurando*; omnes conditiones, quæ tacitè, vel expressè continentur in juramento, excusant à perjurio. Atqui negari non potest in juramento præstito à milite, non recessurum se à bello, hanc subintelligi conditionem, nisi opus fuerit uxori, propriis filiis, atque parentibus extremè, vel graviter indigentibus subvenire, seu providere, nè pereant. Tum quia, juramentum non obligat, si casus inopinatus intervenerit, quem si jurans præscivisset, non jurasset, aut juramentum fuisset temerarium, vel nocivum; ut optimè probat Molf. *in Sum. part. 1. tract. 11. cap. 1. n. 14.*

13. Moveor tertiò exemplo, in Saule jurante, se interfecturum omnes, qui comederent ante Solis occasum; & tamen mortem non dedit Jonathæ filio ejus, qui comederat; nihilominùs excusatur à perjurio, cùm fuerit causa justa, & rationabilis, nempè necessitas filii. Ex labore enim prælii, & jejunio, & calore Solis ita erat fatigatus, quòd oculi, & alii sensus erant nimis repressi. Turrecrem. *in cap. Quæritur, causa 22. q. 2. num. 3.* unde Populus, ut illi parceret, supplicavit. Casus verò necessitatis ab omni præcepto, & lege exceptus est; & ideò quamvis peccaverit Saul tale præceptum imponendò, non excipiens, quod excipere debuit; attamen non fuit perjurus, ut not. *in d. cap. Quæritur, §. fi. causa 22. q. 2.*

Concludimus igitur, nostrum militem, cùm non fuerit perjurus, nullâ perjurii pœnâ esse puniendum. Est enim regula generalis, quòd pœnâ nunquam infertur pro facto non malo animo, ut inquit Bald. *in l. 1. in 7. col. Cod. de his, qui pœna no. per l. si. servum, §. Præter, ff. de acqu. hæred.* 14.

Ad rationem in contrarium respondemus, concedendo juramentum esse vinculum Animæ; sed hoc non obstare nostræ conclusioni, cùm adsit necessitas, quâ posita desinit esse vinculum Animæ; aliàs esset juramentum contra bonos mores, quod non admittunt jura, ut notavimus. Et in hoc sensu sunt intelligenda jura allegata. 15.

Infero primò ex dictis, excusari à perjurio militem contraveniendo juramento, & id quidem, quia ei Dux non servavit promissa de aliqua dignitate conferenda, ut est Tex. *in cap. 3. de jurejur. & in cap. Sicut,* & Inf. *§. fi. eod. tit.* quia frangenti fidem, fides non est servanda, ut ibi dicitur, & notant omnes, *in l. si quis major. Cod. de transact.* 16.

Infero secundò, militem, aut Consiliarium Ducis, seu Principis, qui juravit servare belli secreta, non esse perjurum, si illa cognoscens esse illicita, revelet; Paris de Putteo, *in tract. syndic. in tit. de excessib. Consiliariorum, num. 4.* & tradit Bald. *in l. nullum, in 1. col in fin. versic. sed hic incidenter quæro, Cod. de test.* Secùs verò, si secreta non forent illicita, ut ibi Paris. 17.

Infero tertiò, Notarios legitima causa impeditos non fore perjuros, si rogati recusent celebrare aliquod instrumentum. Secùs verò, nulla, aut modica, stante causa justa; ut est Tex. *in §. Sed neque quæstus, in Auth. de Tabellio,* & tradit Bal. *in l. providendum, Cod. de postul.* Et in hac doctrina comprehenduntur omnes, qui jurarunt fideliter exercere officium suum, & requisiti nolunt exercere. Si enim adest causa justa, non sunt perjuri. Secùs, si talis causa non invenitur. 18.

Infero quartò, non esse perjurum servum, qui juravit servire Domino suo per decem annos; & non recedere ab illo sine licentia; & recesserit, dicente ei Domino secum irato. *Vade per viam tuam*; quia justam habuit causam recedendi. Barba. *consi. 11. col. 2. num. 3.* 19.

Infero quintò; excusari à perjurio illum, qui juravit sumere lauream in celebri Studio Patavino, & non recepit in illa Civitate, supervenientibus gravibus inimicitijs, inter præcipuè Scholares. Barb. *in Rubric. Cod. qui admitti, colum. 25.* 20.

Infero sextò, jurantem ire Taurinum ad videndam, & adorandam Sanctissimam Sindonem, non esse perjurum, non eundo, superveniente in illa Regione bello admodum periculoso; cùm justa 21.

sta causæ excuset à perjurio. Ita Jas. *in lib. si. n. 2. ff. qui satisd. cogan.* & etiam habetur *in l. si quis major. Cod. de transact.* ubi habetur, difficultatem excusare à pœna perjurij.

22. Infero septimò, Captivum plurium, & dimissum præstito juramento omnibus redeundi; si revocetur ab omnibus, non esse perjurum ad omnes non redeundo, & hoc propter impossibilitatem, quæ excusat à perjurio. *Cap. 1. de jurejur. in 6.* quod verum est, sive sit impossibilitas de jure, sive de facto; sufficeret enim in tali casu ad vitandum perjurium, si rediret apud digniorem, ut sentit Ang. *in sua disput.* incip. *Renovata guerra, col. 6. vers. ad hoc dubitandum occurrit.*

23. Infero octavò, Principem ex defectu redituum jurantem non vocare ad suum exercitum alios milites, excusari à perjurio, si supervenientibus novis redditibus, & proventibus annuis, quos ante non habebat, alios vocat, & recipit; quia nova, & justa causa supervenit. Ita tradit Jas. *in l. quod servus, num. 11. de condic. caus. da.* Corn. *cons. 328. num. 3.* & alij plures.

24. Infero nonò, non esse perjurum illum, qui juravit servare ordinem judiciarium, si illum non servat in notorijs, & manifestis: & ostenditur *in cap. Ad nostram, el terzo, de jurejur.* vel per ipsum non stet, quo minùs adimpleat; ut patet ex Gen. *cap. 24.*

25. Infero decimò, necessitatem excusare à perjurio, habetur *in cap. Querelam; de jurejur.* quia voluntate committitur perjurium non necessitate; ita Gloss. *in d. cap. In verb. necessitate*; & dicit Tex. *in cap. Non pejerabis, causa 22. quæst. 4.* Quæ verò sit necessitas excusans à perjurio, explicat Tiber. Decian. *Tract. crimin. lib. 6. cap. 11. num. 19.*

26. Infero undecimò, de jure Canonico (quidquid sit de jure civili) nos excusari à perjurio, si impediti majoribus negotijs, non fecimus quod facere juravimus: ut est Gloss. 2. *in cap. Beatus, causa 22. quæst. 2.*

XX. DIFFICULTAS.

Advocatus causam defendens cujusdam Officialis cum alijs Officialibus litigantis coram Auditore generali Exercitûs, pactum facit cum suo Cliente de quota parte litis, vel rei, quæ petitur, vel defenditur. Dubitatur, an Advocato hoc liceat.

1. NOtandum primò, Advocatum illum dici, qui in judicio apud eum, qui jurisdictioni præest, desiderium suum, vel animum exponit, vel alterius desiderio contradicit. Ita definitur Advocatus, secundùm Sylv. *verb. Advocatus, num. 2.*

2. Notandum secundò, Advocatum dici etiam Procuratorem, ut habetur *in cap. Infames, causa 3. quæst. 7.* & ibi Gloss. *in verb. Nec Procurator*, & docet Seyr, *in sua Clavi Regia, lib. 12. cap. 24. num. 1.* cum Archiepis. Florent. *p. 3. tit. 6. cap. 5. vers. de Salarijs, in fin.*

Notandum tertiò, licitum esse Advocato pretium accipere pro suo patrocinio. D. Tho. 2. 2. *quæst. 71. art. 4.* quia scientia Jurisperiti, Advocati industria, solertia & labor ipsorum est pretio æstimabilis, sicut aliorum Artificum. 3.

Notandum quartò, lege humana prohiberi Advocatis ne paciscantur cum litigatore de quota litis, id est de media, tertia, vel quarta, aut certa parte cum hac conditione, si vincat, nec de aliquo certo, quod dicitur palmarium pro victoria, & hoc ad tollendam occasionem victoriam consequendi per fas, & nefas. 4.

Notandum quintò, promissionem alicujus certæ & moderatæ quantitatis absolutè, & absque dicta conditione, id est, sive vincat, sive non, licitam esse, nec esse per leges prohibitam. Ita docet Navarr. *cap. 25. num. 3.* Sayr. *in dict. Clavi Regia, lib. 12. cap. 23. num. 30.* 5.

Notandum sextò, legem taxantem pretium Advocatis, ut fit in aliqua Regione, teste Salon. *quæst. 71. art. 4.* Villalobos, *tom. 2. tract. 18. diff. 4.* esse in foro conscientiæ servandam, dummodò sit recepta, & non abrogata; cùm sit justa, modum seu frænum imponens avaritiæ ministrorum justitiæ; ideóque peccare mortaliter, cum onere restituendi excessum, Advocatum, vel Notarium, si ultra taxam aliquid accipit ratione patrocinij, scripturæ, vel alterius instrumenti. 6.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an liceat Advocato pacisci cum Officiali clientulo, litigante coram Auditore generali exercitûs, de quota parte litis, cum conditione si vincat, affirmativè respondent Victorellus, *in Manual.* Navar. *cap. 25. num. 30.* Joannes Valerus, *in Differentijs utriusque fori, verb. Contractus, diff. 3.* & alij, quos citat, & sequitur Diana, *p. 1. tract. 16. & 2. Miscell. Res. 47.* dummodò absit periculum fraudis, & injustitiæ. Hujus sententiæ fundamentum est; nam qui justam causam probo Advocato defendendam committit, promissa tertia, aut quarta lucri parte, ut ardentiùs causam prosequatur & defendat, & seipsum à molestia sæpiùs illum adeundi liberet, nullam videtur naturalem, aut divinam, aut Ecclesiasticam legem violare; sed tantùm verbis legis (non fortassè Legislatoris menti) adversari. Præterea Advocatus potest licitè convenire cum Litigatore de salario, secundùm determinatam quantitatem; ideóque eodem modo videtur, quòd licitum sit ei pactum facere de determinata parte litis, quam defendendam assumit, quæ maturè considerans Diana, *loc. cit.* asserit, opinionem communem, & negantem procedere in foro exteriori, non autem in foro conscientiæ, ubi DEUS est ille, qui videt veritatem, & non recipit præsumptionem, super quam fundantur leges prohibentes pactum inter Advocatum, & Clientem de quota litis: & ideò, quando abest præsumptio fraudis, & injustitiæ, has leges nullam vim habere obligandi in foro conscientiæ. 7.

Licèt hæc sententia non videatur aliquibus improbabilis; contrariæ tamen libenter adhæreo cum 8.

Tur-

Turrecrem, *in d. cap. Infames, cau. 3. quæst. 7. §. Arceantur, num. 2.* Navar. *cap. 25. num. 30. in fin.* Sayr. *lib. 11. Clav. Reg. cap. 22. num. 30.* Reginal. *lib. 25. num. 677.* Filliuc. *tom. 2. tract. 28. cap. 10. num. 154.* Molf *in Sum. tom. 1. tract. 8. cap. 13. num. 24. & tom. 2. tract. 12. de contractib. cap. 4. num. 117.* Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 8. cap. 5. num. 5.* & pluribus alijs Recentiorib.

9. Moveor primò juribus, *in leg. item, Cod. de Procuratoribus; l. quisquis, Cod. de postuland. l. sumptus. ff. de pactis*, cum alijs cumulatis per Doctores alleg. quæ expressè prohibent Advocatis & Procuratoribus inire pactum cum Clientibus, pro quota parte litis, in eorum salarium & patrocinium.

10. Moveor secundò rationibus; nam contractus debent esse ex omni parte liberi; hujusmodi verò contractus, ait Molf. *in Sum. loc. proximè cit.* non præsumuntur liberè gesti, sed quasi coactè. Tum quia, Advocatus non inducitur in causa, ut particeps juris, sed ut adjutor, & locator operis artis suæ per rectum consilium, & rectum patrocinium; unde licitè, ut reprimatur cupiditas, & turpe lucrum Advocatorum, prohibitum est eis, ne pactum faciant de quota parte litis. Hæc Turrecrem. *loc. cit.* Ideoque nefas est Advocato dicere Officiali litigatori, volo mihi pro salario meo, sive pro patrocinio, medium, vel tertiam, vel quartam partem rei, quam petis.

11. Moveor tertiò exemplo, sive praxi Advocatorum, & Procuratorum, qui passim rogati à suis Clientibus, ut partem hæreditatis, vel rei, quam petunt, pro eorum salario sumant, semper recusant, asserentes id ex jurium dispositione illicitum esse. Ita respondit Dominus Fælix de Grandis hujus Almæ Urbis Procurator, experimentô, doctrinâ, atque integritate præclarus. Abbatissæ cujusdam Monasterij varias lites habenti, jura præfata ignoranti, ei bona fide quotam partem litium proponenti, me præsente, tempore, quo Monialium confessiones in qualitate Confessoris extraordinarij excipiebam. Quod responsum plurimùm mihi placuit.

12. Concludimus igitur, nequaquam licere Advocato, defendenti Officialis causam, pactum facere cum eo de quota parte litis, vel rei, quæ petitur. Et licèt opinio opposita, ab aliquibus non censeatur improbabilis; consulendum tamen est Advocatis, Procuratoribus, Notarijs, nec non Litigantibus, se ab ejusmodi pacto abstinere, præcipuè post litem inchoatam.

13. Ad rationes in contrarium responsio patet ex dictis.

14. Infero primò ex dictis, Advocatum salariatum de publico, non posse aliquid à Litigantibus accipere, ut rectè docet Lopez, *lib. 1. de contract. cap. 27.* sicut nec Medicum salariatum ab infirmis, ut advertit Trullen. *loc. cit. num. 6.*

Infero secundò, Actuarios, & Scribas peccare
15. accipiendo mercedem, ultra quam est illis taxata per Pandectas loci, nisi Litigantes illud majus voluntariè solverint. Molf. *in Summ. tom. 1. tract. 8. cap. 13. num. 16.* ubi asserit licere Actuarijs, & Scribis aliquid plus recipere, quàm taxatum est, si taxa non fuerit justa, vel modica, & postea sumptus, & expensæ auctæ fuerint, arbitrio tamen boni viri.

Infero tertiò, licere Advocato ante litem paciscі cum Litigatore de certa re; quod patet, quia est differentia inter rem certam, & aliquotam partem hæreditatis, vel simile: & pactum duntaxat de quota litis, id est de certa parte litis, est contra dispositionem juris id prohibentis, *l. item, Cod. de Procuratorib.* 16.

Infero quartò, Advocatum vi alicujus certæ, 17. & moderatæ quantitatis promissæ absolutè, & absque conditione, sive habeatur victoria, sive non, teneri patrocinari pro tota causa prosequenda, casu quo suus Cliens appellaverit; quia nondum Cliens causam vicisse censetur, cum interposita appellatione suspendatur jus primæ sententiæ. Ita etiam docet Trullen. *loc. cit. num. 5.* dummodò intra eundem locum, vel propè, vel si ante sententiam appelletur. Sayr. *in Clav. Reg. lib. 12. c. 23. num. 31.* Non autem teneri pro eodem salario promisso, quando appellatio fit extra Locum, vel Provinciam; vel appellatur à sententia definitiva.

Infero quintò, Causidicum ineundo cum suo 18. Clientulo pactum de quota parte solvenda, peccare quidem mortaliter, non tamen ad restitutionem teneri, si pactum servetur. Ita Sanchez videndus, *in Consil. par. 1. lib. 3. cap. unic. dub. 42.*

Infero sextò, non esse reijciendam opinionem 19. asserentium non licere quidem Advocato pacisci de salario cœpta lite, sed ei licere in principio, vel in fine. *Ex cap. Infames, §. Præterea, causa 3. quæst. 7. leg. quisquis, Cod. de Advocat.* Sanch. *in Consil. lib. 6. par. 2 cap. 7. dub. 9.*

Infero septimò, Advocatum, qui tuetur cau- 20. sam, quam scit esse manifestè iniquam, teneri parti expensas, & omnia, quæ per litem amisit, restituere. Sic docet etiam Lell. *lib. 2. cap. 31. dub. 8. num. 48.* & communiter DD. apud Sayr. *loc. cit. num. 13.* est enim causa moralis damni consulens, vel adjuvans: & pariter teneri suo Clienti, si eum bona fide procedentem non monuit de causæ injustitia; si autem illum monuerit, restituere non teneri, quia scienti, & volenti nulla fit injuria, ex Sylv. *verb. Advocatus, quæst. 24.*

Infero octavò, Advocatum teneri deserere 21. Clientem, si monitus de injustitia causæ nolit desistere. Hoc etiam docet Trullen. *in Decal. lib. 8. cap. 5. dub. 3. num. 3.*

Infero nonò, licere Advocato vendere suum 22. patrocinium, & Jurisperito verum consilium; quia, quamvis patrocinium, & consilium sit quid spirituale, non tamen est spirituale divinum, quod requiritur ad simoniam, de quo dixit Christus. *Gratis accepistis, gratis date.* S. Matth. *cap. 10. num. 8.* Sed est spirituale naturale, quod pretio vendi potest. *Sal. 2. 2. quæst. 71. art. 4.* & ibi DD. communiter.

Infero decimò, Advocatum nihil stipendij ac- 23. cepti teneri restituere, si postquam Clientulus ei salarium, aut stipendium promisit, causam deserat, nec stet per Advocatum. Sayr. *loc. cit. num.*

33. Lopez, & alij, existimantes, idem esse dicendum de quocunque habente officium publicum.

24. Infero undecimò incidenter, non esse licitum hæredi vendere totam hæreditatem, vel ejus partem, adhuc vivente illo, cui in hæreditate succedit; & talem venditionem esse nullam, cùm sit contra bonos mores; *l. 1. ff. de hæred.* timetur enim, ne emptus illius mortem intentet: adduntque leges, *l. 2. fin. ff. de ijs, quibus indignis*, si ad hunc ementem postea deferretur hæreditas, eam ab ipso esse tollendam, & applicandam Fisco; nisi fuerit consensus Domini hæreditatis; quia consentienti nulla fit injuria: vel nisi venditio facta fuerit veluti in genere, non indicatè sive expressè, sive tacitè persona, cui est succedendum; quia ex tali venditione non potest timeri mortis machinatio; & sic intelligitur, *lex 3. §. Cùm specialiter, & §. illo, & lex si societatem universalem, ff. de socio.*

25. Infero duodecimò, non posse licitè vendi, vel donari rem actu litigiosam, id est super qua cum Adversario lis quomodocunque etiam per primam citationem pendet. Videndus est Fag. *de contract. lib. 5. cap. 24.* quia posset vendi res, vel donari potentiori, quàm sit Adversarius, in ejus præjudicium; nisi tamen res, vel donetur in dotem, vel vendatur authoritate Judicis; tunc enim venditio esset valida.

26. Infero decimotertiò, Emptorem, vel Donatarium teneri reddere rem litigiosam Domino etiam in conscientia, & ante sententiam extra casum dotis, & authoritatem Judicis. Sic etiam admonet Fagundez, *loc. cit.*

27. Infero decimoquartò obiter, creditum difficile, periculosum, vel cum expensis exigendum, posse licitè minoris emi juxta proportionem talium difficultatum; quia prædicta minuunt, secundùm communem æstimationem, rerum pretium. Docet etiam Molin. *disp. 361.* Less. *lib. 2. cap. 21. dub. 8.* Salas, *de empt. & vendit. dub. 39.* & alij.

XXI. DIFFICULTAS.

Miles detentus pro homicidio, & interrogatus à Judice competenti, Auditore nempe generali exercitûs, præstito juramento, negavit, se interfecisse, cùm verè interfecerit. Dubitatur, num peccaverit mortaliter, & crimen commiserit, perjurij pœnis solitis puniendum.

1. NOtandum primò, juramentum esse assertionem, vel negationem de aliquo facto rei attestatione firmatam. Ita Graff. *p. 1. Decis. lib. 2. cap. 19. num. 1.*

2. Notandum secundò, Reum in tribus casibus posse à Judice juridicè interrogari, & respondere teneri. Primò, si infamia præcesserit super aliquo crimine, puta, quando rumor est dilatatus, per majorem partem civitatis, exercitûs. Gloss. *in cap. Inquisitionis, de accusat.* Secundò, quando Judex est competens. Tertiò, quando Reo sit notificata hujusmodi probatio, ut sciat, in quo statu reperiatur. Navar. *cap. 18. num. 57.*

Notandum tertiò, perjurium, quod largissimè sumptum, dicitur omnis mala juratio, ut inquit Archid. *in cap. Animadvertendum, causa 22. quæst. 1.* gravissimum esse crimen, testantibus omnibus, ut per Gloss. *in cap. 2. in verb. Deseruit, de re judic. in 6.* cùm eo violetur juramentum, quod est res sancta, & religio appellatur, *l. 1. ff. de jurejur.* & not. Tiber. Decian. *lib. 6. cap. 9. n. 1. & 2.* ubi dicit ex Tul. *lib. 3. Offic.* apud omnium gentium nationes omnes, maximam semper fuisse habitam juramenti religionem, gravissimumque semper habitum ea de causa scelus perjurium ipsum. 3.

Notandum quartò, Reum iniquè interrogatum, juris ordine non servato, vel à Judice non suo, qui jus interrogandi non habet, non teneri crimen suum fateri, etiam præstito juramento. Ita Graff. *par. 1. Decis. lib. 3. cap. 7. num. 17.* 4.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles reus homicidij ab Auditore generali exercitûs interrogatus super tali delicto, si falsum suo juramento respondeat, peccet mortaliter, & fiat reus perjurij, solitis pœnis puniendi, videtur negativè respondendum; cùm nemo teneatur seipsum prodere; si enim interfecisse fateatur, interficitur, seu ad mortem damnatur. Præterea, licet quocunque modo per fas & nefas redimere sanguinem, ut probatur *in l. 1. ff. de rebus eorum, & in l. transigere, Cod. de transact.* Neque supponitur perjurus, cùm potuerit justè, & sine vitio ipsum Judicem verbis ex communi significatione ambiguis fallere, id est dicendo aliquid, falsum apud sensum Auditoris generalis, & apud suum, verum, quamvis mentiri nullo pacto potuerit absque peccato, ut habetur *in cap. Si quis, & cap. Primum, causa 22. quæst. 2.* 5.

Veritas tamen est, militem reum homicidij, ubi primùm sibi notum fuerit juris ordine interrogari, id est à legitimo Judice, & secundùm formam idoneam juris, teneri confiteri delictum semiplenè probatum in judicio, etiamsi merito ob eandem confessionem pœna capitis veniat imponenda, & negando, verè peccare mortaliter, & esse perjurum. Ita tenent communiter Jurisconsulti, Theologi, & Canonistæ. Bart. *in l. Marcellus, §. 1. ff. rerum amo. & in l. inter omnes, §. Rectè, in fin. ff. de fur.* Bald. *in l. 1. Cod. de confess. in 2. col.* Joan. And. *in addit. ad spec. in tit. de positionibus, §. 7. versic. 19.* ubi sequitur D. Tho. *2. 2. quæst. 69. art. 1.* tenentem, quòd accusatus, interrogatus à Judice etiam sine juramento, mortaliter peccat, si negat veritatem. Et secutus est Aret. *in cap. Qualiter, & quando, in §. Debet, col. 4. versic. tu autem adverte.* Graff. *par. 1. Decis. lib. 3. cap. 7. num. 16.* Nald. *in Sum. verb. Reus, num. 7.* & hanc esse communem sententiam apparet ex Doctoribus, quos recenset Navar. *lib. 2. cap. 4. num. 138.* 6.

Moveor primò juribus, *in l. causa, Cod. de jurejur.* ubi habetur, perjurum fore eum, qui in criminibus, delato sibi juramento de calumnia, falsum juravit, & in *cap. Quisquis, causa 22. quæst. 5.* ubi habetur, perjurum dici illum, qui 7.

licèt

licèt non dicat falsum, tacet tamen veritatem: & docet Dec, *in cap. Constitutus*, *col.* 1. & *in cap. Super literis*, *col.* 2. *de rescript.* & *in cap. Si duob. col.* 3. *de appell.* & id à fortiori, si falsum dicit.

8. Moveor secundò rationibus; nam juramentum jure divino, & naturali gentium inventum est. Ergo ipsius transgressio jure divino, & naturali prohibetur. Tum quia; hic miles, non obstante juramento, negando delictum, seu ex suo perjurio offendit directè DEUM, & proximum; DEUM quidem; quia sumit nomen ejus in vanum, nempè in falsum, & illum facit esse testem mendacij, cùm sit summa, & æterna Veritas; Proximum verò tam in particulari, quàm in communi; in particulari, ut est Judex, seu Auditor generalis, cui tenetur parere, cùm sit ei subditus; ut est pars, seu Accusator, qui non probando delictum, subjicitur pœnæ talionis. In communi etiam offendit proximum, & est Respublica, cùm illam cogat delicta impunita relinquere contra munus suum; illius enim interest, ut crimina manifestentur, & puniantur, juxta *l. ita vulneratus*, *ff. ad leg. Aquil.* & ideò quoad forum conscientiæ peccat mortaliter, & est reus perjurij.

9. Moveor tertiò exemplo in quodam, eò quòd falsum responderit cum juramento, tanquam graviter delinquente, & perjuro, punito per sententiam Senatus Pedemontani, *decis.* 66. incip. *in causa Fisci*, relat. à Tiber. Decian. *Tract. criminal. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 8. Non memorato exemplo Pœnorum, qui perjuri apud omnes habiti sunt ex illorum populorum natura, & moribus, tam in judicio, quàm extra illud, falsum cum juramento asserentium, ut refert Liv. *lib.* 2. *belli pun.* adeo ut in proverbium per antiphrasim abierit, *Punica fides.*

10. Concludimus igitur, hunc militem interrogatum de homicidio, & dicentem cum juramento falsum, id est non interfecisse, lethaliter peccare, & esse perjurum, & posse puniri de perjurio arbitriò Judicis, non tamen corporaliter, ut tenet Decian. *loc. cit. num.* 9. cùm pejeraverit pro tuenda vita corporis, quæ erat amittenda absque perjurio; & secluso juramentò, non peccare saltem mortaliter, ut tenet Abb. *in cap. Cùm super*, *de confess.* Filliuc. *tom.* 2. *in Decal. tract.* 40. *cap.* 9. *num.* 266. ubi citat Angel. Sylv. Navar. Sà, Less. omnes asserentes probabiliter in gravibus pœnis corporalibus, præsertim capitalibus, non peccare saltem mortaliter reum, etiamsi juridicè interrogatus, neget delictum, quamdiù sit spes evadendi.

11. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, negando, reum non teneri prodere seipsum, quando agitur de DEO offendendo, & ideò de æterna damnatione, ut est in casu nostro. Miles enim perjuriò perdit Animam; confessione autem perdit corpus tantùm. Anima verò, utpotè substantia spiritualis, & imago viva DEI viventis, præferenda est corpori terreno, & in pulverem resolvendo. *Cap. Cùm inferior, de major, & obed. l. fi. Cod. de sacrosanct. Eccles.* Atque adeo nostro militi nequaquam licebit perdere Animam, ut corpus defendat, *Cap. Si quis*, *cap. Primum*, & *cap. Cùm humilitatis*, *causa* 22. *quæst.* 2.

Ad secundam, asserendo, jura allegata esse intelligenda quoad pœnam fori, non autem quoad pœnam poli, scilicèt posse hujusmodi reum à pœnis corporalibus imponendis excusari; ut tenet Luc. de Pen. *in l. quotiès, Cod. de dignita. lib.* 12. *num.* 32. *cum pluribus seq. usque ad* 39. 12.

Ad tertiam, admonendo, damnatam esse ab Innocentio XI. opinionem asserentem, licitum esse uti juramento in æquivocatione: & sic negando absolutè licere militi à Judice interrogato verbis ambiguis illum fallere. Opinio damnata est 26. in ordine propositionum à Pontifice damnatarum. 13.

Infero primò ex dictis, peccare mortaliter, & esse perjurum scienter jurantem falsum, etiamsi coactione, metu, joco, vel etiam ex lapsu linguæ juret, dummodo cum advertentia juret. Secus verò, si non advertat. Ita D. Tho. 2. 2. *quæst.* 98. *art.* 3. *ad* 1 & 2. & alij plures, quos congerit, & sequitur Says, *in sua Clavi Reg. lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 2. 14.

Infero secundò, Reum occultum interrogatum de crimine læsæ majestatis, aut hæresis, si laborat aliquibus indicijs, vel infamia, aut conjecturis, teneri confiteri. Secus verò si non laborat infamia, nec indicijs. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. non enim onus gravissimum, ut est seipsum prodere, imponendum est delinquenti, si indicijs, & infamiâ caret delictum. Ita videtur haberi *in Cap. Quis aliquando*, *de pœnit. Dist.* 1. 15.

Infero tertiò, nec juramento nec excommunicatione posse compelli Reum occultum ad se manifestandum, quando delictum est quidem notum, sed delinquens omninò ignoratur, cùm nemo teneatur seipsum prodere, nisi sit infamatus, & semiconvictus; & in hoc sensu intelligendus est Tex. *in cap. Quidam*, *causa* 5. *quæst.* 1. Sufficit enim tunc præstare debitam satisfactionem, si ex delictò secutum est aliquod damnum. 16.

Infero quartò, peccare Judicem compellentem metu tormentorum, aut dolosis promissionibus Reum ad confitendum, nullis existentibus indiciis, vel Reo non notificatis, si existebant. Hoc enim prohibetur à jure naturæ, cùm tali coactione possit amitti vita, fama, cum aliis bonis; quorum conservatio est de jure naturæ. 17.

Infero quintò, Reum, sive Testem interrogatum non teneri Judici respondere, si dubium adest probabile, an sit infamia, aut sint indicia, quibus legitimè possit Judex inquirere. In dubio enim pars minùs periculosa sequenda est, quando neutra pars est tuta. 18.

Infero sextò, ex illicita negatione rei factæ in judicio, ut quando negatur crimen verum, & semiprobatum, & probabile, teneri Reum se retractare, si sequatur etiam indirectè infamia Accusatoris. Secus verò, quando crimen est occultum, & improbabile; tunc tantùm teneri famam restituere per verba moderata; puta, dicendo, quod fortè habuit bonam intentionem. Est contra Sylv. asserentem *in verb. Restitutio*, 3. *quæst.* 8. in nullo teneri, quando crimen est occultum & improbabile; cùm tunc injustè non læserit. 19.

20. Infero feptimò, Reum inquifitum in dubio effe abfolvendum. Philip. Dec. *conf. 415. num. 2.* quidquid dicat Bald. *in cap. 1. col. 5. in ver. & no. in titu. quib. mod. feu. amit.*

21. Infero octavò, non defìnere effe perjurum Reum, five Teftem, qui pejerat, ut indè fequatur bonum fibi, aut proximo, quemadmodum furtum femper eft furtum, etiamfi quis furetur ad fubveniendum pauperi; ut habetur *in cap. Is autem, caufa 22. q. 1.*

22. Infero nonò, effe perjurum illum, qui extrà judicium juramento fuo, non tacto tamen Evangelio, juravit quid effe verum, poftea in judicio, tacto Evangelio, contrarium affirmavit, & uti perjurum effe condemnandum. Tyndar: *in tract. de teft. cap. 11. col. 1.* quem refert, & fequitur Tiber. Decian. *in tract. criminal. lib. 6. cap. 10. num. 10.*

23. Infero decimò, effe perjurum dicentem etiam coactè falfum cum juramento de facto alieno: & habetur Tex. *in l. videamus, ff. de jurejuran.* Commodum enim alienum non aufert injuriam juramento illatam.

24. Infero undecimò, effe perjurum, & quidem puniendum illum, qui jurat effe verum id, quod putat effe falfum, licèt in rei veritate verum fit; ream enim linguam facit rea mens: & adeft Tex. *in cap. 3. caufa 22. q. 2.*

25. Infero duodecimò, effe apud DEUM perjurum illum, qui pejerare paratus eft, antequam juret, habetur *in Cap. Pejerare, caufa 22. quæft. 2.* DEUS enim non ex operibus tantùm judicat, fed & ex cognitione, & corde. Quod confirmat exemplum Glauci Spartani, qui pœnam minimè evitavit, eò quòd mente cogitaverat fraudare depofitum juramento firmatum. Ita refert Tiber. Decian. *loc. cit. n. 10.*

26. Infero decimotertiò, non excufari à perjurio illum, qui affirmat cum juramento id, de quo dubitat, vel quod non intelligit Cravet. *conf. 249. num. 5.*

27. Infero decimoquartò, Reum damnatum, fervato ordine juris, & nolentem patefacere crimen, de quo damnatur, nullatenus poffe in foro confcientiæ abfolvi à Confeffario, dummodò Confeffarius evidenter cognofcat, illum teneri veritatem aperire, Graff. *p. 1. Decif. lib. 3. cap. 7. num. 16. & 17.*

XXII. DIFFICULTAS.

Auditor generalis Exercitus, extorta à Parentibus militis delinquentis pecunia, illi commutavit pœnam mortis in lege ftatutam fuper crimine, de quo miles erat condemnandus, in pœnam pecuniariam. Dubitatur, num Auditor, feu Judex fit puniendus pœna Repetundarum, *aliifque juris pœnis.*

1. NOtandum primò, pœnam *Repetundarum* habere in fe, ultra alias pœnas, irrogationem infamiæ, & privationem officii ipfo jure, Glof. *in l. 2. §. Miles, qui verbo, Sacramenta, ff. de iis, qui nota. infam.* Bartol. *in l. 3. §. Hac lege, ff. ad leg. Jul. repetund.* Paul. de Caftr. *in conf. 223. col. 3. verf. ulteriùs*, fecundùm antiquam impreffionem. Joan. de Caftr. *in l. fi aliquid, Cod. de fufcept.* & alii plures.

Notandum fecundò, peccatum, feu crimen concuffionis committi, quando quis in officio conftitutus extorquet aliquid per metum à fubditis; vel quando extorquet pecuniam pro eo, quod gratis debet impendi: aut cùm aliquis Officialis, vel miles, ultra ftipendia fibi conftituta, aliquid extorquet: vel cùm aliquis accufat, vel defiftit ab accufatione propter pecuniam. Ita docet Ulrichus, *in Summ.* Turrecrem. *in Cap. Vendentes, caufa 1. q. 3. n. 2.* 2.

Notandum tertiò, pœnam diftingui in pœnam, quæ eft in lege determinata, & in pœnam, quæ in lege non eft ftatuta, fed Judicis arbitrio relicta. Ita diftinguitur pœna communiter à DD. 3.

Notandum quartò, dari differentiam, apud Turrecrem. *in Cap. Si quem, caufa 2. quæft. 1.* videndam, inter relaxare pœnam, & mutare, & alterare pœnam. 4.

Notandum quintò; quòd ille in officio fuo propriè delinquens dicitur, qui contrarium ejus, quod ad fui officii debitum fpectat, committit, & perpetrat. Sic docet Farinac. *in Conf. crimin. confil. 5. num. 4.* 5.

Notandum fextò, Officiales omnes pro extorfionibus, concuffionibus, furtis, & fimilibus delictis, poffe etiam durante officio conveniri. *l. jubemus, Cod. ad leg. Jul. repetund.* & Paris de Put. *de fynd. tit. de offic. fynd. verb. Judices ad fyndicatum, num. 6. & 7.* & alii Jurifconfulti, quamvis officium non amittatur ante latam fententiam, licèt commiffum fit crimen, ob quod ipfo jure delinquens privatur officio. Molina, *to. 1. de juft. d. 96.* 6.

His adnotatis, ad difficultatem propofitam, an Judex, feu Auditor generalis, ob pecuniam extortam, commutans pœnam mortis in lege ftatutam in pœnam pecuniariam obnoxius fit pœnæ *Repetundarum*, videtur negativè refpondendum *ex Cap. Omnis, dift. 45. ex cap. 1. caufa 23. q. 5. ex Cap. Pœna, de pæ. dift. 1.* Præterea, cuilibet licet facere, quod alicui prodeft, & nulli nocet, atqui commutare reo pœnam mortis in pœnam pecuniariam, ei prodeft, & nemini nocet. Ergo Auditori licitum eft facere hujufmodi commutationem; nulla autem actio licita meretur pœnam. 7.

Veritas tamen eft, Auditorem generalem, feu Judicem exercitûs commutantem pœnam duriorem militi delinquenti in pœnam mitiorem, ob pecuniam extortam, graviter peccare, & pœnâ *Repetundarum* effe puniendum, tanquam delinquentem in officio crimine concuffionis, feu ob pecuniam per metum extortam, contemplatione, & favore officii. Ita videntur fentire Paris de Put. *de fyndic. tit. Judices ad fyndicatum qui fint, cap. 1. num. 8. verf. & dixit*, Gullel. de Cune, *in l. nulli, Cod. quor. appellat. non recip.* Bald. *in l. 2. in fine, Cod. ubi de ratiociniis*, Salic. ibid. Menoch. *de arbitr. Jud. caf. 542. num. 11. lib. 2.* & alii afferentes, Officialem directè delinquere officium exercendo, quando delinquit favore vel prætextu, vel contemplatione, vel calore officii. Et 8.

Tur-

Turrecrem. *in Cap. Si quem, causa 2. quæst. 3.* ubi probat, à Judice non habente potestatem dispensandi super crimine, pœnam non posse commutari, minui; vel augeri.

9. Moveor primò jnribus, *Cod. ad leg. Jul. de vi. publ. vel priva. l. serves, qui, in fi. & Cod. nè sanctum baptisma reite. l. 3. & extrà, de offic. deleg. cap. De causis, §. 1. & de transac. cap. ult.* ubi habetur, quòd Judex, qui molliorem aut duriorem pœnam imposuerit, quàm scriptam repererit, gravi infamia notatur; & ita observat Hostien. *in Sum. lib. 5. tit. de accusatio. §. Quis sit effectus accusationis.* Et adest Tex. expresf. *in l. 1. & seq. ff. ad leg. Jul. repetund.* ubi habemus delinquentem in officio privari officiò, & graviter puniri.

10. Moveor secundò rationibus; nam quilibet Judex tenetur jus suum reddere unicuique. Atqui pœnam Reo commutans non redderet jus, nec illi, qui passus est injuriam, nec Reipublicæ, ad cujus bonum pertinet, quod malefactores debitâ pœnâ puniantur. Ergo peccat Auditor in hujusmodi commutatione. Tum quia, dubitandum non est, quin hoc delictum Auditoris dici debeat & in officio, & ratione officii commissum, cùm ex una parte non potuerit militi delinquenti commutare pœnam suo crimini in lege statutam, ut notatum est; ex alia parte pecuniam à parentibus rei, metum concutiendo extorserit. Tum etiam, quia Officialis tunc dicitur delinquere in officio, quando illud fecit, ut Officialis, & alius non potuisset facere; ita communiter DD. Auditor autem ut Auditor pœnam commutavit, & nemo ex aliis Judicibus potuit commutare. Ergo incidit in pœnam *Jul. repetund.* & alias jurium pœnas.

11. Moveor tertiò exemplo à pari in quodam Notario, qui cùm deli querit in officio, ob pecuniam concussione metus extortam hic Romæ, & fugam arripuerit, Senator mandavit illum citari, & in contumaciam condemnari, prout sic citatus & condemnatus in pœnam confessorum criminum, exilii, confiscationis, & privationis officiorum, triremium, ac etiam ultimi supplicii. Refert Farinac. in princ. *cons. 5.*

12. Concludendum est igitur, hunc Auditorem generalem esse damnandum de crimine *repetundarum*, & damnatum ipso jure effici infamem, *l. 1. ff. de his, qui not. infam.* Menoch. *de arbitr. Jud. d. caf. 342. num. 13.* & ipso jure incurrere privationem officii. Bald. *in auth. habita, Cod. nè fil. pro patre*, Capyc. *decis. 121. num. 23. in fin.* & incidere in omnes alias pœnas hujusmodi criminibus à jure statutas.

13. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, dicimus, quòd *cap. Illud omnis, dist. 45.* intelligitur, ut explicant Canonistæ, in his, quæ Judicis arbitrio relinquuntur; non autem in his, quæ per legem divinam, aut humanam determinata sunt. Eodem modo respondetur ad alias duas authoritates.

14. Ad secundam respondemus, minorem esse falsam. Judex enim si remitteret inordinatè pœnam à lege statutam, noceret Reipublicæ, cui expedit, ut delicta puniantur; ad hoc ut peccatis aditus præcludatur. Noceret etiam personæ, cui illata fuit injuria, quæ recompensatur per quandam restitutionem honoris in pœna injuriantis, ut dicit S. Thom.

Infero primò ex dictis, incidere in pœnam *Repetundarum* eum, qui cùm haberet aliquam potestatem, scilicet, officium, accepit pecuniam ob judicandum, vel non judicandum, vel ut faceret aliquid ultra officium suum. Ita expresè Glos. *in l. 1. ff. ad leg. Jul. repetund.* 15.

Infero secundò, puniri pœnâ *repetund.* eum, qui accepit pecuniam ob denuntiandum testimonium, vel non denuntiandum; ead. Glos. *ibi.* 16.

Infero tertiò, quòd damnatus à dicta lege non potest esse Testis, vel Judex, vel Advocatus. Glos. *loc. cit.* 17.

Infero quartò, Notarium falsificantem scripturas, vel falsum facientem testamentum, incurrere pœnam *repetundarum*, & alias pœnas; quia tunc dicitur propriè delinquere in officio, & occasione officii, quod etiam notat Bal. *in l. 2. §. Miles, in fin ff. de his, qui not. infam.* 18.

Infero quintò, Officialem delinquentem in officio, non posse ampliùs illud officium exercere, quando fuerit eo privatus. Ita jura, ut ex Tex. *in l. Judices, Cod. de dignit. lib. 12.* & Tex. *in l. si quoi, Cod. de offic. & præfect. Pret.* & Tex. *in l. si aliquid, Cod. de suscept. præpos. & arca. lib. 12.* 19.

Infero sextò, pœnam privationis ipso jure nunquam incurri, nisi sit constitutio, seu lex aliqua, quæ hoc expresè dicat. Gloss. *in cap. fin. de jure patron.* Innoc. *in cap. Bona, il 2. colum. fin. de elect.* Abb. *in cap. fin. num. 6. de Cler. non resid.* Tiraq. *in l. si unquam, in verb. Revertatur, num. 244. Cod. de revocan. don.* & alij plures Canonistæ, & Jurisperiti. 20.

Infero septimò, esse plectendum pœnâ *repetundarum*, & alijs pœnis Officialem, quoties non solùm ipsemet, sed etiam ejus Minister, aut Domesticus pecuniam extorquet: adest Textus expressus *in l. 1. ff. ad leg. Jul. repetund.* Paris de Put. *in verb. Barattaria, in princ & in verb. Corruptio, cap. 3. post num. 6.* & alibi, Menoch. *de arbitr. Jud. d. cas. 342. num. 11.* 21.

Infero octavò, Judicem ordinarium, & multò minùs delegatum, non posse, reo accusato & convicto, laxare licitè pœnam in lege statutam super crimine, de quo reus est condemnandus, petente altero recompensationem illatæ sibi injuriæ, quod patet authoritate divinæ legis. Deuter. 13. & 19. Legislatoris enim authoritati hoc reservatur; non arbitrio Judicis committitur, *ff. ad Senatus Consultum Turpil. l. 1.* 22.

Infero nonò, Principem, cui est plenariè potestas publica commissa, posse licitè absolvere Reum à pœna, vel à Judice inflicta, vel in lege statuta. 23.

Infero decimò, Judicem ordinarium, qui habet potestatem dispensandi super crimine, de quo Reus esset condemnandus, non posse pœnam statutam in lege mutare, aut alterare, diminuendo, aut augendo, sine causa legitima, & sine causæ cognitione. Sic docet etiam Turrecrem. *in cap. Si quem, causa 2. quæst. 1.* 24.

25. Infero undecimò, posse judicem ex causa augere delinquentibus pœnam ad terrorem aliorum, qui prompti sunt ad culpam; quia multis grassantibus opus est exemplô, *ff. de pœnis, l. aut facta. §. fin.* quod est intelligendum in ordinarijs criminibus.

26. Infero duodecimò, posse judicem ex causa mitigare pœnam in lege statutam, puta, quando non ex proposito, sed casualiter culpa esset commissa, ita quod delinquens dolo careret, *ff. de pœnis, l. recipiendum, §. Delinquunt*, aut si delinquens esset teneræ ætatis, aut magnæ senectutis.

27. Infero decimotertiò, posse judicem habentem plenam authoritatem, licitè Reo relaxare pœnam in lege statutam; si injuriam passus in hoc consentiat, & hoc non sit nocivum, aut scandalosum Reipublicæ. Ita communiter Doctores.

28. Infero decimoquartò, quando pœna non est determinata à jure, sive in lege statuta, tunc esse imponendam arbitrio judicis, qui debet, æquitate servata semper in humaniorem partem inclinare; patet *ff. de effra. l. 1. & ff. de pœnis, l. hodie; & extra, de offic. deleg. Cap. De causis, & extra de transac. cap. ult.*

29. Infero decimoquintò obiter, in puniendis idem crimen committentibus, non esse eundem servandum modum; & ideò aliter esse puniendum Nobilem, aliter plebeium, aliter liberum; aliter servum, Its communiter Doctores.

XXIII. DIFFICULTAS.

An Auditor Generalis, seu Judex Exercitus possit punire ut fugitivum militem, qui inquisitus de furte, aufugit etiam à Carcere.

1. NOtandum primò certum esse apud Doctores, quòd fuga contra fugientem facit indicium, præsumptionem, & suspicionem alicujus momenti. Et hoc habetur expressè ex Tex. *in §. Igitur, nè latente ec. in Auth. de exhib. & introducen. reis, in l. in eos, ff. de Custod. reor.* & alijs juribus relat. à Farin. *in praxi, & theor. quæst. 48. num. 2.*

2. Notandum secundò, justum esse timorem, si post comminatam accusationem, vel inquisitionem, etiam quæ nondum cæpta, aut instituta fuerit, quis aufugerit. *Arg. ad leg. Jul. in l. miles, §. Socer, ff. de adult.* & per Tex. *in l. edicto, §. Extat., de jure Fisci*; & præcipuè quando quis timet carcerari de facto, & ex improviso, ut docet Paria de Put. *in tract. de syndica. verb. Fuga Officialis, cap. 2.* Card. Alban. *in Lucubrat. in Bartol. in l. quis sit fugitivus, §. Sicuti. in fin. ff. de adil. edict.* Menoch *lib. 1. de præsumpt. quæst. 89. num. 38.* & alij plures.

3. Notandum tertiò, præsumptionem dividi à Specul. *in tit. de præsumpt. §. Species*, in temerariam, probabilem, violentam, necessariam; à Quintiliano in necessariam, credibilem, non repugnanten; & ab alijs communiter, in illam, quæ est juris, & de jure, in alteram juris tantùm, & in tertiam tantùm hominis. Quæ verò dicatur præsumptio juris, & de jure, & quæ hominis, videndus est Menochius, *lib. 1. de præsumpt. q. 3. 4. 5.*

Notandum quartò, præsumptionem dictam esse à dictione, præ, id est, ante & sumptio, hoc est, ante sumptionem, quia ante legitimas probationes aliquid sumit pro vero. Ita docet Simancas, *lib. Catholicar. institut. tit. 50. de præsumpt. n. 4.* 4.

Notandum quintò, inter se differre præsumptionem; indicium, conjecturam, signum, suspicionem, & adminiculum. Ita communiter Doctores, & inter cæteros Menoch. *lib. 1. de præsumpt. quæst. 7. n. 1. & 2.* ubi differentias assignat. 5.

Notandum sextò, rumorem, seu famam hîc, secundùm Fabium *lib. 5. instit. orat. cap. 3.* esse sermonem sine ullo auctore dispersum, cui malitia initium dedit, credulitas incrementum; & secundùm Bar. *in l. de minori, §. Plurimùm, num. 7. ff. de quæst.* esse communem opinionem voce manifestatam, ex suspicione provenientem. 6.

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an Auditor Generalis Exercitûs, seu judex possit punire ut fugitivum militem, qui inquisitus de furto, aufugit etiam de carcere, & citatus non comparuit, affirmativè videtur respondendum: cùm fuga etiam à carcere sit præsumptio fugæ à militia. Si enim Titius percusserit in capite inimicum, & quidem cum armis; animo ei mortem inferendi percussisse præsumitur, per Tex. *in Cap. Significasti, il secondo, in fin. verb. de homicid. l. 1. §. Divus Adrianus, in princ. ff. ad l. Cornel. de Sicar.* 7.

Veritas tamen est, hunc militem non posse ab Auditore, vel alio judice militari ut fugitivum, seu pro fuga puniri. Pet. Greg. Tolos. *in Syntag. jur. lib. 19. cap. 10. n. 17. Cotor. de jure milit. lib. 3. cap. 9.* & alij., quos recenset, & sequitur Crispolt. *in Casib. militar. cas. 11. n. 11. & 12.* 8.

Moveor primò juribus, *in. l. milites agrum. §. Eius fugam, ff. de re militar.* ubi expressè habetur, fugientem è carcere non esse in numero desertorum computandum, quia custodiæ refuga, non militiæ desertor est: *& in l. fi. quis sit fugitivus, ff. de adilic. edict.* ubi regulam certam reperio, militem nempe, non esse fugæ reum, si non animo deserendi militiam aufugerit, sed ob aliam justam causam, puta, propter molestias carceris, vel minas illatas ab inimicis, vel justum timorem contrariæ factionis. Tunc enim fuga non facit contra fugientem judicium & probationem ad pœnas desertoribus statutas à jure decretandas. 9.

Moveor secundò rationibus. Est enim regula generalis. quòd pœna nunquam infertur pro facto non malo animo; & ita Bald- *in. l. 1. in. 7. col. Cod. de his, qui pœna no. dar l. si servum, §. Prætor, ff. de acquir. hæred.* Jas. *in. l. videamus, num. 10. & 11. ff. de in litem jur.* Animus autem militis fugientis utpote latens probatur non testibus, sed præsumptionibus, ut vult Innoc. *in Cap. Super hoc de renunciat.* Bald, *in l. si quis filio, §. Ejus qui, ff. de injust. rupt. & irrit. fact. testam.* At præsumptio juris nostro favet militi, quem supponit è carcere fugisse, non ob desertionem militiæ, sed ad se subtrahendum molestijs carceris, alijsque pœnis. Si enim voluisset militiam desere- 10.

re,

re, statim post commissum delictum, si revera commisit, non expectata accusatione, inquisitione, citatione, carceratione, aufugisset; & ideò censendum est, motivum immediatum, & verisimile fugæ fuisse sine dubio carcerem, metum pœnæ & molestiarum, & sic pœnis desertioni indictis militem minimè puniendum. Tum quia, scimus non rarò evenire, ut & innocentes formidolosi fugiant aut judicum sævitiam, aut potentiam contrariæ factionis, aut falsos testes timentes, secundùm Bart, per Tex. *in l. 1. num. 1. ff. de bonis eorum*, Paris de Put. & alios apud Farin. *Theor. & prax. quæst. 48. num.* 27. & tunc fuga non facit indicium; ut scribunt Bar. Ioan. de Amic, & alij, quos refert, & sequitur Menoch. *loc. cit. sub num.* 38. multò minus faciet indicium fuga è carcere, quem & ipsi innocentes subire nolunt justitio præsertim metu pœnæ; & ideò carceri, & desiderio evadendi pœnas; & vexationes potius quàm animo deserendi militiam fuga militis est adscribenda, ut notat Tiraquell. *in l. sed & si plures. §. in arrogato, ff. de vulgar. & pupill. de retract. lignag. in Pref. num.* 69. *&* §. 36, *num.* 19.

11. Moveor tertiò exemplo in Demosthene, qui fatetur non posse se duritiem carceris sustinere, unde *in sua epist. 2. de suo reditu.* se excusat, quòd judicium Atheniensium effugisset: ibi hæc proferens verba. „Iam ob discessum meum jure irasci „mihi non potestis: neque enim ideò abij, quòd „de vobis desperarem, aut uspiam aliò respice„rem, sed primùm carceris ignominiam animo „ferebam graviter; deinde propter ætatem, „afflictionem illam corporis perpeti non pote„ram; denique & vos non nolle putabam illam „contumeliam me effugere, quæ neque vos „quidquam juvabat, & me perdebat. Refert Menoch. *lib. 1. de præsumpt. q. 89, n. 38.*

12. Concludimus igitur, non esse per Auditorem generalem, neque per alium judicem, punibilem hujus militis desertionem; licèt enim fugiens à carcere deseruerit consequenter militiam, non fugit tamen in eo, ob præsumptionem, animus deserendi, & consequenter neque dolus, qui requiritur etiam in quocunque militum delicto; aliàs enim pro modo culpæ minuitur pœna, *l. 1. Cod. ad leg. Cornel. de Sicar. §. Nam si, Inst. de leg. Aquil.* imò sine dolo nulla prorsus irroganda est pœna. Decian. *Tract. crimin. lib. 6. cap. 11. n. 14.* Menoch, *de arbitr. jud. cas. 194. n. 58.* & alij.

13. Ad rationem in contrarium respondetur, negando fuga à carcere probari fugam à militia, seu fugam esse comitem delicti; videmus enim tot delinquentes nec fugere, nec cogitare de fuga; & non paucos innocentes fugere, ne capti carcere, aut alio modo vexentur ob sævitiem judicis, aut potentiam partis contrariæ, aut falsorum Testium depositionem.

14. Ad probationem in percutiente inimicum in capite ferro, patet responsio ex dictis.

15. Infero primò ex dictis, neque per judicem exercitûs posse puniri militem, qui præparavit se ad fugam, & nondum fugerit; dumodo per aliqua signa evidentia non constet voluisse militiam deserere; tunc enim pœnam desertionis incurreret; quia tunc idem operatur fuga in actu primo, quod fuga in actu secundo: ut per Bald. *in l. pignoris causa, Cod. de pignorat. actio.* Matt. *in pract. §. Diligenter, n.* 30.

Infero secundò, solam fugam sejunctam ab omni alio indicio, & adminiculo, non facere indicium sufficiens ad torturam. Bald. *in l. voluntatis, n. 11. Cod. de fideic,* Spec. *in tit. de præsumpt. §. 7. sub. num.* 8. Quidquid dicant alij, quos refert Farinac. *in theor. & prax. quæst.* 48. quorum opinio videtur admittenda tantùm in aliquo casu, puta, in Mercatoribus, decoctoribus, qui ex fuga possunt torqueri, ut manifestent pecunias eis datas, & apud eos depositas, quas asserunt perdidisse, & subtractas ab alijs institoribus, ut docet Paris de Put. *Tract. de syndic. Cap. An in causa pecuniaria, & civili, num.* 2. Marsil. *in leg. divus; num. 5. ff. de quæst.* & alij. 16.

Infero tertiò, non posse à Judice facilè torqueri, vel puniri illum, qui à populo, vel exercitu fuit cum clamore fugatus; cùm attentè priùs inspiciendum sit, unde hujusmodi clamor oriatur; nam orto rumore ex nulla probabili, vel verisimili causa, nullatenus esse torquendum, aut puniendum asserunt communiter Jurisconsulti. 17.

Infero quartò, fuga probata in milite absque metu carceris, aut alterius pœnæ, dici probatum delictum desertionis, *l. desertorem, ff. de re milit. & l. 1. & l. 2. de desertor. lib. 12.* & ibi tradunt omnes. 18.

Infero quintò, contra injustè carceratum non facere aliquod indicium ad torturam ejus fugam. Alex. *in cons. 144. num. 7. lib. 2.* Afflict. *in Comment. ad Constit. Neapol. in Constitutione, quæ incipit. Clementina, in fin. tertij notab.* 19.

Infero sextò in recedente è carcere, animo redeundi, (& ex subito reditu probatur animus) non adesse indicium ad torturam. Barbat. *in. l. quid sit fugitivus. §. 1. de ædil. edict.* Cirland. Carrer. & alij, quos recenset, & sequitur Menochius, *lib. 1. de præsumpt. q. 29. per totam*; ubi ostendit, quando fuga facit indicium ad torturam, & ad alias pœnas, & quando non facit indicium: ad quem me, & lectorem meum charissimum, ut tædium in materia tam odiosa evitetur, libenter remitto. 20.

XXIV. DIFFICULTAS.

An miles in rei veritate innocens: secundùm tamen allegata & probata nocens, si juravit Custodi carceris, vel Judici redire ad carceres, teneatur implere juramentum, etiamsi sit condemnandus ad mortem.

NOtandum primò, juramentum, sive jusjurandum nomen habere ex eo quòd sit quasi pro jure introductum, ut id, quod dicitur invocatione divini Testimonij, habeatur pro vero, & quasi jussum (scilicet quòd DEUS, vel natura, aut gens, civitas, populus, vel consuetudo jubet, ut adimpleatur) ut habetur *in l. jusjurandum, ff.* 1.

de

de jurejur, & ex D. Tho. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 1. Reginal. *lib.* 18. *praxis fori pœnitentialis*, & alijs.

2. Notandum secundò, juramentum promissorium esse illud, quod fit ad confirmandam promissionem de re futura, ut in contractibus, & alijs promissionibus juratis, puta, quando juramus aliquid dare, vel facere, aut non dare, vel non facere; ut habetur *toto tit. ff. & Cod. de jurejurando*, & in Jure Canonico, *eod. tit.* & est vulgatum apud omnes.

3. Notandum tertiò, duplicem esse carcerem, justum, scilicet, & injuriosum. Primum, esse secundùm dispositionem juris. Secundum verò, contra vel extra juris dispositionem, & est, quando carcer est Judicis non competentis, vel alicujus Tyranni, vel alicujus hominis privati: vel, si sit Judicis competentis, non tamen secundùm ordinem juris imponitur. Sic etiam notat Sayr. *in sua Clavi Reg. lib.* 12. *cap.* 18. *sub. num.* 26.

4. Notandum quartò, justè captum, carceratum, & ad mortem damnatum, vel damnandum, qui à Judice, vel Custode dimittitur à carcere, præstito juramento, vel fide simplici data de redeundo, teneri omninò sub perjurij, vel violatæ fidei reatu ad carcerem redire. Panorm. *in cap. Inter alia*, *num.* 32. *de Immunit. Eccles.* & alij communiter sine controversia; quia juramentum licitum obligat in conscientia ad sui observantiam.

5. Notandum quintò, injustè captum, & carceratum posse sine ullo peccato à carceribus fugere, data sibi fugiendi opportunitate: quod notatur *in l. vis ejus*, *Cod. de probat.* & est communiter receptum, ut advertit Graff. *p.* 1. *Decis. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 1. ubi asserit cum Par. de Puteo, *in tract. syndic. in §. Carcerem*, Ripa, *in l. admonendi*, *n.* 171. *de jurejur.* posse carceratum hujusmodi vi fores carceris, vel parietes infringere, & fugere impunè.

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles in rei veritate innocens, secundùm tamen allegata & probata nocens, solutus à carcere, præstito juramento de redeundo, teneatur redire, etiamsi sit condemnandus ad mortem; negativè respondet Decian. *in tract. criminal. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 5. quando carcer est injuriosus, scilicet, in conscientia sua timeat, se, non obstantibus defensionibus, injustè condemnandum; vel si sciat se non posse veritatem innocentiæ suæ probare: & allegat pro se Gloss. *in Clement. Pastoralis*, *in verb. per violentiam*, *de sent. & re jud.* Bald. *in rub. de vita, & honest. Cleric. col.* 2. Abb. *in cap. Sicut in tertio*, *num.* 4. *& in cap. Si verò*, *num.* 8. *de jurejur. & in cap. Inter alia*, *de Immunit. Ecclesiast.* Anchar. *in regula*, *peccatum*, *de reg. jur. in* 6. quibus addo ego Angel. *verb. Juramentum*, 5. §. 57. Sylvest. *verb. Accusatio*, *quæst.* 17. Tabienam, Eman. Sà, & innumeros alios, quos refert. Sayr. *in sua Clavi Regia*, *lib.* 12. *cap.* 18. *sub num.* 26. Et probant, quia juramentum nullas habet vires, ubi quis se objicit manifesto mortis periculo sine justa causa. *cap. Si non liceat*, *causa* 23. *quæst.* 5 *& in §. ult. causa* 22. *quæst.* 4. *& in cap. Negotiatorem Clericum*, 88. *Dist.* Præterea unusquisque tenetur vitam propriam defendere; & miles injustè carceratus scit se moriturum injustè, si redeat ad carcerem; & ideò redeundo imputabitur illi mors ejus, cùm faciat aliquid sine causa, ad quod sequitur mors ipsius.

Fateor, hanc sententiam esse probabilem, ob præcipuè multitudinem Auctorum; adeóque non puto esse à nobis reijciendam. Verùm, cùm potiùs faveat Humanitati, quàm Juramento, quod est actus Religionis humanitati præferendæ; propterea sententiæ oppositæ libenter adhæreo, asserendo probabilius teneri hunc militem redire ad carcerem, quamvis injuriosum, & si injustam mortis pœnam timeat; præsertim si dum juravit, habebat intentionem redeundi. Sayr. *in Clavi Reg. lib.* 12. *cap.* 18. Romanus, *in l. stipulationum*, *num.* 78. *ff. de verbor. obligat.* Cajet. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *col. penult. vers. ex his autem*: & alij, quos citat, & sequitur Sanchez, *in Sum. p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 32. 7.

Moveor primò juribus *in l.* 5. §. *Captivus autem*, *ff. de capti.* ubi refertur exemplum cujusdam, qui ad manus hostium, quorum erat captivus, redijt ob juramentum præstitum redeundi. Et *cap. Si verò*, *de jurejurando*; ubi habetur, quòd Religio nos ligat, ut juramentum semper servemus, ubi non imminet periculum salutis æternæ. Miles verò redeundo ad carcerem, non se exponit periculo salutis spiritualis; & ideò tenetur servare juramentum. 8.

Moveor secundò rationibus; nam etiamsi miles innocens sit secundùm allegata & probata; cùm sit convictus, sententia est juridica, hoc est lata juxta juris dispositionem; & ideò reditus ad carcerem est licitus, & sic licitum pati mortem, dum statuitur à Judice legitimè, juxta juris dispositionem: unde cùm juraverit redire, juramentum servare tenetur. Fatentur enim omnes, juramentum esse obligatorium, quando est de re licita & sancta. Tum quia, quando carcer non est injuriosus, etiam secundùm Adversarios, tenetur carceratus redire ad carcerem ob fidem datam de redeundo. Cùm autem sententia lata, secundùm allegata, & probata, sit juridica, carcer minimè injuriosus censetur; est enim justus; & quod justum est, ut injuriosum non debet haberi; atque adeò miles cùm juraverit redire ad carcerem, ab obligatione redeundi non liberatur; præcipuè cùm observatio juramenti sit actus fidelitatis; & ad virtutem veritatis, patientiæ, & fortitudinis pertineat tale juramentum cum vitæ periculo observare; nec aliqua injuria militi juranti per talem actum irrogetur. 9.

Moveor tertiò exemplo in M. Attilio Regulo, ab omnibus laudato, qui factus ab hostibus captivus, & remissus sub vinculo juramenti de redeundo, ne fidem juramento confirmatam violaret, cum probabilissimo suæ vitæ periculo ad Carthaginensium hostium manus redijt; ita refert. Dec. *Tract. crim. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 5. Sayr. *in Clav. Reg. lib.* 12. *cap.* 18. *sub. num.* 26. 10.

Concludimus igitur, militem & quemvis alium à parte rei innocentem, sed secundùm allegata & probata delinquentem, si promiserit ad carcerem 11.

cerum redire, & juramento firmaverit promissionem, omninò teneri redire, ut juramentum adimpleat, & debitam fidelitatem ostendat; nisi tempore, quo juravit reditum, aut non fugere, ignorarit tantum esse periculum; ut limitat Sanchez, *loc. cit. num.* 34. nec illi nefas esse in re licita justam defensionem omittere.

12. Ad rationes in contrarium patet responsio ex dictis, & ex dicendis etiam patebit.

13. Infero primò ex dictis, captivum apud Infideles, si juravit se rediturum, aut missurum redemptionis pretium, teneri vel pretium mittere, vel redire; nec posse petere relaxationem juramenti, nec ea uti, quia redundaret in magnum detrimentum Religionis Christianæ: nam Infideles judicarent Fidem Christianam esse falsam, videntes à Christianis juramentum, quod est unus ex præcipuis actibus Religionis, minimè servati.

14. Infero secundò, non videri probabilem sententiam Covarr. *lib.* 1. *variar. resolut. cap.* 2. *num.* 7. *vers. tertio*, & aliorum, asserentium injustè captum, detentum, & damnatum non tantùm non teneri redire, sed etiam peccare graviter redeundo, tanquam temerè se morti offerentem.

15. Infero tertiò, juratum non fugere è carcere injurioso, teneri non fugere, cùm sit eadem ratio redeundi ad illum, & non fugiendi ex illo. Sic etiam docet Tabiena, & Armilla, relati à Sanchez, *in Sum. loc. cit. num.* 33.

16. Infero quartò, juramentum promissorium esse semper mortale ex defectu veritatis de præsenti; & ideò juratem, qui non habet animum servandæ rei promissæ, sive illa licita sit, sive illicita, sive magna, sive parva, peccare mortaliter. Sylvest. *verb. Perjurium, quæst.* 1. Cajet. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. & plures alij, quos congerit Sanch. *in Sum. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 16.

17. Infero quintò, peccare mortaliter illum, qui juramento assertorio affirmat rem dubiam, seu jurat rem animo dubio implendæ rei promissæ; vel juramento aliquid promisit, eredens certò, fore ut implere nequeat; quia vel adest periculum mendacij, aut deficit certa veritas. Angelus, *verb. Juramentum*, 5. ubi refert Host. Sylvest. *verb. Juramentum*, 4. *q.* 18. & 25. Abulens. *in cap.* 5. Matth. *q.* 307. & alij.

18. Infero sextò, injustè conjecto in carcerem licere dolo & stratagemate, secluso tamen mendacio, decipere custodes, & hac via aufugere à carcere; quod colligitur ex Gloss. *in Clement. Pastoralis, in verb. per violentiam*; & per Bar. *in l. relegati, in princ. ff. de pœnis*; & alios cumulatos per Dec. *Tract. crim. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 4.

19. Infero septimò, licere justè carcerato, & ideò justè condemnando ad pœnam mortis è carceribus aufugere. Imol. *in d. Clement. Pastoralis*, Archid. *in cap. Cùm homo, causa* 13. *quæst.* 5. D. Tho. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. *in responsione ad secundum.* Cajet. *ibi.* Sylvest. *verb. Fugere*; quia nulla lege tenetur in carcere manere, nec agere quidquam, ex quo sequatur mors. Contrarium tenet Abb. *in cap.* 1. *de testi. cog. in cap. Sicut in tertio, de jurejur.* & videtur tenere Gloss. *in cap. Jus gentium*, 1. *Dist.* ubi dicit peccare captum in bello justo, si aufugiat. Idem tenet Bar. *in d. l. relegati, ff. de pœnis.*

Infero octavò, justè carceratum, & justè damnandum ad mortem, licèt teneatur à Judice illatam mortem pati, & inferendi non resistere; putà, injicere manus in Judicem, vel Ministrum, aut ligare, vel os claudere, ne clamaret, ut facit Tex. *in l.* 1. *ff. de bon. eor. qui sibi mor. consc.* cùm hoc esset resistere, quod non licet; posse tamen compedes rumpere, ac infringere fores, & perforare murum, ut ad fugam sibi viam apetiat. Cajet. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. Sot. *lib.* 5. *quæst.* 6. *art.* 4. *de just. & jur.* ibi asserens tantùm teneri in conscientia resarcire damna illata in effractione carceris, & vinculorum consistentia, necnon ad restitutionem damni dati Reipublicæ, vel privatis pro dicta effractione; cùm alij pro delictis, vel ære capti alieno è carcere fugerent. Ita etiam sentit Covar. *lib.* 1. *variar. resol. cap.* 2. *in fin.* Contrarium, scilicet, non licere justè carcerato & damnato ad mortem carceres fugiendo effringere, tenet Henr. de Gandavo, *Quodlib.* 9. *art.* 25. cùm hoc lege prohibeatur, *l.* 1 *ff. de effract. l. milites*, §. *Ejus, ff. de re milit. l. in eos, ff. de cust. reo.* Quam opinionem sequitur Carena, *Tract. de off. S. Inq. tit.* 17. §. 21. *num.* 34. ibi asserens, confugientes è carceribus, eis fractis, si iterum à Ministris capiantur, ratione fracturæ & fugæ solere regulariter puniri tribus ictibus funis in dominio Mediolani: Secus verò, si spontè aufugientes redierint. 20.

Infero nonò, Judicem promittentem nomine Principis, habita licentia à Principe, liberationem reo, si fatetur delictum, teneri promissum in utroque foro servare, per Tex. *in d. l. relegati, ff. de pœnis, epistola, l. inter claras*, 4. *Cod. de Sum. Trin.* 21.

Infero decimò, Reum, qui legitimè interrogatus, atque tortus negat veritatem, & absolvitur, non teneri in judicio Animæ ad pœnam, ad quam juridicè erat damnandus, quia pœna non debetur nisi pòst sententiam, per Tex. *in cap. Susceptis, de causa possess.* & propriè Sot. *lib.* 1. *q.* 6. *art.* 6. *col.* 3. & 4. *de just. & jur.* 22.

XXV. DIFFICULTAS.

Titius, unus ex Ministris Leopoldi Primi Romanorum electi Imperatoris, contra Turcas bellantis, vi tormentorum coactus, revelavit Turcis quædam secreta in præjudicium Buda, & Exercitûs Christiani. Dubitatur, an inciderit in excommunicationem Can. 7. Bullæ Cœnæ.

Notandum primò, fundari hanc difficultatem super verbis explicitis Canonis septimi Bullæ Cœnæ; vi quorum excommunicatur quicunque sive per se, sive per alios certiores facit christiani nominis inimicos de ijs, quæ ad Reipublicæ Christianæ statum pertinent in Christianorum perniciem, & damnum Catholicæ Religionis. 1.

Notandum secundò, nomine statûs Christianæ Reipublicæ venire temporalem statum, non so- 2.

lùm totius Christianitatis, & Fidei Catholicæ, ac Ecclesiæ, sed etiam uniuscujusque particularis Regni, Provinciæ, & Civitatis, Sayr. *in explicat. Can. 7. Bull. Cœn. lib. 3. Thes. tom. 1. cap. 11. num. 35.*

3. Notandum tertiò, ea dici concernere statum Reipublicæ Christianæ, in perniciem Christianorum, eorum hostibus revelata, quæ vel ad occupanda Christianorum Loca, vel ad oppugnandos, & deprædandos Christianos ordinantur. Ita communiter Canonistæ, & Jurisconsulti.

4. Notandum quartò, secretum, quatenus pertinet ad negotia, esse virtutis fidei actum, prout fides est idem quod fidelitas. Trull. *tom. 2. in Decal. lib. 7. cap. 10. dub. 32. num. 1.*

5. Notandum quintò, dari de secreto servando præceptum naturale, divinum & humanum, ut optimè probat Sotus, *lib. de secreto, membro 1. quæst. 2.* ubi plures distingnit secreti gradus; quorum primus est sacramentalis; nempe, confessionis, de quo hic non est sermo. Secundus est naturalis, qui diversis modis contingit.

6. Notandum sextò, secretum naturale dividi in publicum, & privatum: Publicum esse id, ad quod quis tenetur ex officio publico, aut legali debito, ut Prælatus, Canonicus, Senator, Consiliarius, vel quævis persona publica: Privatum esse id, quod contingit inter personas particulares.

7. Notandum septimò, secretum, aliud esse explicitum, & aliud tacitum: Explicitum, quando fit expressa promissio de eo celando: Tacitum, cùm id colligitur ex modo dicendi secreto, ex verbis significantibus confidentiam, & aliis ejusmodi signis. Filliuc. *tom. 2. Decal. tract. 40. cap. 2. de mend. n. 58.*

8. Notandum octavò, utrumque secretum, explicitum, & tacitum illud esse, cujus manifestatio nocet Animæ, corpori, famæ, honori, vel fortunæ alterius, bono sive publico sive particulati, etiamsi nulla fuerit facta promissio de secreto non revelando.

9. Notandum nonò, secretum, seu fidelitatem versari tam circa debitum legale, quod est jure debitum; quale est in contractibus civilibus, & pertinet ad justitiam; quàm circa debitum morale, quod spectat ad honestatem quandam moralem, & pertinet ad partem potentialem justitiæ, & est sensus communis Doctorum.

10. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Minister Imperatoris bellantis contra Turcas, qui captus, & tortus, vi tormentorum revelavit Turcis secretum concernens damnum Budæ, & Exercitûs Christiani, inciderit in excommunicationem Bullæ Cœnæ; partem negativam, quam putat veriorem, defendit Duardus, *in d. Bull. in Can. 7. lib. 2. quæst. 32. num. 3.* Bonac. *de censuris ejusd. Bull. disp. 1. quæst. 8. punct. 1. sub. num. 9.* ubi loquitur cum limitatione, nisi, scilicet, revelans posset verbis amphibologicis eludere interrogantes, & tormenta evitare: tunc revelando incideret in excommunicationem. Totum fundamentum hujus opinionis desumitur à significatione verborum Bullæ: nam vi Canonis excommunicatur quicunque certiores facit Christiani nominis hostes de rebus statum Reipublicæ Christianæ concernentibus. At qui revelat secretum ex vi tormentorum, non dicitur certiores facere hostes prædictos; quia certiores facere, secundùm vim, & proprietatem verbi, est per nuncium, aut per literas nunciare, ut patet apud Cicer. *6. Verr. Pla. in Cur. Teren. in Phorm.* sed dicuntur secreta illa vi tormentorum ab hostibus illis investigari, & explorari, ut est Tex. *in l. edictum, ff. de quæst.* Cùm igitur simus in pœnalibus, quæ sunt strictè interpretanda, ut *in cap. Pœna, de pœn. 1. Dist. Cap. Odia, de reg. jur. in 6.* non debemus recedere à verborum proprietate: atque adeò excusandus videtur ab excommunicatione Canonis, qui ex tormentorum vi coactus revelat secretum, quamvis hujusmodi revelatio sit in perniciem Christianorum, quod est per accidens, & præter intentionem talis revelantis. Præterea, cuilibet licet ad evitanda tormenta gravia, imò & levia, secretum suum crimen manifestò proferre, etiamsi sit sibi mors imminens secutura. Ita docent Less. Salon. aliique apud Bonac. *d. 2. de restit. quæst. 4. p. 10. num. 7.* Licitum ergo erit ad evitanda tormenta, secreta aliena manifestare, quamvis damnum pariat hujusmodi manifestatio, Censura autem, quæ gravis est pœna, per actionem licitam, seu absque culpa non incurritur.

Fateor, hanc opinionem habere probabilitatem, propterea ei putabam adhærere. Re tamen diligentiori studio examinata, contrarium visum est verius, & probabilius, ligari nempe vinculo excommunicationis Bullæ Cœnæ Ministrum Leopoldi Primi Imperatoris, tormentorum vi Turcis secreta revelantem in perniciem Budæ - & totius Christiani Exercitûs. Ita Ugolin. *in explicatione Canon. septimi Bull. Cœn. vers. hac non illos, §. 1.* Alterc. *in eamd. Bullam, disp. 8. lib. 5. cap. 9. in vers. secundò quæres quis*, & alij. 11.

Moveor primò juribus *in l. omne, ff. de re militar. §. Exploratores, & in leg. Athletas, ff. de his, qui not. infam. §. Prævaricator*, ubi dicitur, nuntiantes hostibus esse proditores: *& in l. minimè, ff. de Relig. & sumpt. fun.* ubi habetur, nos teneri jure naturali pro Patria, ac Religione etiam contra parentes pugnare. Qui autem revelat Turcis sive sponte, sive coactè secreta Principis, non pugnat, non defendit Christianam Rempublicam, sed offendit; unde contra jus naturale operatur; & sic mortaliter peccat. Violatur enim fides, quam jure naturæ servare tenemur, præcipuè si habemus officium publicum; propterea jure asserunt Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 7. cap. 10. dub. 32. num. 9.* Filliuc. *in eadem tract. 40. cap. 2. quæst. 4. sub num. 63.* Diana, *p. 6. tract. 6. & miscell. 1. Res. 60.* & alii, esse actionem graviter peccaminosam revelare secreta alterius Principis, vel Exercitûs, vel Reipublicæ etiam ex vi tormentorum, quando in alterius grave damnum publicum revelatio redundat. Ex comuni autem Theologorum doctrina habemus eum censuram incurrere, qui facit scienter actionem graviter peccaminosam, cui annexa est censura. 12.

Moveor secundò rationibus; nam excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrit, qui Turcis, aliisque 13.

itaque Christiani nominis hostibus opitulatur cum detrimento Christianæ Reipublicæ; est enim intrinsecè malum, cùm sit contra primum præceptum, quo præcipitur Religio erga DEUM, ut per Tex. *in l. veluti, ff. de just. & jur.* Et docet Navar. *in cap. Ita quorundam, not. 1. num. 8. de Juda.* Tum quia, vis tormentorum, quæ infertur revelanti, non impedit ex ejusmodi revelatione Turcas certiores fieri de iis, quæ ad Rempublicam Christianæ statum pertinent, in Christianorum perniciem. Incurrere autem excommunicationem Bullæ Cœnæ certiores facientem Turcas de iis, quæ concernunt statum Reipublicæ Christianæ in Christianorum perniciem, ex eadem Bulla apertè habetur.

14. Movetur tertiò exemplo, primò, in Ægyptiis, qui his, qui secreta hostibus enunciassent sive coactim, sive liberè, linguam abscindebant. Diod. Sicul. *lib. 1. cap. 6.* Secundò, in Venetis prudentiæ acjustitiæ Viris, qui anno 1540. sæviente bello Turcarum contra ipsos, Revelantes secreta Reipublicæ Turcis, ad pœnam capitalem damnarunt. Sur. *in Comment.* Si ergò revelantes secreta Reipublicæ, seu Principis Christiani Turcis, aliisque Christianorum hostibus, pœnam corporalem merentur, spiritualem sanè, seu Ecclesiasticam aufugere non debent, cùm ejusmodi revelatio in grave detrimentum Ecclesiæ redundet.

15. Concludimus igitur, obstrictum remansisse excommunicatione Bullæ Cœnæ Imperatoris Ministrum, qui tormentorum vi compulsus, secreta sui Principis revelavit Turcis, in grave Christianæ Reipublicæ præjudicium.

16. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, patet responsio ex dictis; certiores enim facit Turcas, qui illis secretum revelat sivè spontè, sive coactè, illisque per hujusmodi revelationem opitulatur.

17. Ad secundam, concedendo ant. quia agitur de bono privato: & neg. conseq. quia in nostro casu agitur de bono communi, quod, præeunte naturæ lumine, docemur anteferendum esse privato, ut etiam habetur *in l. 1. ff. de solut. matr. & leg. unica, Cod. de Cad. toll.* Et ideò quamvis cuilibet liceat ad evitanda tormenta suum manifestare secretum, suam concernens infamiam, ei tamen non licebit revelare id, quod contra publicum Bonum vergit.

18. Infero primò ex dictis, incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ illum, quomodocunque denunciat Turcis Loca aliqua non benè munita esse, & facilè occupari posse docet, aut civitatem fame premi, adeóque obsidione facile capi posse; aut in consilio factam esse à Ducibus exercitûs determinationem recuperandi tali modo aliquam arcem ab hostibus occupatam. Duardus, *in Bull. Can. lib. 2. in Can. 7. quæst. 30.*

19. Infero secundò, incurrere, citra omnem controversiam, dictam excommunicationem illum, qui certiores facit Turcas de his, quæ jam ex alia parte noverant, etiamsi nihil omninò ex tali revelatione sciant. Ugolin. *in explic. hujus Can. verb. Nec non illos, & §. 5.* ibi: quia actio principalis, quam prohibet Bulla, est certiores facere Turcas de rebus concernentibus statum Reipublicæ Christianæ.

Infero tertiò, teneri quemlibet servare secretum de rebus proximi, non solùm jure naturali & divino, sed etiam humano, ut *l. lex Cornelia, §. Si quis, ff. de injuriis. Et Cap. Si testes, caus. 4. quæst. 3.* 20.

Infero quartò, revelantes Turcis secreta concernentia statum Reipublicæ Christianæ, sed in perniciem, seu damnum unius hominis Christiani, non comprehendi sub dispositione d. Canonis; qui tantùm extenditur ad revelantes in perniciem Christianorum, vel totius Reipublicæ Christianæ, vel illius Regni, Provinciæ, Civitatis. Ugolin. *loc. cit. sub n. 2.* in fine. 21.

Infero quintò, revelare secretum parvi momenti, etiamsi præcesserit promissio illud celandi, non esse peccatum mortale, dummodò ex tali manifestatione non sequatur grave detrimentum proximo; vel qui secretum nobis commisit, non graviter ferret, idque rationabiliter, & prudenter. Azor. *Inst. mor. p. 3. lib. 13. cap. 31.* Navar. *in Man. cap. 18. num. 52;* ex Cajet. *quæst. 70. art. 1.* 22.

Infero sextò, Nuncium deferentem Infidelibus literas, scientem continere revelationem secreti Reipublicæ Christianæ, incurrere excommunicationem Can. Diana, *p. 9. tr. 7. & misc. 2. Res. 16.* Opinio contraria non est improbabilis; Idem, *ibid.* 23.

Infero septimò, incurrere eandem censuram revelantem secretum Reipublicæ Christianæ alicui fideli, qui creditur revelaturus infidelibus. Bonac. *tom. 3. d. 1. q. 8. punc. 2. n. 4.* & alii apud ipsum. Contrariæ sententiæ adhæret Suar. Palaus. 24.

Infero octavò, probabiliùs incurrere censu ram Canonis septimi Bullæ Cœn. non solùm revelantes secretum infidelibus, sed etiam eum; qui est in causa, ut alter revelet, modò revelatio revera sequatur. Bonac. *de censur. in Bull. Can.* quia vi Canonis prohibetur omnis cooperatio. 25.

Infero nonò, Judicem, qui audiens causam, in qua res gravissima agitur, ut de vita, Ducatu, maximo honore, &c. si invadatur ab aliquo litigantium sub mortis pœnâ, ut merita causæ prodat, teneri potiùs mortem pati. Idem dicitur de Scribis, aliisve, quorum fidei causæ graves committuntur. Sot. *de secreto, memb. 5. quæst. 4. conclus. 6.* Sanch. *in Consiliis, p. 2. lib. 6. cap. 6. dub. 2. n. 4.* Trull. *tom. 2. in Decal. lib. 7. cap. 10. dub. 32. sub. num. 9.* ubi alios citat, & sequitur, & advertit hanc doctrinam valere, quando ob secreti revelationem oriretur pœna gravis in corpore, ut mors, vel mutilatio: secus verò, si pœna tantùm pecuniaria, vel exilii. 26.

Infero decimò obiter, aliquando nos teneri detegere secretum nobis commissum, & etiam receptum cum juramento, quoties silentium vergit in damnum Communitatis, vel innocentis. Syl. *v. Secretum, 1.* Navar. *cap. 18. num. 53.* Reginal. *lib. 24. num. 112.* & alii; quia secretum non potest obligare contra charitatem alteri debitam & juramentum non est vinculum iniquitatis: adeóque esse denunciandum solicitantem in con- 27.

fessione, vel hæreticum à sciente sub secreto naturali, & cum promissione jurata tacendi illius sollicitationem, vel hæresim, docet Carena, *in praxi S. Off. p. 2. tit. 9. §. 5. n. 22. & tit. 6. §. 22 n. 123.* & alii apud Dianam, *p. 9. tr. 8. & misc. 3. Res. 46.* contra Fagundez, Fragosum.

28. Infero undecimò, peccare mortaliter eum, qui secretum proximi crimen uni tantùm, vel duobus refert; quando prudenter judicat, illum nolle rationabiliter, ut sua fama apud illum unum denigretur, sicuti esset Religiosus, qui non pateretur suum crimen sciri à suo Superiore, à quo dependet, Less. *lib. 2. cap. 11. n. 70.* Contrarium, nempè excusari saltem à mortali, præciso animo lædendi alium, tenet Azor. *p. 3 Inst. mor. lib. 13. cap. 6. dub. 5. & cap 31. dub. 2.* quando detegens certò credit illum unum, vel illos duos crimen eis detectum celaturos, puta, quando amicus alteri amico fideli alterius crimen occultum secretò recenset, aut vir uxori suæ.

29. Infero duodecimò, teneri ad restitutionem eum, qui violat secretum absque justa causa, cum alterius detrimento. Sylv. *verb. Secretum n. 1.* Bonac. *disp. de restit. quæst. 1. punct. unico, num. 4.* uterque Navar, & alij; quia est causa damni, quod procedit ex manifestatione secreti accepti sub pacto sive explicito sive tacito illud servandi.

30. Infero decimotertiò, non peccare mortaliter eum, qui revelat secretum cum levi alterius injuria & detrimento, licèt promiserit, absque tamen juramento, se celaturum secretum sub sigillo sibi commissum. Excipitur secretum confessionis, quod etiam in re levi, absque peccato mortali, violari non potest. Bonac. *in Sum. verb. Secretum, num. 2.*

31. Infero decimoquartò, posse Sacerdotem, à Judice legitimè interrogatum, detegere absque periculo irregularitatis alterius crimina, homicidia, proditiones, &c. extra confessionem sibi nota, præmissa tamen protestatione manifestante suam intentionem omninò remotam à vindicta sanguinis. Bonac. *loc. cit. n. 8.*

XXVI. DIFFICULTAS.

Plures Satellites deposuerunt, seditionem detectam adversus Rempublicam, excitatam fuisse à quibusdam Officialibus Principis. Dubitatur, num hujusmodi depositione, adjunctis adminiculis, possint Officiales inquisiti, uti convicti, ultimò damnari supplicio.

1. NOtandum primò, duplicem esse infamiam, aliam, scilicet, juris, & aliam facti. Ita communiter DD. *in l. 1. ff. de his, qui not. infam. & in Cap. Testimonium, extra, de test.*

2. Notandum secundò, infames infamiâ juris esse omnes illos, qui enumerantur à Prætore, *in l. 1. ff. de his, qui not. infam.* unde appellantur juris infames, quia tales à jure reputati sunt; infames verò infamiâ facti esse illos, qui à jure non declarantur infames; sed quia fecerunt tale quid, propter quod communiter eorum opinio, fama, & existimatio remanet læsa, & gravata apud bonos & graves viros; habetur Tex. *in l. non debet, ff. de dolo, & in l. honori, ff. de obsequiis*, Gloss. *in Cap. Infames*, §. *Perrò, verb. Infamia, causa 3. q. 7.*

Notandum tertiò, Satellites communiter apud homines reputari infames Infamiâ facti; & hujusmodi exercitiô, ut plurimùm, non nisi vilissimos sanguinarios, & in moribus depravatos applicari: quod patet, & restantur Bal. *in l. fin. in 8. quæst. Cod. de edict. Divi Adriani toll. post num. 47.* Aufrer. *de reprob. test. num. 11.* Clar. *in pract. §. fin. quæst. 7. vers. habes igitur*, in fine, & alii plures. 3.

Notandum quartò, Satellites, si quandoque admittantur in testes, nunquam esse integræ fidei, & omni exceptione majores, cùm vilissima eorum status conditio multum minuat eorum fidem, ut probatur *in Authen. de test.* § *Sancimus, in prin. &* §. *Si verò ignoti.* Tenet Clar. *loc. cit.* Ofasc. *conf. 65. sub num. 4.* & alii, putantes satellitum depositionem parùm valere, nisi esset adminiculata aliqua conjectura, vel depositione alterius fide digni; quia in tali casu illius inhabilitas suppletur per ea, quæ generaliter *de test. inhab.* & in terminis, *de satellite* scripserunt Clar. *loc. cit.* Granut, *de theorem. 19. num. 23.* Grat. *conf. 43. n. 22.* Masc. & alii. 4.

Notandum quintò, crimen læsæ majestatis, non solùm commitri contra Imperatorem, cujus propriè majestas dicitur, ut *in l. quisquis, Cod. ad leg. Jul. Majest. & in l. ult. in prin. Cod. de leg.* & alibi; sed etiam contra Reges, Respublicas, & generaliter contra omnes Duces, Marchiones, & quoscunque alios Principes non recognoscentes legitimè Superiorem, ut est Gloss. per Tex. *in leg. fallaciter, in verb. Proditor, Cod. de aboli.* & probant variis juribus DD. innumeri, quos recenset & sequitur Decian. *in tract. crimin. lib. 8. cap. 4. num 3. & 6.* 5.

Notandum sextò, sollicitantem Principis milites ad seditionem, ad tumultum, adversùs Rempublicam, esse læsæ majestatis reum, & probatur *in l. 1.* in fine, *ff. ad leg. Jul. Majest. & in l. 3.* §. *Qui seditionem, ff. de re milit.* 6.

Notandum septimò, in delictis, & iis, quæ sunt difficilis probationis, sufficere quidem probationes leviores, & sufficere conjecturas & indicia, ut per Bart. *in l. si quis ex argentarijs, §. pen. ff. de eden. per Hip. conf. 5. n. 21. & conf. 27. num.* 10. nihilominus in crimine læsæ majestatis, cùm sit gravissimum, & severioribùs pœnis puniendum, probationes vehementiores esse debere. Ita communiter Jurisconsulti, & Canonistæ: & ratio est; quia quantò crimen est gravius, tantò probationes vehementiores esse debent; & habetur *in l. famos, ff. ad leg. Jul. Majest.* & prob. Hip. *conf. 1. n. 45.* Cig. & alij. 7.

Notandum octavò, in rebus humanis probandis non requiri certitudinem evidentiæ: nam etiam posita probatione testium, vel propria hominis confessione; non evidenter constat nostro intellectui illud delictum ab accusato fuisse commissum; cùm potuerint & testes & confessus mentiri. Cajet. *2. 2. quæst. 60, art. 3.* sed sufficere certitudinem fidei desumptam extrinsecùs, vel ex testi- 8.

testibus, vel ex confessione, vel ex indicijs: cùm probatio nil aliud sit, quàm inductio animi Judicis ad perfectè credendum rem ita esse, *l. quingenta, ff. de probat.* Merenda, *controv. jur. cap. 25. lib. 2.* Barbos. & alij.

9. His adnotatis, ad difficultatem propositam; num Officiales seditiosi ex depositione satellitum, seu birruatiorum, junctis adminiculis, dicantur convicti; Ita ut damnati possint ad mortem, negativè videtur respondendum; nam infamis testis esse non potest, tenet Bald. *in cap. Licet universis, de testib.* & Matt. Laud. *in tract. de crim. læsæ majest. q. 43.* Gig. *in tit. de proditorib. quæst. 8. num. 4.* & ita communiter Doctores, asserentes birruarios, seu satellites non solùm non esse idoneos testes tam in civilibus, quàm in criminalibus, sed etiam à testimonio esse repellendos, & præcipuè in criminalibus. Nemo enim negat birruarios publicè reputari vilissimos, infames, & omni vitiorum genere aspersos, & ideò fide nulla dignos. Tiraq. *de retract. lignag. §. 1. gl. 14. num. 48.* Et nemo potest uti convictus damnari, nisi aut notorium sit delictum. Boss. *tit. de convict. num. 3.* Bardellon. *cons. 74. num. 1.* aut contra eum, vel duo testes nullo crimine rei, & majores omni exceptione contestes, de loco, & tempore testimonium perhibeant, *l. sciant cuncti,* quæ est final. *Cod. de probat.* ibique Bald. Salicet. alijque plures. Præterea, de Jure Canonico dicunt omnes, ut notat Decian. *Tract. criminal. lib. 3. cap. 17. num. 12.* quòd infamis etiam de facto accusare non potest, ut est Gloss. *in cap. Ipsi Apostoli, causa 2. quæst. 7.* & tradunt Joan. Andr. & Imol. *in cap. Omnipotens, in glos. 1. de accusat.* quia per Jura Canonica repelluntur non solùm criminosi, sed etiam suspecti de crimine; ut *in cap. Si qui sunt, & in cap. Testes, in verb. absque ulla suspicione, causa 2. quæst. 7.* negari autem non potest apparitores esse, juxta dicta, saltem suspectos de crimine; & ideò eorum testimonium ad condemnandum Officiales de seditione inquisitos nequaquam valere.

10. Verum enim verò, quia sumus in crimine læsæ majestatis vero, juxta notata, & satellitum dictum fuit adminiculatum duabus epistolis apud Officiales inquisitos repertis, certa cifra conscriptia, quæ rectè interpretantur secretum ipsorum, & cantant intelligentiam cum hostibus; arbitror esse uti convictos ex depositione birruariorum, juncto præfato adminiculo, ultimo supplicio damnandos. Grat. *cons. 43. num. 22.* Masc. *concl. 189. num. 6.* Grannt. *theoremat. 19. num. 13.* Decian. *in tract. criminal. lib. 7. cap. 45. num. 4.* Crispolt. *in Casib. militar. cas. 14.* quibus addi possunt, si benè considerentur, Petrus Moncada, *in addit.* Joann. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de teste, §. 1. sub num. 96. in additione, verb. Artifex,* & alij, asserentes etiam generali consuetudine receptum esse, ut testes non repellantur ob exercitij vilitatem, & in specie, ut Satellites ad testificandum admittantur.

11. Moveor primò juribus, & quidem clarè *in l. famosi,* Id est notat Gloss. *infames, ff. ad leg. Jul. Majest.* ubi habetur in crimine læsæ majestatis posse infames sine ulla dubitatione admitti ad testificandum, & *in l. consensu, Cod. de repud.* & *in l. non omnes, §. à barbaris, ff. de re milit.* ubi apparet, quòd quando adest difficultas probationis, & ex natura actûs veritas aliter haberi non potest, quàm per testes de visu, aut auditu, debet eorum testimonium recipi, qualecunque sit.

12. Moveor secundò rationibus; nam indicium, à duabus epistolis, secretam intelligentiam cum Principe inimico cantantibus, desumptum, ita adjuvat satellitum dicta, ut efficiantur habiles testes: præterquamquòd, numerus debet supplere defectum testium, ut per Gloss. *in l. 3. §. 1. in verb. Numerus, ff. de test.* quod locum habet etiam in causa gravi, quando adsunt adminicula: unde habetur plena probatio. Tum quia sumus in Tribunali Auditoris generalis Exercitûs, qui potest admittere ad testimonium quemcunque testem, læsum etiam pluribus infamiæ maculis, cùm possit procedere nullo juris ordine servato, ex manu regia, quam habet. Cavalcan *de brach. reg. par. 1. num. 147.* & in specie satellitum, *par. 2. num. 74. & 75.* Bardellon. *cons. 27. num. 28. lib. 1.* & præsertim quando adest ratihabitio omnium ad faciem rei in tortura.

13. Moveor tertiò exemplo. Primò, in Bellizario Justiniani Duce celeberrimo, qui, cum Romæ obsideretur, cuidam prodere Urbem tentanti nasum & auriculas amputari jussit, & Asino impositum ad Gothos obsidentes transmisit; dicens meruisse, ob depositionem testium, inter quos etant aliqui infames infamiâ facti, ultimum supplicium; sed voluisse tali pœnâ infamiæ, quandoque morte ipsa graviori, illum punire, ut in delicto pessimi exempli infamia punitionis cæteris metum incuteret. Blond. *lib. 5. histor.* Secundò, in Hippol. de Marsil. qui *in l. infans, ff. ad leg. Cornel. de Sicar. num. 37.* refert se condemnasse Cittadellæ quemdam maritum, qui uxorem haurientem aquam in puteum præcipitaverat, ex attestatione duorum puerorum, qui aliàs non fuissent idonei testes, concurrentibus adminiculis, fama, fuga, & rei confessione. Idem etiam narrat Decian. *Tract. criminal. lib. 9. cap. 14. num. 7.*

14. Concludimus igitur, cùm simus in Castris, ubi utilitas, & disciplina locum habere debet, & in criminibus læsæ majestatis, quæ impunita minimè sunt relinquenda, & testes plures sint, omnes concordes circa locum & tempus, facientes præsumptionem, quamvis plenè non probent, Dec. *cons. 272. num. 2.* & duæ epistolæ demonstrent intelligentiam cum hostibus habitam, & adsint nonnulla alia indicia, quæ omnia simul sufficiunt ad formandam perfectam probationem, seu ad inducendum Judicis animum ad perfectè credendum rem ita esse, concludimus, inquam, posse absque ullo scrupulo Officiales, seditionem adversus Rempublicam excitantes, ultimò supplició damnari.

15. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, negando, esse à Doctoribus communiter receptum, quòd apparitores non admittantur ad testificandum in crimine læsæ majestatis, & in alijs criminibus exceptis. Communis enim opinio

opinio est & recepta, satellites non admitti in alijs criminalibus non exceptis, & in civilibus, quod & nos fatemur.

16. Ad secundam, nempè, ad convincendum requiri testes omni exceptione majores; admittendo hanc regulam in cæteris casibus, non in criminibus exceptis, prout est crimen hæresis, læsæ majestatis, latrocinij, simoniæ, & alijs; ad quorum probationem inhabiles, & non admittendos testes, admitti debere, scripsit Clar. *in pract.* §. *fin. quæst.* 24. *vers. sciendum est tamen.* Decian. *Tract. criminal. lib.* 7. *cap.* 45. & alij.

17. Ad tertiam, scilicet, de Jure Canonico excludi ab accusatione & testimonio viles & infames, dicendo hoc esse pariter intelligendum in alijs criminibus extra crimen læsæ majestatis, in quo nostrs difficultas procedit; & extra alia crimina excepta.

18. Infero primò ex dictis, satellites non repelli, sed probare, quando deponunt ad alicujus innocentiam probandam, & sic ad defensionem. Hippol. Riminal. *cons.* 183. *num.* 9. *lib.* 2. Farin. *q.* 56. *num.* 388.

19. Infero secundò, in crimine læsæ majestatis admitti accusatum etiam de crimine, licèt aliàs testis esse non possit. Alberic. *in d. l. famosi, ff. ad leg. Jul. Majest.* Decian. *Tract. crim. lib.* 7. *cap.* 45. *num.* 5.

20. Infero tertiò incidenter, quemlibet licèt nolit accusare reum læsæ majestatis, teneri tamen illum indicare, *l. Metrodorum, ff. de pænis*, tenet Martin. Laud. *in tract. de crim. læs. majest. q.* 53. modò ille sit subditus, puto ego.

21. Infero quartò, testes inhabiles admitti quidem ad probandum principaliter crimen læsæ majestatis, non tamen recipi ad probandam adminicula talis delicti. Dec. *cons.* 410. *num.* 15. ubi citat pro se Bar.

22. Infero quintò, in crimine læsæ majestatis admitti ad testificandum, criminosos, Perjuros, Judæos, Hæreticos, Infideles, Excommunicatos, Bannitos, Usurarios, Lenones, Meretrices, Spurios, cæterosque infames; Secus verò, in causis civilibus, & in alijs criminalibus, ut rectè probat varijs juribus, & auctoritatibus Doctorum Farin. *q.* 56. *per totam.*

XXVII. DIFFICULTAS.

Judex militaris per sordes, qui pecuniâ corruptus, factum cujusdam militis injustè judicavit. Dubitatur, quibus pœnis sit plectendus.

1. NOtandum primò, gravissimum esse delictum injustè judicare; atque adeò Judices, qui per sordes, qui pecuniâ corrupti injustè judicant, severiori pœnâ esse plectendos. Ita judicarunt, & exemplô docuere Antiqui illi quoque, qui verum Judicem Jesum Christum non cognoverunt, ut videre est apud Val. Max. *lib.* 6. *cap.* 3.

2. Notandum secundò, quòd Judex tùnc per sordes dicitur judicasse, seu (ut dicunt aliqui Jurisperiti) barattariam commisisse, cùm aliquid accipit, ut sententiam proferat, vel non proferat: ut per Tex. *in l.* 3. *l. lex. Julia*, §. *Hodiè, ff. ad leg. Jul. repet.*

3. Notandum tertiò, Judicem judicare per sordes, seu committere barattariam, etiamsi accipiat aliquid, ut ferat sententiam justam; cùm tunc etiam dicatur esse corruptus. Ita tradit Paris de Puteo, *Syndic. in verb. Corruptio*, Gram. *cons.* 35. *num.* 3. & alij asserentes, Judicem committere barattariam, & per sordes judicare, cùm, ut judicet, sive justè, sive injustè, pecunias accipit; quia opera justitiæ non sunt venalia.

4. Notandum quartò, non licere Judicibus accipere munera, quia officium suum tenentur gratis exercere; aliter faciendo, incidunt, *in leg. Jul. repet.* & tradit Ægidius Bos. *tit. de Officialibus corruptis*, *num.* 3.

5. Notandum quintò, *leg. Jul. repet.* locum non habere, quando aliquid datur in recompensationem justæ mercedis, cùm Judex ex publico nihil habet: tunc enim absque controversia, accipere potest sportulas, & similia, quæ pro laboribus solent dari, Didac. *cap. Peccatum, p.* 2. §. 3. *num.* 2. *vers. sicut, & Judex, de regulis juris, in* 6. Socin. *Tract. fallen. reg.* 37. Bossius. *loc. cit.* ubi declarat, quando judici liceat aliquid accipere.

6. Notandum sextò, quando concurrunt diversæ leges, pœnas diversas imponentes circa idem delictum, unam non tollere aliam quoad originem. Secus autem quoad executionem, ut optimè probat ex jurium dispositione Boss. *loc. cit. num.* 9. ubi doctè explicat, & resolvit celebrem illam inter Jurisperitos quæstionem: an una lex posterior imponens unam pœnam tollat aliam.

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, quibus pœnis Judex militaris, qui per sordes, qui pecuniâ corruptus, factum cujusdam militis injustè judicavit, sit plectendus; pœnâ mortis, videtur respondendum; quia hoc delictum, ut novimus, est gravissimum: & sic Darij Persarum Regis mandato Cruci fuit affixus Sandox Acolidis Præfectus, quia pecuniâ corruptus injustam sententiam protulerat Alex. ab Alex. *lib.* 3. *dier. Gen. cap.* 5. *& lege duodecim. tab.* capite mulctabatur Judex & Arbiter jure datus, qui ob rem dicendam, pecuniam accepisse convictus erat, cujus mentionem facit, *lib* 20. idem Alexand.

8. Fateor hoc delictum aliquando tale esse, & tales secum habere circumstantias, ut mortem mereatur pro pœna. Verùm, quia gravitatem majorem vel minorem, inspecta qualitate aut rei acceptæ, aut personæ accipientis, aut personæ, cui nocumentum, aut favor præstatur, potest ostendere; variè esse puniendos hos judices censemus, nempe illis pœnam esse imponendam pro facti qualitate, quocirca ob ipsam varietatem pœnam esse arbitrariam, Gram. *cons.* 35. *num.* 9. Boer. *q.* 153. *num.* 3. *&* 9. Boss. *Tract. cansar. crim. tit. de Officialib. corruptis*, *num.* 7. *&* 8. Menoch. *Tract. de arbitr. jud. lib.* 2. *cent.* 4. *cas.* 342. *num.* 6. Quibus addi potest Clar. *lib.* 5. *sent. jur.* §. *fin. q.* 73. *in princ.*

9. Moveor primò juribus *in l.* 3. *ff. ad leg Jul. repet.* ubi dicitur. Lege Julia repetundarum tenetur qui cùm aliquam potestatem haberet, pecuniam

cuniam ob judicandum, vel non judicandum, decernendumve receperit. *Et l. lex julia, ff. eod. §. Hodie.* ubi sic. Hodie ex lege repetundarum extra ordinem puniuntur, & plerumque vel exiliò puniuntur, vel etiam duriùs. Hac lege, C. Iulius Cæsar, qui primus Romanum arripuit imperium, sanxit pro facti qualitate judices corruptos esse puniendos. Hanc esse C. Cæsaris sanctionem ostendit M. Tul. *ep. 1. ad Q. Fr. & ad Att. lib. 6. ep. 1.*

10. Moveor secundò rationibus; nam pœna est cum delicto commensuranda. *cap. Non afferamus, 34. Dist. Authen. Omnes Peregrini, Cod. communia, de success.* & legimus in Deuteron. *cap. 25.* Pro mensura peccati erit, & plagarum modus, & tradit Marsi. *cons. 6. in fine.* Corruptio autem judicum potest esse varia plùs, scilicet, vel minùs malitiosa, & damnificativa; & ideò varia debet esse pœna arbitraria, nempe, & juxta facti qualitatem. Tum quia, quando plures leges puniunt, est in arbitrio judicis eligere quam malit, inspecta qualitate delicti, *l. quoties, ff. de action. & obligation.*

11. Moveor tertiò exemplo. Primò, in ijs, quibus Evangelica veritas non illuxit; in Alexandro Severo Imperatore justissimo, qui, si furem judicem vidisset, aiebat paratum se habere digitum, quo illi oculum erueret. In Dario Persarum Rege, qui judices corruptos Crucis morte mulctabat. Alexan. ab Alex. *loc. cit.* Secundò, in ijs, qui à Christo, qui est lux mundi, fuerunt illuminati. Videmus enim judices pecuniâ corruptos, aliquando mitti ad exilium, aliquando dignitate privati, aliquando etiam morte puniri. Quæ tamen pœna non videtur ampliùs locum habere. Et ita mihi respondit benigno simul, ac erudito calamo; Illustrissimus Dominus Antonius Magliabechus Magni, pijssimique Hetruriæ Ducis Bibliothecarius; cunctis ferè totius Orbis Sapientibus penitus notus; utpote scientijs omnibus impensè instructus, atque libris quasi dixerim enutritus; nullo ex acclamatis Auctoribus librum Typis demandante, quem ei legendum illicò non transmittat; illud Ezechielis *cap. 3.* veluti repetens, *Comede volumen istud*: proinque circa præfatum dubium, & alia per literas libenter à me consultus.

12. Concludimus igitur, judicem militarem, qui per sordes, qui pecuniâ corruptus injustè militis factum judicavit, esse pœna arbitraria puniendum, juxta facti qualitatem - à judicibus purgato oculo inspiciendam.

13. Ad rationes in contrarium patet responsio ex dictis, & forsitan clariùs patebit ex dicendis.

14. Infero primò ex dictis, pœnam infamiæ, quæ *in l. ult. Cod. de pœn. Jud. qui malè jud.* constituitur judici, per sordes dolo malo judicanti, venire in consequentiam principalis; nam Judex corruptus sive deportetur, sive ad exilium mittatur, sive patibulo suspendatur, infamiâ notatur.

15. Infero secundò obiter, Falsariorum pœnam, si nemini noceant; esse arbitrariam. Bald. *in l. 1. num. 2. Cod. de sepulc. viola.* & alij apud Menoch. *de arb. Jud. cas. 306. num. 22* cùm falsitas possit esse varia, nempe circa substantialia, circa qualitates, & accidentalia, quæ ad causam pertinent: unde apud Romanos, qui fuisset falsarius, puta, qui falsum testimonium dixisset, è Saxo Tarpeio deijciebatur, teste Gellio, *lib. 20. noct. attica. cap. 1.* & apud nos falsarius interdum deportatur; interdum morte mulctatur; ut videre est apud Menochium, *de arb. Jud. d. cas. 306. & cas. 307. & cas. 342. num. 8.* ubi ostendit nostræ conclusioni non obstare *Leg. 1. §. 1. vers. & qui judicem. ff. ad l. Cornel. de fals.*

Infero tertiò, judicem debere esse contentum suo salario, si competens est, nec posse accipere esculenta & poculenta, ut tradit Bossius, *loc. cit. num. 5.* ubi ostendit in Judice delegato rem aliter se habere. 16.

Infero quartò, judicem, qui malè judicat dolose, non tamen pecunia, teneri ad omne interesse parti læsæ, & infamem effici, *l. fi. Cod. de pœn. Jud. & l. filius, §. Index, ff. de judicijs*; & secundùm Statutum Mediolanense, teneri ad quadruplum eius, in quo læserit, ut not. per Boss. *loc. cit. n. 11.* 17.

Infero quintò, judicem, qui dolosè negligit facere justitiam, puniri criminaliter: ut *in Authen. ut differt judic. post. princ.* Alex. *in l. 4. §. In eum, ff. de dam. infect.* 18.

Infero sextò, Prætorem quoque posse conveniri pro barataria, & furtis, durante officio, non expectato tempore Syndicatûs, ut habetur *ex l. 2. ff. de in jus vocan.* & ibi per Jas. 19.

Infero septimò, Judices corruptos juxtà facti qualitatem per sordes, inquam, judicantes, aliquando non solùm dignitate, & nobilitate posse privari. *Authen. novo jure, Cod. de pœn. Jud. qui malè judicavit*; sed etiam taliter privari, ut in futurum ad alium dignitatis gradum non possint conscendere; *l. Judices. Cod. de dig. lib. 12.* 20.

Infero octavò Judicem pecuniâ corruptum, qui innocentem ad mortem damnavit, dignum esse morte, vel deportatione: ita videtur jubere lex julia, *de repetund.* & tradit Menochius, *loc. cit.* ubi, *num. 14.* asserit, in quacunque causa criminali pro gravitate causæ, si per sordes judicavit, posse etiam usque ad mortem Superioris arbitrio puniri. 21.

Infero nonò, Judicem, qui corruptus per sordes in causa civili judicavit, si rectum fuit judicium, solùm teneri restituere quod accepit, *l. 2. §. ult. ff. de cond. ob turp. cau.* Si verò iniquum, etiam litis æstimationem læso solvere, *l. si filius, §. ult. ff. de jud. l. ult. Cod. de pœn. Jud. qui malè jud.* 22.

Infero decimò, Judicem teneri restituere sibi aptè datum, quamvis dans non habuerit animum illum corrumpendi; nam, ut inquit M. Tul. Cic. *lib. 1. de leg. §. Quid liberalius?* Justitia nihil 23.
,, expetit præmij, nihil pretij: per se igitur ex-
,, petitur: Ea denique omnium virtutum causa,
,, atque sententia est, &c. Ut enim quisque maxi-
,, mè ad suum commodum refert quæcunque
,, agit; ita minimè est vir bonus &c. Justitia per
,, se expetenda, quod ni ita est, omninò justitia
,, nulla est. Id enim injustissimum ipsum est justi-
,, tiæ mercedem quærere.

Infero

24. Infero undecimò, non licere Judici, quando tenue habet salarium, accipere esculenta, & pocnlenta, quando esset magni valoris. Ita tradunt Boer, *q. 153. num.* 24. & 25. Boss. *loc. cit. num.* 2. & alij fatentes esculenta modici valoris accipi posse, ut habetur ex *l. solent*, §. *ult. ff. de offic. Proconf.* & *Leg.* & ita docet Alex. *in consf.* 206. *n.* 9. 10. *lib.* 2.

25. Infero duodecimò, puniri Judicem, qui per Imperitiam judicavit. Glos *l. Argentarius*, §. *ult. in verb. de judice, ff. de eden.* & *in l. pen. Ced. de pact.*

26. Infero decimotertiò, turpiter acceptum à judice, esse restituendum danti, ut probat Glos. *in Cap. Cùm sit, de Jude.* per multa jura; aut pauperibus, si dans non invenitur, nec ejus hæres, ut *ind. Cap. Cùm sit.*, ubi mandatur dari pauperibus, quod solutum est à Christianis Judæo, vel pagano, qui publicum officium commissum est, & tradit Syl. *in Summ. in verb. Restitutio*, 4. *num.* 1.

27. Infero decimoquartò, non licere donare Concubinæ judicis, ut intercedat apud illum: nam, præterquamquòd, hujusmodi donativum ordinatur ad judicem corrumpendum, exponit & Concubinam, & Judicem manifesto periculo incontinentiæ. Sanch. *in Consil. mor. tom.* 1. *lib.* 3. *cap unic. dub.* 43. *n.* 2. Molf. *in Sum. tom.* 1, *tract.* 8. *cap.* 11. *num.* 62.

28. Infero decimoquintò, in dubio præsumi judicem ex imperitia judicasse, & non dolosè. Jas. *in l.* 1. *Cod. ut omnes Judic.* Bald. *in* §. *Proficisci*, *in* 29. *quæst.*

29. Infero decimosextò, ex qualitate personæ judicis præsumi, & non præsumi per sordes fecisse, quod iniquè fecit Bal. *in l. Venales, Cod. quando provocar. non est. necess.*

30. Infero decimoseptimò, probationes contra Judices, & alios Officiales, debere esse evidentes, quia pro eis multùm præsumitur. Bald *in l. observare*, §. *Proficisci*, 11. *quæst. ff. de offic. Proconf.* & *Leg.* & alij Jurisperiti, asserentes, ad probandum baratariam, & dolum judicis, esse recurrendum ad generalia principia, videlicèt, ad *l. sciant cuncti, cum materia, Ced. de probat.* præcipuè, ubi agitur criminaliter: ubi verò agitur civiliter, dicunt DD. sufficere conjecturas, juxtà *l. dolum, cum materia, Cod. de dolo.*

31. Infero decimoòctavò, in causa Officialium esse cautè procedendum; cùm ij exercendo officium suum, sint sicut scopus ad sagittam, & qui dum corrigunt, & castigant, nulla habita ratione personarum, multorum, & præcipuè præpotentium, & malè viventium odia, calumnias, & persecutiones incurrant, ut *in Cap. Qualiter, il secondo, de accusat.* & tradit Bossius, *in tit. de publicat. proces.* & *test. n.* 35.

32. Infero decimononò, milites delinquentes puniri posse à Judice Ordinario, ex defectu, vel negligentia Judicis militaris. Et hoc ex Privilegio per Sedem Apostolicam concesso militibus, ut notat Card. de Luca, *lib.* 3. *de Jurisd. disc.* 78.

XXVIII. DIFFICULTAS.

An Provinciarum Præsidibus fas sit ad modum belli, & militari modo, contra Forascitos, seu Exules procedere.

Notandum primò, bellum Forascitorum, seu Exulum, esse potestatem militarem, à Principe supremo Præsidibus Provinciarum concessam, ad extirpandum Forascitos, seu Exules. Jo. Grandis, *de bell. Exul. q.* 1. *num.* 4. 1.

Notandum secundò, in militia duo tempora considerari, tempus nempè belli, seu pugnæ, & tempus tentorij, ante pugnam, Glos. *in verbo, Hominibus*, §. *Planè, Instit. de milita. testam.* Glos. *in l. milites, l. fin. Cod. eod.* & adest Tex. *in l.* 1. *juncta glos. in verbo, Cum ea, ff. de bon. poss. ex testam. milit.* Tempus verò belli, seu pugnæ, quoad Exules, esse dum inquiruntur, & capiuntur, & tempus tentorij esse, dum residet Præses, & proceditur contra Exules, qui repriuntur in manu Curiæ. 2.

Notandum tertiò, non esse idem procedere ad modum belli, & militari modo, si hæc verba litteraliter intelligantur; nam modus belli significat tempus pugnæ: modus verò militaris appellat tempus tentorij. In primo modo, nulla jura servantur, seu proceditur citra juris solemnitates, saltem de facto: quia in Castris ingens armorum strepitus non permittit leges audiri, ità dicente C. Mario, relato à Menoch, *de Arb. jud. lib.* 2. *cas.* 95. *num.* 28. In secundo verò, aliquo modo jura servantur. Glos. *in d.* §. *Planè, in l. fin.* In primo, nulla requiritur scriptura, sed sufficiunt probationes viva voce factæ coram Præside. Rolan. *in consf.* 16. *num.* 16. & 17. In secundo, scriptura est necessaria, saltem de consuetudine: & ideò Actuarij etiam à lege considerantur in judicio militari, *l. Actuarij, Cod. erog. mili. annon. lib.* 12. Secus verò, si hujusmodi verba intelligantur civiliter, ut notat Grandis, *loc. cit. quæst.* 2. *num.* 5. 3.

Notandum quartò, appellatione Præsidum Provinciarum hìc etiam venire Gubernatores, quia in istis multùm confidit Princeps, *l.* 1. *ff. de offic. Præfect. Prætor.* 4

Notandum quintò; Forascitos esse, qui ratione delicti, vel pravæ voluntatis exeunt foras: unde dicuntur Forasciti, quasi forasiti. Carau, *in prag.* 1. *de Exul num.* 9. hocque esse, non juris nomen, sed Regionis vocabulum, & secundùm communem usum loquendi, qui in statutis quoque attenditur, *l. si servus plurium, ff. de leg.* 1. *leg. librorum*, §. *Quod tamen Cassius, ff. de leg.* 3. 5.

Notandum sextò, quinque esse violentias, quas Forascitus simul, vel seorsim potest committere, scilicet, Ablativam, Turbativam, Inquietativam, Compulsivam, & Expulsivam. *Glos.* 1. *in l.* 1. *Cod. Quod metus causa*, Glos, & Bart. *in l. extat, eod.* 6.

Notan-

7. Notandum septimò, potestatem militarem Præsidibus Provinciarum concessam, licèt sit pœnalis, & juris communis correctiva, esse tamen non odiosam, sed favorabilem, cùm sit ad extirpationem delinquentium emanata.

8. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Provinciarum Præsidibus fas sit ad modum belli, & militari modo contra Forascitos, seu Exules procedere, videtur negativè respondendum, nam Matth. *cap.* 9. prohibetur extirpare zizania, quæ sunt filii nequam, ut ibidem dicitur: *Et cap.* 26. habetur. *Qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Ex quo sequitur, non licere hominem quemcunque interficere, & successivè Præsides, sive Ministros occidendo Malefactores, seu Forascitos peccare. Præterea, Justitia humana debet conformari Justitiæ divinæ: Atqui secundùm justitiam divinam Peccatores ad pœnitentiam reservantur; dicit enim Dominus *Exo. cap.* 18. *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Prætereaquam quòd, procedere contra Forascitos ad modum belli, & modo militari, est illos statim occidere: Occidere verò sic malos est eis causam damnationis æternæ præbere: subtrahitur enim eis tempus pœnitentiæ, quod eis concedit Benignitas DEI, ut dicitur Sapien. 11. & ad Rom. 2. Deinde S. Aug. *lib.* 1. *contra mendacium.* & Philosophus 2. *Ethi* docent nullo bono fine fieri licere, quod secundùm se malum est: sed procedere ad modum belli, seu occidere hominem, est secundùm se malum; cùm Charitas Christiana debeat omnes homines respicere. Ergo nullatenus licet Præsidibus in Forascitos ad modum belli procedere.

9. Veritas tamen est, & quidem meo videri, incontrovertibilis, fas esse Provinciarum Præsidibus, sive Gubernatoribus, in Forascitos, seu Exules ad modum belli, & modo militari procedere. Ita sentire videntur Bart. *in l. hostes, ff. de capt. & postlim. revers.* Alciat. *in l. quos nos hostes,* §. 1. *ff. de verb. signif.* Paris. *de synd. verb. Latro, cap.* 1. *num.* 2. Bal. *in repetitione, l. qui restituere, ff. de rei vendi.* Turrecrem. *in cap. Quod autem, causa* 23. *quæst.* 5. *ad num* 1. in fine, & alii, quos producit, & in terminis nostræ decisionis, sequitur Joann. Grandis, *de bello Exul sub prædicamento, pati, quæst.* 3. §. *Primum speciale, num.* 3.

10. Moveor primò juribus, *l.* 11. *Cod. de his, qui latro, & in cap. Notandum, causa* 23. *quæst.* 2. ubi probatur, remoto potestatis punitivæ exercitio, fieri incorrigibilem Forascitorum, & latronum audaciam, quæ non patitur, Provinciam esse quietam, & transitum securum, *l. congruit, ff. de offic. Præsid. & l.* 3. in fin. *ff. eod.* ubi habetur, ad Præsides, seu Gubernatores spectare, ut pacatum, & quietum sit Regnum. *Et l. si qui latrones,* 2. & ibi Glos. *Cod. de his, qui latrones,* ubi Imperator militare auxilium mandat implorari contra latrones, seu aliis criminibus obnoxios.

11. Moveor secundò rationibus: nam Forasciti effecti sunt hostes publici, ut tradunt communiter Doctores *in l.* 1. *&* 2. *Cod. quan. lic. si ind.* Ergo contra illos potest ad modum belli, & militari modo procedi, ut Bonum commune conservetur. Tum quia, in corpore phisico membrum putridum, & corruptum aliorum membrorum, licitè, & laudabiliter abscinditur, id salute totius corporis exigente. Scimus autem omnes, quamlibet personam singularem comparari ad totam Communitatem sicut membrum ad corpus: atque adeò si aliquis homo sit damnosus, vel saltem periculosus Comunitati, & corruptivus ipsius propter aliquod delictum, laudabiliter & licitè occiditur. Legimus in Sacra Scriptura bellum, propter diversas causas, fuisse motum, & præsertim propter latrocinia, & Malefactores latitantes, 1. Regum, *Cap.* 24. Item contra illos, qui turbant Provinciam, & non patiuntur Regnum esse quietum. Machab. 2. *cap.* 12. Item contra negantes transitum innoxium, & impedientes liberum commercium, ut *eod. lib. cap.* 5. Cur ergo non licebit Provinciarum Rectoribus practicè considerare Facta divinæ Scripturæ, nobis relicta, seu exhibita imitanda? Et tandem, licitum proclamare tenemur, quod divina lege expresse præcipitur, *Quia lex Domini immaculata convertens Animas,* Psalm. 18. Atqui divina lege præcipitur Malefactorum internecio, ut patet ex illo Exod. 21. *Maleficos non patieris vivere.* Ergo. &c.

Moveor tertiò exemplo, in Duce Ossunæ Regni Neapolitani Prorege, qui, ut ij fimet DEO parere, sic dicenti. *Maleficos non patieris vivere.* Exod. *Cap.* 22. *num.* 18. auditis Theologis, & Jurisperitis, quos consuluit, vigore hujusmodi potestatis, laudabiliter induxit hunc modum procedendi contra Forascitos, nempè ad modum belli, & militari modo, ut refert Jo. Grandis, *de bell. exul. sub prædicamento, de Quantitate, quæst.* 1. *num.* 8. 12.

Concludimus igitur, fas esse Præsidi Provinciæ, dum est in persequutione Forascitorum, seu Exulum, in eos procedere ad modum belli, id est rejectis solemnitatibus juris civilis, abbreviatis terminis, & nullo ordine juris positivi servato: alio verò tempore, militari modo, juxta doctrinam traditam in tertio Not. 13.

Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, non fuisse simpliciter à Domino prohibitam zizaniorum eradicationem, hoc est impiorum perditionem, sed tandummodò eradicationem generalem dubiam, & suspectam, ne scilicet judicium certum de ambiguo fiat. aut vetitam fuisse zizaniorum eradicationem, non ut venia daretur zizaniis, nempe Malis, sed ut parceretur Tritico, scilicet, Bonis; quodque sequitur, quando Malis non potest mors inferri, quin simul inferatur & Bonis; quod non accidit in casu nostro. 14.

Ad secundam, quòd præfatus Textus intelligitur de persona privata, non habente potestatem, cui propterea non licet occidere gladio, aut alio modo hominem, non autem de publica Persona, ut est Princeps, Præses, & Minister. 15.

Ad tertiam, dicimus, salvari conformitatem humanæ justitiæ cum Divina, Delinquentes reservando ad pœnitentiam, alijs minimè graviter nocentes; occidendo verò illos, qui in alios sunt perniciosi: quemadmodum DEUS, secundùm ordinem suæ Sapientiæ, aliquando peccatores occidit, ut liberet Bonos, aliquando eis tempus pæni- 16.

pœnitendi concedit, prout ipse noverit suis Electis expedire.

17. Ad quartam respondent plures, negando hujusmodi potestatis exercitium eis esse causam damnationis, cùm tunc possint pœnitere; imò addit S. Aug. *in sermone Domini de monte*, forrassis plùs vivendo, majora crimina facere, & successivè majora tormenta mereri.

18. Ad ultimam, negando esse secundùm se malum occidere hominem malum. DEUS enim, qui non potest facere malum, occidit homines malos. In diluvio quasi totum humanum genus interfecit, Super Sodomam & Gomorram ignem & sulphur pluit, Ægyptios submersit in fluctibus maris, & in Esdra, *lib. 4. cap. 15. num. 5.* inquit, *Ecce ego induco, dicit Dominus super Orbem terrarum mala, gladium, & famem, & mortem, & interitum: propter quod superpolluit iniquitas omnem terram, & adimpleta sunt opera nociva illorum.*

19. Infero primò ex dictis, vigore potestatis, à Principe Provinciarum Præsidibus concessæ, licitè bellari tam contra Forascitos, sive Exules absentes, dum perquiruntur, & inquiruntur, quàm contra præsentes, dum proceditur contra eos, & puniuntur.

20. Infero secundò, ad procedendum in Exules ad modum belli, vel modo militari, sufficere quamlibet ex prænotatis violentiis.

21. Infero tertiò, Regia Banna, emanata contra Exules, rectè promittere indultum capientibus, seu occidentibus illos, si sunt delinquentes; sin autem, eisdem rectè promittere certum præmium.

22. Infero quartò, Bannum permittens Bannitum occidi, esse intelligendum, si Bannitus reus sit criminis pœna mortis naturalis puniendi; nam, qui non posset impunè occidi, nec contra eum bellum indici potest.

23. Infero quintò, vim, seu violentiam, propter quam potest licitè potestas militaris in exules procedere, talem debere esse, ut pro ea veniat imponenda pœna mortis naturalis.

24. Infero sextò, potestatem militarem in Forascitos etiam extendi ad eorum Auxiliatores, ut etiam per Tex. *in l. 1, ff. de Receptator.* ubi dicitur, quòd Receptatores perindè puniantur, utque latrones, *& d. l. 1, Cod. de his, qui latro*, ubi occultantes, & sociantes cum Reis, pari pœna puniuntur. Erita etiam docet Jo. Grandis, *de bello exul. sub prædicamento. de Relatione, quæst. 1. num. 3.* ubi alia jura producit.

25. Infero septimò, potestatem militarem procedendi ad modum belli contra Forascitos, locum habere in Incidentibus, Emergentibus, Dependentibus, & Connexis. Ita etiam Bar. Jas. & alii, quos refert, & sequitur Grandis, *loc. cit. quæst. 2.*

26. Infero octavò, posse conquiri Forascitos, ubicunque sint, excepto alieno Territorio, nisi adsit aliqua Capitulario, ut est illa, quæ fuit facta inter Summum Pontificem, & Proregem Regni Neapolitani, publicata 16. Augusti, anno 1585. relata à Grande, *loc. cit. sub prædicamento, Ubi, quæst. 2. num. 4.* vigore cujus Forasciti Regni Neapolitani possunt in Statu Ecclesiastico perquiri usque ad decem milliaria: nec non excepta Ecclesia, in qua non possunt inquiri, nec persequi intra quadragintita passus ab Ecclesia majori, & triginta ab aliis. *Cap. Sicut antiquitùs, causa 17. quæst. 4.* nisi adsit aliqua specialis concessio Summi Pontificis, aut pactio, id publico Bono exigente.

Infero nonò, posse contra exules, & publicos 27.
latrones, etiam diebus feriatis, ad modum belli procedi: & hoc etiam per Tex. *l. Provinciarum, Cod. de Feriis, l. 3. Cod. de Episc. & Cler.* & tradunt Bald. Alex. & cæteri, *in l. milites, Cod. de testam. milit.* quamvis de jure communi non possit procedi dictis diebus ad aliquem actum, *l. fin. Cod. de Feriis. cap. 1. extra, eod. tit.*

Infero decimò, militarem Præsidis potestatem 28.
extendi quoque ad Pyratas, qui grassantur in mari, cùm arbitrium concessum in latrones comprehendat etiam Pyratas. Bart. *in l. 1. Cod. de Classic. lib. 11.*

Infero undecimò, Præsidem, qui habet pote- 29.
statem bellandi contra exules, potestatem habere quoque providendi ea, quæ necessaria sunt ad illud bellum; & successivè impendere posse pecuniam fiscalem, remunerare, & alia facere; exceptis tamen quibusdam Principi reservatis Bald. *cons. 3. p. 5.* & alii, asserentes, regulariter loquendo, non posse absque licentia Principis pecuniam fiscalem impendere.

Infero duodecimò, potestatem occidendi fo- 30.
rascitos extendi ad Clericos contra laicos, & ad laicos contra Clericos forascitos. Primum probat Marsi. *cons. 11.* declarans, hoc procedere non quoad iregularitatem, sed quoad pœnam temporalem: de jure enim divino fuit permissa malorum & improborum occisio, etiam per manus Sanctorum Patrum. A Moyse fuit occisus Ægyptius malignans. *Cap. Non inferenda, causa 23. quæst. 3.*

Infero decimotertiò, non solùm non peccare 31.
Judices, & Ministros peccatorem occidendo, sed etiam mereri, si hoc faciant ex zelo justitiæ, & secundùm regulas juris, non verò ex odio & passione. Ita etiam Turrecrem. *in cap. Quod autem, causa 23. q. 4. n. 3.*

Infero decimoquartò, forascitorum domus 32.
posse per Præsidem destrui: quod etiam probatur per Tex. *in l. si is, cum qui, ff. comm. divi cap. Felicis, de pœn. lib. 6.* & favet consuetudo.

Infero decimoquintò, sententiam mortis con- 33.
tra forascitos esse exequendam in loco, ubi grassati sunt, ut aspectus justitiæ ab aliis removeat cogitationem malignandi, ut habetur *in l. capitalium, §. fin ff. de pœnis.* Salva tamen consuetudine, quæ alicubi permittit executionem sententiæ capitalis in loco, ubi residet Princeps, vel Minister, qui eam protulit.

Infero decimosextò obiter, non esse parcendum 34.
armis, ubi est necessaria defensio Fidei & Patriæ contra Improbos, & Malignantes; nè homo videatur DEUM tentare. Ita etiam Turrecrem. *In cap. Maximus, causa 23. q. 4.*

XXIX. DIFFICULTAS.

Cuidam Officiali, qui revera multis annis servivit Principi in militia, concessit Princeps remunerationem servitiorum suorum ab ipso petitam, falsam ostendenti fidem, seu licentiam deserendi Castra, ob infirmitatem in servitio receptam, & domi suis proprijs expensis juratam. Dubitatur, num in foro conscientia sit valida hujusmodi Principis concessio.

1. NOtandum primò, contractum, secundùm Juristas, posse sumi tripliciter, propriè, minùs propriè, & impropriè; illum dici propriè contractum, ex quo nascitur obligatio ex utraque parte, ex justitia commutativa; ut in emptione, venditione, locatione, conductione, commutatione, & sic de alijs: & ita accipitur *in l. Labeo, §. Contractum, ff. de verb. & rer. sig.* minùs propriè illum dici, qui comprehendit donationem & promissionem, quæ inducit obligationem ex una parte tantùm, *l. contractus, Cod. de fid. instrum.* impropriè denique illum dici contractum, quoties etiam pactum nudum includit, ex quo non oritur obligatio in foro saltem externo.

2. Notandum secundò, concessionem Principis posse esse meram gratiam, & posse sapere naturam contractûs nominati, vel innominati, & semper supponere causam veram, & excludere præjudicium tertij: & ideo gratiæ Principum habent semper clausulam, *salvo jure tertij.* Alciat. *regul. 3. præsumpt. 11. num. 3.* Marsil. *singula. 483.* post princ. Afflict. *decis. 334. num. 3.* cùi in dubio non præsumitur velle derogare. Jas. *in l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* Dec. *in l. 1. num. 81. de reg. jur. & in cons. 284. num. 2. & cons. 520. num. 9.*

3. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an in foro conscientiæ valeat concessio, seu remuneratio Principis vitiata ex concausa falsa, nempe infirmitate ficta. Pro parte affirmativa sic arguitur. Servitium ab isto Officiali Principi præstitum, est verum. Ergo valida erit remuneratio facta intuitu hujus servitij. Præterea, quoties cunque motu proprio conceditur gratia, valida est concessio. Atqui Princeps motu proprio, licèt adsit Officialis supplicatio, illius servitium militare remunerat; ideóque Officialis tutâ conscientiâ potest hujusmodi remuneratione gaudere.

4. Verius tamen est, talem concessionem, sive sit mera gratia, sive sapiat naturam contractûs nominati, vel innominati, semper vitiari ex falsa causa, atque ideo in foro conscientiæ non valere, Molfesius, *in Summa, tom. 1. tract. 8. cap. 13. num. 106.* & ita videntur sentire. Mascard. *conclus. 276. num. 17. de probationib.* Petr. Andr. Gambar. *in tract. de authorit. legat. in rubric. de potest. Legat. de latere, circa benefic. conferenda, num. 49.* & alibi, & alij plures.

5. Moveor primò juribus manifestis, *in cap. Gratiosè, de rescriptis, in leg. si quis obrepserit, ff. de fals.* cum vulgatis alijs, ubi habetur, quòd Princeps, si sciret gratiam vitiari ex falsa causa, illam nequaquam concederet, vel saltem difficilè, cùm de stylo sit clausula ordinaria, *si preces veritate nitantur*; quia Principi semper displicet quod veritate & justitia caret. Et adsunt jura, quæ refert Molf. *in Sum. par. 1. tract. 8. cap. 13. num. 107. & seq.* ex quibus constat, contractum nominatum vitiari ex falsa causa; sicut etiam & quasi contractum, *facio, ut des*, nempe, facio tibi consueta servitia, ut des mihi stipendium, & consuetam remunerationem alijs dari solitam: ex falsa causa vitiari probat Petr. Santerna, *in tract. de assecuratione, par. 3. num. 14.* Ideóque, si, stante causæ falsitate, Princeps gratiam concederet, habetur ut non concessa: quod confirmatur, *l. athleta, §. 1. vers. quoad in præsidatu sunt, & l. Geometra, vers. donec curam gerunt, & l. idem Ulpianus, ff. de excus. tutor.* ubi habetur, quòd, privilegij causa cessante, cessat privilegium.

Moveor secundò rationibus; nam causa prin- 6.
cipalis, qua Princeps movetur ad remunerandos sibi servientes in militia, non solùm est servitium militare, sed, ut plurimùm, sunt vulnera, mutilationes membrorum, morbi plenè incurabiles, ut docet praxis; in nostro verò casu non adest infirmitas, licèt repræsentetur, esto adsit servitium; ideóque cessante causa principali remunerationis, cessat & remuneratio.

Moveor tertiò exemplo, in quodam milite, 7.
relato à Molfesio, *loc. cit.* qui deseruit Castra cum quadam licentia falsa sui Officialis, quâ dicebatur, illum fuisse dimissum ob impotentiam militandi; qui miles cœpit iterum militare: & postulans à Philippo Tertio Hispaniarum Rege suorum servitiorum remunerationem, asserendo in ejus servitio duorum annorum infirmitatem recepisse, & suis proprijs expensis illam domi curasse, fuit ei à Regia liberalitate concessa; sed postea consultis super hoc Theologis, responsum habuit, non posse tali remuneratione in foro conscientiæ frui.

Concludendum est igitur, quidquid dicant 8.
alij, invalidam esse hujusmodi concessionem; propterea Officialem teneri renunciare beneficio dictæ remunerationis; imo cùm aufugerit è Castris cum licentia falsa, posse pœnâ mortis puniri, *l. desertorem, ff. de re militar. l. 2. Cod. de desertorib. & receptorib. eorum, lib. 12.* & etiam pœnam falsi in foro exteriori mereri.

Ad rationes in contrarium respondemus. Ad 9.
primam, concedendo anteced. sed negando consequentiam, quia, ut diximus, causa principalis, qua Princeps movetur ad remunerandum, ut plurimùm, est infirmitas, quæ hìc cessat.

Ad secundam, quòd gratia concessa contra 10.
Principis voluntatem, non potest à motu proprio firmari, cùm motus proprius non tollat defectum intentionis in concedente, ut probat Gaspar de Perusio, *in tract. de beneficij reservatione, num. 5.* Joann. de Selua, *par. 3. de benefic. quæst. 11. num. 41.*

Infero primò ex dictis, non esse concedendam 11.
militibus facultatem relinquendi Castra ex causa infirmitatis, nisi priùs Judex una cum Medico

eam veram recognoverit, ut disponitur per legem *semel; Cod. de re militar.*

12. Infero secundò, milites relinquentes Castra cum licentia falsa, teneri resarcire damnum, quod ex tali discessu, quæ est vera fuga, Princeps sustinuit. Quod etiam docet Molf. *loc. cit. sub num*, 106.

13. Infero tertiò, Duces belli concedentes licentiam sine justa causa militi deserendi Castra, præcipuè quando est necessarius, graviter peccare, cum onere restitutionis, cùm sic sint causa damnorum, quæ patitur Respublica, & Princeps. Ita Cespedes, *in Dub. milit. dub.* 70.

14. Infero quartò obiter, peccare mortaliter eum, qui dat licentiem extrahendi frumentum, & alia victui humano necessaris, ex Provincie, quæ illis valdè indiget; quia est causa damni, quod inde Provincie est passurà.

15. Infero quintò etiam incidenter, legentes libros prohibitos cum licentia Sacræ Congregationis Indicis, aut S. Officij, in qua falsa sunt, quæ fuerunt in supplicatione repræsentata, in foro conscientiæ graviter peccare, omnibusque censuris Sacrorum Canonum, præcipuè Decreti Clementis VIII. esse obnoxios, quia, cessante causa privilegij, cessat privilegium.

16. Infero sextò, peccare lethaliter, & incurrere pœnas à Concilio Trident. & Pio V. comminatas, eum, qui ingreditur intra septa Monialium sine licentia legitimi Superioris in scriptis; quia Concilium Trid. *Sess. 25. de regul. cap. 5.* innovans Constitutionem Bonifac. VIII. & Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Decori, & honestati*, statuit licentiam ingrediendi Monasteria Monialium in scriptis obtinendam esse, nec sufficere tacitam, aut oretenùs datam; nisi periculum sit in mora, in quo casu licitus est sine ulla licentie ingressus, vel nisi quis ingrediatur simul cum Episcopo, vel Superiore, ut censuit Concilium Mediolan. 6. ut notat Ascanius Tambur. *de jur. Abbatiss. disp.* 23. *quæst.* 5. *num.* 4.

17. Infero septimò, ingredientem intra septa Monialium cum licentia falsa in scriptis, sed vera oretenùs, incurrere pœnas inflictas contra violantes clausuram, præcipuè si ea occasione cum Moniali intra Monasterium fornicetur; quas non incurreret; si legitimam haberet licentiam, ad aliquod ministerium ibi peragendum, ut probabiliter putant Sanchez, Rodriq. Diana; quod negant Bonacina, Merolla, & alij quorum opinio nobis minimè displicet.

18. Infero octavò, non posse Monialem tuta conscientia exire è Monasterio habentem licentiam sui Superioris, sed datam sine justa causa, si ei constet in conscientia justam causam egrediendi non subesse, & licentiam fuisse concessam ex favore, vel alia ratione iniqua. Ratio est, quia talis licentia re ipsa est nulla; & id non latet Monialem.

19. Infero nonò, non valere licentiam concessam Moniali egrediendi in casibus permissis, si non est in scriptis, sed tantùm verbotenùs; non solùm quoad forum externum, sed etiam quoad forum conscientiæ, quia, sicut requiritur, ut contractus sit validus, scriptura, qua deficiente, irritus est contractus, *l. contractus*, 16. *Cod. de fid. instrum.* ita & in casu nostro. Hoc etiam docet Bonac. *quæst. 1. de claus. p. 8. num. 5.* ex Sanchez, Miranda, Victorello, & alijs. Oppositum, tamen sentiunt Homobon. & Belloch. quos refert, & non rejicit Diane, *p. 3. tract. 2. resolut.* 129. ex Innocent. Abb. & Felino, docentes, quòd quamvis licentia ad ingrediendum septa Monasterij Monialium, ex decreto Concilij Tridentini in scriptis obtenta requiratur, id intelligitur quoad forum externum; nam in interiori foro Animæ, in quo attenditur veritas, sufficit, quod interveniat consensus jure naturali requisitus, qualis est etiam qui oretenùs conceditur. Est autem eadem ratio de licentia requisita ad licitum, egressum Monielium è Monasterio, ut patet. Hæc notanda censui ad tollendos scrupulos à timoratis, & delicatis conscientijs.

Infero decimò, Monialem posse exire, absque eo quòd incurreret pœnas latas contra violantes clausuram, si Pontifex sine justa causa daret ei licentiam; Esto Pontifex peccet saltem venialiter, ut tradunt plures DD. penes Sanch. *lib. 8. de matrim. d. 18. num. 6.* quia, cùm obligatio Clausuræ sit de jure humano, potest Papa in ea validè dispensare, etiam sine causa, ut probat Sanch. *loc. & disp. cit. num. 3.* contra plurimos ibi relatos *num. 2.* quibus magis probabiliter adhæreo. 20.

Infero undecimò, utentem dispensatione invalida, data à Superiore sine causa, peccare graviter, vel leviter secundùm qualitatem materiæ. Secus verò, si dispensatio esset valida, sed illicita utpote date sine cause; ita probabiliter putat communis Canonistarum sensus: quod tamen negant plures alij Doctores, sustinentes in tali casu peccare mortaliter; alij verò, tantùm venialiter. 21.

Infero duodecimò, licentiam legitimam accedendi ad Monasteria Monialium esse obtinendam ab Episcopo, si Monasteria Episcopo sunt subjecta, vel ab ejus Vicario Generali. Si verò sunt subjecta Prælatis Regularibus, vel Sæcularibus, standum esse consuetudini; & ita declaravit Sacra Congregatio Cardinalium, teste Barbos. *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 102 *num.* 76. & Ascanio Tamb. *de jur. Abbatiss. disput.* 26. *quæst.* 2. *num.* 2. qui ibid. *quæst.* 3. *num.* 1. refert Decretum Sacræ Congregationis Cardinal. quo conceditur, & præscribitur facultas Ordinarijs Locorum circa accessum Regularium ad Monasteria Monialium; in quo pariter conditiones, licentiæ, & quibus vicibus in anno concedendæ, nec non statuta tempora, præscribuntur. Hæc incidenter dicta sint in gratiam Regularium, qui milites Christi nuncupantur. 22.

XXX. DIFFICULTAS.

An miles, qui Principi, vel Summo Duci maledicit, sit in foro interno reus peccati mortalis, & in foro interno puniendus.

1. NOtandum primò, maledictionem esse imprecationem, seu exoptationem mali alicui factam sub ratione mali, hoc est intendendo malum ipsum; & hoc contingere duobus modis, scilicet, vel imperativè, vel optativè; ut habetur *ex cap. DEUS, causa 24. quæst. 3.* & tradunt D. Thom. *2. 2. quæst. 76. artic. 1. & 3.* Nald. *in Summ. verb. Maledicere, num. 1.* & alij, asserentes optare alicui malum, præciso scandalo, & absque intentione, ut malum eveniat, non esse ex suo genere culpam mortalem, sed tantùm venialem.

2. Notandum secundò, maledictionem duplicem esse, formalem, scilicet, & materialem; formalem, qua imprecando, vel imperando, volumus alicui malum evenire, ut malum est: materialem; qua imprecando, vel imperando, volumus alicui evenire malum sub ratione boni justi, aut utilis; aut saltem, qua non apparet nos optare malum cum intentione, & desiderio mali, quod ore proferimus. De maledictione optimè scribit Alex. de Ales. *p. 2. quæst. 130.* Sotus, *lib. 5. de just. quæst. 12.* D. Thom. *loc. cit.* S. Anton. *part. 2. titul. 7. cap. 5.* Sylvest. Tabien. Armilla, Cajet. & alij Summistæ, *verb. Maledictio.*

3. Notandum tertiò, maledictionem aliquando conjungi cum blasphemia, & tunc dicere relationem ad DEUM, vel ad res sacras: ut si quis diceret; per septem Sacramenta perdat te DEI Chrisma: & hujusmodi verba proferentem à blasphemiæ reitate non posse excusari, si attenderit ad vilipendium DEI, aut rei sacræ. Laym. *lib. 4. tract. 10. cap. 9. num. 12.*

4. Notandum quartò, sæpe sæpius evenire, ut miles, vel alius hujusmodi verba, nempe, maledictionem mixtam cum blasphemia proferat sine advertentia, ac materialiter tantùm, non attendendo, quod significent; & tunc excusari à gravitate peccati propter imperfectionem cognitionis, ac voluntarij, asserit Laym. *eodem loc.* ibi addens, dummodò conetur hujusmodi consuetudinem deponere.

5. Notandum quintò, maledictionem formalem, quæ peccatum mortale est ex genere suo, ejusdem speciei peccatum esse cum malo, quod proximo optatur; atque adeò ad diversas species peccati pertinere pro ratione mali, quod optatur: ita explicitè docet Cajet. *2. 2. quæst. 76 art. 4.* Sotus, *lib. 5. de just. quæst. 12. art. 3.* Valent. *tom. 2. disp. 5. quæst. 19. punct. 1. concl. 2.* & alij.

6. Notandum sextò contra aliquos, maledictionem in Principem, seu maledicere Principi non esse crimen læsæ majestatis. Afflict. *in cap. 1. §. Et bona committentium, num. 104. in tit. quæ sint regal. in usibus feud.* Gig. *in tract. de crim. læsæ majest. sub titul. qualiter, & à quibus, quæst. 40.* plùs enim est facto, quàm verbis offendere, *Arg. l. si tamen, §. Et, qui, ff. de adil. edicto, & cap. Dilecti, el secundo, de appellationib.*

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles, vel alius maledicens Principi, peccet mortaliter, & in foro externo debeat puniri; respondemus affirmativè, si maledictio sit formalis cum animo, & intentione, ut Principi eveniat malum. Ita Decian. *in Tract. criminal. lib. 7. cap. 50. per totum.*, Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 12. cap. 5. num. 13.* Tho. Del Bene, *tom. 2. de Offic. S. Inquis. dub. 218. sect. 24. num. 1.* Et est communis sententia.

8. Moveor primò ex Sacra Scriptura, Exod. *cap. 22.* circa finem, ubi dicitur: *Dijs non detrahes, & Principi populi non maledices.* Paraphrasis Chaldæa legit. Judices non vilipendes. Sam. „ Principem populi non execraberis. „

9. Moveor secundò juribus, *in Can. 74. Apostolorum:* ubi habetur. *Si quis in Regem, aut Magistratum contumeliosus fuerit, solvat pœnas. Et in cap. Innotuit, de maledic. in cap. Inter querelas, causa 23 quæst. 4.* ubi statuunt, proferentem verba supremæ Potestatis offensiva, esse puniendum. *Et in leg. unic. Cod. si quis Imperatori maledixerit, & in l. famosi, ff. ad leg. Jul. Majest.* ubi expressè agitur de pœna Principem maledicenti imponenda.

10. Moveor tertiò rationibus; nam facit contra charitatem, qua tenemur proximum diligere, illique bonum, & non malum optare, præcipuè Principi, ad quem spectat communis boni conservatio. Tum quia, quælibet injuria, quæ privatæ personæ infertur, si est gravis, peccatum mortale est, & puniri debet. *§. Atrox, Instit. de injurijs.* Ergo à fortiori mortaliter peccat, & erit puniendus, qui injuriam gravem infert Principi, qualis est maledictio, prolata cum animo & intentione notabilis damni, ut supponit difficultas. Deinde, nos scimus, leges non esse contemnendas, *l. si Prætor, ff. de judic. & l. ultima, ff. ne quid in loc. public.* cùm hujusmodi contemptus in commune damnum redundet. Si ergo leges non debent contemni, multò minùs Principes, qui sunt Legislatores, nec non Boni communis Columnæ; atque adeo eorum contemptus in damnum commune, & quidem majus vergeret. Principes sanè contemnerentur, si maledictio in Principes, qui est gravissimus eorum contemptus, à culpa gravi excusaretur, & immunis esset à pœna.

11. Moveor quartò exemplo, non solùm in Core, Dathan, & Abiron, Moysi maledicentibus, *Num. 16.* & alijs, qui à DEO fuerunt severè puniti ob maledictiones & murmurationes in Principes; sed etiam in Claudia virgine Vestali, Appij Cæci Filia, quæ à ludis domum rediens, cùm à turba hominum undique confluente elideretur, ægrè ferens iter suum populi multitudine impediri, dixit. Utinam revivisceret A. Claudius frater „ meus, qui navali prælio ingentem Civium „ Romanorum numerum perdidit; aliamque „ classem in Siciliam duceret, atque multitudi- „ nem istam perdens, minueret quæ me malè ve- „

lùm totius Christianitatis, & Fidei Catholicæ, ac Ecclesiæ, sed etiam uniuscujusque particularis Regni, Provinciæ, & Civitatis, Sayr. *in explicat. Can. 7. Bull. Cœn. lib. 3. Thes. tom. 1. cap. 11. num. 35.*

3. Notandum tertiò, ea dici concernere statum Reipublicæ Christianæ, in perniciem Christianorum, eorum hostibus revelata, quæ vel ad occupanda Christianorum Loca, vel ad oppugnandos, & deprædandos Christianos ordinantur. Ita communiter Canonistæ, & Jurisconsulti.

4. Notandum quartò, secretum, quatenus pertinet ad negotia, esse virtutis fidei actum, prout fides est idem quod fidelitas. Trull. *tom. 2. in Decal. lib. 7. cap. 10. dub. 32. num. 1.*

5. Notandum quintò, dari de secreto servando præceptum naturale, divinum & humanum, ut optimè probat Sotus, *lib. de secreto, membro 1. quæst. 2.* ubi plures distinguit secreti gradus; quorum primus est sacramentalis; nempe, confessionis, de quo hìc non est sermo. Secundus est naturalis, qui diversis modis contingit.

6. Notandum sextò, secretum naturale dividi in publicum, & privatum: Publicum esse id, ad quod quis tenetur ex officio publico, aut legali debito, ut Prælatus, Canonicus, Senator, Consiliarius, vel quævis persona publica: Privatum esse id, quod contingit inter personas particulares.

7. Notandum septimò, secretum, aliud esse explicitum, & aliud tacitum: Explicitum, quando fit expressa promissio de eo celando: Tacitum, cùm id colligitur ex modo dicendi secreto, ex verbis significantibus confidentiam, & aliis ejusmodi signis. Filliuc. *tom. 2. Decal. tract. 40. cap. 2. de mend. n. 58.*

8. Notandum octavò, utrumque secretum, explicitum, & tacitum illud esse, cujus manifestatio nocet Animæ, corpori, famæ, honori, vel fortunæ alterius, bono sive publico sive particulari, etiamsi nulla fuerit facta promissio de secreto non revelando.

9. Notandum nonò, secretum, seu fidelitatem versari tam circa debitum legale, quod est jure debitum; quale est in contractibus civilibus, & pertinet ad justitiam; quàm circa debitum morale, quod spectat ad honestatem quandam moralem, & pertinet ad partem potentialem justitiæ, & est sensus communis Doctorum.

10. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Minister Imperatoris bellantis contra Turcas, qui captus, & tortus, vi tormentorum revelavit Turcis secretum concernens damnum Budæ, & Exercitûs Christiani, inciderit in excommunicationem Bullæ Cœnæ; partem negativam, quam putat veriorem, defendit Duardus, *in d. Bull. in Can. 7. lib. 2. quæst. 32. num. 3.* Bonac. *de censuris ejusd. Bull. disp. 1. quæst. 8. punct. 1. sub. num. 9.* ubi loquitur cum limitatione, nisi, scilicet, revelans posset verbis amphibologicis eludere interrogantes, & tormenta evitare: tunc revelando incideret in excommunicationem. Totum fundamentum hujus opinionis desumitur à significatione verborum Bullæ: nam vi Canonis excommunicatur quicunque certiores facit Christiani nominis hostes de rebus statum Reipublicæ Christianæ concernentibus. At qui revelat secretum ex vi tormentorum, non dicitur certiores facere hostes prædictos; quia certiores facere, secundùm vim, & proprietatem verbi, est per nuncium, aut per literas nunciare, ut patet apud Cicer. *6. Verr. Pla. in Cur. Teren. in Phorm.* sed dicuntur secreta illa vi tormentorum ab hostibus illis investigari, & explorari, ut est Tex. *in l. edictum, ff. de quæst.* Cùm igitur simus in pœnalibus, quæ sunt strictè interpretanda, ut *in cap. Pœna, de pæn. 1. Dist. Cap. Odia, de reg. jur. in 6.* non debemus recedere à verborum proprietate: atque adeò excusandus videtur ab excommunicatione Canonis, qui ex tormentorum vi coactus revelat secretum, quamvis hujusmodi revelatio sit in perniciem Christianorum, quod est per accidens, & præter intentionem talis revelantis. Præterea, cuilibet licet ad evitanda tormenta gravia, imò & levia, secretum suum crimen manifestò proferre, etiamsi sit sibi mors imminens secutura. Ita docent Less. Salon. aliique apud Bonac. *d. 2. de restit. quæst. 4. p. 10. num. 7.* Licitum ergo erit ad evitanda tormenta, secreta aliena manifestare, quamvis damnum pariat hujusmodi manifestatio. Censura autem, quæ gravis est pœna, per actionem licitam, seu absque culpa non incurritur.

Fateor, hanc opinionem habere probabilitatem, propterea ei putabam adhærere. Re tamen diligentiori studio examinata, contrarium visum est verius, & probabilius, ligari nempe vinculo excommunicationis Bullæ Cœnæ Ministrum Leopoldi Primi Imperatoris, tormentorum vi Turcis secreta revelantem in perniciem Budæ, & totius Christiani Exercitûs. Ita Ugolin. *in explicatione Canon. septimi Bull. Cœn. vers. hac non illos, 9. 1.* Alter. *in eamd. Bullam, disp. 8. lib. 5. cap. 9. in vers. secundò quæret quis*, & alij. 11.

Moveor primò juribus *in l. omne, ff. de re militar. §. Exploratores, & in leg. Athletas, ff. de his, qui not. infam. §. Pravaricator*, ubi dicitur, nuntiantes hostibus esse proditores: *& in l. minimè, ff. de Relig. & sumpt. fun.* ubi habetur, nos teneri jure naturali pro Patria, ac Religione etiam contra parentes pugnare. Qui autem revelat Turcis sive sponte, sive coactè secreta Principis, non pugnat, non defendit Christianam Rempublicam, sed offendit; unde contra jus naturale operatur; & sic mortaliter peccat. Violatur enim fides, quam jure naturæ servare tenemur, præcipuè si habemus officium publicum; propterea jure asserunt Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 7. cap. 10. dub. 32. num. 9.* Filliuc. *in eadem tract. 40. cap. 2. quæst. 4. sub num. 63.* Diana, *p. 6. tract. 6. & miscell. 1. Res. 60.* & alii, esse actionem graviter peccaminosam revelare secreta alterius Principis, vel Exercitûs, vel Reipublicæ etiam ex vi tormentorum, quando in alterius grave damnum publicum revelatio redundat. Ex communi autem Theologorum doctrina habemus eum censuram incurrere, qui facit scienter actionem graviter peccaminosam, cui annexa est censura. 12.

Moveor secundò rationibus; nam excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrit, qui Turcis, aliisque 13.

itaque Christiani nominis hostibus opitulatur cum detrimento Christianæ Reipublicæ; est enim intrinsecè malum, cùm sit contra primum præceptum, quo præcipitur Religio erga DEUM, ut per Tex. *in l. veluti, ff. de just. & jur.* Et docet Navar. *in cap. Ita quorundam, not. 1. num. 8. de Jud.* Tum quia, vis tormentorum, quæ infertur revelanti, non impedit ex ejusmodi revelatione Turcas certiores fieri de iis, quæ ad Rempublicæ Christianæ statum pertinent, in Christianorum perniciem. Incurrere autem excommunicationem Bullæ Cœnæ certiores facientem Turcas de iis, quæ concernunt statum Reipublicæ Christianæ in Christianorum perniciem, ex eadem Bulla apertè habetur.

14. Moveor tertiò exemplo, primò, in Ægyptiis, qui his, qui secreta hostibus enunciassent sive coactim, sive liberè, linguam abscindebant. Diod. Sicul. *lib. 1. cap. 6.* Secundò, in Venetis prudentiæ ac justitiæ Viris, qui anno 1540. sæviente bello Turcarum contra ipsos, Revelantes secreta Reipublicæ Turcis, ad pœnam capitalem damnarunt. Sur. *in Comment.* Si ergò revelantes secreta Reipublicæ, seu Principis Christiani Turcis, aliisque Christianorum hostibus, pœnam corporalem merentur, spiritualem sanè, seu Ecclesiasticam aufugere non debent, cùm ejusmodi revelatio in grave detrimentum Ecclesiæ redundet.

15. Concludimus igitur, obstrictum remansisse excommunicatione Bullæ Cœnæ Imperatoris Ministrum, qui tormentorum vi compulsus, secreta sui Principis revelavit Turcis, in gtave Christianæ Reipublicæ præjudicium.

16. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, patet responsio ex dictis; certiores enim facit Turcas, qui illis secretum revelat sivè spontè, sive coactè, illisque per hujusmodi revelationem opitulatur.

17. Ad secundam, concedendo ant. quia agitur de bono privato: & neg. conseq. quia in nostro casu agitur de bono communi, quod, præeunte naturæ lumine, docemur antefetendum esse privato, ut etiam habetur *in l. 1. ff. de solut. matr. & leg. unica, Cod. de Cad. toll.* Et ideò quamvis cuilibet liceat ad evitanda tormenta suum manifestare secretum, suam concernens infamiam, ei tamen non licebit revelare id, quod contra publicum Bonum vergit.

18. Infero primò ex dictis, incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ illum, quomodocunque denunciat Turcis Loca aliqua non benè munita esse, & facilè occupari posse doret, aut civitatem fame premi, adeóque obsidione facile capi posse; aut in consilio factam esse à Ducibus exercitûs determinationem recuperandi tali modo aliquam arcem ab hostibus occupatam. Duardus, *in Bull. Cæn. lib. 1. in Can. 7. quæst. 30.*

19. Infero secundò, incurrere, citra omnem controversiam, dictam excommunicationem illum, qui certiores facit Turcas de his, quæ jam ex alia parte noverant, etiamsi nihil omninò ex tali revelatione sciant. Ugolin. *in explic. hujus Can. verb. Nec non illos, & §. 5.* ibi; quia actio principalis, quam prohibet Bulla, est certiores facere Turcas de rebus concernentibus statum Reipublicæ Christianæ.

20. Infero tertiò, teneri quemlibet servare secretum de rebus proximi, non solùm jure naturali & divino, sed etiam humano, ut *l. lex Cornelia, §. Si quis, ff. de injurijs. Et Cap. Si testes, caus. 4. quæst. 3.*

21. Infero quartò, revelantes Turcis secreta concernentia statum Reipublicæ Christianæ, sed in perniciem, seu damnum unius hominis Christiani, non comprehendi sub dispositione d. Canonis; qui tantùm extenditur ad revelantes in perniciem Christianorum, vel totius Reipublicæ Christianæ, vel illius Regni, Provinciæ, Civitatis. Ugolin. *loc. cit. sub n. 2.* in fine.

22. Infero quintò, revelate secretum parvi momenti, etiamsi præesserit promissio illud celandi, non esse peccatum mortale, dummodò ex tali manifestatione non sequatur grave detrimentum proximo; vel qui secretum nobis commisit, non graviter ferret, idque rationabilitet, & prudenter. Azor. *Inst. mor. p. 3. lib. 13. cap. 31.* Navar. *in Man. cap. 18. num. 52.* ex Cajet. *quæst. 70. art. 1.*

23. Infero sextò, Nuncium deferentem Infidelibus literas, scientem continere revelationem secreti Reipublicæ Christianæ, incurrere excommunicationem Can. Diana, *p. 9. tr. 7. & misc. 2. Res. 16.* Opinio contraria non est improbabilis. Idem, *ibid.*

24. Infero septimò, incurrere eandem censuram revelantem secretum Reipublicæ Christianæ alicui fideli, qui creditur revelaturus infidelibus. Bonac. *tom. 3. d. 1. q. 8. punc. 1. n. 4.* & alii apud ipsum. Contrariæ sententiæ adhæret Suar. Palaus.

25. Infero octavò, probabiliùs incurrere censuram Canonis septimi Bullæ Cœn. non solùm revelantes secretum infidelibus, sed etiam eum, qui est in causa, ut alter revelet, modò revelatio reverà sequatur. Bonac. *de censur. in Bull. Cæn.* quia vi Canonis prohibetur omnis cooperatio.

26. Infero nonò, Judicem, qui audiens causam, in qua res gravissima agitur, ut de vita, Ducatu, maximo honore, &c. si invadatur ab aliquo litigantium sub mortis pœna, ut merita causæ prodat, teneri potiùs mortem pati. Idem dicitur de Scribis, aliisve, quorum fidei causæ graves committuntur. Sot. *de secreto, memb. 5. quæst. 4. conclus. 6.* Sanch. *in Consilijs, p. 2. lib. 6. cap. 6. dub. 1. n. 4.* Trull. *tom. 1. in Decal. lib. 7. cap. 10. dub. 32. sub. num. 9.* ubi alios citat, & sequitur, & advertit hanc doctrinam valere, quando ob secreti revelationem oriretur pœna gravis in corpore, ut mors, vel mutilatio: secus verò, si pœna tantùm pecuniaria, vel exilii.

27. Infero decimò obiter, aliquando nos teneri detegere secretum nobis commissum, & etiam receptum cum juramento, quoties silentium vergit in damnum Communitatis, vel innocentis. Syl. *v. Secretum, 1.* Navat. *cap. 18. num. 53.* Reginal. *lib. 14. num. 112.* & alii; quia secretum non potest obligare contra charitatem alteri debitam; & juramentum non est vinculum iniquitatis: adeóque esse denunciandum solicitantem in confessione.

fessione, vel hæreticum à sciente sub secreto naturali, & cum promissione jurata tacendi illius sollicitationem, vel hæresim, docet Carena, *in praxi S. Off. p. 2. tit. 9. §. 5. n. 22. & tit. 6 §. 22 n.* 123. & alii apud Dianam, *p. 9. tr. 8. & misc. 3, Res.* 46. contra Fagundez, Fragosium.

28. Infero undecimò, peccare mortaliter eum, qui secretum proximi crimen uni tantùm, vel duobus refert; quando prudenter judicat, illum nolle rationabiliter, ne sua fama apud illum unum denigretur, sicut esset Religiosus, qui non pateretur suum crimen sciri à suo Superiore, à quo dependet, Less. *lib. 2. cap. 11. n.* 70. Contrarium, nempè excusari saltem à mortali, præciso animo lædendi alium, tenet Azor. *p. 3 Inst. mor. lib. 13. cap. 6. dub. 5. & cap 31. dub.* 2. quando detegens certò credit illum unum, vel illos duos crimen eis detectum celaturos, puta, quando amicus alteri amico fideli alterius crimen occultum secretò recenset, aut vir uxori suæ.

29. Infero duodecimò, teneri ad restitutionem eum, qui violat secretum absque justa causa, cum alterius detrimento. Sylv. *verb. Secretum n.* 1. Bonac. *disp. de restit. quæst. 1. punct. unico, num.* 4. uterque Navar. & alij; quia est causa damni, quod procedit ex manifestatione secreti accepti sub pacto sive explicito sive tacito illud servandi.

30. Infero decimotertiò, non peccare mortaliter eum, qui revelat secretum cum levi alterius injuria & detrimento, licèt promiserit, absque tamen juramento, se celaturum secretum sub sigillo sibi commissum. Excipitur secretum confessionis, quod etiam in re levi, absque peccato mortali, violari non potest. Bonac. *in Sum. verb. Secretum, num.* 2.

31. Infero decimoquartò, posse Sacerdotem, à Judice legitimè interrogatum, detegere absque periculo irregularitatis alterius crimina, homicidia, proditiones, &c. extra confessionem sibi nota, præmissa tamen protestatione manifestante suam intentionem omninò remotam à vindicta sanguinis. Bonac. *loc. cit. n.* 8.

XXVI. DIFFICULTAS.

Plures Satellites deposuerunt, seditionem detectam adversus Rempublicam, excitatam fuisse à quibusdam Officialibus Principis. Dubitatur, num hujusmodi depositione, adjunctis adminiculis, possint Officiales inquisiti, uti convicti, ultimò damnari supplicio.

1. Notandum primò, duplicem esse infamiam; aliam, scilicet, juris, & aliam facti. Ita communiter DD. *in l. 1. ff. de his, qui not. infam. & in Cap. Testimonium, extra, de test.*

2. Notandum secundò, infames infamiâ juris esse omnes illos, qui enumerantur à Prætore, *in l. 1. ff. de his, qui not. infam.* unde appellantur juris infames, quia tales à jure reputati sunt; Infames verò infamiâ facti esse illos, qui à jure non declarātur infames; sed quia fecerunt tale quid, propter quod communiter eorum opinio, fama, & existimatio remanet læsa, & gravata apud bonos & graves viros; habetur Tex. *in l. non debet, ff. de dolo, & in l. honeri, ff. de obsequiis*, Gloss. *in Cap. Infames*, §. *Porrò, verb. Infamia, causa 3. q. 7.*

Notandum tertiò, Satellites communiter apud homines reputari infames infamiâ facti; & hujusmodi exercitiò, ut plurimùm, non nisi vilissimos sanguinarios, & in moribus depravatos applicari: quod patet, & testantur Bal. *in l. fin. in 8. quæst. Cod. de edict. Divi Adriani toll. post num.* 47. Aufrer. *de reprob. test. num.* 11. Clar. *in pract. §. fin. quæst. 7. vers. habes igitur*, in fine, & alii plures. 3.

Notandum quartò, Satellites, si quandoque admittantur in testes, nunquam esse integræ fidei, & omni exceptione majores, cùm vilissima eorum status conditio minuat eorum fidem, ut probatur *in Authen. de test. § Sancimus, in prin. & §. Si verò ignoti.* Tenet Clar. *loc. cit.* Osasc. *cons. 65. sub num.* 4. & alii, putantes satellitum depositionem parùm valere, nisi esset adminiculata aliqua conjectura, vel depositione alterius fide digni; quia in tali casu illius inhabilitas suppletur per ea, quæ generaliter *de test. inhab.* & in terminis, *de satellite* scripserunt Clar. *loc. cit.* Granut. *de theorem. 19. num.* 23. Grat. *cons.* 43. *n.* 22. Masc. & alii. 4

Notandum quintò, crimen læsæ majestatis, non solùm committi contra imperatorem, cujus propriè majestas dicitur, ut *in l. quisquis, Cod. ad leg. Jul. Majest. & in l. ult. in prin. Cod. de leg.* & alibi; sed etiam contra Reges, Respublicas, & generaliter contra omnes Duces, Marchiones, & quoscunque alios Principes non recognoscentes legitimè Superiorem, ut est Gloss. per Tex. *in leg. fallaciter, in verb. Proditor, Cod. de aboli.* & probant variis juribus DD. innumeri, quos recenset & sequitur Decian. *in tract. crimin. lib. 8. cap. 4. num. 3. & 6.* 5.

Notandum sextò, sollicitantem Principis milites ad seditionem, ad tumultum, adversùs Rempublicam, esse læsæ majestatis reum, & probatur *in l. 1.* in fine, *ff. ad leg. Jul. Majest. & in l. 3. §. Qui seditionem, ff. de re milit.* 6.

Notandum septimò, in delictis, & iis, quæ sunt difficilis probationis, sufficere quidem probationes leviores, & sufficere conjecturas & indicia, ut per Bart. *in l. si quis ex argentarijs, §. pen. ff. de eden. per Hip. cons. 5. n. 21. & cons. 27. num.* 10. nihilominus in crimine læsæ majestatis, cùm sit gravissimum, & severioribus pœnis puniendum, probationes vehementiores esse debere. Ita communiter Jurisconsulti, & Canonistæ: & ratio est; quia quantò crimen est gravius, tantò probationes vehementiores esse debent; & habetur *in l. famosi, ff. ad leg. Jul. Majest.* & prob. Hip. *cons. 1. n.* 45. Cig. & alij. 7.

Notandum octavò, in rebus humanis probandis non requiri certitudinem evidentiæ: nam etiam posita probatione testium, vel propria hominis confessione; non evidenter constat nostro intellectui illud delictum ab accusato fuisse commissum; cùm potuerint & testes & confessus mentiri. Cajet. 2. 2. *quæst. 60. art. 3.* sed sufficere certitudinem fidei desumptam extrinsecùs, vel ex testi- 8.

testibus, vel ex confessione, vel ex indicijs: cùm probatio nil aliud sit, quàm inductio animi Judicis ad perfectè credendum rem ita esse, *l. quingenta, ff. de probat.* Metenda, *controv. jur. cap. 25. lib. 2.* Barbos. & alij.

9. His adnotatis, ad difficultatem propositam; num Officiales seditiosi ex depositione satellitum, seu birruariorum, junctis adminiculis, dicantur convicti; ita ut damnati possint ad mortem, negativè videtur respondendum; nam infamis testis esse non potest, tenet Bald, *in cap. Licet universis, de testib.* & Mart. Laud. *in tract. de crim. læsa majest. q. 43.* Gig. *in tit. de proditorib. quæst. 8. num. 4.* & ita communiter Doctores, asserentes birruarios, seu satellites non solùm non esse idoneos testes tam in civilibus, quàm in criminalibus, sed etiam à testimonio esse repellendos, & præcipuè in criminalibus. Nemo enim negat birruarios publicè reputari vilissimos, infames, & omni vitiorum genere aspersos, & ideò fide nulla dignos. Tiraq. *de retract. lignag. §. 1. gl. 14. num. 48.* Et nemo potest uti convictus damnati, nisi aut notorium sit delictum. Boss. *tit. de convict. num. 3.* Bardellon. *cons. 74. num. 1.* aut contra eum, vel duo testes nullo crimine rei, & majores omni exceptione contestes, de loco, & tempore testimonium perhibeant, *l. sciant cuncti,* quæ est final. *Cod. de probat.* ibique Bald, Salicet. alijque plures. Præterea, de Jure Canonico dicunt omnes, ut notat Decian. *Tract. criminal. lib. 3. cap. 17. num. 12.* quòd infamis etiam de facto accusare non potest, ut est Gloss. *in cap. Ipsi Apostoli, causa 2. quæst. 7.* & tradunt Joan. Andr. & Imol. *in cap. Omnipotens, in glos. 1. de accusat.* quia per Jura Canonica repelluntur non solùm criminosi, sed etiam suspecti de crimine; ut *in cap. Si qui sunt, & in cap. Testes, in verb. absque ulla suspicione, causa 2. quæst. 7.* negari autem non potest apparitores esse, juxta dicta, saltem suspectos de crimine; & ideò eorum testimonium ad condemnandum Officiales de seditione inquisitos nequaquam valere.

10. Verum enim verò, quia summa in crimine læsæ majestatis vero, juxta notata, & satellitum dictum fuit adminiculatum duabus epistolis apud Officiales inquisitos repertis, certa cifra conscriptis, quæ rectè interpretantur secretum ipsorum, & cantant intelligentiam cum hostibus; arbitror esse eos convictos ex depositione birruariorum, juncto præfato adminiculo, ultimo supplicio damnandos. Grat. *cons. 43. num. 22.* Masc. *concl. 189. num. 6.* Gratiur. *theoremat. 19. num. 23.* Decian. *in tract. criminal. lib. 7. cap. 45. num. 4.* Crispolt. *in Casib. militar. cas. 14.* quibus addi possunt, si benè considerentur, Petrus Moncada, *in addit.* Joann. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de teste, §. 1. sub num. 96. in additione, verb. Artifex,* & alij, asserentes etiam generali consuetudine receptum esse, ut testes non repellantur ob exercitij vilitatem, & in specie, ut Satellites ad testificandum admittantur.

11. Moveor primò juribus, & quidem clarè *in l. famosi,* id est notat Gloss. *infames, ff. ad leg. Jul. Majest.* ubi habetur in crimine læsæ majestatis posse infames sine ulla dubitatione admitti ad testificandum, *& in l. consensu, Cod. de repud. & in l. non omnes, §. à barbaris, ff. de re milit.* ubi apparet, quòd quando adest difficultas probationis, & ex natura actûs veritas aliter haberi non potest, quàm per testes de visu, aut auditu, debet eorum testimonium recipi, qualecunque sit.

Moveor secundò rationibus; nam indicium, à 12.
duabus epistolis, secretam intelligentiam cum Principe inimico cantantibus, desumptum, ita adjuvat satellitum dicta, ut efficiantur habiles testes: præterquamquòd, numerus debet supplere defectum testium, ut per Gloss. *in l. 3. §. 1. in verb. Numerus, ff. de testi.* quod locum habet etiam in causa gravi, quando adsunt adminicula: unde habetur plena probatio. Tum quia sumus in Tribunali Auditoris generalis Exercitûs, qui potest admittere ad testimonium quemcunque testem, læsum etiam pluribus infamiæ maculis, cùm possit procedere nullo juris ordine servato, ex manu regia, quam habet. Cavalcan. *de brach. reg. par. 1. num. 147.* & in specie satellitum, *par. 2. num. 74. & 75.* Bardellon. *cons. 27. num. 28. lib. 1.* & præsertim quando adest ratificatio omnium ad faciem rei in tortura.

Moveor tertiò exemplo. Primò, in Bellizario 13.
Justiniani Duce celeberrimo, qui, cum Romæ obsideretur, cuidam prodere Urbem tentanti nasum & auriculas amputari jussit, & Asino impositum ad Gothos obsidentes transmisit; dicens meruisse, ob depositionem testium, inter quos erant aliqui infames infamiâ facti, ultimum supplicium; sed voluisse tali pœnâ infamiæ, quandoque morte ipsa graviori, illum punire, ut in delicto pessimi exempli infamia punitionis cæteris metum incuteret. Blond. *lib. 5. histor.* Secundò, in Hippol. de Marsil. qui *in l. infans, ff. ad leg. Cornel. de Sicar. num. 37.* refert se condemnasse Cittadellæ quemdam maritum, qui uxorem haurientem aquam in puteum præcipitaverat, ex attestatione duorum puerorum, qui aliàs non fuissent idonei testes, concurrentibus adminiculis, fama, fuga, & rei confessione. Idem etiam narrat Decian. *Tract. criminal. lib. 9. cap. 14. num. 7.*

Concludimus igitur, cùm simus in Castris, 14.
ubi utilitas, & disciplina locum habere debet, & in criminibus læsæ majestatis, quæ impunita minimè sunt relinquenda, & testes plures sint, omnes concordes circa locum & tempus, facientes præsumptionem, quamvis plenè non probent. Dec. *cons. 272. num. 2.* & duæ epistolæ demonstrent intelligentiam cum hostibus habitam, & adsint nonnulla alia indicia, quæ omnia simul sufficiunt ad formandam perfectam probationem, seu ad inducendum Judicis animum ad perfectè credendum rem ita esse, concludimus, inquam, posse absque ullo scrupulo Officiales, seditionem adversus Rempublicam excitantes, ultimô suppliciô damnati.

Ad rationes in contrarium respondemus. Ad 15.
primam, negando, esse à Doctoribus communiter receptum, quòd apparitores non admittantur ad testificandum in crimine læsæ majestatis, & in alijs criminibus exceptis. Communis enim

 opinio

opinio est & recepta, satellites non admitti in alijs criminalibus non exceptis, & in civilibus, quod & nos fatemur.

16. Ad secundam, nempè, sed convincendum requiri testes omni exceptione majores; admittendo hanc regulam in cæteris casibus, non in criminibus exceptis, prout est crimen hæresis, læsæ majestatis, latrocinij, simoniæ, & alijs; ad quorum probationem inhabiles, & non admittendos testes, admitti debere, scripsit Clar. *in pract.* §. *fin. quæst.* 24. *vers. sciendum est tamen.* Decian. *Tract. criminal. lib.* 7. *cap.* 45. & alij.

17. Ad tertiam, scilicet, de Jure Canonico excludi ab accusatione & testimonio viles & infames, dicendo hoc esse pariter intelligendum in alijs criminibus extra crimen læsæ majestatis, in quo nostra difficultas procedit; & extra alia crimina excepta.

18. Infero primò ex dictis, satellites non repelli, sed probare, quando deponunt ad alicujus innocentiam probandam, & sic ad defensionem. Hippol. Rimiual. *cons.* 183. *num.* 9. *lib.* 2. Fatin. *q.* 56. *num.* 388.

19. Infero secundò, in crimine læsæ majestatis admitti accusatum etiam de crimine, licèt aliàs testis esse non possit. Alberic. *in d. l. famosi, ff. ad leg. Jul. Majest.* Decian. *Tract. crim. lib.* 7. *cap.* 45. *num.* 5.

20. Infero tertiò incidenter, quemlibet licèt nolit accusare reum læsæ majestatis, teneri tamen illum indicare, *l. Metroderum, ff. de pœnis*, tenet Martin. Laud. *in tract. de crim. læs. majest. q.* 53. modò ille sit subditus, puto ego.

21. Infero quartò, testes inhabiles admitti quidem ad probandum principaliter crimen læsæ majestatis, non tamen recipi ad probanda adminicula talis delicti. Dec. *cons.* 410. *num.* 15. ubi citat pro se Bar.

22. Infero quintò, in crimine læsæ majestatis admitti ad testificandum, criminosos, Perjuros, Judæos, Hæreticos, Infideles, Excommunicatos, Banuitos, Usurarios, Lenones, Meretrices, Spurios, cæterosque infames; Secus verò, in causis civilibus, & in alijs criminalibus, ut rectè probat varijs juribus, & auctoritatibus Doctorum Farin, *q.* 56. *per totam.*

XXVII. DIFFICULTAS.

Judex militaris per sordes, qui pecuniâ corruptus, factum cujusdam militis injustè judicavit. Dubitatur, quibus pœnis sit plectendus.

1. NOtandum primò, gravissimum esse delictum injustè judicare; atque adeò Judices, qui per sordes, qui pecuniâ corrupti injustè judicant, severiori pœnâ esse plectendos. Ita judicarunt, & exemplô docuere Antiqui illi quoque, qui verum Judicem Jesum Christum non cognoverunt, ut videre est apud Val. Max. *lib.* 6. *cap.* 3.

2. Notandum secundò, quòd Judex tùnc per sordes dicitur judicasse, seu (ut dicunt aliqui Jurisperiti) baratariam commisisse, cùm aliquid accipit, ut sententiam proferat, vel non proferat: ut per Tex. *in l.* 3. *l. lex. Julia*, §. *Hodie, ff. ad leg. Jul. repet.*

Notandum tertiò, Judicem judicare per sordes, seu committere baratariam, etiamsi accipiat aliquid, ut ferat sententiam justam; cùm tunc etiam dicatur esse corruptus. Ita tradit Paris de Puteo, *Syndic. in verb. Corruptio*, Gram. *cons.* 35. *num.* 3 & alij asserentes, Judicem committere baratariam, & per sordes judicare .cùm, ut judicet, sive justè, sive injustè, pecunias accipit; quia opera justitiæ non sunt venalia. 3.

Notandum quartò, non licere Judicibus accipere munera, quia officium suum tenentur gratis exercere; aliter faciendo, incidunt, *in leg. Jul. repet.* & tradit Ægidius Bos. *tit. de Officialibus corruptis, num.* 3. 4.

Notandum quintò, *leg. Jul. repet.* locum non habere, quando aliquid datur in recompensationem justæ mercedis, cùm Judex ex publico nihil habet: tunc enim absque controversia, accipere potest sportulas, & similia, quæ pro laboribus solent dari, Didac. *cap. Peccatum, p.* 2. §. 3. *num.* 2. *vers. sicut, & Judex, de regulis juris, in* 6. Socin. *Tract. fallen. reg.* 37. Bossius. *loc. cit.* ubi declarat, quando judici licet aliquid accipere. 5.

Notandum sextò, quando concurrunt diversæ leges, pœnas diversas imponentes circa idem delictum, unam non tollere aliam quoad originem. Secus autem quoad executionem, ut optimè probat ex jurium dispositione Boss. *loc. cit. num.* 9. ubi doctè explicat, & resolvit celebrem illam inter Jurisperitos quæstionem: an una lex posterior imponens unam pœnam tollat aliam. 6.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, quibus pœnis Judex militaris, qui per sordes, qui pecuniâ corruptus, factum cujusdam militis injustè judicavit, sit plectendus; pœnâ mortis, videtur respondendum; quia hoc delictum, ut notavimus, est gravissimum: & sic Darij Persarum Regis mandato Cruci fuit affixus Sandox Acolidis Præfectus, quia pecuniâ corruptus injustam sententiam protulerat Alex. ab Alex. *lib.* 3. *dier. Gen. cap.* 5. *& lege duodecim. tab.* capite mulctabatur Judex & Arbiter jure datus, qui ob rem dicendam, pecuniam accepisse convictus erat, cujus mentionem facit, *lib* 20. idem Alexand. 7.

Fateor hoc delictum aliquando tale esse, & tales secum habere circumstantias, ut mortem mereatur pro pœna. Verùm, quia gravitatem majorem vel minorem, inspecta qualitate aut rei acceptæ, aut personæ accipientis, aut personæ, cui nocumentum, aut favor præstatur, potest ostendere; variè esse puniendos hos judices censemus, nempe illis pœnam esse imponendam pro facti qualitate, quocirca ob ipsam varietatem pœnam esse arbitrariam. Gram. *cons.* 35. *num.* 9. Boer. *q.* 153. *num.* 3. *&* 9. Boss. *Tract. causar. crim. tit. de Officialib. corruptis, num.* 7. *&* 8, Menoch. *Tract. de arbitr. jud. lib.* 2. *cent.* 4. *cas.* 342. *num.* 6. Quibus addi potest Clar. *lib.* 5. *sent. jur.* §. *fin. q.* 73. *in princ.* 8.

Moveor primò juribus *in l.* 3. *ff. ad leg. Jul. repet.* ubi dicitur. Lege Julia repetundarum tenetur qui cùm aliquam potestatem haberet, pecuniam 9.

eniaim ob judicandum, vel nou judicandum, decernendumve receperit. *Et l. lex julia, ff. eod. §. Hodie*, ubi sic. Hodie ex lege repetundarum extra ordinem puniuntur, & plerumque vel exilio puniuntur, vel etiam durius. Hac lege, C. Iulius Cæsar, qui primus Romanorum scripsit imperium, sanxit pro facti qualitate judices corruptos esse puniendos. Hanc esse C. Cæsaris sanctionem ostendit M. Tul. *ep. 1. ad Q. Fr. & ad Att. lib. 6. ep. 1.*

10. Moveor secundò rationibus; nam pœna est cum delicto commensuranda. *cap. Non afferamus, 34. Dist. Authen. Omnes Peregrini, Cod. communia, de success.* & legimus in Deuteron. *cap. 25.* Pro mensura peccati erit, & plagarum modus, & tradit Marsi. *conf. 6. in fine.* Corruptio autem judicum potest esse varia plùs, scilicet, vel minùs malitiosa, & damnificativa; & ideò varia debet esse pœna arbitraria, nempe, & juxta facti qualitatem. Tum quia, quando plures legespuniunt, est in arbitrio judicis eligere quam malit, inspectis qualitate delicti, *l. quoties, ff. de action. & obligation.*

11. Moveor tertiò exemplo. Primò, in ijs, quibus Evangelica veritas non illuxit; in Alexandro Severo Imperatore justissimo, qui, si furem judicem vidisset, aiebat paratum se habere digitum, quo illi oculum erueret. In Dario Persarum Rege, qui judices corruptos Crucis morte mulctabat. Alexan. ab Alex. *loc. cit.* Secundò, in ijs, qui à Christo, qui est lux mundi, fuerunt illuminati. Videmus enim judices pecuniâ corruptos, aliquando mitti ad exilium, aliquando dignitate privari, aliquando etiam morte puniri. Quæ tamen pœna non videtur ampliùs locum habere. Et ita mihi respondit benigno simul, ac erudito calamo; Illustrissimus Dominus Antonius Magliabechus Magni, pijssimique Hetruriæ Ducis Bibliothecarius; cunctis ferè totius Orbis Sapientibus penitus notus; utpote scientijs omnibus impensè instructus, atque libris quasi dixerim enutritus: nullo ex acclamatis Auctoribus librum Typis demandante, quem ei legendum illicò non transmittat: illud Ezechielis *cap. 3.* veluti repetens, *Comede volumen istud*: proinque circa præfatum dubium, & alia per literas libenter à me consultus.

12. Concludimus igitur, judicem militarem, qui per sordes, qui pecuniâ corruptus injustè militiæ factum judicavit, esse pœna arbitraria puniendum, juxta facti qualitatem - à judicibus purgato oculo inspiciendam.

13. Ad rationes in contrarium patet responsio ex dictis, & forsitan clariùs patebit ex dicendis.

14. Infero primò ex dictis, pœnam infamiæ, quæ *in l. ult. Cod. de pœn. Jud. qui malè jud.* constituitur judici, per sordes dolo malo judicanti, venire in consequentiam principalis; nam Judex corruptus sive deportetur, sive ad exilium mittatur, sive patibulo suspendatur, infamiâ notatur.

15. Infero secundò obiter, Falsariorum pœnam, si nemini noceant; esse arbitrariam. Bald. *in l. 1. num. 2. Cod. de sepulc. viola.* & alij apud Menoch. *de arb. Jud. caf. 306. num. 22* cùm falsitas possit esse varia, nempe circa substantialia, circa qualitates, & accidentalia, quæ ad causam pertinent: unde apud Romanos, qui fuisset falsarius, puta, qui falsum testimonium dixisset, è Saxo Tarpeio deijciebatur, teste Gellio, *lib. 20. noct. attica. cap. 1.* & apud nos falsarius interdum deportatur; interdum morte mulctatur; ut videre est apud Menochium, *de arb. Jud. d. caf. 306. & caf. 307. & caf. 342. num. 2.* ubi ostendit nostræ conclusioni non obstare *Leg. 1. §. 1. vers. & qui judicem. ff. ad l. Cornel. de falf.*

Infero tertiò, judicem debere esse contentum 16.
suo salario, si competens est, nec posse accipere esculenta & poculenta, ut tradit Bossius, *loc. cit. num. 5.* ubi ostendit in Judice delegato rem aliter se habere.

Infero quartò, judicem, qui malè judicat 17.
dolose, non tamen pecunia, teneri ad omne interesse parti læsæ, & infamem effici, *l. fi. Cod. de pœn. Jud. & l. filius, §. Index, ff. de judicijs*; & secundùm Statutum Mediolanense, teneri ad quadruplum eius, in quo læserit, ut not. per Boss. *loc. cit. n. 11.*

Infero quintò, judicem, qui dolosè negligit fa- 18.
cere justitiam, puniri criminaliter: *ut in Authen. ut differt judic. post. princ.* Alex. *in l. 4. §. In eum, ff. de dam. infect.*

Infero sextò, Prætorem quoque posse conveni- 19.
ri pro baratteria, & furtis, durante officio, non expectato tempore Syndicatûs; ut habetur *ex l. 2. ff. de in jus vocan.* & ibi per Jas.

Infero septimò, Judices corruptos juxtà facti 20.
qualitatem per sordes, iniquam, judicantes, aliquando non solùm dignitate, & nobilitate posse privari. *Authen. nove jure, Cod. de pœn. Jud. qui malè judicavit*; sed etiam taliter privari, ut in futurum ad alium dignitatis gradum non possint conscendere; *l. Judices. Cod. de dig. lib. 12.*

Infero octavò Judicem pecuniâ corruptum, qui 21.
innocentem ad mortem damnavit, dignum esse morte, vel deportatione: ita videtur jubere *lex julia, de repetund.* & tradit Menochius, *loc. cit.* ubi, *num. 14.* asserit, in quacunque causa criminali pro gravitate causæ, si per sordes judicavit, posse etiam usque ad mortem Superioris arbitrio puniri.

Infero nonò, Judicem, qui corruptus per sor- 22.
des in causa civili judicavit, si rectum fuit judicium, solùm teneri restituere quod accepit, *l. 2. §. ult. ff. de cond. ob turp. cau.* Si verò iniquum, etiam litis æstimationem læso solvere, *l. si filius, §. ult. ff. de jud. l. ult. Cod. de pœn. Jud. qui malè jud.*

Infero decimò, Judicem teneri restituere sibi 23.
aptè datum, quamvis dans non habuerit animum illum corrumpendi; nam, ut inquit M. Tul. Cic. *lib. 1. de leg. §. Quid liberalitas?* Justitia nihil „ expetit præmij, nihil pretij: per se igitur ex- „ petitur: Ea denique omnium virtutum causa, „ utque sententia est, &c. Ut enim quisque maxi- „ mè ad suum commodum refert quæcunque „ agit; ita minimè est vir bonus, &c. Justitia per „ se expetenda, quod ni ita est, omninò justitia „ nulla est. Id enim injustissimum ipsum est justi- „ tiæ mercedem quærere.

Infero

24. Infero undecimò, non licere Judici, quando tenue habet salarium, accipere esculenta, & poculenta, quando essent magni valoris. Ita tradunt Boer. *q. 153. num. 24. & 25.* Boss. *loc. cit. num. 2.* & alij fatentes esculenta modici valoris accipi posse, ut habetur ex *l. solent. §. ult. ff. de offic. Proconf. & Leg.* & ita docet Alex. *in conf. 206. n. 9. 10. lib. 2.*

25. Infero duodecimò, puniri Judicem, qui per Imperitiam judicavit. Glos. *l. Argentarius, §. ult. in verb. de judice, ff. de eden. & in l. pen. Cod. de pact.*

26. Infero decimotertiò, turpiter acceptum à judice, esse restituendum danti, ut probat Glos. *in Cap. Cum sit, de Juda.* per multa jura; aut pauperibus, si dans non invenitur, nec ejus hæres, ut *ind. Cap. Cum sit,* ubi mandatur dari pauperibus, quod solutum est à Christianis Judæo, vel pagano, cui publicum officium commissum est, & tradit Syl. *in Summ. in verb. Restitutio, 4. num. 1.*

27. Infero decimoquartò, non licere donare Concubinæ judicis, ut intercedat apud illum: nam, præterquamquòd, hujusmodi donativum ordinatur ad judicem corrumpendum, exponit & Concubinam, & Judicem manifesto periculo incontinentiæ. Sanch. *in Consil. mor. tom. 1. lib. 3. cap. unic. dub. 43. n. 2.* Mols. *in Sum. tom. 1. tract. 8. cap. 11. num. 62.*

28. Infero decimoquintò, in dubio præsumi judicem ex imperitia judicasse, & non dolosè. Jas. *in l. 1. Cod. ut omnes Judic.* Bald. *in §. Proficisci, in 29. quæst.*

29. Infero decimosextò, ex qualitate personæ judicis præsumi, & non præsumi per sordes fecisse, quod iniquè fecit Bal. *in l. Venales, Cod. quando provocar. non est. necess.*

30. Infero decimoseptimò, probationes contra Judices, & alios Officiales, debere esse evidentes, quia pro eis multùm præsumitur. Bald *in l. observare, §. Proficisci, 11. quæst. ff. de offic. Proconf. & Leg.* & alij Jurisperiti, asserentes, ad probandum barattariam, & dolum judicis, esse recurrendum ad generalia principia, videlicèt, ad *l. sciant cuncti, cum materia, Cod. de probat.* præcipuè, ubi agitur criminaliter; ubi verò agitur civiliter, dicunt DD. sufficere conjecturas, juxtà *l. dolum, cum materia, Cod. de dolo.*

31. Infero decimooctavò, in causa Officialium esse cautè procedendum; cùm ij exercendo officium suum, sint sicut scopus ad sagittam, & qui dum corrigunt, & castigant, nulla habita ratione personarum, multorum, & præcipuè præpotentium, & malè viventium odia, calumnitas, & persecutiones incurrant, ut *in Cap. Qualiter, il secondo, de accusat.* & tradit Bossius, *in tit. de publicat. process. & test. n. 35.*

32. Infero decimononò, milites delinquentes puniri posse à Judice Ordinario, ex defectu, vel negligentia Judicis militaris. Et hoc ex Privilegio per Sedem Apostolicam concesso militibus, ut notat Card. de Luca, *lib. 3. de Jurisd. disc. 78.*

XXVIII. DIFFICULTAS.

An Provinciarum Præsidibus fas sit ad modum belli, & militari modo, contra Forascitos, seu Exules procedere.

Notandum primò, bellum Forascitorum, seu Exulum, esse potestatem militarem, à Principe supremo Præsidibus Provinciarum concessam, ad extirpandum Forascitos, seu Exules. Jo. Grandis, *de bell. Exul. q. 1. anm. 4.* 1.

Notandum secundò, in militia duo tempora considerari, tempus nempè belli, seu pugnæ, & tempus tentorij, ante pugnam, Glos. *in verbo, Hominibus, §. Planè, Instit. de milita. testam.* Glos. *in l. milites, l. fin. Cod. eod.* & adest Tex. *in l. 1. juncta glos. in verbo, Cum ea, ff. de bon. poss. ex testam. milit.* Tempus verò belli, seu pugnæ, quoad Exules, esse dum inquiruntur, & capiuntur, & tempus tentorij esse, dum residet Præses, & proceditur contra Exules, qui repriuntur in manu Curiæ. 2.

Notandum tertiò, non esse idem procedere ad modum belli, & militari modo, si hæc verba literaliter intelligantur; nàm modus belli significat tempus pugnæ: modus verò militaris appellat tempus tentorij. In primo modo, nulla jura servantur, seu proceditur citra juris solemnitates, saltem de facto: quia in Castris ingens armorum strepitus non permittit leges audiri, ità dicente C. Mario, relato à Menoch, *de Arb. jud. lib. 2. cas. 95. num. 28,* In secundo verò, aliquo modo jura servantur, Glos. *in d. §. Planè, in l. fin.* In primo, nulla requiritur scriptura, sed sufficiunt probationes viva voce factæ coram Præside. Rolan, *in conf. 16. num. 16. & 17.* In secundo, scriptura est necessaria, saltem de consuetudine: & ideò Actuarij etiam à lege considerantur in judicio militari, *l. Actuarij, Cod. erog. mili. annon. lib. 12.* Secus verò, si hujusmodi verba intelligantur civiliter, ut notat Grandis, *loc. cit. quæst. 2. num. 5.* 3.

Notandum quartò, appellatione Præsidum Provinciarum hic etiam venire Gubernatores, quia in istis multùm confidit Princeps, *l. 1. ff. de offic. Præfect. Prætor.* 4.

Notandum quintò; Forascitos esse, qui ratione delicti, vel pravæ voluntatis exeunt foras; unde dicuntur Forasciti, quasi forasiti. Carau, *in prag. 1. de Exul num. 9.* hocque esse, non juris nomen, sed Regionis vocabulum, & secundùm communem usum loquendi, qui in statutis quoque attenditur, *l. si servus plurium, ff. de leg. 1. leg. librorum, §. Quod tamen Cassius, ff. de leg. 3.* 5.

Notandum sextò, quinque esse violentias, quas Forascitus simul, vel seorsim potest committere, scilicet, Ablativam, Turbativam, Inquietativam, Compulsivam, & Expulsivam. *Glos. 1. in l. 1. Cod. Quod metus causa.* Glos. & Bart. *in l. extat, eod.* 6.

Notan-

7. Notandum septimò, potestatem militatem Præsidibus Provinciarum concessam, licèt sit pœnalis, & juris communis correctiva, esse tamen non odiosam, sed favorabilem, cùm sit ad extirpationem delinquentium emanata.

8. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Provinciarum Præsidibus fas sit ad modum belli, & militari modo contra Forascitos, seu Exules procedere, videtur negativè respondendum, nam Matth. *cap.* 9. prohibetur extirpare zizania, quæ sunt filii nequam, ut ibidem dicitur: *Et cap.* 26. habetur. *Qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Ex quo sequitur, non licere hominem quemcunque interficere, & successivè Præsides, sive Ministros occidendo Malefactores, seu Forascitos peccare. Præterea, Justitia humana debet conformari Justitiæ divinæ: Atqui secundùm justitiam divinam Peccatores ad pœnitentiam reservantur; dicit enim Dominus *Exo. cap.* 18. *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Præterquam quòd, procedere contra Forascitos ad modum belli, & modo militari, est illos statim occidere: Occidere verò sic malos est eis causam damnationis æternæ præbere: subtrahitur enim eis tempus pœnitentiæ, quod eis concedit Benignitas DEI, ut dicitur Sapien. 11. & ad Rom. 2. Deinde S. Aug. *lib.* 1. *contra mendacium.* & Philosophus 2. *Ethi* docent nullo bono fine fieri licere, quod secundùm se malum est: sed procedere ad modum belli, seu occidere hominem, est secundùm se malum; cùm Charitas Christiana debeat omnes homines respicere. Ergo nullatenus licet Præsidibus in Forascitos ad modum belli procedere.

9. Veritas tamen est, & quidem meo videri, incontrovertibilis, fas esse Provinciarum Præsidibus, sive Gubernatoribus, in Forascitos, seu Exules ad modum belli, & modo militari procedere. Ita sentire videntur Bart. *in l. hostes, ff. de capt. & postlim. reversi.* Alciat. *in l. quos nos hostes,* §. 1. *ff. de verb. signif.* Paris. *de synd. verb. Latro, cap.* 1. *num.* 2. Bal. *in repetitione, l. qui restituere, ff. de rei vendi.* Turrecrem. *in cap. Quod autem, causa* 23. *quæst.* 5. *ad num* 1. in fine, & alii, quos producit, & in terminis nostræ decisionis, sequitur Joann. Grandis, *de bello Exul sub prædicamento, passi, quæst.* 3. §. *Primum speciale, num.* 3.

10. Moveor primò juribus, *l.* 11. *Cod. de his, qui latro, & in cap. Notandum, causa* 23. *quæst.* 2. ubi probatur, remoto potestatis punitivæ exercitio, fieri incorrigibilem Forascitorum, & latronum audaciam, quæ non patitur, Provinciam esse quietam, & transitum securum, *l. congruit, ff. de offic. Præsid. & l.* 3. in fin. *ff. eod.* ubi habetur, ad Præsides, seu Gubernatores spectare, ut pacatum, & quietum sit Regnum. *Et l. si qui latrones,* 2. & ibi Glos. *Cod. de iis, qui latrones,* ubi Imperator militare auxilium mandat implorari contra latrones, seu aliis criminibus obnoxios.

11. Moveor secundò rationibus: nam Forasciti effecti sunt hostes publici, ut tradunt communiter Doctores *in l.* 1. *&* 2. *Cod. quan. lic. si jud.* Ergo contra illos potest ad modum belli, & militari modo procedi, ut Bonum commune conservetur. Tum quia, in corpore phisico membrum putridum, & corruptum aliorum membrorum, licitè, & laudabiliter abscinditur, id salute totius corporis exigente. Scimus autem omnes, quamlibet personam singularem comparari ad totam Communitatem sicut membrum ad corpus: atque adeò si aliquis homo sit damnosus, vel saltem periculosus Communitati, & corruptivus ipsius propter aliquod delictum, laudabiliter & licitè occiditur. Legimus in Sacra Scriptura bellum, propter diversas causas, fuisse motum, & præsertim propter latrocinia, & Malefactores latitantes, 1. Regum, *Cap.* 24. Item contra illos, qui turbant Provinciam, & non patiuntur Regnum esse quietum. Machab. 2. *cap.* 12. Item contra negantes transitum innoxium, & impedientes liberum commercium, ut *eod. lib. cap.* 5. Cur ergo non licebit Provinciarum Rectoribus practicè considerare Facta divinæ Scripturæ, nobis relicta, seu exhibita imitanda? Et tandem, licitum proclamare tenemur, quod divina lege expressè præcipitur. *Quia lex Domini immaculata convertens Animas.* Psalm. 18. Atqui divina lege præcipitur Malefactorum internecio, ut patet ex illo Exod. 21. *Maleficos non patieris vivere.* Ergo. &c.

Moveor tertiò exemplo, in Duce Ossunæ Regni Neapolitani Prorege, qui, ut ipsi met DEO pareret, sic dicenti. *Maleficos non patieris vivere.* 12.
Exod. *Cap.* 22. *num.* 18. auditis Theologis, & Jurisperitis, quos consuluit, vigore hujusmodi potestatis, laudabiliter induxit hunc modum procedendi contra Forascitos, nempè ad modum belli, & militari modo, ut refert Jo. Grandis, *de bell. exul. sub prædicamento, de Quantitate, quæst.* 1. *num.* 8.

Concludimus igitur, fas esse Præsidi Provin- 13.
ciæ, dum est in persequutione Forascitorum, seu Exulum, in eos procedere ad modum belli, id est rejectis solemnitatibus juris civilis, abbreviatis terminis, & nullo ordine juris positivi servato: alio verò tempore, militari modo, juxta doctrinam traditam in tertio Not.

Ad rationes in contrarium respondemus. Ad 14.
primam, non fuisse simpliciter à Domino prohibitam zizaniorum eradicationem, hoc est impiorum perditionem, sed tantummodò eradicationem generalem dubiam, & suspectam, nè scilicet judicium certum de ambiguo fiat, aut vetitam fuisse zizaniorum eradicationem, non ut venia daretur zizaniis, nempe Malis, sed ut parceretur Tritico, scilicet, Bonis; quodque sequitur, quando Malis non potest mors inferri, quin simul inferatur & Bonis; quod non accidit in casu nostro.

Ad secundam, quòd præfatus Textus intelligi- 15.
tur de persona privata, non habente potestatem, cui propterea non licet occidere gladio, aut alio modo hominem, non autem de publica Persona, ut est Princeps, Præses, & Minister.

Ad tertiam, dicimus, salvari conformitatem 16.
humanæ justitiæ cum Divina, Delinquentes reservando ad pœnitentiam, alijs minimè graviter nocentes; occidendo verò illos, qui in alios sunt perniciosi: quemadmodum DEUS, secundùm ordinem suæ Sapientiæ, aliquando peccatores occidit, ut liberet Bonos, aliquando eis tempus

pœnitendi concedit, prout ipse noverit suis Electis expedire.

17. Ad quartam respondent plures, negando hujusmodi potestatis exercitium eis esse causam damnationis, cùm tunc possint pœnitere; imò addit S. Aug. *in sermone Domini de monte*, forrassis plùs vivendo, majora crimina facere, & successivè majora tormenta mereri.

18. Ad ultimam, negando esse secundùm se malum occidere hominem malum. DEUS enim, qui non potest facere malum, occidit homines malos. In diluvio quasi totum humanum genus interfecit, Super Sodomam & Gomorram ignem & sulphur pluit, Ægyptios submersit in fluctibus maris, & in Esdra, *lib. 4. cap. 15. num. 5.* inquit, *Ecce ego induco, dicit Dominus, super Orbem terrarum mala, gladium, & famem, & mortem, & interitum: propter quod superpolluit iniquitas omnem terram, & adimpleta sunt opera nociva illorum.*

19. Infero primò ex dictis, vigore potestatis, à Principe Provinciarum Præsidibus concessæ, licitè bellari tam contra Forascitos, sive Exules absentes, dum perquiruntur, & inquiruntur, quàm contra præsentes, dum proceditur contra eos, & puniuntur.

20. Infero secundò, ad procedendum in Exules ad modum belli, vel modo militari, sufficere quamlibet ex prænotatis violentiis.

21. Infero tertiò, Regia Banna, emanata contra Exules, rectè promittere indultum capientibus, seu occidentibus illos, si sunt delinquentes; sin autem, eisdem rectè promittere certum præmium.

22. Infero quartò, Bannum permittens Bannitum occidi, esse intelligendum, si Bannitus reus sit criminis pœna mortis naturalis puniendi; nam, qui non posset impunè occidi, nec contra eum bellum indici potest.

23. Infero quintò, vim, seu violentiam, propter quam potest licitè potestas militaris in exules procedere, talem debere esse, ut pro ea veniat imponenda pœna mortis naturalis.

24. Infero sextò, potestatem militarem in Forascitos etiam extendi ad eorum Auxiliatores, ut etiam per Tex. *in l. 1. ff. de Receptator.* ubi dicitur, quòd Receptatores perindè puniantur, utque latrones; *& d. l. 1. Cod. de his, qui latro*, ubi occultantes, & sociantes cum Reis, pari pœna puniuntur. Et ita etiam docet Jo. Grandis, *de bello exul. sub prædicamento. de Relatione, quæst. 1. num. 3.* ubi alia jura producit.

25. Infero septimò, potestatem militarem procedendi ad modum belli contra Forascitos, locum habere in Incidentibus, Emergentibus, Dependentibus, & Connexis. Ita etiam Bar. Jas. & alii, quos refert, & sequitur Grandis, *loc. cit. quæst. 2.*

26. Infero octavò, posse conquiri Forascitos, ubicunque sint, excepto alieno Territorio, nisi adsit aliqua Capitularia, ut est illa, quæ fuit facta inter Summum Pontificem, & Proregem Regni Neapolitani, publicata 16. Augusti, anno 1585. relata à Grande, *loc. cit. sub prædicamento, Ubi, quæst. 2. num. 4.* vigore cujus Forasciti Regni Neapolitani possunt in Statu Ecclesiastico perquiri usque ad decem milliaria: nec non excepta Ecclesia, in qua non possunt inquiri, nec persequi intra quadraginta passus ab Ecclesia majori, & triginta ab aliis. *Cap. Sicut antiquitùs, causa 17. quæst. 4.* nisi adsit aliqua specialis concessio Summi Pontificis, aut pactio, id publico Bono exigente.

Infero nonò, posse contra exules, & publicos latrones, etiam diebus feriatis; ad modum belli procedi: & hoc etiam per Tex. *l. Provinciarum, Cod. de Feriis, l. 3. Cod. de Episc. & Cler.* & tradunt Bald. Alex. & cæteri, *in l. milites, Cod. de testam. milit.* quamvis de jure communi non possit procedi dictis diebus ad aliquem actum, *l. fin. Cod. de Feriis. cap. 1. extra, eod. tit.* 27.

Infero decimò, militarem Præsidis potestatem extendi quoque ad Pyratas, qui grassantur in mari, cùm arbitrium concessum in latrones comprehendat etiam Pyratas. Bart. *in l. 1. Cod. de Classic. lib. 11.* 28.

Infero undecimò, Præsidem, qui habet potestatem bellandi contra exules, potestatem habere quoque providendi ea quæ necessaria sunt ad illud bellum; & successivè impendere posse pecuniam fiscalem, remunerare, & alia facere; exceptis tamen quibusdam Principi reservatis Bald. *cons. 3. p. 5.* & alii, asserentes, regulariter loquendo, non posse absque licentia Principis pecuniam fiscalem impendere. 19.

Infero duodecimò, potestatem occidendi forascitos extendi ad Clericos contra laicos, & ad laicos contra Clericos forascitos. Primum probat Marsi. *cons. 11.* declarans, hoc procedere non quoad irregularitatem, sed quoad pœnam temporalem: de jure enim divino fuit permissa malorum & improborum occisio, etiam per manus Sanctorum Patrum. A Moyse fuit occisus Ægyptius malignans. *Cap. Non inferenda, causa 23. quæst. 3.* 30.

Infero decimotertiò, non solùm non peccare Judices, & Ministros peccatorem occidendo, sed etiam mereri, si hoc faciant ex zelo justitiæ, & secundùm regulas juris, non verò ex odio & passione. Ita etiam Turrecrem. *in cap. Quod autem, causa 23. q. 4. n. 3.* 31.

Infero decimoquartò, forascitorum domus posse per Præsidem destrui: quod etiam probatur per Tex. *in l. si is, cum quo, ff. comm. dici cap. Felicis, de pœn. lib. 6.* & favet consuetudo. 32.

Infero decimoquintò, sententiam mortis contra forascitos esse exequendam in loco, ubi grassati sunt, ut aspectus justitiæ ab aliis removeat cogitationem malignandi, ut habetur *in l. capitalium, §. fin ff. de pœnis:* Salva tamen consuetudine, quæ alicubi permittit executionem sententiæ capitalis in loco, ubi residet Princeps, vel Minister, qui eam protulit. 33.

Infero decimosextò obiter, non esse parcendum armis, ubi est necessaria defensio Fidei & Patriæ contra Improbos, & Malignantes; nè homo videatur DEUM tentare. Ita etiam Turrecrem. *in cap. Maximus, causa 23. q. 4.* 34.

XXIX. DIFFICULTAS.

Cuidam Officiali, qui revera multis annis servivit Principi in militia, concessit Princeps remunerationem servitiorum suorum ab ipso petitam, falsam ostendenti fidem, seu licentiam deserendi Castra, ob infirmitatem in servitio receptam, & domi suis proprijs expensis juratam. Dubitatur, num in foro conscientiæ sit valida hujusmodi Principis concessio.

1. NOtandum primò, contractum, secundùm Juristas, posse sumi tripliciter, propriè, minùs propriè, & impropriè; illum dici propriè contractum, ex quo nascitur obligatio ex utraque parte, ex justitia commutativa; ut in emptione, venditione, locatione, conductione, commutatione, & sic de alijs: & ita accipitur *in l. Labeo, §. Contractum, ff. de verb. & rer. sig.* minùs propriè illum dici, qui comprehendit donationem & promissionem, quæ inducit obligationem ex una parte tantùm, *l. contractus, Cod. de fid. instrum.* impropriè denique illum dici contractum, quoties etiam pactum nudum includit, ex quo non oritur obligatio in foro saltem externo.

2. Notandum secundò, concessionem Principis posse esse meram gratiam, & posse sapere naturam contractûs nominati, vel innominati, & semper supponere causam veram, & excludere præjudicium tertij: & ideo gratiæ Principum habent semper clausulam, *salvo jure tertij*. Alciat. *regul. 3. præsumpt. 12. num. 3.* Marsil. *singula. 483.* post princ. Afflict. *decis. 334. num. 3.* cui in dubio non præsumitur velle derogare. Jas. *in l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* Dec. *in l. 1, num. 81. de reg. jur. & in cons. 284. num. 2. & cons. 520. num. 9.*

3. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an in foro conscientiæ valeat concessio, seu remuneratio Principis vitiata ex concausa falsa, nempe infirmitate ficta. Pro parte affirmativa sic arguitur. Servitium ab isto Officiali Principi præstitum, est verum. Ergo valida erit remuneratio facta intuitu hujus servitij. Præterea, quotiescunque motu proprio conceditur gratia, valida est concessio. Atqui Princeps motu proprio, licèt adsit Officialis supplicatio, illius servitium militare remunerat; ideòque Officialis tutà conscientià potest hujusmodi remuneratione gaudere.

4. Verius tamen est, talem concessionem, sive sit mera gratia, sive sapiat naturam contractûs nominati, vel innominati, semper vitiari ex falsa causa, atque ideo in foro conscientiæ non valere, Molfesius, *in Summa, tom. 1. tract. 8. cap. 13. num. 106.* & ita videtur sentire. Mascard. *conclus. 276. num. 17. de probationib.* Petr. Andr. Gambar. *in tract. de authorit. legat. in rubric. de potest. Legat. de latere, circa benefic. conferenda, num. 49.* & alibi, & alij plures.

5. Moveor primò juribus manifestis, *in cap. Gratiosè, de rescriptis, in leg. si quis obrepserit, ff. de fals.* cum vulgatis alijs, ubi habetur, quòd Princeps, si sciret gratiam vitiari ex falsa causa, illam nequaquam concederet, vel saltem difficilè, cùm de stylo sit clausula ordinaria, *si preces veritate nitantur*; quia Principi semper displicet quod veritate & justitia caret. Et adsunt jura, quæ refert Molf. *in Sum. par. 1. tract. 8. cap. 13. num. 107. & seq.* ex quibus constat, contractum nominatum vitiari ex falsa causa; sicut etiam & quasi contractum, *facio, ut des*, nempe, facio tibi consueta servitia, ut des mihi stipendium, & consuetam remunerationem alijs dari solitam; ex falsa causa vitiari probat Petr. Santerna, *in tract. de assecuratione, par. 3. num. 14.* Ideòque, si, stante causæ falsitate, Princeps gratiam concederet, habetur ut non concessa: quod confirmatur, *l. athleta, §. 1. vers. quoad in præsidatu sunt, & l. Geometra, vers. donec curam gerunt, & l. idem Vlpianus, ff. de excus. tutor.* ubi habetur, quòd, privilegij causa cessante, cessat privilegium.

Moveor secundò rationibus; nam causa principalis, qua Princeps movetur ad remunerandos sibi servientes in militia, non solùm est servitium militare, sed, ut plurimùm, sunt vulnera, mutilationes membrorum, morbi plenè incurabiles, ut docet praxis; in nostro verò casu non adest infirmitas, licèt repræsentetur, esto adsit servitium; ideóque cessante causa principali remuneratio-nis, cessat & remuneratio. 6.

Moveor tertiò exemplo, in quodam milite, relato à Molfesio, *loc. cit.* qui deseruit Castra cum quadam licentia falsa sui Officialis, qua dicebatur, illum fuisse dimissum ob impotentiam militandi; qui miles cæpit iterum militare: & postulans à Philippo Tertio Hispaniarum Rege suorum servitiorum remunerationem, asserendo in ejus servitio duorum annorum infirmitatem recepisse, & suis proprijs expensis illam domi curasse, fuit ei à Regia liberalitate concessa; sed postea consultis super hoc Theologis, responsum habuit, non posse tali remuneratione in foro conscientiæ frui. 7.

Concludendum est igitur, quidquid dicant alij, invalidam esse hujusmodi concessionem; propterea Officialem teneri renunciare beneficio dictæ remunerationis; imo cùm aufugerit è Castris cum licentia falsa, posse pœnâ mortis puniri, *l. desertorem, ff. de re militar. l. 2. Cod. de desertorib. & receptorib. eorum, lib. 12.* & etiam pœnam falsi in foro exteriori mereri. 8.

Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, concedendo anteced. sed negando consequentiam, quia, ut diximus, causa principalis, qua Princeps movetur ad remunerandum, ut plurimùm, est infirmitas, quæ hic cessat. 9.

Ad secundam, quòd gratia concessa contra Principis voluntatem, non potest à motu proprio firmari, cùm motus proprius non tollat defectum intentionis in concedente, ut probat Gaspar de Perusio, *in tract. de beneficij reservatione, num. 5.* Joann. de Selua, *par. 3. de benefic. quæst. 11. num. 41.* 10.

Infero primò ex dictis, non esse concedendam militibus facultatem relinquendi Castra ex causa infirmitatis, nisi priùs Judex una cum Medico cum 11.

eam veram recognoverit, ut disponitur per legem *semel, Cod. de re militar.*

12. Infero secundò, milites relinquentes Castra cum licentia falsa, teneri resarcire damnum, quod ex tali discessu, quæ est vera fuga, Princeps sustinuit. Quod etiam docet Molf. *loc. cit. sub num.* 106.

13. Infero tertiò, Duces belli concedentes licentiam sine justa causa militi deserendi Castra, præcipuè quando est necessarius, graviter peccare, cum onere restitutionis, cùm sic sint causa damnorum, quæ patitur Respublica, & Princeps. Ita Cespedes, *in Dub. milit. dub.* 70.

14. Infero quartò obiter, peccare mortaliter eum, qui dat licentiam extrahendi frumentum, & alia victui humano necessaria, ex Provincia, quæ illis valdè indiget; quia est causa damni, quod inde Provincia est passura.

15. Infero quintò etiam incidenter, legentes libros prohibitos cum licentia Sacræ Congregationis Indicis, aut S. Officij, in qua falsa sunt, quæ fuerunt in supplicatione repræsentata, in foro conscientiæ graviter peccare, omnibusque censuris Sacrorum Canonum, præcipuè Decreti Clementis VIII. esse obnoxios, quia, cessante causa privilegij, cessit privilegium.

16. Infero sextò, peccare lethaliter, & incurrere pœnas à Concilio Trident. & Pio V. comminatas, eum, qui ingreditur intra septa Monialium sine licentia legitimi Superioris in scriptis; quia Concilium Trid. *Sess. 25. de regul. cap. 5.* innovans Constitutionem Bonifac. VIII. & Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Decori, & honestati*, statuit licentiam ingrediendi Monasteria Monialium in scriptis obtinendam esse, nec sufficere tacitam, aut oretenùs datam; nisi periculum sit in mora, in quo casu licitus est sine ulla licentia ingressus, vel nisi quis ingrediatur simul cum Episcopo, vel Superiore, ut censuit Concilium Mediolan. 6. ut notat Ascanius Tambur. *de jur. Abbatiss. disp.* 23. *quæst.* 5. *num.* 3.

17. Infero septimò, ingredientem intra septa Monialium cum licentia falsa in scriptis, sed vera oretenùs, incurrere pœnas inflictas contra violantes clausuram, præcipuè si ea occasione cum Moniali intra Monasterium fornicetur; quas non incurreret, si legitimam haberet licentiam, ad aliquod ministerium ibi peragendum, ut probabiliter putant Sanchez, Rodriq. Diana; quod negant Bonacina, Merolla, & alij quorum opinio nobis minimè displicet.

18. Infero octavò, non posse Monialem tuta conscientia exire è Monasterio habentem licentiam sui Superioris, sed datam sine justa causa, si ei constet in conscientia justam causam egrediendi non subesse, & licentiam fuisse concessam ex favore, vel alia ratione iniqua. Ratio est, quia talis licentia re ipsa est nulla; & id non latet Monialem.

19. Infero nonò, non valere licentiam concessam Moniali egrediendi in casibus permissis, si non est in scriptis, sed tantùm verbotenùs; non solùm quoad forum externum, sed etiam quoad forum conscientiæ, quia, sicut requiritur, ut contractus sit validus, scriptura, qua deficiente, irritus est contractus, *l. contractus*, 16. *Cod. de fid. instrum.* ita & in casu nostro. Hoc etiam docet Bonac. *quæst. 1. de claus. p. 8. num. 5.* ex Sanchez, Miranda, Victorello, & alijs. Oppositum tamen sentiunt Homobon. & Belloch. quos refert, & non reijcit Diana, *p. 3. tract. 2. resolut.* 129. ex Innocent. Abb. & Felino, docentes, quòd quamvis licentia ad ingrediendum septa Monasterij Monialium, ex decreto Concilij Tridentini in scriptis obtenta requiratur, id intelligitur quoad forum externum; nam in interiori foro Animæ, in quo attenditur veritas, sufficit, quod interveniat consensus jure naturali requisitus, qualis est etiam qui oretenùs conceditur. Est autem eadem ratio de licentia requisita ad licitum, egressum Monialium è Monasterio, ut patet. Hæc notanda censui ad tollendos scrupulos à timoratis, & delicatis conscientijs.

Infero decimò, Monialem posse exire, absque eo quòd incurreret pœnas latas contra violantes clausuram, si Pontifex sine justa causa daret ei licentiam; Esto Pontifex peccet saltem venialiter, ut tradunt plures DD. penes Sanch. *lib. 8. de matrim. d. 18. num. 6.* quia, cùm obligatio Clausuræ sit de jure humano, potest Papa in ea validè dispensare, etiam sine causa, ut probat Sanch. *loc. & disp. cit. num.* 3. contra plurimos ibi relatos *num.* 2. quibus magis probabiliter adhæreo. 20.

Infero undecimò, utentem dispensatione invalida, data à Superiore sine causa, peccare graviter, vel leviter secundùm qualitatem materiæ. Secus verò, si dispensatio esset valida, sed illicita utpote data sine causa; ita probabiliter putat communis Canonistarum sensus: quod tamen negant plures alij Doctores, sustinentes in tali casu peccare mortaliter; alij verò, tantùm venialiter. 21.

Infero duodecimò, licentiam legitimam accedendi ad Monasteria Monialium esse obtinendam ab Episcopo, si Monasteria Episcopo sunt subjecta, vel ab ejus Vicario Generali. Si verò sunt subjecta Prælatis Regularibus, vel Sæcularibus, standum esse consuetudini; & ita declaravit Sacra Congregatio Cardinalium, teste Barbos. *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 102 *num.* 76. & Ascanio Tamb. *de jur. Abbatiss. disput.* 26. *quæst.* 2. *num.* 2. qui ibid. *quæst.* 3. *num.* 1. refert Decretum Sacræ Congregationis Cardinal. quo conceditur, & præscribitur facultas Ordinarijs Locorum circa accessum Regularium ad Monasteria Monialium; in quo pariter conditiones, licentiæ, & quibus vicibus in anno concedendæ, nec non statuta tempora, præscribuntur. Hæc incidenter dicta sint in gratiam Regularium, qui milites Christi nuncupantur. 22.

XXX.

XXX. DIFFICULTAS.

An miles, qui Principi, vel Summo Duci maledicit, sit in foro interno reus peccati mortalis, & in foro interno puniendus.

1. NOtandum primò, maledictionem esse imprecationem, seu exoptationem mali alicui factam sub ratione mali, hoc est intendendo malum ipsum; & hoc contingere duobus modis, scilicet, vel imperativè, vel optativè; ut habetur *ex cap. DEUS, causa* 24. *quæst.* 3. & tradunt D. Thom. *2. 2. quæst. 76. artic.* 1. & 3. Nald. *in Summ. verb. Maledicere, num.* 1. & alij, asserentes optare alicui malum, præciso scandalo, & absque intentione, ut malum eveniat, non esse ex suo genere culpam mortalem, sed tantùm venialem.

2. Notandum secundò, maledictionem duplicem esse, formalem, scilicet, & materialem; formalem, qua imprecando, vel imperando, volumus alicui malum evenire, ut malum est: materialem; qua imprecando, vel imperando, volumus alicui evenire malum sub ratione boni justi, aut utilis; aut saltem, qua non apparet nos optare malum cum intentione, & desiderio mali, quod ore proferimus. De maledictione optimè scribit Alex. de Ales. *p. 2. quæst.* 130. Sotus, *lib. 5. de just. quæst.* 12. D. Thom. *loc. cit.* S. Anton. *pars. 2. titul. 7. cap.* 5. Sylvest. Tabien. Armilla, Cajet. & alij Summistæ, *verb. Maledictio.*

3. Notandum tertiò, maledictionem aliquando conjungi cum blasphemia, & tunc dicere relationem ad DEUM, vel ad res sacras: ut si quis diceret; per septem Sacramenta perdat te DEI Chrisma: & hujusmodi verba proferentem à blasphemiæ reitate non posse excusari, si attenderit ad vilipendium DEI, aut rei sacræ. Laym. *lib. 4. tract. 10. cap. 9. num.* 12.

4. Notandum quartò, sæpe sæpius evenire, ut miles, vel alius hujusmodi verba, nempe, maledictionem mixtam cum blasphemia proferat sine advertentia, ac materialiter tantùm, non attendendo, quod significent; & tunc excusari à gravitate peccati propter imperfectionem cognitionis, ac voluntarij, asserit Laym. *eodem loc.* ibi addens, dummodò conetur hujusmodi consuetudinem deponere.

5. Notandum quintò, maledictionem formalem, quæ peccatum mortale est ex genere suo, ejusdem speciei peccatum esse cum malo, quod proximo optatur; atque adeò ad diversas species peccati pertinere pro ratione mali, quod optatur: Ita explicitè docet Cajet. *2. 2. quæst. 76 art.* 4. Sotus, *lib. 5. de just. quæst. 12. art.* 3. Valent. *tom. 2. disp. 5. quæst. 19. punct. 1. concl.* 2. & alij.

6. Notandum sextò contra aliquos, maledictionem in Principem, seu maledicere Principi non esse crimen læsæ majestatis. Afflict. *in cap. 1. §. Et bona committentium, num.* 104. *in tit. quæ sint regal. in usibus feud.* Gig. *in tract. de crim. læsæ majest. sub titul. qualiter, & à quibus, quæst.* 40. plùs enim est facto, quàm verbis offendere, *Arg. l. si tamen, §. Et, qui, ff. de adil. edicto, & cap. Dilecti, el secundo, de appellationib.*

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles, vel alius maledicens Principi, peccet mortaliter, & in foro externo debeat puniri; respondemus affirmativè, si maledictio sit formalis cum animo, & intentione, ut Principi eveniat malum. Ita Decian. *in Tract. criminal. lib. 7. cap. 51. per totum.*, Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 12. cap. 5. num.* 19. Tho. Del Bene, *tom. 2. de Offic. S. Inquis. dub. 218. sect. 24. num.* 1. Et est communis sententia.

8. Moveor primò ex Sacra Scriptura. Exod. *cap.* 22. circa finem, ubi dicitur. *Dijs non detrahes, & Principi populi non maledices.* Paraphrasis Chaldæa legit. Judices non vilipendes. Sam. „ Principem populi non execraberis. „

9. Moveor secundò juribus, *in Can. 74. Apostolorum:* ubi habetur. *Si quis in Regem, aut Magistratum contumeliosus fuerit, solvat pœnas. Et in cap. Innotuit, de maledic. in cap. Inter querelas, causa* 23 *quæst.* 4. ubi statuitur, proferentem verba supremæ Potestatis offensiva, esse puniendum. *Et in leg. unic. Cod. si quis Imperatori maledixerit, & in l. famosi, ff. ad leg. Jul. Majest.* ubi expressè agitur de pœna Principem maledicenti imponenda.

10. Moveor tertiò rationibus; nam facit contra charitatem, qua tenemur proximum diligere, illique bonum, & non malum optare, præcipuè Principi, ad quem spectat communis boni conservatio. Tum quia, quælibet injuria, quæ privatæ personæ infertur, si est gravis, peccatum mortale est, & puniri debet. *§. Atrox, Instit. de injurijs.* Ergo à fortiori mortaliter peccat, & erit puniendus, qui injuriam gravem infert Principi, qualis est maledictio, prolata cum animo & intentione notabilis damni, ut supponit difficultas. Deinde, nos scimus, leges non esse contemnendas, *l. si Prætor, ff. de judic. & l. ultima, ff. ne quid in loc. public.* cùm hujusmodi contemptus in commune damnum redundet. Si ergo leges non debent contemni, multò minùs Principes, qui sunt Legislatores, nec non Boni communis Columnæ; atque adeo eorum contemptus in damnum commune, & quidem majus vergeret. Principes sanè contemnerentur, si maledictio in Principes, qui est gravissimus eorum contemptus, à culpa gravi excusaretur, & immunis esset à pœna.

11. Moveor quartò exemplo, non solùm in Core, Dathan, & Abiron, Moysi maledicentibus, *Num.* 16. & alijs, qui à DEO fuerunt severè puniti ob maledictiones & murmurationes in Principes; sed etiam in Claudia virgine Vestali, Appij Cæci Filia, quæ à ludis domum rediens, cùm à turba hominum undique confluente elideretur, ægrè ferens iter suum populi multitudine impediri, dixit. Utinam revivisceret A. Claudius frater „ meus, qui navali prælio ingentem Civium „ Romanorum numerum perdidit; aliamque „ classem in Siciliam duceret, atque multitudi- „ nem istam perdens, minueret quæ me malè ve- „

xavit. Ob quæ tam improba & incivilia verba C. Fundanius, & Tib. Sempronius Ædiles plebeii mulctam ei dixerunt, æris gravis triginta quinque millia bello punico primo, Fab. Licinio, & Tito Acilio Grasso Consulibus. Valer. *lib.* 8. *cap.* 1. Gelius, *lib.* 10. *cap.* 6. Liu. & Sueton. *cap.* 11. Quomodo ergo liberabitur à pœna aut pecuniaria, aut corporali miles, vel alius, qui malum ut malum optat, vel imprecatur Principibus ad Boni communis sustentationem, & ad bonum regimen populorum à Deo electis?

12. Concludendum est igitur, Principi maledicentem gravem culpam committere, & pœna æquali dignum esse; atque adeò Judices, ad quos spectat, seu quorum munus est justitiam servare, teneri quoscunque delinquentes, præsertim illos, qui maledictiones in Principes proferunt, severè punire, tanquam graviter in hujusmodi maledictionibus Deum ipsum directè offendentes, qui Act. 23. *n.* 5. expresse dicit, admonet, imperat. *Principem populi tui non maledices*; & Principes, in quos miles, vel alius maledictionem profert, illum posse justè castigare; verùm, si parcant sibi maledicentibus, esse laudabiles; cùm Regii semper fuerit, elevatique Animi maledicta negligere, & ad ea connivere, ut narrant Historiæ sacræ, & profanæ. David enim Rex Deo charus, & ab hominibus summoperè commendatus, Semei filium Gere maledictiones in ipsum proferentem renuit castigare. 2. Reg. *Cap.* 16. Pyrrhus autem Rex Epirotarum impunitos aliquot milites dimisit, nonnullis illum inter cœnandum conviciis lacessentes, quamvis interrogati à Rege, nùm ea, quæ deferebantur, dixissent, unus ex eis linguæ audacioris respondisset. Et iste diximus, & longè acerbiora dicturi fueramus, nisi nobis vini lagena defecisset; quæ verba nil aliud in Principe pepererunt, nisi risum. Plutarchus, *in apophthegm.* Propterea Alexander Philippi Macedonis Filius cùm accepisset quemdam se conviciis impetere, Regium est, inquit, cùm facias benè, audire malè.

13. Infero primò ex dictis, peccare mortaliter Filium, qui deliberatè maledicit parentibus, sive superstitibus, sive jam fato sublatis, vel eos contumeliis afficit.

14. Infero secundò, actum, quo quis optat inimico malum, animo & intentione, ut ei eveniat, esse mortalem, nisi parvitas materiæ leniat, cùm hujusmodi actus sit omninò à charitate interdictus.

15. Infero tertiò, blasphemiam, si non respiciat Deum, sed solùm Creaturas rationales, vel irrationales; quæque propriè vocatur maledictio; communiter esse culpam venialem; si tamen nec maledicuntur, ut aliquid Dei, neque desideratur deliberatè, ut illis eveniat aliquod malum; posse verò aliquando esse culpam mortalem. Ita etiam docet Tho. Tambur. *in Decal. lib.* 2. *cap.* 6. §. 4. *n.* 10.

16. Infero quartò, esse peccatum mortale odii contra charitatem proximi, maledicere homines, & optare eis malum, his verbis; *Possi crepare*; *Ti possi rompere il collo. Sij squartato, sbudellato, ucciso*; *Caschi morto*, & similibus; si tamen deliberatè hujusmodi mala desiderentur. Secus verò, esse tantùm veniale, si indeliberatè, & ex impetu passionis. Escobar. *in Sum. tract.* 1. *exam.* 3. *cap.* 6. *num.* 26.

Infero quintò, maledicere animalia, arbores, agros, aliasque res proximi, cum animo ut pereant, esse peccatum mortale. Secus verò, si hæ res nostræ sunt; tunc & tantùm veniale, licèt malum desideratur, ut eveniat; cùm odium sit circa res nostri dominij. 17.

Infero sextò, maledicere diabolo, ut est DEI creature, vel ut est Divinæ Justitiæ minister, & hoc advertenter, esse peccatum mortale; veniale verò, ut solet fieri, quando maledicitur, ut Author malorum, & ut Dei inimicus. Ita communiter DD. 18.

Infero septimò, maledicere dies, horam, locum, ventum, astra, ignem, pluviam, mare, terram, & similia, quatenus sunt media, quibus Deus utitur ad nos puniendos, vel adest periculum indignationis contra Deum; esse peccatum mortale: veniale verò, quando neutrum ex his adest. 19.

Infero octavò, multùm peccare illos, qui causam dant, & occasionem blasphemandi, & maledicendi; ideò Nathan Propheta multùm exageravit factum David, quòd inimicos fecisset blasphemare nomen Domini, ut habetur 2. Reg. *Cap.* 12. 20.

Infero nonò, horrendam esse blasphemiam, si dicatur. *Maledetto sia Dio: maledetto Dio: maledetti i Santi.* Decian. *in Tract. criminal. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 9. ubi multa circa hujusmodi maledictiones profert. 21.

Infero decimò, maledictionem sive contra Deum, sive contra homines, vel creaturas irrationales, si adest consensus, & deliberatio, quamvis per brevissimum tempus duraverit, esse peccatum mortale, veniale verò, si abfuerit consensus, aut plena deliberatio. Ita docet etiam Sayr. *in sua Clav. Reg. lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 13. 22.

Infero undecimò, parentes à culpa mortali sæpius excusari maledicta in filios conjicientes; cùm sæpius maledictiones in filios proferant sine consensu, & deliberatione; sed solùm ex subito iracundiæ motu. Bonac. *in Decalog. disp.* 3. *quæst.* 8. *punct.* 3. *sub num.* 4. nihilominus tamen ratione scandali, & præcipuè si accedat consuetudo, hujusmodi maledictiones esse gravissima peccata, utpotè quæ non conferunt ad correctionem, & iram, ac odium concitare solent. Ita Sayr. *loc. cit. num.* 16. 23.

Infero duodecimò, maledicere, nullum in specie explicando malum: ut si quis dicat, maledictus à Deo; tunc esse, ut vult Sotus, generale maledictionis peccatum, seu ut Cajet. & Greg. notant, esse peccatum odij, quod habet pro objecto malum in communi. 24.

Infero decimotertiò, licèt maledictiones materiales ex genere suo sint tantùm peccata venialia, Prælatum tamen, & quemvis gravem personam, vix sine scandalo posse malum subditis precari, & Filios Parentibus: & subditos superioribus maledicentes, similiter graviter peccare, quamvis desit intentio, & etiamsi joco id faciant: cùm opus scandalosum sit, & genus quoddam contumeliæ contineat. Sayr. *loc. cit.* 25.

Infero

26. Infero decimoquartò, non esse peccatum imprecari ex zelo justitiæ mortem malefactori, vel impedimentum, quo ipse melior fiat, vel aliis nocere desistat: gaudere de morte peccatoris scandalosi, quia non amplius erit causa ruinæ spiritualis plurimorum: optare mortem effrænato filio, nè longiore vita, graviora peccata committat, graviúsque condemnetur: cupere patri seni, infirmoque, vel filiæ inopi mortem, nè in tormentis vivant: dummodo ista cupiens non intendat per hoc se liberare à molestiis; quia hujusmodi desideria respiciunt finaliter bonum proximi, non malum. Castropalaus, *tom. 1. tr. 6. disp. 4. de charit. p. 1. num. 11.* Sayr, *loc. cit. num. 17.*

27. Infero decimoquintò, non peccare illum, qui sibi ipsi malum optat, v. g. mortem, ad ærumnas hujus vitæ evitandas, Bonac. *tom. 2. in Decal. disp. 3. quæst. 4. punct. ult. §. 1. num. 12.* ubi citat Vasq. Sà, Turrian, Navarr. Quapropter Confessarii debent admonere pœnitentes, qui tanquam de mortali se accusant sibi mortem optasse, qua cruces hujus vitæ effugiant, ut à conscientia erronea liberentur; cùm hoc non sit peccatum propter rationes in antecedenti illat. positas.

28. Infero decimosextò, maledicentem, seu malum imprecantem formaliter, esse homicidam, si imprecatur mortem; esse incendiarium, si incendium domûs optat; vel bonorum esse furem, si bonorum ablationem desiderat; & sic de reliquis; quia, ut notavimus, maledictio formalis ad diversas peccati species pertinet, sicut & odium internus, à quo procedit. Ità etiam docet Sayr, *loc. cit. num. 13.*

29. Infero decimoseptimò, licitum esse puellæ optare infirmari juvenem, à quo sollicitatur, ut sic cesset ab illa libidine; vel mori, nisi conversus sit: litiganti infirmari suum contrarium, qui iniquam litem secum ducit; ut sic resipiscat, & cesset; vel fieri pauperem, si ex abundantia divitiarum litem illam movit: mulieri infirmari maritum, si videt illum ludo dilapidare bona sua, ut ægrotus in lecto resipiscat, & desinat res suas perdere: cuilibet debellari Turcas, & Hæreticos, ut convertantur, & desinant nocere Catholicis; quia in hisce, & similibus casibus non est velle malum; sed potiùs velle bonum, ut observat Sayr. *loc. cit. num. 17.* Esto autem hæc doctrina recipi possit; praxis tamen periculosa est; adeoque cautè satis procedendum; nè cum proximo velle bonum nobis videatur, malum illi velimus, & nesciamus, ut advertit Sanctus Augustinus, super Psalm. 54.

30. Infero decimooctavò, maledictionem in homines, videlicet, imprecari mala de futuro in aliquem hominem, mortalem posse dici blasphemiam, ita tenet Bart. *in l. item*, apud Labeonem, quam legit cum *l. injuriarum, §. Sed adjicitur:* quod tamen communia usus loquendi non recipit, quia blasphemia refertur tantùm ad Deum, & Sanctos ejus.

31. Infero decimonono, esse puniendum arbitrio Principis illum, qui ex levitate animi, vel ex lubrico linguæ maledicit Principi. Sic docent DD. quos citat, & sequitur Tho: Del Bene, *tom. 2. de offic. S. Inquis. dubit. 218. sect. 24. num. 10.* ubi, sed nu. antecedenti, notat pœnas imponendas Principem maledicenti, eidem esse arbitrarias; sive maledictio fuerit formalis, sive materialis.

Infero vigesimò, peccare illum, qui audit maledicta, seu convicia contra proximum; si illa posset impedire; aut malè dicentem non corrigeret; vel de ipsiat convicìis in proximum delectaretur. Unde Lacon quidam prudenter, cùm ei relata fuissent multa in eum maledicta à quodam prolata. Non debuisses, inquit, tu pro mutua inter nos amicitia, his adversùm me maledictis aures præbere; nam sicut ille in me linguam solvit, ita tu aures in me præbuisti: non essent maledici, si nullum invenirent auscultatorem. Ita scribit Dec. *loc. cit. num. 7.* 32.

Infero vigesimoprimò, teneri pœnitentem explicare in confessione, quod malum, & quot mala alteri imprecatus sit: imò si omnia, aut multa simul mala alteri imprecatus sit, teneri omnes species malorum in confessione explicare, quas continet ille unicus actus. Ita etiam docet Sayr, *in sua Clavi Regia, lib. 12. cap. 5. sub num. 20.* 33.

XXXI. DIFFICULTAS.

An Auditor generalis Exercitus, vel quilibet alius Judex militaris, habens justum stipendium à Principe, possit à Militibus causam coram ipso habentibus, accipere munus oblatum, ut justè judicet.

NOtandum primò, dari cuilibet exercitui Ministrum, Auditorem generalem nuncupatum, qui omnium militum culpas inquirat, & puniat, eorumque causas audiat & judicet: & adesse pariter in exercitu Auditores particulares uniuscujusque Tertij, qui sunt etiam Judices super culpas & causas militum, & subsunt militum Tribuno, vulgò, *Magistro di Campo.* Tullius Crispolt. *in Cas. militarib. cas. 29. num. 13. & seq.* 1.

Notandum secundò, quod Judex dictus est, eò quòd jus dicat, sive quòd jure disceptet. Ita habemus expresse in Tex. *causa 23. quæst. 2. cap. 1.* 2.

Notandum tertiò, officium judicis ordinarij esse curam habere suorum subditorum; puta. jus suum unicuique tribuere, oppressos defendere, indigentibus subvenire, delinquentes punire, pacem conservare: & sic de aliis, ut *tot. tit. de off. ordin.* 3.

Notandum quartò, à Papa, Imperatore, Rege, Principe, & Republica non recognoscente Superiorem, posse constitui ordinarium judicem; illique justum stipendium; quod patet ex terminis, & multi probant præcipuè Hostien. *in rubr. de off. ordin. num. 2. & 3.* Azor. *p. 2. Instit. moral. lib. 5.* 4.

Notandum quintò, milites, dum agitur de materia pertinente ad militiam, vel à causa militari dependente, pro causis civilibus de tempore, quo stabunt in servitio actuali, & per octo dies posteà, non posse à judicibus ordinariis molestari.

ri. Hæc Card. de Luc. *tom. 3. de Jurisd. disc. 78. n. 7.* ubi asserit, milites non gaudere exemptione fori, sed judici ordinario subesse, quando agitur de re urbana, & merè privata, adducens pro se Tex. *in l. unic. Cod. in quibus causis milites*, & Doctorum auctoritatem. Bal. Castren. & aliorum.

6. Notandum sextò, cum Medin. *de restit. quæst. 2. art. 2. §. Contingit*, Covarr. *regul. peccatum, par. 2. §. 3. num. 1. & 2.* in munere judicis, aut cujusvis alterius publici ministri, duo cerni; alterum muneris exercitium, nempe judicem litigantes audire, merita causarum expendere, libros evolvere, sententiam proferre: alterum verò, justè id efficere, hoc est judicem justam proferre sententiam, litigantes non retardare; & si quid aliud est necessarium, nè injustè munus suum exequatur.

7. Notandum septimò, à juribus prohiberi omnibus judicibus, omnibusque publicis ministris, tùm Sæcularibus, tùm Ecclesiasticis, & in specie Ministris Curiæ Romanæ à Bonifacio VIII. Gregorio XIII. & aliis Pontificibus, sub gravibus pœnis accipere aliquid pro justitia, aut gratia; ut notat Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 84.*

8. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Auditor generalis, vel alius Judex militaris, habens à Principe justum stipendium, possit à militibus litigantibus munus accipere oblatum, ut justè judicet; pro parte affirmativa arguitur. Qui invenit rem alienam, tenetur eam proprio Domino restituere; & tamen accipere potest pro ea restitutione præmium, ut probant communiter Doctores, & docet praxis; & in Regno Lusitaniæ adest statutum, vi cujus inventori servi fugitivi, si servus Æthiops fuerit, tenetur Dominus solvere trecentos æreos nummos, quos *reais* vocant: si verò, vel albus, vel indicus fuerit, tenetur illi solvere mille ejusmodi nummos, ut refert Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 83.* Ergo licèt Auditor generalis exercitûs, vel alius Judex teneatur justè judicare, si litigantes offerant ei munus, ut justè judicet, potest illud accipere.

9. Veritas tamen est, Auditorem generalem exercitûs, & quemcunque alium publicum Ministrum, qui, vel ut justitiam administret, vel quodvis aliud munus exerceat, constitutum vel ex conventione, aut lege taxatum habet certum, ac justum stipendium, munera sibi oblata, ut justam ferat sententiam, aut munus justè exerceat, non posse accipere, si verò accipiat, teneri illa restituere. Ita Covarru. *regul. peccatum, p. 2. §. 3. num. 1. & 2.* Adrian. *quodlib. 10. art. 1.* Medin. *de restit. quæst. 2. art. 2. §. Contingit*, & fusiùs, *quæst. 25.* Gabr. *in 4. d. 15. quæst. 6.* Navar. *in Manual. cap. 17. num. 33.* & alii communiter.

10. Moveor primò juribus, *in Cap. Qui rectè, causa 11. q. 3. Cap. Non licet, ead. cau. & q. Cap. Non sanè can. 14. q. 5.* ubi habetur, quòd Judex munera non debet accipere, quia munerum acceptatio veritatis est prævaricatio, & confirmatur, *ff. de condit. ob turpem causam, l. 2. l. 3. & l. si ob turpem*: ubi habetur, quòd qui dat munera judici, vult illum corrumpere. Gloss. *in d. Cap. Qui rectè, caus. 11. quæst. 3.* & ideo Auditor generalis, aut alius Judex, sive Minister publicus, nè corrumpatur in administratione sui muneris, munera, si ei offeruntur, non debet accipere.

11. Moveor secundò rationibus, nam nefas est judici, & cuivis non obedire Deo, qui jubet Deuteron. 16. *vers. 19.* „Non accipies personam, nec „munera, quia munera excæcant oculos Sapientum, & mutant verbum justorum. Justè quod „justum est persequeris, ut vivas, & possideas „Terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Tum quia, cùm Judices sint Superiores, apud illos non debet esse acceptio personarum, & ideo judicare debent extraneum sicut propinquum; *l. fin. ff. de rer. divis.* recipere verò munera est personas accipere. Tum quia, judex in judicando tenetur Dei judicium imitari. At Deus, Deuter. 10. „*vers. 17.* sic laudatur. Deus Magnus, potens, „& terribilis, qui personam non accipit, nec „Munera. Tum denique, quia quicunque à Principe constitutum habet certum pretium, aut præmium pro justitia administranda, jam ex tacita vel expressa conventione cum Principe tenetur ex justitia munus illud exercere pro illo pretio, aut præmio, quod consensu utriusque partis eo ipso censetur justum. Ergo nil amplius potest accipere, ideóque si accipit, peccat cum onere restituendi.

12. Moveor tertiò exemplo, in quodam judice, relato à Gloss. *in d. Cap. Qui rectè, causa 11. quæst. 3.* qui ordine judiciario servato, justam tulit sententiam pro pretio tamen: fuit quæsitum à Gregorio Papa, utrùm talis judex debeat dici bonus; & respondit, quod non: quia non amor justitiæ; sed pecunia illum ad veritatem provocavit.

13. Concludimus igitur, Auditori generali exercitûs, & cuilibet alteri judici, habenti justum stipendium à Principe, minimè licere à militibus causam coram ipso habentibus, accipere munus oblatum, ut justè judicet.

14. Ad rationes in oppositum respondemus. Ad primam, id quod inventori rei datur, non solvi in pretium pro restitutione facienda, ad quam inventor, postquam ad ejus manus res devenit, de justitia tenetur; sed solùm pro industria, labore, molestia in capienda re, retinenda, custodienda. At judex pro suo labore, pro sua molestia in ferenda sententia, justum habet stipendium, ut supponimus.

15. Ad secundam, dicimus meritò fuisse in Regno Lusitaniæ statutum fugitivi servi inventoribus præmium, ut omnes universim essent in capiendis, & retinendis servis fugitivis diligentiores, nè suis Dominis, & Reipublicæ perirent. Judex verò, in ferendo judicio, tenetur ex vi sui muneris omnimodâ uti diligentiâ, cùm habeat ob talem effectum justum stipendium.

16. Infero primò ex dictis, dantem judici munera, ut sententiam ferat justam, peccare mortaliter, si dubius est, an injustitia sibi fieret; quia videtur dare animo judicem corrumpendi. Ita etiam Trullen. *in Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 14. dub. 7. num. 4.*

17. Infero secundò, quando opus aliquod ex justitia debitum est proximo gratis, non posse etiam

stando

stando in jure naturæ, quidquam pro illo exigi, & acceptum esse in foro conscientiæ, ante omnem judicis sententiam, restituendum; cùm sit inæqualitas manifesta exigere, vel accipere aliquod amplius pro eo, quod jam est debitum ex justitia. Ita docent etiam Less. *lib. 2. cap. 19. dub. 9. num. 63.* Bonac. *disp. 1. de restit. quæst. 3. punct. 2. num. 1. vers. dixi*, & alii.

18. Infero tertiò, Judicem, omnesque Ministros justitiæ teneri in foro conscientiæ, ante omnem Judicis sententiam, id, quod injustè præter justum stipendium accepit, restituere; quia non censetur dati spontè, sed coactè, & metu injuriæ: & ideo tale acceptum meritò dicitur à Theologis acceptum per concussionem, id est, per vim & metum extortum, juxta illud Joan. *Neminem concutiatis, &c.* Luc. *Cap. 3. n. 14.*

19. Infero quartò, quòd in Regno Neapolitano meritò prohibentur in foro contentioso Officiales etiam esculenta, & poculenta recipere à litigantibus, sub pœna privationis officii, cum infamia; à non litigantibus verò illa, quæ infra duos dies consumi non possent, sub pœna restitutionis in quadruplum. Ita in *Constit. Capitaneorum*, *rub. de offic. Capitan. & Magistr. justit. lib. 1.* apud Intrigl. *Tract. de Casib. conscien. cas. 124. n. 1.*

20. Infero quintò, ex Pragm. Imperiali Caroli V. Imperatoris, & Regis Siciliæ, edita in Civitate Messanæ 31. Octobris, anno 1535. meritò prohiberi Officialibus accipere esculenta & poculenta, nisi servata forma juris communis, sub pœna arbitrio regio, vel viceregio statuenda. Ita notat Intrigliol. *loc. cit. num. 4.*

21. Infero sextò, non esse facilè in praxim reducendam opinionem Less. *lib. 2. cap. 14. dub. 9. num. 64.* Dian. *p. 2. tract. 5. miscell. Res. 45. vers. notandum*, asserentem, Judicem in rigore, & secluso scandalo, & periculo injustitiæ, posse accipere, nec teneri restituere id, quod accepit à litigantibus, si datum sit instar muneris liberalis, ut majorem quam solet, quamque tenetur, diligentiem in causa adhibeat: cùm tali prætextu possit facilè adesse periculum dandi pro injuria vitanda, vel injustitia obtinenda.

22. Infero septimò, testem teneri restituere, quod accepit, ut verum testimonium dicat; nisi omnino liberaliter detur; nam licèt ex justitia absolutè non teneatur testari; tamen, si testari velit, tenetur ex justitia dicere veritatem. Ita etiam Trullen. *loc. cit.* Posse tamen accipere expensas itineris, & pretium laboris, si quem notabilem subire debeat, accedendo ex remoto loco ad testimonium ferendum, vel valorem operarum, quibus se privat, lucrique cessantis, ac damni emergentis, docet Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 83.* ubi notat illi deberi *ex Cap. Statutum, §. Proferendo, de rescrip. lib. 6. Cap. Si testes. §. Liberi, vers. venturis*, *causa 4. q. 3. l. quoniam*, *Cod. de testib.*

23. Infero octavò, Judices à Summo Pontifice delegatos, posse accipere à litigantibus munera in cibo & potu, non verò in aliqua alia re; & modò ex mera liberalitate offerantur, & nec tacitè, nec expressè petantur: & modò sint tam exiguæ quantitatis, ut intra dies paucos consumi possint. Ita habetur *ex Cap. Statutum, §. Insuper, de rescript. lib. 6.* & etiam notat Molin. *loc. cit. disp. 84.*

Infero nonò obiter, non esse improbabilem opinionem Dianæ, *p. 2. tract. 6. Miscell. resol. 4.* & aliorum, Testem non teneri restituere id, quod ei omnino liberaliter datur, tutiùs tamen esse ab hoc abstinere propter periculum perversionis. Ita etiam tenet Sanch. *in Consil. par. 1. lib. 3. cap. unic. dub. 1. num. 21.* 24.

Infero decimò, præciso scandalo, & periculo perversionis, Officiales, & publicos Ministros posse probabiliter in foro conscientiæ esculenta & poculenta recipere, ita ut non teneantur ad restitutionem. Franc. Vivina, *lib. 1. decis. 113. num. 9. & 10.* Petr. de Colon, *in epit. Sacramentorum, tit. à judicibus secular. circa princ. vers. hoc. si etiam oblata spontè recepit.* Ego tamen si in aliquo officio essem, nihil omnino reciperem, & tutiùs est, si Officiales nihil accipiant, ad evitandum scandalum & periculum perversionis. 25.

Infero undecimò, dantem munus judici, ut justè judicet, non peccare, si constat ipsi, se habere jus, & rationabiliter timet Judicis iniquitatem. Ita docet Sanch. *sup. cit. dub. 3. n. 3.* quia tali modo se justè defenderet, & vexationem injustam redimeret, quod jure naturali omnibus conceditur. 26.

Infero duodecimò, Judicem delegatum Summi Pontificis, non habentem ex beneficio, aut aliis redditibus Ecclesiasticis competentem sustentationem, posse aliquid recipere pro eo munere exequendo. Abb. *in Cap. Cum ab omn. de honestate Cler. num. 11.* Adrianus, *quodlib. 10. art. 1.* Molina, *loc. cit.* & alii. 27.

Infero decimotertiò, licere munera offerre testi ad redimendam vexationem, ut si veriterem velit injustè tacere, aut falsum testificari, circa quod cerni potest Salon, 2. 2. *quæst. 62. art. 5. controvers. 3. fol. 776 §. Observamus secundo.* 28.

Infero decimoquartò, restitutionem muneris accepti à Judice, vel Teste injustè, esse faciendam danti, quando in dante nulla reperitur turpitudo, ut quando dat ad redimendam vexationem, in quo casu conceditur in utroque foro repetitio. Ita Sanch. *loc. cit. dub. 3. num. 5.* 29.

XXXII. DIFFICULTAS.

An Capitaneus, vel alius Officialis exiguum habens stipendium, injustè agat, si per vim exigat, & spoliet homines.

Notandum primò, Officialibus, militibus, famulis solvendum esse stipendium justum, modò munus suum fideliter adimpleverint; nec aliter conventum sit. Ratio est, quia, quicunque vitam exponit laboribus, debet habere unde vivat. Ita etiam docet Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 7. cap. 23. dub. 5. num. 1.* 1.

Notandum secundò, stipendium esse justum judicandum, quando tantum est, quantum alii accipiunt; vel quando non desunt multi alii, qui libenter 2.

libenter inservient pro eodem pretio; vel quando conventum fuit solùm de tanto pretio; posse etiam stipendium judicari justum arbitrio prudentis, habita ratione laboris, consuetudinis, temporis, aliarumque circumstantiarum.

3. Notandum tertiò, stipendium, prout hîc propriè sumitur, esse id, quod solvitur Principi in subsidium belli. Glosa, *in leg. 13. ff. de impens. in reb. dotal. fact. §. Per traditionem*, ubi omnes, *Instit. de rer. divis.* & Molf. *in Sum. p. 2. tract. 12. de contract. cap. 22. num. 18.* & quod solvitur militibus in defensionem Principis, seu Reipublicæ, ut alibi notavimus.

4. Notandum quartò, quintuplicem esse vim. 1. Compulsivam. 2. Turbativam. 3 Expulsivam. 4 Inquietativam. 5. Ablativam. Ita docent DD. *in §. 1. Instit. de vi. bonor. raptor.* ubi latissimè Mascard. *in tract. de probationib. conclus. 329. cum seqq. concl. 1253. & 1400.* Turchus, *in verb. vis. & verb. violentia*, & alij.

5. Notandum quintò, vim compulsivam dici, quando quis per vim, & metum cadentem in constantem virum, cogitur ad aliquid dandum, vel faciendum: Turbativam, quando duo prætendunt aliqnam rem immobilem insolidum possidere, & ad invicem se turbant in possessione. Expulsivam, quando aliquis per violentiam ejicitur ex possessione rei immobilis; puta, domûs, fundi. Inquietativam, quando aliquis non possidet, prætendit tamen esse possessorem, & vi, aut clam inquietat possidentem, quem possidere non sinit, nec permittit quietè sua re uti: & tunc locum habet interdictum, *ff. quod vi, aut clam.* Ablativam denique vim esse, quando quis violenter aufert ab aliquo rem nobilem, puta, nummos, pallium, torquem, equum, & similia; & tunc habet locum *Tit. de vi bonorum raptorum.*

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Capitaneus, vel alius Officialis injustè agat, si habens exiguum stipendium, per vim exigat, & spoliet homines; negativè forsan responderent Officiales aliqui, cùm eorum nobilitas, munus, & status exigat, ut splendidè vivant, servos ducant, habitus singulares habeant, mensam lautiorem parent.

7. Veritas tamen est, injustè omninò agere Officiales, habentes exiguum stipendium, si per vim exigant, & spolient homines. Turrecrem. *in cap. Militare, causa 23. quæst. 1. sub num. 2.* Graff. *p. 2. decis. lib. 2. de bello*, *cap 20. num. 33.* Busæus, *cap. 4. in 10. proprietate militum.* Molfesius, *in Sum. par. 1. tract. 8. de act. hum. cap. 13. num.* 100. Diana, *part. 6, tract. 4, de bello, Ref. 28.* & alii communiter.

8. Moveor primò ex Sacra Scriptura, Lucæ 3. *vers. 14.* ubi militibus interrogantibus: Quid faciemus & nos? ut, scilicet, explicat Turrecrem. *loc. cit.* in officio nostro, nempè militiæ, possimus salvari. Fuit responsum à Joanne. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti estote stipendiis vestris; ubi prohibetur Officialibus, & militibus omnis injuria, ac violentia.

9. Moveor secundò juribus, *in l. 3. Cod. de erogat. milit. annon. lib. 12.* ubi prohibetur militibus habentibus sufficiens stipendium, aliquid ab aliis extorquere, *& l. 1. Cod. de salgamo hospit. non præstand. lib. 12.* ubi prohibetur militibus omnis concussio, seu violentia, & injuria, *causa 23. quæst. 1. d. cap. Militar*, & ibi Gloss. *in verb. Augent.* quæ clarè admonent illicitum esse aliquod, ultra stipendium assignatum, per vim accipere.

Moveor tertiò rationibus; nam Princeps plurimos inveniet, qui pro eo stipendio libenter in eo officio deserviant. Tum quia, ejusmodi officia adjuncta habere solent privilegia, honorem, & eminentiam super alios, nec non dependentiam aliorum ab eorum munere, quæ omnia possunt quidem majori stipendio æquivalere, ejusdemque supplere exiguitatem. Tum denique, quia ejusmodi Officiales in recompensationem eorum muneris fideliter exerciti sperare possunt, ut ad alia majora, & utiliora promoveantur; & reapse solent ad illa quasi in præmium promoveri: quæ spes pretio est æstimabilis. 10.

Moveor quartò exemplo in exercitu, quem sub Albano Duce anno 1580. Philippus Secundus Hispaniarum Rex misit in Lusitaniam. Cùmque dum prælium juxta Ulyssipponem commissum est, Dux Albanus solùm concesserit militibus deprædari suburbana, idque intra solos tres dies, fane milites, qui vel alibi, vel ultra id tempus, damnum quodcunque dederunt, adstricti sunt id resarcire iis ipsis, quibus datum est: nec illos potuit excusare stipendii exiguitas: aut si quemquam illorum ignorantia fortè à culpa excusavit, restituere tamen tenebatur quantum inde factus fuerat locupletior. Ita refert Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 101.* 11.

Concludimus igitur, injustè agere Capitaneum, aliumque Officialem, qui exiguum habens stipendium, per vim exigit, & spoliat homines. 12.

Ad rationem in contrarium respondemus, ut, si illis stipendium exiguum non sufficit, non fiant milites, & non acceptent officium; cùm teneantur observare regulas justitiæ, postquam milites facti sunt, & Officiales; & contenti esse debent stipendiis suis; quibus, alijsque emolumentis si contenti non sunt, neque à Principe ad utiliora munera promoveri non sperant; officium deserant, neque deerunt qui illud obeant. 13.

Infero primò ex dictis, exigentes per vim stipendium; & spoliantes homines violenter, scilicet, per vim ablativam, secundùm leges, puniri pœnâ tripli ejus, quod rapuerint; *§. 1. Instit. de vi bonorum raptorum:* & rem ablatam computari in quadruplo; hoc est, si res violenter rapta valeat decem, debeat solvere triginta pro pœna, & restituere rem raptam, si extet, vel illius æstimationem: Et multoties puniri, etiam pœnâ mortis, ut *toto tit. ff. de vi bonor. raptor.* 14.

Infero secundò, semper peccare Officiales, & milites, qui præcipuè cædunt Rusticos, negantes illis dare quod petunt, vel illis parere nolentes, nec non teneri restituere, quod ab illis violenter accipiunt. 15.

Infero tertiò, peccare graviter, vel leviter, juxta qualitatem materiæ, & Officiales, & milites fraudulenter surripiendo aliorum bona; vel, qui dum sunt in Castris, seu Præsidiis, fraudant 16.

Ho-

Hospitantes, receptant, ut vulgò ajunt, cattellas, & alias varias committunt fraudes. Ita docet Molf. *in Sum. par.* 1. *tract.* 8. *cap.* 13. *num.* 100. ibi asserens cum communi hujusmodi fraudantes teneri ad restitutionem.

17. Infero quartò, Officiales peccare, & teneri ad restitutionem, si in hospitio non fuerint contenti cibis appositis, quamvis essent sufficientes; & hospites suos vexaverint; aut minis, aut alia ratione pecuniam ab illis extorserint. Molina, *in tract. de contract. disp.* 101. & plures alii Recentiores.

18. Infero quintò, Officiales ponentes in Rollo plures milites, quàm revera habeant, peccare mortaliter, cum onere restituendi accepta vel Regiæ Curiæ, si hoc in illius damnum resultaverit, vel Universitatibus, quando essent in hospitio, & assererent habere plures milites, ut plures cattellas haberent; ut docent communiter, & patet ex terminis, cùm illud mendacium sit in damnum tertii.

19. Infero sextò, peccare Officiales, & teneri ad restitutionem, si assignatum sibi hospitium reliquerint ob acceptam ab hospite pecuniam, & cum sociis ad aliud hospitium se contulerint: quod docent etiam Molina, Molf. *loc. cit.*

20. Infero septimò, peccare Officiales, ut alibi explicavimus, cum onere restituendi, si in hospitio recipiunt pro persona sua plures cattellas, aut domus ad habitandum, quàm illis debeatur, *l.* 2. *Cod. de metat. & epide. lib.* 12. Rodriq. *cap.* 127. & alii: & patet ex terminis.

21. Infero octavò, tempore gravis necessitatis, nullatenus licere Officialibus, aut militibus privatis aliquid propter esum & potum deprædari, ut affirmavit Ang. explicans Tex. *in leg.* 2. §. *Cum in eadem*, in fin. *ff. ad leg. Rhod. de jact.* Ruit. *in Pragm.* 4. *de militibus*, Less. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 71. Vasq. cum alijs cumulatis per Card. de Lugo, *de just. & jur. disp.* 16. *sect.* 7. *num.* 153. asserentibus permissum esse furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi: quæ doctrina damnata fuit ab Innocentio XI. & est propositio 36. in ordine damnatarum. Secus verò extremæ necessitatis tempore, quo omnia sunt communia, ut habetur *ex l.* 2. *ff. ad leg. de jact.* & apertè *in cap. Discipulos, de consecrat.* 5. *Dist.* ubi dicitur. „ Cùm per segetes transeundo vellerent spicas, & ederent, ipsius Christi vox innocentes vocat, quia coacti fame hoc fecerunt. Habetur etiam *ex cap. Si quis propter necessitatem, de furtis*, ut notat Card. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. sed nec legatarius, ff. de cond. furt. num.* 5.

22. Infero nonò, posse Principem minuere Officiali de justo stipendio, quando Officialis justum stipendium non petit, ut hac ratione alliciat animum Principis, vel Ducis ad conferendum sibi majorem dignitatem, vel ad procurandum sibi officium, vel beneficium, dummodò non sit Ecclesiasticum; tunc enim esset simonia; quia censetur tunc spontè donare. Idem posse Dominum cum suo famulo, quando petit minus stipendium ob dictum finem, tradit Trullen. *in Decal. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 23. *dub.* 5. *n.* 6.

23. Infero decimò, Officialem, seu Custodem Castri, recusantem, sive ex defectu debiti stipendii, sive aliunde, illud restituere Principi & Domino suo, non solùm graviter peccare, sed etiam dici committere crimen læsæ majestatis, & quidem in primo capite legis, id est contra Principem; nam eo modo juramentum fidelitatis dicitur violare. Afflict. *in cap.* 1. §. *Et bona committentium, n.* 78. *tit. quæ sint regalia.* Boe. in *tract. de custodia clavium, num.* 25. Gig. *in tract. de crim. les. majest. lib.* 1. *quæst.* 47. Crav. *cons.* 219. *col.* 1. Menoch. *cons.* 99. *n.* 31. & alii.

24. Infero undecimò, Officialem, vel alium militem, urgente gravi necessitate, homines spoliantem, esse quidem tanquam injustè agentem puniendum, moderato tamen, sed justo rigore, præsertim si esset miles egregius, & utilis Reipublicæ in exercitu. Cæpol. *in consil.* 36. in fine, Card. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. quid ergo*, §. *Pœna, ff. de his, qui not. infam.*

25. Infero duodecimò, milites, aut alios subtrahentes res alienas non excusari à pœna furti, quamvis Dominus rei dicat id se invito factum non fuisse; nam hujusmodi dictum non præsumitur omnimodè liberum & voluntarium, cùm nemo velit re sua privari, sed ab aliquo timore, seu gravi metu provenientis. Sic etiam sentit cum aliqua tamen limitatione, Bart. *in l. inter omnes*, §. *Rectè, ff. de fur.* nisi, videlicet, ille esset amicus suus, vel consanguineus. Hoc idem tradit Abb. *in cap. Dudum, de elect.* dicens, eum, scilicet res alienas subtrahentem, non excusari, nisi alia indicia concurrant, ex quibus conjici possit, Dominum consensisse. Idem vult Felin. *in cap.* 1. in fin. *de præsumpt.*

26. Infero decimotertiò, furtum præsumi commisisse, seu homines spoliasse militem, apud quem res furtivæ reperiuntur, nisi ipse dicat, a quo eas habuerit. Bart. *in l. fin. ff. de quæstion.* Alex. *in cons.* 205. *in* 6. *vol.* Sed hoc locum non habere, quando ille, apud quem res furtiva reperitur, bonæ esset conditionis & famæ, docet Dec. *in l. qui accusare, num.* 7. *Cod. de edem* citans Sali. *in l.* 2. *col. pen. Cod. de quæstion.*

27. Infero decimoquartò, Officiales, aliosque milites, qui homines, præsertim rusticos injustè spoliaverunt, teneri restituere, & pœnitere, ut possint pœnam furti temporalem in hac vita, & æternam post obitum evitare.

XXXIII. DIFFICULTAS.

Quidam Officialis defraudavit stipendia suæ cohortis. Dubitatur, an teneatur in foro conscientiæ reddere simplum, aut quadruplum illius, quod accepit.

1. NOtandum primò, jure esse decisum, Duces, aliosque stipendia militum defraudantes, teneri quadruplum restituere, *l.* 2. *Cod. de offic. Præfect. Prætor. Afric. vers. nam si usurpaverit*; & vi, seu dispositione hujus legis, fraudantes stipendia militum debent pariter dignitate privari; & in hac lege proposita difficultas fundatur.

2. Notandum secundò, pœnam, secundùm jura & Juristas, dividi in legalem, & conventionalem, §. *Omnes, Inst. de actio. stipu. l. 5, §. Conventionale, Instit. de rer. divis. §. Conventionales, ff. de verb. obl.* Clau. *in Sum. in vers. pœna*, §. 12. Menoch. *de arb. Jud. lib. 2. cent. 3. casu* 260. *num.* 2. & pœnam legalem regulariter non excedere quadruplum. §. *Omnes, instit. de action.*

3. Notandum tertiò, stipendia militibus dari ad meram indigentiam, ne dum milites sumptus quærunt, prædones fiant, ut inquit Tex. *in cap. Militare, causa 23. quæst. 1.* Panuin. *de visit. p. 1. quæst. 9. num.* 36. non autem ad remunerationem, & decorem; adeò ut circumscripta necessitate, turpiter accipiantur, ut docent Alberic. *in rubr. de test. num. 2. & 3.* Purpur. *in l. licet, n.* 52 *Cod. de pact.* Jas. *in repet. leg. admonendi num.* 306. *ff. de jurejur.*

4. Notandum quartò, nullam pœnam esse imponendam, nisi per judicem, *causa 23. quæst. 4. cap. Ea vindicta.*

5. Notandum quintò, dupliciter imponi pœnam, vel ut incurratur ipso jure, vel quòd requiratur sententia judicis. Molf. *in Sum. p. 1. tr. 9. c. 9. n.* 33.

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam; num Officiales defraudantes militum stipendia, teneantur in foro conscientiæ reddere quadruplum illius, quod acceperunt; an solùm simplum, sive quantum abstulerunt. Ad quadruplum teneri, videtur esse respondendum. Primò, quia lex statuit raptorem puniendum esse in quadruplum. *causa 12. quæst. 2. cap. In legibus; & Instit. de oblig. quæ ex delict. nas. §. Furti.* Secundò, quia Exod. 22. DEUS præcipit restitui quinque boves pro uno, & quatuor oves pro una ove furata, aut vendita, aut occisa: & cùm præceptum sit de moribus, videtur esse morale, & consequenter adhuc manere, & obligare furantem restituere quadruplum, vel quintuplum. Præterea Zachæus dixit ad Dominum, *Si quem defraudavi, reddo quadruplum.* Luc. 19. Ea autem, quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, & nobis in exemplum dantur. Ad Rom. 15. & ideo Officiales defraudantes militum stipendia, tenentur quadruplum restituere.

7. Verius tamen est, extra judicium, seu ante sententiam judicis, non teneri in foro conscientiæ restituere nisi simplum, seu quantum injustè ablatum est. Turrecrem. *in cap. Fraternitas, caus. 12. quæst. 2.* Abb. *in proe. decre. in verb. Rex pacificus, num. 6. & alibi.* Intrigliol. *Tract. de Casib. cons. cas. 105. num.* 10. ubi plures refert. D. Thom. Cajet. Navar. Sot. Vasq. Suarez, Salas, Reginal. quos citat, & sequitur Molfesius, *in sua Summa, p. 1. tract. 9. cap. 9. num. 33.* sed explicitè, & clariùs *Tract. 8. de actib. hum. cap. 13. n.* 100. Azor. Sanchez. Carbonius, Bannes, quos allegat, & sequitur in casu simili Diana, *p. 3. tr. 6. Miscell. Res. 35.*

8. Moveor primò juribus, *in dict. cap. Fraternitas, causa 12. quæst 2.* ubi habetur, quòd Ecclesia non debet à jure petere rem ablatam cùm augmento, cùm hoc ibi expressè prohibeat Summus Pontifex Gregorius. Et ibi etiam Glos. *verb. Augmento.* Ergo signum est nullam adesse obligationem in foro interno restituendi quadruplum extra judicium.

Moveor secundò rationibus; nam omnes conveniunt, ante sententiam judicis, pœnam non obligare in conscientia. Ita etiam Glos. ult. *in d. cap. Fraternitas, causa 12. quæst. 2.* & notat Cespedes, *in dub. militar. d. 72.* Molf. *loc. cit.* quia pœna quælibet non est imponenda, nisi per judicem, *causa 23. q. 4. cap. Ea vindicta*, ut diximus in quinto Not. Tum quia, hujusmodi quadruplum constitutum est in pœnam criminis; Ergo secundùm sensum communem DD. non debetur ante sententiam saltem declaratoriam criminis. Tum etiam, quia per restitutionem reducitur ad æqualitatem quod inæqualiter ablatum est. Officialis verò reddendo quod accepit, simplum reducit ad æqualitatem; & ideo in foro conscientiæ tenetur restituere solùm quantum accepit. 9.

Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi. Scimus enim milites in eorum stipendiis læsos, seu defraudatos, quibus facta fuit restitutio ablati, nunquam recepisse pœnam quadrupli, imò nec tripli, nec dupli: & Confessarios hujusmodi pœnam defraudantibus stipendia militum aut aliorum nunquam imposuisse. 10.

Concludendum est igitur, Officiales stipendia defraudantes, in foro conscientiæ tantum restituere teneri, quantum acceperunt; cùm hic non habeant locum pœnæ sancitæ in foro exteriori, sed veritas damni illati. 11.

Ad rationes in oppositum respondemus. Ad primam, quòd dicta jura procedunt, seu vim habent obligandi ad restitutionem rei sublatæ cum augmento post sententiam judicis, non autem ante judicium, ut patet ex dictis. 12.

Ad secundam: negando illud præceptum legis divinæ esse morale, licèt sit de moribus: est enim tantùm judiciale: hujusmodi enim præcepta pro loco, & tempore, populo electo dabantur; unde in Lege nova non obligant, nisi de novo statueretur ab habente authoritatem statuendi: & ita sentit D. Thom. tam in 2. 2. quàm in scripto super quartum Sententiarum; ut notat Turrecrem. *loc. cit.* 13.

Ad tertiam respondetur, quòd Zachæus reddidit quadruplum, non ex debito justitiæ, sed ex supererogatione; & dixit talem fecisse restitutionem non tanquam necessariam, sed ut superabundantem. 14.

Infero primò ex dictis, pœnam legalem in foro conscientiæ non posse peti antè sententiam declaratoriam judicis, nec exigi. Ita etiam Gloss. *in ver. Cum augmento, d. cap. Fraternitas, causa 12. quæst. 2.* Anto. Gabr. *lib. 7. concl. rub. de malef. concl. 34. num.* 8. ubi testatur hanc opinionem esse magis communem. 15.

Infero secundò; quando pœna non imponitur, ut ipso jure, vel ipso facto, aut alio consimili modo incurratur, reum non esse obligatum in conscientia ad pœnam subeundam, cujuscunque generis sit, nisi post sententiam judicis. Ita docet etiam Molfes. *in Sum. p. 1. d. tract. 9. cap. 9. num.* 33. 16.

Infero tertiò, pœnas, quæ ipso jure non infliguntur, 17.

guntur, sed judex illas infligit pro delicto, posse in foro conscientiæ peti, & exigi. Hoc docet etiam Anto. Gabr. *lib. 7. d. concl. 34. num. 14.* Host. *in cap. Dilectis, column. pen. vers. & hoc intelligas, extra de arbitr.* ubi etiam Imol. & alij; quia tunc adest sententia judicis.

18. Infero quartò, in pœna conventionali, licèt non requiratur sententia judicis, nihilominus esse in arbitrio partis illam remittere, & consequenter donec pars illam petat in judicio, reum non teneri illam solvere. Navarr. *in Sum. cap. 23. num. 68.* & alij.

19. Infero quintò, reum non teneri ante sententiam judicis subire pœnam, quando incurritur ipso jure, ut quia declaratur jam in lege ijs clausulis, *eo ipso: ex tunc: ipso facto: ipso jure: ante sententiam: absque alia declaratione*; dummodo pœna sit temporalis: nam si esset pœna spiritualis, ut sunt censuræ Ecclesiasticæ; tunc non esset necessaria sententia judicis, sed ipso jure reus illas incurrit: quod omnes docent; quia in hujusmodi pœnis peccator non prodit seipsum; ita ut peccatum occultum manifestet in publico, & seipsum infamet; sed solùm providendo conscientiæ suæ, procurat secretam absolutionem, vel dispensationem.

20. Infero sextò, committentem crimen, cui annexa est pœna amissionis bonorum ipso jure, vel facto à lege inducta, posse tuta conscientia illa bona retinere quousque fuerit à judice condemnatus: quod probatur etiam *in l. fin. §. Si verò, Cod. de jur. deliber. & in l. si quis in tantam, Cod. unde vi:* quæ leges imponunt pœnam ipso jure: & tamen sensus communis Doctorum est, illarum legum pœnas in foro conscientiæ non deberi. Contrarium tenet Abb. *in cap. 1. num. 11. de const.* quem sequitur Felin. *num. 44.* qui asserunt delinquentem teneri; nulla sententia expectata, illa bona Fisco restituere.

21. Infero septimò, incidentem in crimen hæresis, non posse ante sententiam declaratoriam judicis super crimine hæresis, spoliari à Fisco suis bonis, licèt in crimine hæresis ipso jure imponatur pœna confiscationis bonorum: & hoc patet etiam per Tex. *in cap. Cùm secundum, de haret. lib. 6.* & explicat Graff. *punct. 1. decis. lib. 2. cap. 11. num. 4.*

22. Infero octavò, eum, qui impedit fraude aliquam denunciationem, vel ne delinquens veniat ad manus justitiæ, aut occultat, vel facit fugere Officiales tempore syndicatûs, non teneri ad restitutionem pœnæ supradictis imponendæ; nam ante condemnationem Fiscus, vel alius ullum jus non habet. Hoc etiam docet Pet. Navar. *de restit. lib. 3. cap. 5. num. 13.* Diana, *p. 3. tract. 6. Miscell. Res. 35.*

23. Infero nonò, non esse à peccato immunem eum, qui in casu, quo sunt Fisco ipso jure bona delata, rem aliquam alienaverit, ipsum emptorem hoc ignorantem decipiens, cùm ipsi emptori immineat periculum ex culpa venditoris amittendi rem, & pretium. Sylvest. *in Sum. verb. hæresis, 1. quæst. 8. num. 14.* Secus verò, si revelaverit conditionem rei ita esse; & delictum, propter quod sunt Fisco applicata, non posset probari; tunc enim posset alienare sive titulo lucrativo, sive oneroso. Graff. *loc. cit. num. 27.*

Infero decimò, omnia jura mundi, quæ dicunt pœnam imponi ipso jure, vel facto, semper debere intelligi (dummodò non sit pœna spiritualis) modò sit secuta sententia declaratoria, per quam declaratum sit, fuisse commissum id, per quod pœna illa veniebat imponenda; aliàs illa pœna effectum, & executionem non sortietur. Facit etiam Tex. *in cap. 1. de homicid. lib. 6.* Et hoc docet pariter Graff. *loc. cit. num. 5.* 24.

XXXIV. DIFFICULTAS.

Quidam Capitaneus testamentum jure militari fecit, sed dubia remanet ejus voluntas. Dubitatur, num possit hujus Capitanei Testatoris voluntas conjecturis interpretari.

Notandum primò, lege constitutum esse, posse militem in Castris testari quoquo vult modò, non convocatis, & rogatis testibus; modo constet deinde illam fuisse suam dispositionem; *l. Lucius, ff. de militar. testamen.* & tradunt Gloss. & DD. communiter *in l. Divus, ff. eod. & in l. milites, Cod. eod. tit.* 1.

Notandum secundò, regulam esse communem, quæ habet, quòd in dubio interpretatio fieri debet, ut effectum habeat legatum, *Arg. l. quoties, ff. de re dub.* & tradit Dec. *in cons. 324. num. 1.* 2.

Notandum tertiò, in claris non esse opus conjecturis, *l. continuus, §. Cum ita. de verb. oblig. l. ille, aut ille, §. Cum in verbis, de leg. 3. l. 3. Cod. de lib. præte.* Et ibi Dec. *cons. 325. num. 1.* 3.

Notandum quartò, in translatione dispositionis plus operari adjectionem conditionis, quàm modum ipsum, quia modus præsupponit dispositionem perfectam; etiam ipso modo non impleto; conditio verò omnia in suspenso retinet, & ea conditione non impleta, dispositio est imperfecta; illa enim dicitur conditio, quæ antequam actus perfectus fiat, implenda est, *leg. filiosfa. ff. de cond. & dem.* 4.

Notandum quintò, leges favere voluntati Testatorum de rebus suis disponentium, & velle illas esse omninò exequendas, *l. 1. Cod. de Sacros. Eccles. & §. Disponat, in Authen. de nuptijs.* 5.

Notandum sextò, distingui conjecturas, quæ dicuntur ex dispositis à testatore, ab illis, quas facit lex conjecturando, atque, ut ita dicam, imaginando voluntatem Testatoris. Ita Virgilius *in Instit. de pupillar. substitut. in princ. num. 17.* Primæ conjecturæ locum habent etiam in dispositione militis: & sic intelligitur, *l. in testamento, la 1.* in fine, *Cod. de test. milit.* Secundæ verò cessant. 6.

Notandum septimò, conjecturas, quæ non colliguntur ex verbis scriptis in testamento, sed extrinsecus, non sufficere ad inducendam hæredis institutionem: secus verò, si colliguntur ex ipsis verbis Menoch. *de præsumpt. lib. 4. præsump. 19. num. 7.* 7.

8. Notandum octavò; illud censeri expressum, cùm de præsumptione juris, & de jure agitur, quod ex præsumptionibus constat. Ita probat *l. unic. §. 1. Cod. de rei uxor. action.* & fusè ostendit Menochius, *de præsumpt. lib. 1. quæst. 45. num. 2. & 3.*

9. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an dubia voluntas Capitanei in testamento condito jure militari possit conjecturis interpretari; negativè respondent Alci. *in rub. ff. de vulg. & pup. subst. num. 6. in l. 1. num. 142. in l. Centurio, num. 35. & in l. Lucius, num. 20. ff. eod.* Vacomius *lib. 4. declaratio juris, cap. 54. & cap. 61. num. 11.* & alii; quorum fundamentum videtur *l. 1. ff. de testa. mil. in illis verbis, Si ad diligentiam, & observantiam, & ibi nuda voluntas,* per quem Tex. videtur excludenda à dispositione militis omnis legis diligentia, & interpretatio, & observanda ejus voluntas, seu dispositio, ut scripta sonat.

10. Hac ratione, alijsque, brevitati studens, omissis, ductus, idem primùm sentiebam. Re tamen ipsa longè meliùs, & diligentiùs perpensa, & accurato studio examinata, & gravissimis Jurisconsultis hujus Almæ Urbis consultis, contrarium visum est verius, & probabilius, nempe dubiam Capitanei testatoris in testamento jure militari facto, posse conjecturis voluntatem interpretari, Bal. *in l. testamento, la prima, num. 4. Cod. de test. milit.* Jas. *in l. 2. in princip. num. 32. ff. de vulg. & pup. subst.* Costa, *in l. Gallus, §. Et quid si tantum,* in princ. *num. 31. de lib. & posth.*

11. Moveor primò juribus, *in leg. testamento; la prima,* in fine, *Cod. de testam. milit. & in l. sicut certè, & l. si cum, vel in utero, eod. tit. & l. qui jure militari, ff. eod. de test. mil.* ubi satis clarè constat, conjecturas valere ad interpretandam militis testatoris voluntatem.

12. Moveor secundò rationibus in jure fundatis; nam præsumitur, quòd Testator per suam dispositionem voluerit providere in casu necessario, *Arg. leg. Gallus,* in princ. *ff. de liber. & posthum.* At evanescit hujusmodi præsumptio, non adhibita ex conjecturis dubiæ voluntatis Testatoris interpretatione. Tum quia, si dubia Testatoris voluntas non interpretatur, censetur Testator voluisse decedere pro parte testatus, & pro parte intestatus, contra *leg. jus nostrum, de reg. juris,* & voluisse eligere viam, qua suum testamentum posset reddi nullum, contra *l. 3. ff. de milit. test.* Tum etiam, quia sumenda est interpretatio, ut dispositio aliquid operetur, atque adeò, ne quid frustra concessum, factumque sit, *l. si quando,* in princ. *de leg. 1.* imò nulla syllaba debet intelligi superfluè apposita. Bald. *in rub. Cod. de contrahen. emptio:* & verba sunt interpretanda, & intelligenda, ut aliquid operentur, etiam in dispositionibus odiosis, & strictè interpretandis, ut tenet Calder. *in cons. 6.* in fin. *in tit. qui filij sint legitim.* Præterquamquod, semper admittitur interpretatio, quæ à jure communi provenit, sicut scripserunt Alex. Corn. Jas. Socin. & alij, quos recenset, & sequitur Menochius, *in consil. 516. num. 12.* Et denique, in dubio dicere debemus voluntatem Testatoris non præsumi mutatam, *l. 3. ff. de probat. l. Lucius Titius,* in fin. *de leg. 2.* & docet Alciat. *in tract. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 16.* & ideò interpretatio dubiæ Testatoris voluntatis necessaria censetur, præsertim illa, qua repugnantia ejus, ejusque inconstantia evitatur, *l. non ad ea, ff. de condit. & demonstr.*

13. Moveor tertiò exemplo in tot Testatoribus, quorum dubia voluntas, ut docet praxis quotidiana, fuit ex conjecturis interpretata, & dispositio eorum juxta interpretationem suam obtinuit effectum: à quo interpretationis privilegio non sunt excludendi milites testatores, cùm eadem militet ratio, imò major pro testatoribus jure militari, quorum voluntas ex defectu temporis in testando, nec non circumstantiarum, quæ à jure in militari testamento non requiruntur, potest facilè, & passim obscura, & dubia apparere.

14. Concludimus igitur, posse interpretari dubiam Capitanei testatoris voluntatem, & conjecturas valere ad formandam hujusmodi interpretationem, illamque esse sumendam interpretationem, quæ est verisimilis, ut sentit Tiraq. *in tract. de retract. consang. §. 26. glos. 3. num. 45. vers. verum audio;* quæ à Sapientibus reprehendi non possit, *l. Salvius Aristo. ff. de leg. præst.* & quæ sit æquitati consentanea, *l. in his, ff. de condit. & demonstrat.* & tradit Bald. *in l. cum allegas,* in fin. *Cod. de usuris,* cum alijs pluribus: & qua denique hæredi, legatarijs, alijsque consultum, satisfactumque esse possit, *l. adoptivus, §. 1. ff. de ritu nupt.* & tenet Cravett. *in cons. 201. num. 16. & in cons. 301. num. 4.* & ante ipsum, Bald. *in l. bonorum, quæst. 3. Cod. qui admitti.*

15. Ad rationes, & jura in contrarium patet sufficienter responsio ex dictis.

16. Infero primò ex dictis, institutionem, & substitutionem directam hæredis ita conjecturis, & præsumptionibus induci, sicut etiam verbis expressis. Ita etiam volunt Bald. Imola; Alex. Corn. cum alijs, quos recenset, & sequitur Menoch. *in cons. 408. num. 45.*

17. Infero secundò, posse militem conjecturis hæredem instituere, quia potest quoquo modo vult testari, *l. 1. ff. de milit. testam.* & docuit Emanuel Costa, *in d. l. Gallus, d. §. & quid si tantum,* & Hieronym. Zanc. *in leg. hæredes mei, §. Cum ita, in 3. part. num. 77. ff. ad Treb.*

18. Infero tertiò, in testamento condito à Parte inter liberos sufficere conjecturas ad inducendam hæredis institutionem, ut per Tex. *in l. ult. Cod. fam. ercis.* & tradunt Costa, Zanc. *loc. cit.*

19. Infero quartò, in testamento ad pias causas condito solas conjecturas sufficere ad inducendam hæredis institutionem; quia solus testatoris nutus sufficit, ut docent plures, quos recenset Tiraq. *in leg. si unquam, in verbo, Donatione, num. 266. Cod. de revoc. donat. in tract. de privileg. piæ causæ, privileg. 8.*

20. Infero quintò, ortô dubiô circa personam hæredis, esse faciendam probationem apertissimam, quæ satisfieri dicitur, cùm fit conjecturis, & præsumptionibus, ut per Tex. *in l. licèt Imperator, de legat. 1. & leg. qui habebat, ff. de reb. dub.* &

tradit

tradit Bald. *in l. in tempus*, in fin. *ff. de hæredib. instituen.* quem secutus est Afflict. *in decis. 44. num. 16.*

21. Infero sextò, expressum posse dici quod conjecturis, & præsumptionibus hominis constat. Rom. Barb. Bal. quos recenset, & sequitur Menoch. *lib. 1. de præsumpt. quæst. 45. num. 8.*

22. Infero septimò, duobus à Testatore vocatis cum conditione, seu declaratione, ut unus in defectum alterius sit hæres, scilicet, ut hæres sit qui vivit, esse interpretandum, voluisse Testatorem utrumque adire hæreditatem, si constat utrumque vivere, ambosque dici hæredes institutos, ut per Tex. *in l. Titius, & Sejus, ff. de hæred. instit.* & ratio videtur clara, quia vocatio illa est æqualis, nec unus alteri à Testatore fuit in sua dilectione postpositus.

23. Infero octavò, Testatore plures successivè vocante, unum post alium, esse interpretandum, vocatos esse æqualiter institutos, nisi exter conjectura majoris affectionis erga unum, quàm erga alterum. Ita Lancellott. *polit. in tract. substit. in tit. de vulgari, in secunda particula, num. 2.* cùm illa enumeratio magis respiciat Scripturæ ordinem, quàm successionem, *leg. si quis heredes, ff. de hæred. inst.*

24. Infero nonò, Testatore, qui habet uxorem, simpliciter hæredem instituente posthumum, esse interpretandum, seu præsumendum, vocatos esse omnes posthumos. Ita etiam tener Cor. *in cons. 144. num. 8.* in fin. *lib. 2.* Bero. *in cons. 17. num. 13. & in cons. 18. num. 2. lib. 2.* ubi testatur, hanc esse communem sententiam ab omnibus receptam.

25. Inferò decimò, posse per conjecturas dubiam Testatoris voluntatem declarari, & præsumi ex scriptis in testamento, quod est revocatum, imperfectum, & nullum, ob defectum alicujus solemnitatis. Alex. *in cons. 45. num. 9. lib. 1.* Paris. *in cons. 7. num. 3. lib. 3.* & plures alij, quos recenset, & sequitur Menoch. *de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 15. num. 1. & seqq.* ubi declarat casus, in quibus locum habet nostra Illatio, seu assertio, & respondet objectis.

26. Infero undecimò, debere quemlibet Testatorem claris, & non ambiguis verbis, suam voluntatem in testamento exponere, ut omnimoda evitetur interpretatio, quæ cum ex conjecturis ut plurimùm extrinsecis sit facienda, potest facilè à veritate recedi.

27. Infero duodecimò incidenter, militem Testatorem non posse per substitutionem fideicommissariam Filium in legitima gravare; posse tamen directo jure militari ei substituere, & sic eum gravare. Alex. *in l. Centurio, ff. de vulg. & pup. n. 51.* Paulus de Cast. *in l. precibus, Cod. de testam. milit.* quoad substitutionem directam, tenet contrarium.

* * *

XXXV. DIFFICULTAS.

An principalior militum Officialis, nempe Confessarius, sive Delegatus, sive Ordinarius, possit, contra propriam opinionem, Officialem pœnitentem, sequentem opinionem probabilem, deobligantem à restitutione rerum ablatarum in bello, absolvere; quamvis Confessarius tali opinioni non assentiatur.

Notandum primò, Confessarium delegatum, seu exercitus ordinarium, & ex commissione; esse Sacerdotem, qui ex commissione confessiones audit; Confessarium verò ordinarium, seu proprium esse Parochum, & quemcunque Sacerdotem ex suo officio confessiones audientem. Ita communiter DD. 1.

Notandum secundò, difficultatem procedere circa opinionem probabilem, quando opinio probabilis est de aliqua re facta, vel efficienda ab ipso pœnitente, non de re, quæ se tenet ex parte Confessarij, qualis est de jurisdictione, & approbatione ipsius. 2.

Notandum tertiò, quemcunque Confessarium teneri inter cætera scire hæc duo: Primum, regulas communes, quibus excusari pœnitens potest à præcepto, & à peccato mortali, ut est ignorantia probabilis, inadvertentia, necessitas gravis, & extrema, impotentia, parvitas materiæ, metus gravis infamiæ, vel mortis. Secundum, quæ remedia, cuique peccato adhibenda sint. 3.

Notandum quartò, ignarum, & indoctum sequi posse opinionem illam, quam probabilem esse putant, & quam probi, ac in ea arte periti sequuntur; quamvis illa minùs tuta, minùsque communis sit. Ita docet Henric. *Quodlib. 4. quæst. 33.* Conrad *quæst. ult. de contract. concl. 2. in casu 2.* Sylv. *verb. Opinio, quæst. 1.* in fin. unde ignarum, & indoctum à peccato excusari, si vel tutiorem, vel minùs tutam opinionem sequatur. 4.

Notandum quintò, non semper esse restitutionem faciendam rei ablatæ, aut æquivalentis ei, qui damnum est passus, vel alijs; cùm aliquando quis excusari possit à restitutione facienda, ut observat Turrecrem. *in cap. Si res, causa 14. quæst. 6. §. Ad quintum*; & nos alibi diximus. 5.

Notandum sextò, restitutionem esse actum justitiæ commutativæ, quo res accepta restituitur, vel damnum illatum compensatur ad æqualitatem; unde obligationem restituendi non oriri ex læsione justitiæ distributivæ præcisè, nisi quatenus simul læditur aliquod jus pertinens ad justitiam commutativam. 6.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Confessarius sive delegatus, sive ordinarius militum possit, & debeat absolvere Officialem pœnitentem, sequentem opinionem probabilem, deobligantem à restitutione ablatorum in bello, quamvis Confessarius tali opinioni non assentiatur, negativè, loquendo de Confessario delegato, 7.

to, affirmativè verò, si sermo est de Confessario proprio, seu ordinario, sive Parocho, respondent S. Anton. *p.* 3. *tit.* 17. *cap.* 20. §. 2. Sylvest. *verb. Confessor*, 3. *quæst.* 7. Conrad. *tract. de contract. q.* 100. *concl.* 3. & alij. Quorum fundamentum est; quia Officialis pœnitens non habet jus petendi Sacramentum à Confessario delegato; nec iste Confessarius tenetur illi Sacramentum ministrare: atque adeo nullam ei injuriam irrogat, si enim non absolvit, sequendo suam propriam opinionem, & non opinionem Officialis, illum de obligantem à restitutione. Parochus verò cùm teneatur ratione muneris ministrare, nimis gravaretur, si aliorum opinioni se conformare non posset: & cùm Officialis pœnitens opinionem sequatur probabilem, excusatur à culpa, & ideò jus habet petendi Sacramentum. Parochus ergo non solùm potest, sed debet ipsum absolvere, quamvis non assentiatur opinioni militis pœnitentis; & illum non absolvendo se exponeret periculo violandi jus, quod habet miles confessionem petendi.

8. Verius tamen arbitror, posse quemcunque Confessarium, sive delegatum, sive ordinarium absolvere pœnitentem Officialem, sequentem opinionem probabilem sibi faventem in materia restitutionis, contra suam opinionem probabiliorem, licèt opinioni militis non assentiatur. Angel. *in Sum. verb. Confessio*, 4. *num.* 3. Sot. *in* 4. *Dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 5. Navar. *in Manual. cap.* 26. *num.* 4. *& in cap. Si quis autem, de pœnit. Dist.* 7. *num.* 66. Henriq. *lib.* 3. *de Sacramento pœnit. cap.* 26. *num.* 6. Valent. *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. in fin. Sayr. *in Clavi Regia, lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 13. Suarez, *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 32. *sect.* 5. Azor. *par.* 2. *Inst. mor. cap.* 17. *q.* 10. Villalob. *tom.* 1. *Sum. tract.* 1. *diffic.* 12. Salas, *quæst.* 21. *tract.* 8. *disp. unic.* Sanchez, *lib.* 1. *in Decal. cap.* 9. *à num.* 28. & alij plures, quos citat, & sequitur Castropalaus, *de conscientia opinante*, *disp.* 2. *punct.* 4. *num.* 2. ubi asserit, hanc sententiam esse communem.

9. Moveor primò juribus, *in l. illicitas*, §. *Veritas, ff. de offic. præsid.* ubi habetur, quòd Judex non potest ex sua conscientia sententiam ferre, sed debet judicare, secundùm acta, & probata; ut docent etiam D. Thom. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 2. Sylv. *in Sum. verb. Judex*, *causa* 2. *quæst.* 5. Turrecrem. *in cap. Judicet*, *causa* 3. *quæst.* 7. & alij, quos producit, & sequitur Menoch. *in cons.* 92. *num.* 80. Nec non & *l. de quare, ff. de judic.* ubi dicitur, Judicem teneri judicare ex causa, quam cognovit: Confessarium verò, sive delegatum, sive ordinarium, esse judicem in foro, de quo loquimur, certum est apud omnes.

10. Moveor secundò rationibus. Positis omnibus requisitis ex parte Officialis pœnitentis, scilicet, confessione omnium peccatorum, vero dolore, & proposito non peccandi, quilibet Confessarius nil aliud potest ab illo exigere, ut illum absolvat. Ergo potest illum absolvere, non obstante opinione probabili, quam habet de non restituendo. Tum quia, licitum est militi sequi opinionem probabilem: Ergo illam sequendo non amittit dispositionem requisitam, ut possit licitè absolvi: Confessarius enim tantummodò malè disposito potest absolutionem denegare. Atque adeo quilibet Confessarius potest illum audire, & absolvere, quamvis ejus opinioni non assentiatur, modò assentiatur esse probabilem.

Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi frequenti. Scimus enim Confessarios etiam doctissimos in quavis materia, relictâ propria opinione etiam probabiliori, absolvere pœnitentem, contrariam opinionem sequentem, licèt hujusmodi opinio tertij præjudicium respiciat. 11.

Concludimus igitur, Officialem pœnitentem cùm non peccet ex injustitia aliqua contra proximum, si non restituat, sequendo suam opinionem probabilem, posse tam à proprio, quàm alieno Confessario, non solùm tempore præcepti, quo confiteri tenetur, sed etiam quocunque alio tempore absolvi. 12.

Ad rationes in contrarium patet responsio ex dictis, nec non & ex dicendis magis patebit. 13.

Infero primò ex dictis, Confessarium delegatum, seu ex commissione, quamvis non teneatur audire hunc Officialem pœnitentem, & non audiendo injuriam illi minimè faciat, nisi velit sequi suam opinionem; si tamen audit illius confessionem, supposita sufficienti dispositione, debet illum absolvere; Posita enim causa judicij, scilicet, accusatione peccatorum, sententia est necessariò ferenda. Ita sentiunt Say. Castropalaus, Sanchez, & alij, *loc. cit.* De Parocho, seu proprio Confessario, ferè omnes consentiunt, non posse absque manifesta injustitia illi absolutionem denegare. 14.

Infero secundò, esse absolvendum pœnitentem, qui bona fide existimavit sibi licere aliquem contractum, qui ex aliorum opinione probabili licitus est, quamvis Confessarius contrariæ sit opinionis, & opinioni pœnitentis non assentiatur; quia accedit sufficienter dispositus. Sic docet Villalob. *tom.* 1. *Sum. tract.* 1. *diff.* 12. *num.* 2. 15.

Infero tertiò, teneri Confessarium monere de errore pœnitentem circa contractum licitum ex aliorum opinione probabili, si ex ignorantia illicitum esse existimat. Sic ex Salon. 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *controv.* 4. Sanchez, *loc. cit. num.* 31. aliàs permaneret pœnitens in periculo peccandi, à quo tenetur Confessarius illum removere. 16.

Infero quartò probabiliùs, semper esse peccatum mortale negare absolutionem pœnitenti ritè disposito, & taliter cognito, quando Confessarius tenetur illum absolvere, si ipse in tali negatione non consentiat; sive confiteatur mortalia sive tantùm venialia; cùm ob negationem abso lutionis privetur Pœnitens magno beneficio Sacramenti, ad quod jus habet. Castropalaus. *loc. cit. num.* 6. Quidquid dicant Sayrus, Vasquez, Salas, *loc. cit.* & Montesinus, 1. 2. *disp.* 29. *quæst.* 5. *num.* 199. affirmantes, Confessarium delegatum peccare tantùm venialiter; & sæpe ex bona fide, & zelo suæ opinionis, posse etiam excusari ab omni culpa, præcipuè si Confessarius suam opinionem probabiliorem reputando absolutionem suspendat. 17.

Infero quintò, à Confessario extraordinario, seu ex commissione, habente opinionem contra- 18.

tiam,

ftiam, posse negari absolutionem pœnitenti, qui est æquè doctus, aut alios æquè doctos habet & consulit, quorum consilia sequitur, si ejus opinio sit in præjudicium alterius, puta, circa pedagia, taleas, scissionem lignorum de locis publicis, circa venationem, piscationem in locis Principis, aut non proprijs, sed alienis, io quibus Dominorum imperio, seu potiùs violentia solent subditi aggravari. Secus verò à Confessario proprio, licèt sit opinionis contrariæ. Ita docet etiam Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 1. cap. 11. num.* 10. Id verò intellige, si Confessarius id sciat nondum inchoata confessione: nam illa incæpta, neque à Confessario proprio, neque delegato potest absolutio denegari.

19. Infero sextò, licitum esse viris doctis, contra propriam opinionem, alijs consulere, sequendo alienam, quam probabilem esse putant.

20. Infero septimò, Pœnitentem habere jus ad absolutionem, dummodò sit sufficienter dispositus, licèt Confessarius existimet falsam esse illius opinionem, modò tamen ei constet illam tanquam probabilem à Viris doctis, seu peritis Doctoribus admitti.

21. Infero octavò, io materia restitutionis, & in quavis alia materia, opinioni probabili obnoxia, magna cautela, & prudentia opus esse: & Confessores, qui minùs exercitati sunt, & minùs callent, teneri in conscientia viros peritos, & timoratæ conscientiæ consulere, ut occurrentibus casibus, ab eis discant, quæ opinio sit probabilis, quæ probabilior, quæ tenenda sit, quæ sequenda: qui pœnitens sit absolvendus; & cui absolutio deneganda; & aliter agentes, Imprudenter agere, & tutos io conscientia non esse ita agendo: neque posse semper excusari ob subtilitatem ingenij sui, cùm non raro plus in rebus moralibus valeat judicium practicum, seu praxis, quàm profunda speculatio, & subtilis rerum examinatio; atque adeò sæpè expedire à viris magis exercitatis in tali materia, qui tamen adulatores non sint, consilium petere, & illis parere, si apti sunt consilium dare. Dicit enim S. Augustinus in Psal. 145. post initium. Charissimi, ubique consilia à melioribus petuntur. Quapropter, subdit Sanctus Doctor, aut quisquis sit Auctor libri *de salutarib. documentis ad quemdam Comitem. tom. 4. cap. 6.* elige tibi Consiliarios bonos, DEUM timentes, & veritatem amantes. Sæpe enim Adulatores blanda facie decipiunt Animas audientium se, & perpetuæ mortis laqueis interimunt. De talibus enim dicit Psalmista, Quoniam DEUS dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: Confusi sunt, quoniam DEUS sprevit eos. Et Idem in *Ps.* 119. in fine; ait. Qui enim consulit alicui, ad salutem consulit, ad id, quod potest consulit: Ille autem quasi consulens retrahit à salute. Quia ergo videtur habere pallium consulentis, & habet venenum perimentis, lingua dolosa dicta est. Quærat igitur in suis dubietatibus Confessarius minùs idoneus, minúsve exercitatus, viros probos, atque sapientes, quos possit consulere, quique proni sint ad hujusmodi pietatis opus exercendum. Cuilibet enim ad consilium dandum propenso, dicit Sanctus Augustinus in *Psal.* 125. post med. Consilio indiget, tu plenus es consilio. In consilio ille pauper, tu dives es. Ecce nec laboras, nec aliquid perdis, das consilium, & præstitisti eleemosynam. Si verò nullum aptum reperiet noster Confessarius Consiliarium, ad DEUM omnimoda sui cordis confidentia accedat; nam, concludit Sanctus Ecclesiæ Doctor Augustinus, *Serm. de temp. Fer. 3. post 3. Dom. in Quadrages. serm.* 2. Sic operari suis DEUS assuevit, ut ubi deficit humanum consilium, illic intercedat divinum Adjutorium.

Finis Libri Tertij.

THEOLOGIA BELLICA, LIBER QUARTUS.

Difficultates pertinentes ad Milites privatos.

I. DIFFICULTAS.

An cuilibet cujusvis ætatis, sexus, & conditionis liceat adscribi Militiæ, & in bello militare.

1. NOtandum primò, Militiam, seu Rem militarem, juxta Leonem Imperatorem, *De bellic. appar. lib. 1. cap. 1. n. 1. & 2.* esse scientiam bellicorum motuum, sive Artem quandam imperatoriam acierum instruendarum, & armorum, motuumque militarium; & motus belli duplices esse, alios terrestres, & alios maritimos.

2. Notandum secundò, duplicem esse Militiam sæcularem terrestrem, equestrem scilicet, & pedestrem, ut per Tex. *in l. à caligato milite*, & ibi Gloss. *Cod. de nuptijs*, & tradit Cassan. *in Cathalogo glor. Mund. p. 9. in declar. laud. & honor. milit. §. Duodecima consideratio*, ubi declarat qui sint milites equestres, & pedestres. Equestrem esse, quæ equis vehitur; & quæ olim curribus falcatis, & Elephantibus turres hominibus refertas gestantibus vehebatur. Pedestrem verò, quæ humi consistit. Leo Imp. *loc. cit. num. 7.*

3. Notandum tertiò, duplicem esse classem hominum, qui ad bellum confluunt, alteram, nempe prælianten, seu bellatricem; alteram verò ad usus belli procedentem imbellem: & successivè homines ad bellum procedentes in duplici esse differentia; bellatores, videlicet, milites, qui adversus hostes instruuntur; & imbelles, qui sunt Medici, Ministri, Mercatores, & alij, qui ad necessarios usus tum corporales, tum spirituales consequuntur.

4. Notandum quartò, quatuor esse militiæ species, nempe humanam, in qua sunt omnes homines, teste Job. *cap. 7.* Militia est vita hominis super terram: Cælestem, in qua sunt omnes Clerici, qui Christi Domini DEI Exercituum Milites nuncupantur: Inermem, in qua sunt omnes Advocati, qui milites pariter in jure vocentur, *l. Advocati, Cod. de advocat. divers. judic.* Et denique armatam, in qua sunt omnes, qui in Matricula scribuntur, quique olim in genu Principis jurabant se nunquam evitaturos mortem pro salute Reipublicæ, aut à signis, seu stationibus sibi traditis non recessuros; quod habetur *in l. 1. §. Miles, ff. de re militar. l. penult. Cod. ex quib. caus. majores.*

Notandum quintò, antiquas cæremonias circa electionem militum, quas inter alios refert Molfesius, *in Sum. p. 1. tract. 8. cap. 13. num. 55.* hodiè non esse usu receptas; nam Capitanei à Principe eliguntur, & Milites à Capitaneis, & arma duntaxat illis dantur, & in Matricula, seu Rollo, sive Libro aliorum militum scribuntur. 5.

Notandum sextò, ex militia armata tres militum Classes haberi, unam, scilicet, eorum, qui Castra sequuntur, licèt aliquando ex permissione Ducis, in Civitatibus ad tempus sint. Alteram Præsidiariorum, qui in Arcibus, & Fortalitijs, seu etiam in ipsis Civitatibus, custodiæ, & præsidij causâ conducti sunt, illi muneri perpetuò addicti. Tertiam denique eorum, qui ex Instituto Ecclesiastico per Sedem Apostolicam probato, certam militiam profitentur, pugnæ parati pro defensione Fidei contra ejus hostes, prout sunt milites Hierosolymitani, Theutonici, Sanctorum Mauritij, & Lazari, S. Jacobi, & alij, ut notat Card. De Luca, *lib. 3. de Jurisdict. disc. 33. num. 5.* ubi addit quartam Classem, eorum nempe, qui vulgò nuncupantur *di Militie*, & clariùs à nobis explicabitur. 6.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an cuilibet cujusvis ætatis, sexûs, & conditionis liceat adscribi militiæ, & in bello militare, affirmativè 7.

mativè videtur respondendum, exceptis pueris capacitatem arma sumendi minimè habentibus: quia omnes sive Clerici, sive Juvenes, sive Senes, sive fœminæ, sunt partes Reipublicæ; Ergo cuilibet indistinctè licet pro Reipublicæ tuitione arma sumere, seu militiæ adscribi. Per militiam enim, & armorum exercitium Reipublicæ quies, atque salus quæritur, & conservatur, & ab omni hostili violentia liberatur. Quoad Clericos, videtur favere Tex. *in cap. Summa militia, causa 23. quæst. 1.* ubi inter actiones summè laudabiles, & valdè meritorias, militiæ exercitatio pro Reipublicæ utilitate collocatur; & Seneca *in Hercule furente, Trag. 1.* ait, *quod omnis in ferro est salus.* Præterquamquod, bellare omni jure, divino, naturali, gentium, pro Reipublicæ, & suarum rerum tuitione cuilibet esse permissum testatur Paul. da Cast. *cons. 31.* & dicit Tex. *in cap. Militare, causa 23. quæst. 1.* militare non esse delictum. Imo Sanctitati status Clericalis nullum posse inferre præjudicium militiam, tot Viri sanctissimi militiam exercentes, & à DEO approbati, & Reg. 1. 2. 3. 4. Machab. 1. 2. memorati, sunt Testes; ex quibus Clericos militiæ adscribi non dedecere sufficienter apparet.

8. Quoad Senes: in milite scientiam rei militaris requiri, quæ consistit in cognitione itinerum, locorum, personarum, omniumque rerum ad usum militarem pertinentium, affirmat Cassanæus, *loc. cit. §. Prima conclusio*; & rerum cognitionem, seu notitiam ex longo annorum experimento habere Senes, dubitat nemo. Ergo senibus quoque militiæ adscribi licitum est.

9. Quoad fæminas verò; notæ sunt Historiæ de varijs fœminarum bellis mentionem facientes. Henric. Kornmannus, *Tract. de Virginit. cap. 41.* Nevizan. *in Sylva nupt. lib. 1. num. 19. & leg. bellomissi, 18. ff. de excusat. Tutor.* Et in pluribus libris dicitur, quòd fuerunt fœminæ bellicosissimæ; in Scythia, quæ appellabantur Amazones; seu Amazones; nec non & hìc in nostra Italia: unde Venetijs in celebri Thesauro, & Januæ extant armaturæ pretiosis gemmis adornatæ ad fœminarum corpora compositæ, quasque ad pugnandum Fœminæ adhibuere. Quod sanè clarum est argumentum, Fœminis militiæ adscribi, & arma sumere licere.

10. Veritas tamen est, militiæ adscribi, & in bello militare licere tantummodò masculis sæcularibus, majoribus 14. annis, nulla causa legitima impeditis, Aristot. *lib. 8. Politic. cap. 4.* Leo Imp. *de bellic. appar. cap. 3.* Petrin. Bellus, *Tract. de re milit. p. 1. tit. 7.* Molf. *in Sum. p. 2. tract. 12. cap. 3. num. 267.* Menoch. *consil. 102. num. 42.* ubi multos allegat, & sequitur. Et omnes *in leg. ult. Cod. de testam. milit.*

11. Moveor primò juribus, *in tot. tit. Cod. qui militare poss.* ubi diversæ conditiones jam explicatæ, & inferiùs in illationibus exprimendæ à militia excluduntur; & masculi ad militandum admittuntur.

Moveor secundò rationibus; nam ætas major
12. 14. annis in viro apta est ferre arma in bello, & validè pugnare. Legimus enim in Historiis Ecclesiasticis, & certum est apud omnes, S. Martinum quindecim annis natum in militiam profectum esse. Tum quia, verus miles non debet mortis pericula extimescere, imò illis generosè obviam ire tenetur. Scimus autem viros annis 14. majores mortis pericula minùs timere, cum minùs ea apprehendant, in iisque spiritus generosos ad tubæ, tympanorumque sonitum excitari. Postremò, mos fuit antiquus, & semper laudata consuetudo in omni Ditione, eos in milites eligendi, qui ad belli usum maximè idonei judicantur, nempe fortes, robusti, alacres, ut notat Leo Imp. *loc. cit.* & in membris benè compositi, utpote ad arma gerenda, & ad pugnandum magis habiles; & tales esse masculos majores 14. annis docet experimentum; propterea eis licet militiæ adscribi.

Moveor tertiò exemplo. Primò, in Servio 13.
Tullio Romanorum Rege, qui Adolescentes ab anno decimoseptimò, quos idoneos ad pugnandum jam esse Reipublicæ periculis arbitrabatur, in milites scripsit, ut refert Gellius, *lib. 10. Noct. Attic. cap. 28.* Petrus Crinitus, *lib. 5. de honesta disciplina. cap. 9.* & Alex. ab Alex. *lib. 1. dier. genial. cap. 20.* ubi asserit idem, Ævo subsequente, Cajo Graccho lege sacrata sancitum fuisse. Secundò, in Dec. Junior. Dictatore, qui etiam juniores annis septemdecim militiæ adscripsit, teste Livio, *lib. 2. Deca. 3.*

Concludimus igitur, licere militiæ adscribi, & 14.
in bello militare tantummodò masculis sæcularibus, majoribus annis 14. seu tribus elapsis annis post pubertatem, nulla causa legitima impeditis, cùm arma sint apti tractare, hostibus nocere, Reipublicæ inservire, & bellicis laboribus Principem defendere, victoriam reportare. Diximus majoribus quatuordecim annis, seu tribus elapsis annis post pubertatem; cùm in hujusmodi ætate, & non prius, sint habiles ad bellandum. Addimus, nulla causa legitima impeditis; quia plures sunt causæ à militia sumenda excusantes, ut ex illationibus apparebit.

Ad opposita respondemus. Ad primum, adesse 15.
jura, quibus militia, seu bellare Clericis interdicitur; ut in sequenti Difficultate patebit.

Ad secundum, allegatum Cassanæum loqui de 16.
summis exercituum Ducibus, quibus necessaria est rerum militarium ad usum bellicum spectantium notitia, quæ longo tempore acquiritur; & etiam auctoritas, quæ faciliùs matura ætate adjuta exercetur; non verò de militibus privatis; qui, cùm debeant esse fortes & robusti, nullatenus senes esse debent, utpote robore, & fortitudine ut plurimum destituti: nisi vellet asserere, milites senes, seu veteranos laudabiliter adhiberi, causa non arma sumendi, sed consilii dandi in bello gerendo; quod utique nos libenter admittimus: concedentes insuper, hos milites veteranorum consequi privilegia, præsertim immunitatem ab oneribus & muneribus personalibus, ut per Tex. *in l. fin. Cod. de iis, qui non impletis stipendiis, Sacramento soluti sunt, lib. 10.*

Ad tertium denique de fœminis, negando ad 17.
eas spectare jus militandi, seu illis licere militare, & hoc quidem ratione sexus. Militia enim appellatur in jure dignitas, ut notat Cardinalis Al-

banus, *in Lucubrat. in Bart. in l. ex eo tempore. ff. de testam. milit, num. 2.* ubi alios citat; & aut publicum officium, ex quo annuatim, aut aliis temporibus emolumentum aliquod percipitur, ut patet, *l. Lucius, ff. de leg. 2.* & aliis juribus, relatis ab Anton. Gom. *ad leg. 29. Taur. num. 21.* Quis autem dixerit licere fœminis virorum officium gerere? Neque exempla de fœminis, quæ pugnaverunt, & de armaturis veræ pugnæ argumentis nobis obstant, asserentibus duntaxat ratione decentiæ minimè licere fœminis militare, non verò necessitatis: atque adeò, si verum est, fœminas olim militasse, & pretiosas armaturas, quæ Venetiis, & Januæ ostenduntur, fœminis ad militiam accedentibus pugnaturis verè inservisse; credendum est ob necessitatem, quæ legem non habet, ut sæpe juribus demonstratum est, militiæ fuisse adscriptas.

18. Infero primò ex dictis, licere filiisfam. ætatem præfatam habentibus, militare, quia in iis, quæ sunt publici juris, non attenditur patria potestas, *Arg. §. 1. Instit. de excusat. Tutor.* ubi habetur, patriam potestatem non attendi in tutela, officiis publicis; & propterea neque in militia, præsertim cùm possint non parùm Parentibus prodesse; nam illis in bello pro Republica decedentibus, excusantur parentes ab onerum impositione, & in perpetuum decorem habere, & gloriosè vivere intelliguntur. Præterquam quòd, ad magnas dignitates possunt pervenire, multaque bona justè acquirere, & sic parentes adjuvare. Contrarium tenent alii, quorum opinionem admittimus, sed cum limitatione, scilicet, quando parentes magna egestate premerentur.

19. Infero secundò, non licere servo, Domino nesciente, aut recusante, militiæ munus sumere. Clarus est etiam Tex. *in l. super servis. Cod. qui milit. non poss. lib. 12.*

20. Infero tertiò, non licere prædiorum Conductoribus, neque Colonis militiæ adscribi, *l. Cura pervigili. Cod. eod.* nam respublica culturæ agrorum omissione damnum pateretur.

21. Infero quartò, justè prohiberi militibus officium Procuratoris exercere. Card. Alban. *in lucubrat. in Bart. in leg. filiusfa. §. Veterani, ff. de Procur. num. 1.* & armatam militiam Curialibus officium aliquod habentibus, *l. & omnes, eod. tit.* cùm debeant alio modo Reipublicæ, seu publico Bono inservire. Secùs verò, si possunt spontè hujusmodi munus relinquere, *d. l. omnes, Cod. qui milit. non poss. lib. 12.* & ibi DD. communiter; & talis est praxis.

22. Infero quintò, Uxoratis minimè licere militiam sumere, si habent uxores juvenes, aut prægnantes, eorum adjutorio, seu assistentia indigentes, ut clariùs in sequentibus Difficultatibus explicatur. Secùs verò, hisce, aut similibus causis abientibus.

23. Infero sextò, neque Negotiatoribus militare licere, nisi negotiationem dimittant, *l. 1. & ne. Cod. de re militar. lib. 12. aliisque leg. tot. tit. Negotiatores, nè milit. Cod. eod.*

24. Infero septimò, neque militare licere duas habenti militias diversi generis, eodem tempore, vel dignitatem, & militiam, *l. iis quidem, eod. tit. qui milit. non poss.* hujusmodi enim servitia sunt ad invicem incompossibilia.

Infero octavò, non licere senibus, extra casum in secundo responso ad objecta explicatum, militiæ adscribi, cùm in illis deficiant vires necessariæ ad arma gerenda, & ad labores bellicos sustinendum. Descriptio enim eorum in grave Reipublicæ detrimentum redundaret. 25.

Infero nonò, puniri Duces, qui, injussu Principis, milites eligunt, præsertim ratione non habita ad ætatem, sexum, & conditionem, *l. neminem. Cod. de re militar. lib. 12.* 26.

Infero decimò, verè non esse milites, neque illorum nomen, vel privilegia mereri, neque judici militari subesse (nisi quando turmatim, & actualiter sub eorum Duce, in contingentibus occasionibus reperiuntur, seu adversus publicos hostes, vel Bannitos arma sumunt), milites, qui vulgò nuncupantur *de Militie*, in propriis domibus, & patriis viventes; artibus, vel agriculturæ pro majori vitæ tempore incumbentes; quique sunt quædam pars populi electi ad occurrendum defensionibus loci; & ad fugandam confusionem ex concursu totius populi etiam inermis resultantem, Ruit. super *Prag. 11. de militibus, num. 34. 38. 39.* apud Card. de Luca, *lib. 3. de Jurisdict. disc. 35. n. 6.* ibi asserentem, hujusmodi milites aliquibus privilegiis, & exemptionibus gaudere, quamvis sint ad bellandum minùs apti. 27.

Infero undecimò, militem non à tempore electionis, sed è tempore, quo scriptus est in Matricula militum, incipere uti privilegio militari. Cardinal. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in d. l. ex eo tempore.* Vide etiam Abb. *in cons. 47. in primo volum.* Præpos. *in Cap. Quanto, 63. Dist.* Paul. de Castr. *in l. Seriniarios, Cod. de test. milit.* Alex. *in l. 1. col. 25.* in fin. *ff. de Offic. Assess.* 28.

Infero duodecimò, esse ignominiosam, & omnimodè milisi repugnantem ignaviam in laboribus bellicis; cùm miles, qui debet esse in omnibus adversitatibus fortis & robustus, dicatur à militia, hoc est à duritia, quam miles debet in suo exercitio amplecti, & sustinere; vel dicatur à malo, ut volunt alii; quod non debet pro salute Reipublicæ evitare. Non reprobamus tamen militem etiam dici à multitudine, seu à numero millenario; quia olim ex mille hominibus unus eligebatur ad bellandum idoneus. 29.

Infero decimotertiò, milites teneri se exhibere in laboribus patientes, & ad bellum pro patria suscipiendum paratos: Leo Imp. *de App. bell. cap. 18. num. 16.* 30.

Infero decimoquartò, milites etiam privatos nullatenùs esse contemnendos, cùm inter omnia Mortalium exercitia nihil sit excellentius, nihilque præclarius armata militia. Hinc Plato, *de Republica*, cùm cæteros status in civitate instituisset, unum necessarium hominum genus longè cæteris anteposuit, qui arma sumerent, populumque ab Adversariis defenderent, quos mirificis privilegiis gaudere, honoreque ac dignitate alios Cives antecellere voluit. Teste Cass. *loc. cit. §. Inducta est enim.* 31.

Infero decimoquintò, omnes, qui volunt bellum suscipere gratia aut patriæ, aut amicorum, 32.

aut

aut Cognatorum, aut Christianæ Reipublicæ; aut propter Dominum nostrum Jesum Christum, debere se assuefacere famis inediâ, frigore, calore, vigilantiâ, aliisque laboribus, ac ærumnis: & sic suo tempore inter bellandum omnes ingravescentes rerum perturbationes æquo animo sustinebunt; seque reapse dignos laude constituent quarumdam Nationum, inter quas erant Persæ, quæ, inquit Leo Imperator, *loc. cit. num.* 20: „ Cùm adversus Romanos pugnabant, atque „ in aliquod periculum inciderent; nè salutem „ quidam, quam exoptabant sibi ipsis propo„ nere volebant; sed eam ab hostibus proposi„ tam accipiebant: tanta erat in illis malorum, „ ac gravium rerum perpessio: Necnon apud Rempublicam, seu Principem remuneratione: & apud Deum mercede, si justa bella bellabunt, & pro ejus amore mala occurrentia læto animo excipient.

II. DIFFICULTAS.

An liceat Clericis militiæ munus exercere, id est, sumere Arma, & in bello justo bellare.

1. NOtandum primò, tunc bellum esse justum, quando fit ab habente auctoritatem indicendi, cum causa justa, & proportionata fini, & rectà intentione, & adhibita moderatione in damno hostibus inferendo. Ita communiter DD. ut notat Sayr. *in suo Thesaur. lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 1. Et ita nos supra explicavimus.

2. Notandum secundò, omnem initiatum prima tonsura dici Clericum à nomine Græco *Cleros*, quod latinè sors interpretatur: atque adeò Clericus est minister deputatus ad Cultum divinum, & electus in sortem Domini, ut illi serviat. Habetur *in Cap. Cleros,* 21. *Dist.* & ita docent communiter Canonistæ.

3. Notandum tertiò, appellatione Monachorum venire, ut alibi adnotavimus, omnes professos in Religione approbata, etiam Novitios, & conversos. Vant. *de disciplina Cleric. lib.* 4. *de Ecclesiast. Repub.* & omnes gaudere privilegio Canonis, *Cap. Monachi, Cap. Parochianus, extra, de sent. excomm. & Cap. Religiosi,* §. *fin.* & ibi Glos. *versic. non possit, eod. tit. in* 6. & ita DD. præcipuè Navar. *cons.* 27. *lib.* 5. *cap.* 26.

4. Notandum quartò, Personas Ecclesiasticas cessare, esse de corpore Reipublicæ civilis; atque adeò communiter votum; & suffragium in Consiliis, & Parlamentis sæcularibus à jure non habere; neque de honoribus, & dignitatibus, aut officiis civilibus Reipublicæ, aut Regni participare, sed aliam quamdam Rempublicam sacram, & quasi divinam constituere: unde sors Domini appellantur, *dict. Cap. Cleros, Dist.* 21.

5. Notandum quintò, Clericos, secundùm aliquos posse uti armis defensionis, ut clypeo, lorica; nè scilicet lædantur à sagittis volantibus, vel telis, sed non armis impugnationis: & secundùm alios, posse omnia arma tam offensiva, quàm defensiva sumere non quidem pro aliis, sed ad se defendendum, & in necessitate inevitabili, ut *tot. de homic. cap.* 2.

Notandum sextò, posse Clericos etiam cum armis defensivis, ut thorace, clypeo, & galea munitos præesse exercitui, & præire cum vexillo Crucis: quod docuit Maiol. *lib.* 5. *cap.* 49. *num.* 1. ubi inquit, posse Clericos deputari in Commissarios exercitûs, & habere officium provisionis, nempe ut militibus ministrent sumptus, & annonam, quale officium habuit P. D. Franciscus Bonesana, Clericus Regularis, charissimus meus Condiscipulus hic Romæ in studio Theologiæ; illi commissum à sancta memor. Innocentii XI. in Polonia exercendum, & ab eo fideliter, & summa omnium laude exercitatum; propterea dignè postea ab Innocentio XII. Episcopus Civitatis Cajacensis, & post duos annos, ad Comensis Civitatis Episcopatum ab eodem Pontifice fuit translatus. 6.

Notandum septimò, posse Clericos consilium præbere circa res bellicas: quo in munere fuit Guilielmus Durantii, qui Speculator dictus est in bello, quod Martinus IV. gesserat adversus Civitates Ramandiolæ, quæ ab Ecclesiæ imperio, seu ditione defecerant, & postea Episcopus Mimatensis factus est. Ita refert Sayr. *loc. cit. n.* 2. *in fin.* 7.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an liceat Clericis militiæ munus exercere; id est, sumere arma, & in bello justo militare; affirmativè videtur respondendum; nam Petrus, cui Dominus ait, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* arma, nempe, gladium arripuit ad militandum contra Hostes sui Magistri: *Exemit gladium suum, & percutiens servum Principis.* S. Matth. 26. 51. Præterea Valens Imperator jussit Monachos militare, & nolentes interfici. Paul. Diacon. *lib.* 11. *de gest. Roman.* Calist. *lib.* 9. *cap.* 16. 8.

Veritas tamen est, Clericis extra casum necessitatis, & absque Pontificis auctoritate, non licere sumere arma in propria persona ad bellandum contra Hostes, quamvis justum sit bellum. D. Tho. 2. 2. *quæst.* 40 *art.* 2. & ibi Cajet. D. Anton. *in Summa, p.* 3. *tit.* 28. *cap.* 2. § 6. Bald. *cons.* 339. *ad bellum justum. vo.* 1. *lib.* 5. Abb. Card. Fel. *in cap. pen. de homic.* Turrecrem. *in Cap. De Episcopis verò. & in Cap. Clerici, causa* 23. *quæst.* 8. Turrian. *de fide, spe, & charit. disp.* 93. *dub.* 1. *art.* 2. Molina, *de bello*, Bonac. & alii communiter. 9.

Moveor primò juribus, *in Cap. Clerici, Cap. Quicunque, causa* 23 *quæst.* 8. *Cap. Ex multa,* §. *De Clericis, de vot. in Clement.* 1. *de homicid.* ubi Clericis, iis maximè, qui in Sacris constituti sunt, propria manu in bello justo pugnare prohibitum est, ut notat Sayr. *in suo Thesaur. lib.* 6. *cap.* 19. *num.* 2. 10.

Moveor secundò rationibus; nam Clerici sunt electi in sortem Domini Jesu Christi, qui est Rex pacificus, ut illi soli serviant; & Clericorum arma sunt lacrymæ, & orationes, ut tradit Card. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l.* 1. *ff. ad leg. Jul. de vi publ. num.* 4. & ideo eis non licet in propria persona pugnare; Deinde arte bellica, armorumq; 11.

strepitu avertuntur Clerici à laude DEI, & officiis celebrandis. Tum quia, Clerici non possunt effundere sanguinem humanum, juxta illud, *Non ædificabis mihi Templum, quia vir sanguinis es.* Paralip. *Cap. 22.* Quomodo ergo Clericis bellare licebit, dum bellum nil aliud est, quàm sanguinis humani effusio? Per bellum enim ad effusionem sanguinis necesse pervenire.

12. Moveor tertiò exemplo, in Petro Amian, qui in bello Hierosolymitano interfuit, & in S. Joanne Capistraneo, qui cum exercitu illo contra Turcas migravit, non quidem ut propria manu pugnarent, sed ut justè pugnantes, spiritualiter adjuvarent; & in tot alijs Sacerdotibus, qui exercitum quidem comitantur, ut bellantibus auxilia spiritualia præbeant, sed nullatenus audent arma sumere ad bellandum; & quamvis arma gerant, ad suam propriam defensionem, aliqua superveniente inevitabili necessitate, hoc faciunt. Et in alijs non paucis Clericis, qui cum absque debita facultate bellaverint, fuerunt ab Episcopo tanquam rei illicitæ operationis severè puniti.

13. Concludimus igitur, licere quidem Clericis in bello interesse, ut justè pugnantibus spiritualiter subveniant, & etiam in bello justo hortando milites ante conflictum ut fortiter pugnent: ut officium suum faciant: ut Patriam, aut Fidem defendant; ut justitiam tueantur: ut intrepidè se gerant, ut docet Pan. *in cap. Petitio, num. 9. de homicid.* S. Anton. *3. p. tit. 29. §. 3. num. 2.* Martin. Ledesm. cum alijs; non verò ut pugnent, ut mutilent, ut occidant; aut ut dicant militibus in bello, mutilate, occidite, percutite, vibrate ensis ictum in hunc, vel illum; cùm hoc sit movere proximè milites ad mortis executionem, quod statui clericali videtur omnino repugnare.

14. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, quòd Petrus gladium arripiens culpatur, ut dicit S. Augustin. *lib. 21. contra Faustum*; unde illi denuo usurpare gladium tentanti præcepit Christus. *Converte gladium tuum in locum suum.* S. Matth. 26.

15. Ad secundam, quòd Valens Imperator impius & hæreticus nullatenus potuit Monachis præcipere militare, ut Cothor. *de jur. milit. lib. 1. cap. 14.* & alij per eum relati. Imperatori enim nulla competit in Ecclesiasticos potestas. Gen. 47. Exod. 8. Matth. 12. 17. 23. quos Tex. & alios congerit Beller. *disq. cler. p. 1. tit. de favore Clericor. personali, §. 1. num. 27.* Vide etiam Barbos. *collectan. Doctor. tom. 1. lib. 1. decret. de constit. 2. n. 19.* & alios asserentes, licere Clericis, jussu Principis, propria manu pugnare tantùm in gravissima, & extrema Reipublicæ necessitate; cùm necessitas non habeat legem, seu cùm in necessitatis articulo locum non habeat, *Arg. de consec. Dist. 1. cap. Sicut.*

16. Infero primò ex dictis, non licere Clericis, inconsulto Pontifice, contra Infideles militare. Barbos. *in d. collect. Doctor. lib. 3. tit. 34. cap. 9. n. 7.*

17. Infero secundò, à Castris, quæ sunt sedes inhumanitatis, Regulares præcipuè esse arcendos, cum specialibus legibus à sæcularibus negotijs abstinere debeant, ut habetur *tot. tit. nè Clerici, vel Monachi sæcular. negot. se immisc.* Idem Concilio Chalcedonensi statuente *in cap. Quidam Monachi, causa 16. q. 1.*

18. Infero tertiò, Clericis non licere cum armis incedere. Ita ex Concil. Melden. relato *in cap. Quicunque ex Clero, causa 23. quæst. 8.* nec arma intra Monasterium, si sunt religiosi, tenere; alias esse ipso jure excommunicatos, ut habetur *in Clement. nè in agro, de vita, & honest. Cleric.* & tradit Card. Albanus, *in lucrubrat. in Bart. in l. 1. ff. ad leg. Jul. de vi publ. num. 4.*

19. Infero quartò, Clericos non solùm pugnantes in bello propria manu; & alium occidentes, aut mutilantes, esse irregulares; sed etiam irregularitatem incurrere, si dicant militibus, occidite, mutilate, si exindè aliquis interficiatur, aut mutiletur. Ita etiam docet Sayr. *loc. cit.*

20. Infero quintò, Clericos bellantes, quando eis bellum prohibetur, peccare mortaliter. Ita sentiunt communiter Doctores; intelligendo Clericos constitutos non in minoribus Ordinibus, aut carentibus beneficio Ecclesiastico, qui pugnantes in bello justo, nullo modo peccant; Sayr. *loc. cit.* sed in sacris existentes: & colligitur non solùm ex gravitate materiæ, sed etiam ex pœnis, quæ illis à varijs juribus imponuntur. *cap. Quicunque Clericus, cap. Clerici, cap. Quicunque ex Clero.*

21. Infero sextò, Beneficiatium, seu Canonicum nondum capitularem, neque redditus capitularium habentem, si ei permittatur ad bellum proficisci, ut in aliquibus Germaniæ Diœcesibus, si accidat propria manu in bello aliquem occidere, vel mutilare, teneri beneficium resignare, vel dispensationem super irregularitatem impetrare. Diana, *p. 6. tract. 4. Res. 34.*

22. Infero septimò, non esse irregulares Clericos etiam constitutos in sacris, militibus assistentes in spiritualibus, si occidant, aut mutilent ad se defendendum cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, si aliter vitam suam tueri non possint. Panor. *in cap. Petitio, n. 2. de homic.* Sylvest. *v. Homicidium, 3. q. 6. vers. sextum,* Tabien. *verb. Irregularitas, 3. n. 21. §. vigesimo.*

23. Infero octavò, Clericos etiam in minoribus existentes, si sint Beneficiati, chirurgiæ, vel medicinæ operam dantes in bello, vel extra bellum, irregulares fieri, si inde sequatur homicidium, cum eis prohibeatur officium chirurgiæ cum adustione, vel incisione, *in cap. Sententiam sanguinis, nè Clerici, vel Monachi.*

24. Infero nonò obiter, fieri irregularem Clericum in sacris constitutum, incumbentem venationi periculosæ, qualis est ea, quæ fit armis, quamvis adhibeat sufficientem diligentiam, nè sequatur homicidium, secuto homicidio; quia venatio est Clericis prohibita, ut notat Sayr. *in suo Thesaur. lib. 7. cap. 6. num. 17.* ubi pro hac sententia allegat, & sequitur D. Anton. Angelic. Sylvest. Socin. Cajet. & alios.

25. Infero decimò probabiliùs, Religiosos laicos mortaliter peccare, si in bello justo sine debita licentia pugnent: cùm id directè sacris Canonibus, sub gravibus pœnis, illis prohibeatur, ut habetur *ex cap. Eos, qui, causa 20. q. 3.* nec non & gravem indecentiam Religionibus pariat, cùm Religiosi sive Clerici sint, sive Laici debeant in

suis

suis Monasterijs, ministerijs sui Ordinis vacare, non arma ferre, non exercitum sequi, non homines interficere; non publicis honoribus se tradere. Ab hoc dissentit Castropalaus, apud Leand. p. 5. de pœn. Ecclesiast. disp. 7. quæst. 111. existimans, laicos religiosos, ad bellum procedentes, peccare tantùm venialiter, & solùm excommunicari ratione apostasiæ à Religione, se militiæ tradendo.

26. Infero undecimò, ad tollendos scrupulos, Clericos, licèt per se ipsos non possint bellare, & pugnare, posse tamen suadere bellum justum, & ad illud inducere. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 40. art. 2 ad 3. Molina, tom. 1. de just. tract. 2. disp. 108. & colligitur apertè *ex cap. Igitur, & alijs quatuor seqq. causa 23. quæst. 8.*

III. DIFFICULTAS.

An Marito, jubente Principe, liceat, uxore etiam reluctante, & relicta, militiæ adscribi, arma sumere, & militare.

1. NOtandum primò, matrimonium propriè effici ex mutuo consensu viri, & mulieris, ut habetur *ex l. nuptias, ff. de reg. jur. cap. Cùm locum, de Sponf. cap. Matrimonium, causa 27. quæst. 2.* & docet Turrectem. *in d. cap. Matrimonium, §. Ad primum.*

2. Notandum secundò, appellatione mariti & uxoris venire, seu intelligi illos, qui matrimonium consumaverunt, non autem illos, qui solùm contraxerunt per verba de præsenti. Abb. *in cap. Ex publico, de conver. Conjug. in ult. not.* Philip. Dec. *cons. 540. num. 3. & 6.*

3. Notandum tertiò, matrimonium esse viri ac mulieris maritalem conjunctionem inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinentem. Ita habetur *in cap. Illud*, in fin. *de præsumptionib.* ut notat Sanchez, *lib. 2. de matrim. disp. 1.* Molfes. *in Summ. par. 1. tract. 4. cap. 6. num. 12.*

4. Notandum quartò, teneri Conjuges jure naturali, ac divino simul habitare; hancque obligationem cohabitandi ex ipsamet contractûs conjugalis natura oriri, ut docent communiter Scriptores, quia Alex. III. *cap. 1. & 2. de Conjug. lepros.* hanc obligationem cohabitandi probavit ex illo Genes. 2. *Erunt duo in carne una*; & ex illo Matth. 5. *Omnes, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*; & sic explicat Sanchez, *lib. 9. de matrim. disp. 4. num. 2.* ubi notat, hujusmodi obligationem non tantùm esse in eadem domo habitandi; sed etiam ad eandem mensam accumbendi, in eodemque thoro jacendi, quod etiam docet Ant. Cucus. *l. 5. Instit. major. t. 11. num. 25.* Teste ipsomet experimento: Id enim ad perfectam Conjugum unionem exigitur, & ad intentissimam ipsorum amicitiam. Ita Sanch. *loc. cit.*

5. Notandum quintò, peccare uxorem, quæ propria authoritate, & absque justa, & rationabili causa, à viro recedit, vel debita viro obsequia minimè præstat; Reginal. *lib. 20. sub num. 48.* cùm uxor esse debeat in obsequio sui viri, *cap. Hæc imago, causa 33. quæst. 5.*

Notandum sextò, aliquas esse uxores, quæ viros occidunt odio; quasdam verò, quæ occidunt viros amore nimio, & zelotipia victæ. Livia enim virum suum occidit, quia nimium oderat; Lucillia suum, quia nimium amaverat: Illa spontè miscuit venenum: Hæc decepta venenum propinavit pro amoris poculo. Id omnibus ferè historiis referentibus. 6.

His adnotatis, ad propositam difficultatem, an marito, jussu Principis, liceat, uxore etiam reluctante, & relicta, militiæ adscribi, arma sumere, & militare, negativè videtur respondendum, quia Lex divina, ut notavimus, ad cohabitandum obligat; cùm enim vir, & uxor una caro sint, non debet alter sine altero diu esse: ita *ex d. cap. 1. de Conjug. lepros.* Præterea, uxor, invito marito, non potest adire bellum, Ergo neque maritus, invita uxore. 7.

Veritas tamen est, posse licitè maritum, repugnante uxore, bellum adire; præsertim Principe, cujus est subditus, imperante. Sot. *in 4. Sent. Dist. 32. quæst. 1. art. 3.* in solutione secundi argumenti; *& lib. 7. de just. quæst. 1. art. 1. vers. an verò.* Navar. *in Sum. lat. cap. 16. num. 32. vers. tertiò,* Sanchez, *loc. cit. num. 13.* Nald. *in Summ. verb. Maritus, sub num. 12.* Cesped. *in suis Dub. militar. dub. 30.* Et est communis Doctorum sensus. 8.

Moveor primò juribus, *in cap. Qui resist. causa 11. quæst. 3.* ubi dicitur, quod ex ordinatione divina homo tenetur homini obedire Superiori suo: & idem *in cap. Obedientiam, 93. dist. & cap. Quid culpatur, causa 23. quæst. 1.* Et 1. Reg. 9.
„ *cap. 15. num. 22.* ubi dicitur, quod melior est
„ obedientia, quàm victimæ, & auscultare
„ magìs, quàm offerre adipem arietum.

Moveor secundò rationibus; nam Bonum commune, seu publicum, quod respicit bellum, est præferendum bono privato: atque adeo potest maritus Bono publico suum privatum, seu bonum uxoris postponere. Tum etiam, quia uxor tenetur viro suo obsequium præstare, ut notavimus: præcipuum verò obsequium viro præstandum est procurare, non impedire ea, quæ necessaria sunt ad domum decenter gubernandam, ut sunt divitiæ, honores, officia, & similia, quæ miles potest, laudabiliter bellando acquirere; adeóque si repugnat, irrationabilis est repugnantia; & successive maritus minimè tenetur illi parere militiam sibi prohibenti; hoc enim esset Principis mandatum contemnere, Bono communi præjudicium inferre, spem bonorum, quæ militia rectè, & generosè bellantibus promittit, contemnere. Præterquam quòd, sensus ferè communis Doctorum est, licere viro, etiam repugnante uxore, abesse, justa & rationabili causa existente. Justa sanè, & rationabilis causa est Reipublicæ inservire, mandatum Principis bellum justè indicentis exequi, bono communi, & privato consulere. Non igitur agit maritus contra mutuum consensum, quo Conjuges in ipso 10.

ma-

matrimonij contractu pollicentur procedere, ad bellum, uxore repugnante, procedendo.

11. Moveor tertiò exemplo in tot militibus, quotidiè ad bellum properantibus, Principum jussu, quamvis non sint eorum Domini naturales, uxoribus invitis, & plorantibus, & à Theologis praxim, seu consuetudinem continuam observantibus, nunquam damnatis.

12. Concludimus igitur, posse viros, absque ullo scrupulo, jussu Principis, ad bellum, invitis & strepitantibus uxoribus, procedere; nec teneri eas ducere, cùm non possint eas in bello tutè, & decenter, regulariter loquendo, detinere.

13. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, dicendo jura allegata, & cæteras prohibere abesse Conjuges, quando non adest justa, & rationabilis causa; aliàs divortia etiam per sententiam Judicis Ecclesiastici essent illicita, quod est contra Trident. *Sess.* 24. *Can.* 7. & 8. ubi de fide determinatur divortium esse mariti, & uxoris separationem legitimam quoad mutuam cohabitationem.

14. Ad secundam: admisso anteced. negando consequentiam; & assignamus disparitatem; quia mulier non est militiæ, nec alijs negotijs idonea: adeòque non potest absque mariti licentia militare, & abesse.

15. Infero primò ex dictis, posse maritum, invita uxore, ad quævis alia negotia suapte sponte peragè proficisci, neque fidem matrimonij obstare posse. Ita Sot. *loc. cit.*

16. Infero secundò, licere viro emittere votum eundi in subsidium Terræ Sanctæ, renitente uxore illud emittere, & teneri illud exequi: ita expressè *in cap. Ex multa*, §. *In tanta, de voto*; nec teneri secum deferre uxorem, si statim est rediturus, cùm dedeceat fœminas its peregrinari. Præterquam quòd, magnis expensis opus esset; nimiumque esset incommodum. Sic pariter sentit Sanch. *loc. cit. num.* 14.

17. Infero tertiò, licere filijs familias adire bellum, invitis etiam parentibus, cùm in his, quæ sunt publici juris, patria potestas minimè attendatur. Cesped. *in Dub. militar. dub.* 30. Contrarium tenent alij, quorum opinionem veram esse arbitramur, quando parentes reperiuntur in aliqua necessitate, juris naturalis, non positivi dispositionem exigente.

18. Infero quartò, in Matriculs militum, seu Rollo posse scribi, etiam invitis parentibus, masculos, qui decimum quartum annum compleverint, cùm viri in hac ætate, ut supra demonstravimus, habiles sint ad bellandum.

19. Infero quintò, teneri uxorem virum sequi aliò domicilium transferentem, cùm debeat, ubi vir est, perpetuò manere, & lex divina Conjuges obliget ad cohabitandum, nulla in contrarium justa & rationabili causa existente.

20. Infero sextò, viro non licere, invita uxore, longam vovere peregrinationem, quamvis, ut diximus, possit vovere in subsidium Terræ Sanctæ peregrinationem: hic enim est specialissimus casus, ut notat Glos. *in d. cap. Ex multa*, §. *In tanta, de voto, verb. Viri.* Abb. ibi *num.* 8. Esto possit vovere absque uxoris consensu aliquam brevem peregrinationem, cùm vir sit caput; & etiam sine voto possit aliquo brevi tempore abesse.

Infero septimò, uxorem mortaliter peccare, si virum suum sequi recusat, quando ad id tenetur; vel si in re gravi ei minimè obediat, in quo obedientiam debet præstare; vel verbis, aut factis illum provocet ad blasphemias, aut ad gravem iracundiam. In hac sententia est pater noster Molfesius, *in Summ. p.* 1. *tract.* 11. *cap.* 18. *num.* 100. 21.

Infero octavò, graviter peccare virum, invita uxore, illam absque justa causa deserendo; vel secum cohabitare nolendo; aut illi verba infamatoria dicendo; si inde resultaret infamia. Convitium enim, seu contumelia ex sui ratione importat quandam dehonorationem; addita ad hoc proferentis intentione, nimirùm, ut per verba, quæ profert, honorem alterius auferat, D. Tho. 2. 2. *quæst.* 72. *art.* 2. *in corp.* Secus verò, si hujusmodi verba in uxorem proferat maritus ex subita ira, absque mala intentione; nam verba, inquit ibidem Angelicus Doctor, „ Nemini nocent, saltem graviter, in quantum sunt soni „ quidam, sed in quantum aliquid significant, „ quæ quidem significatio ex interiori affectu procedit, unde, absente affectu interiori in proferente, offensio saltem gravis abest. 22.

Infero nonò, maritum, expellentem absque rationabili causa uxorem, teneri eam alere, & insuper dotem restituere, & tenet Bald. *in l. ult.* in fin. *Cod. de sentent. quæ sine cert. quantit.* & Tiber. Decian. *in tract. crimin. lib.* 9. *cap.* 10. *num.* 16. ubi notat, idem esse dicendum, si primò uxor sponte recessisset, & postea volens redire, præstita sibi cautione à marito de benè tractando eam, non esset admissa, cùm tunc intelligatur expulsa, ut per Specul. *in tit. de sponsal.* §. *ult. vers.* 5. 23.

Infero decimò, non solùm uxorem; sine causa expulsam à marito, posse repetere dotem, sed etiam illi teneri dotem offerre Creditores mariti, qui volunt ejus bona cum ablatione dotis vendicare. Secus verò, si uxor non occupat bona mariti, sed eligit fundum pro dote, Antonius de Fano, *in tract. de pignor. & hypoth. in primo memb. quinta partis, num.* 4. ubi dicit, hanc opinionem esse communem. Cæpol. *in caut.* 124. *num.* 3. & ita sentire videtur etiam Card. Alban. *in lucubrat. in Bart. in l. si constante*, *ff. sol. matrim. num.* 2. 24.

Infero undecimò, licere marito ex potestate, quam habet in uxorem, moderatè eam castigare, quando delinquit, sive committendo, sive omittendo; esto gravius sit delictum in committendo, quàm in omittendo: & ideo culpa in faciendo, ut probant Bart. Alex. & alij, quos allegat Cardin. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. si mora*, *ff. sol. matrim. num.* 2. quando, inquit, delinquit, ut vult Gloss. *in leg. sed & si quemcunque*, §. *ult.* ad fin. *ff. ad l. Aquil.* Non tamen atrociter verberare, præcipuè etiam cum periculo mortis, cùm viri non habeant in uxorem vitæ, necisve potestatem, quam olim habuisse Gallos etiam in filios scribit Cæsar *in Commentar. lib.* 6. qui tamen mos ut nim- 25.

nimium crudelis, mitigatus est, cùm omnia jura clament contra viros uxorem occidentes: Unde meritò lex scripta Platonis, *lib. 9. de legibus*, vult maritum, si interficiat uxorem, & uxorem si occidat maritum, esse tanquam homicidas puniendos.

26. Infero duodecimò, non licere marito uxorem in adulterio repertam occidere. Contraria propositio fuit justè damnata ab Alexandro VII. quæ est in ordine 19. Estoquod possit eam dimittere juxta *l. marito, ff. de adulter.* quod etiam habetur ex aliis juribus tum civilibus, tum Canonicis. Et ita pariter tradunt communiter Doctores.

27. Infero decimotertiò incidenter, justas & legitimas causas divortii, seu quibus possunt Conjuges separari, varias esse, puta, sævitiam, apostasiam alterius conjugis, vitium sodomiticum viri, furorem aut mariti, aut uxoris; & denique si maritus uxorem ad peccandum cum alio provocaret, aut blandè, aut severe. Quæ omnia optimè explicat, & varijs juribus, & DD. auctoritatibus probat noster eruditus, & celebris Molfesius *in sua aurea Sum. p. 1. tract. 4. cap. 14. per totum.*

28. Infero decimoquartò etiam incidenter, à marito in carceribus, vel triremibus detento, vel in bello ab hostibus capto, justam dari causam uxori, ut pro ejus necessaria redemptione alienet fundum dotalem, cùm uxor teneatur alere virum pauperem, Sic sentit Naldus *in Sum. verb. maritus, num. 13.* ubi notat, cavendum esse, ne pro eo, quòd necessitas sublevetur, desidia, & torpor mariti foveatur, & interim uxor remaneat indotata.

29. Infero decimoquintò, non teneri uxorem sequi virum vagabundum, ut inquit *in Rubr. ff. Sol. matrim.* Gloss. *& in cap. Unaquaque, causa 13. quæst. 2.* & Gloss. *in cap. De illis, de sponsal. & in cap. Si quis necessitate inevitabili, can. 24. quæst. 2. & in cap. 1. de Conjug.* Secus verò, si uxor sciens accepisset eum maritum, qui vagari solet. Gloss. *in dist. cap. Unaquaque*, Cardinal. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in leg. suo victu, ff. de oper. libert num. 4,* ubi dicit circa hoc esse videndum, Bar. *in l. Mavia, §. Uxore, ff. de anna. leg.*

30. Infero decimosextò, maritum interficientem uxorem, vel uxore ægrotante, medicum non adhibentem, propter quod moritur, nihil debere ex dote lucrari, Bart. & alij, quos allegat, & sequitur d. Card. Alban. *in lucubrat. in Bart. in l. si ab hostibus, §. Si vir uxorem, ff. sol. matrim.* Secus verò, quando eam jure potest interficere, Puta, si esset bannita, & statuto cautum esset, bannitos posse interfici impunè. Aut si uxor ægrotaret, & maritus non posset facilè medicum invenire. Bar. *in l. idemque erit, ff. pro soc,* ubi dicit, non esse in tali casu imputandum marito, si medicum non adhibuit ad juvandam uxorem,

31. Infero decimoseptimò obiter, & ad Curiosorum satisfactionem, non esse uxorem restituendam marito vitæ restituto post ejus obitum, Sot. *in 4. Sent. Dist. 27. quæst. 1. art. 4. in respons. ad secundam conclusionem*, quia matrimonium per mortem dissolvitur. Ad Rom. *Cap. 7.* cùm matrimonium contractus sit temporalis: Omnia autem temporalia vincula, per mortem, quæ Animæ separatio est à corpore, dissolvuntur.

IV. DIFFICULTAS.

An militi liceat negotijs, quæ possunt avertere à militia, se ingerere.

Notandum primò, militiam de omnibus militibus prædicari, omnesque milites etiam in humiliori gradu militiæ comprehendere: ex Tex. *in l. Celenes, Cod. de Agricol. & Censit. lib. 11.* & cùm hæc dictio, *militia*, sit terminus indefinitus, in nostra Difficultate, absque dubio, procedit vulgata illa regula. Quòd indefinita æquipollet universali, *juxta l. si Legatum, §. Si quis bona, ad S. C. Treb. cum simili.* 1.

Notandum secundò, negotiationem triplicem esse; politicam, qua Gubernatores Reipublicæ annonam, & victum suis civibus parant: œconomicam, qua Paterfamilias suis domesticis necessaria parat: lucrativam, quæ propriè dicitur negotiatio, & etiam mercatura, qua mercatores emendo, & vendendo lucrum solùm inquirunt. 2.

Notandum tertiò, negotiationem ex se non esse intrinsecè malam, sed indifferentem, ut docet D. Tho. 2. 2. *quæst. 77. art. 4.* adeòque posse benè, vel malè fieri: posseque malè fieri, seu vitiari ratione finis, temporis, loci, materiæ, sed præcipuè personæ, cui prohibetur negotiari, ut sunt, v.g. Initiati in sacris, & omnes Religiosi, ut patet *ex cap. Consequens, Dist. 88. & cap. Secundum, ne Clerici, vel Monachi*, & passim in jure. 3.

Notandum quartò, negotium differre à negotiatione; nam negotium regulariter dicitur in judicijs, & significat causam: negotiatio verò in commercijs, idest contractibus, *ut extra, de verb. signif. cap. Forus, §. Constat;* licèt negotium accipiatur aliquando extra judicium pro negotiatione, *De procu. cap. Qui generaliter, lib. 6. Clem. fin. eod. tit.* 4.

Notandum quintò, negotia esse in duplici differentia, nempe aliqua esse criminalia, aliqua civilia: criminalia esse, ubi de sanguine agitur: civilia verò, quæ spectant ad Forum, sive Ecclesiasticum tantùm, puta, causa matrimonij, & legitimationis. *cap. Causam, qui fil. sint legi, cap. Tuam de ordin. cogn.* sive sæcularem principaliter. 5.

Notandum sextò, negotia quædam esse illicita, & inhonesta ex sui natura, & sunt omnia ea, quæ exerceri non possunt sine peccato: ut contractus usurarum, simonia, furtum, adulterium, & alia similia: & quædam esse illicita, & inhonesta per accidens, ut contractus emptionis, venditionis, locationis, & conductionis; vel quasi contractus, ut tutela, cura negotiorum gestorum, judicium, & similia, quæ possunt fieri illicita ex persona, tempore, loco, modo. 6.

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an liceat militi negotijs, quæ possunt avertere à militia, se ingerere; affirmativè videtur respondendum, & favere videtur Tex. *in l. qui stipendia, Cod. de procurat.* & *in l. filiusfamilias*, §. *Veterani, ff. eod. tit.* ubi miles & suam, & sui ordinis causam rectè agit. Et ideo miles, si potest pro se, & suis agere, cur non poterit pro alijs?

8. Verius tamen contrarium arbitror cum Gloss. *in l. militem, Cod. de procurat.* & ibi etiam Bart. & posteum, Petr. Bell. *de re militar. cap. 7. tit. 7. num. 21.* Ferret. *eod. tract. tit. de pœn. desert. num. 74.* Card. Alban. *in lucubr. in Bart. in l. filiusfam.* §. *Veterani, ff. de procurat.* Tiber. Decian. *in tract. crim. lib. 7. cap. 12. num. 42.* & *64.* cum alijs.

9. Moveor primò juribus, *in l. neque fœmina, Cod. de procurat.* & *in l. milites, Cod. de locat.* ubi milites armatæ militiæ Procuratores fieri non possunt; sicut nec Tutores, nec Curatores, *l. 4. Cod. qui dari tutor poss. l. ab administratione*, & *l. 7. Cod. de legat.* & *l. nemo miles*, & *l. milites, qui à Repub. Cod. de re milit.* & *l. milites agrum*, in princ. *ff. eod. tit.* ubi habetur, militem ingerentem se civilibus negotijs, mercaturæ, agriculturæ, & alijs similibus, quæ avocare possunt animum à militia, esse puniendum. Et ex Tex. *in cap. 1. causa 23. quæst. 1.*

10. Moveor secundò rationibus; nam ex D. Matth. *cap. 6.* habemus, quod nemo potest duobus Dominis servire, & licèt Textus explicetur de DEO, & Mundo, potest tamen universaliter intelligi; & ideo cùm miles serviat Principi, seu Reipublicæ, non licet ei alijs negotiando servire. Tum quia, miles dum cingulum militarem recipit, jurejurando, ut olim, aut saltem firma promissione, quæ acceptatur, se obligat armis causam Principis semper defendere, & solum proprijs ejus negotijs se immiscere: Ergo nefas ei erit aliena negotia suscipere, cùm possint hujusmodi defensioni obstare. Miles enim alienis negotijs implicatus, negotia considerat peragenda, non hostium injuriam propulsandam, nec victoriam consequendam.

11. Moveor tertiò exemplo in aliquibus militibus Alexandri Magni, quos, ob negotiationem eis vetitam, jussit Imperator de numero militum deleri, & puniri, dicens, milites eligi ad arma in favorem communis boni pertractanda, non verò particularia negotia peragenda.

12. Concludimus igitur, totum bellantium negotium esse armorum usum, prout necessitas, seu defensio Principis postulaverit; adeóque eis minimè licere civiles curas, & munera civilia, aliaque negotia suscipere; aliàs militia privilegijs omnibus privari, ut notat Decian. *loc. cit. num. 42.*

13. Ad rationem in contrarium respondemus, non rectè deduci ab eo, quod allegata jura concedunt; nempe posse militem suam, & sui ordinis causam agere, posse & aliena agere; quia causa militis, & sui numeri, seu ordinis, spectat ad statum militiæ; & sic semper respicit aliquo modo defensionem Principis: aliena verò negotia non spectant ad statum militiæ, sed à militando aut removent, aut saltem retardant militem.

Infero primò ex dictis, non posse milites deputari à Ducibus custodiæ animalium, agrorum cultui, & negotiorum quæstui, sub pœna unius libræ auri pro singulis militibus; cùm debeant se in exercitio militari, & solis utilitatibus publicis occupare, ut etiam notat Tiber. Decian. *loc. cit. num. 41.* 14.

Infero secundò, non posse milites prædia comparare in ijs Provincijs, in quibus militant, ad tollendam omnem negotiorum occasionem, *l. milites, 1.* & *2. ff. de re milit.* neque per alios, eorum nomine; & si comparaverint, Fisco applicantur agri, *l. milites, la 2.* in princip. 15.

Infero tertiò, militi inhiberi etiam pro parentibus, & uxore exercere officium Procuratoris. Contrarium tenent alij, præcipuè in aliquibus casibus necessarijs, quos exprimit Trull. Crispolt. *in Casib. militar. cas. 17.* non quia militia sit nobilis, & officium Procuratoris vile *l. si quis procurationem, Cod. de Decurion. lib. 10.* sed ne colligitantes terreat, quod fieri non potest: cùm milites ratione officij debeat esse terribilis, & formidabilis. 16.

Infero quartò, milites, qui obsequio Principis deputati sunt, vel ejus comitatui in Urbe, non posse proprijs negotijs, & commodis vacare, vel in alienis obsequijs, inscio Principe, occupari; aliàs cingulo militari deposito, esse pœnâ consentaneâ puniendos; & retinentem milites in obsequio privato quinque libris auri mulctandum: *l. nemo miles, Cod. de re militar. lib. 12.* 17.

Infero quintò, militibus esse prohibitum mercaturam exercere, dum eorum Institutum, ac vita versatur circa armorum exercitium, ex militari stipendio vivendo: ut etiam per Tex. *in leg. unic. Cod. Negotiatores ne militent, lib. 12.* & notat Card. De Luca, *lib. 3. de Jurisd. disc. 33. num. 7.* 18.

Infero sextò obiter, Judicibus, & Officialibus prohiberi negotiari, seu mercari, *l. non debet, l. ex officio, ff. de contr. empt.* 19.

Infero septimò, Nobilibus negotiari etiam prohiberi, ut videtur Tex. *in leg. nobiliores, Cod. de commer.* & *mer.* Exceptis in aliquibus Regionibus, in quibus Nobilibus permissum est negotiari à consuetudine, quæ vera legum est interpretatrix. 20.

Infero octavò incidenter, constitutis in sacris regulariter esse interdicta negotia, & commercia sæcularia, quæ fiunt pro sæcularibus rebus acquirendis, emendis, vel distrahendis, sive sint Clerici, sive Monachi, sive Beneficiarij, ut habetur *causa 16. quæst. 1. cap. 1.* quia Clericus per Clericatum se divino servitio devovit, dicens, Dominus pars &c. sed per sæcularia negotia se à divino servitio subtrahit; quia nemo potest servire DEO, & mammonæ. Lucæ 16. nam negotiationes ordinatæ sunt ad lucrum terrenum, cujus Clerici debent esse contemptores. 21.

Infero nonò, Clericum negotiatorem amittere exemptionem à tributis, & vectigalibus, quamvis per alios negotietur; adeóque teneri solvere tribu- 22.

tributa, sicut sæculares; quod deducunt Doctores ex *cap. fin. de vit. & honest. Cleric.* asserentes probabiliter saltem aliqui ex ijs, Clericum negotiatorem non amittere hanc exemptionem, nisi post trinam monitionem ab Episcopo factam; ut notat Trullen. *tom. 2. in Decal. lib. 7. cap. 19. num. 9.*

23. Infero decimò, negotiationem Clericis vetitam esse illam, quæ dicitur lucrativa; unde posse licitè negotiatione artificiosa uti, nempe ea, qua res arte mutatur; & sic venditur; cùm hoc sit potiùs artificium, quàm negotiatio, & Clericis non censetur prohibitus usus artis honestæ; cùm etiam Paulus Apostolus artem scenofactoriam exercuerit. Act. 18. *num. 3.* Barbosa, quem citat, & sequitur Trullen. *loc. cit. num. 8.* ubi ait licere propterea Clericis emere jumenta, ut nutrite, & meliorata vendant cum lucro, secluso tamen scandalo.

24. Infero undecimò, prohibitionem negotiationis, quæ non comprehendit Tonsuratos, & in minoribus constitutos, extendi ad Monachos omnes professos. Ita etiam Trullen. *loc. cit. num. 7.*

25. Infero duodecimò, Clericum per alios negotiantem, secluso gravi scandalo, peccare tantùm venialiter. Lessius, *lib. 2. cap. 21. dub. 1. num. 6.* & alij apud Dian. *in Sum. verb. Negotiari, num. 1.* & nullum peccatum committere, si non habeat unde se, suamque familiam congruè sustentet; esto dicat Filliucius *tract. 25. cap. 2. quæst. 8. num. 24.* Clericum per alios negotiantem, seclusa paupertate, & necessitate, peccare mortaliter.

26. Infero decimotertiò, Clericum negotiatorem, sive peccet venialiter, sive mortaliter, esse tanquam pestem fugiendum, ut ait Hieronymus ad Nepotianum, relatus à Turrecrem. *in cap. Quod autem, causa 21. quæst. 4.*

27. Infero decimoquartò, militibus nostri temporis, quamvis non liceat negotiari; etiam non existentibus in expeditione, & servitio belli, vacantibus mercaturis potiùs, quàm armis, competere antiqua illa privilegia, quæ non ratione exercitij; sed officij à legibus concessa fuerunt. Ita Salicet. *in l. 1. num. 19. Cod. de jur. & fact. ignor.* & post ipsum, & Bald. & alios. Fatin. *cons. 95. sub num. 3.* ibi probans hac ratione; quia scholares, qui non student, & inhonestè vivunt, etiam fruuntur privilegijs, quæ scholastico ordini, & officio conceduntur; pro quo citat Aretin. alios referentem: quod autem conceditur scholaribus, non videtur negandum militibus, cum pari passu procedant in conditione Literæ, & Atma.

28. Infero decimoquintò, non licere Clerico exercere munus Advocati in causa criminali, in foro sæculari, etiam ad defensionem Rei. Abb. *in cap. 1. de postul.* neque Viceregis, vel Locumtenentis alicujus Principis sæcularis, neque Gubernatoris alicujus Civitatis, inconsulto Pontifice, Abb. *in cap. Sed nec, Ne Cleric. vel Mon. Secul. neg.* & alij, quos producit, & sequitur Card. Albanus, *loc. cit.*

* * *

V. DIFFICULTAS.

An militia sit occasio proxima peccandi militibus.

Notandum primò, militiam appellari à jure dignitatem, aut publicum officium, ex quo annuatim, aut alijs temporibus, emolumentum aliquod percipitur, ut habetur *in l. Lucius, 2. ff. de leg. 2. & alijs juribus*, Gloss. *in Authen. jusjuran. quod præstat. ab his, §. 1. in verb. Cinguli*, Molina, *tom. 1. de justitia, tract. 2. disp. 241.* Crispolt. *in Casib. militar. cas. 51. num. 1.* 1.

Notandum secundò, militem olim dictum fuisse illum, qui jurabat in genu Principis se non evitaturum mortem pro salute Reipublicæ, aut à signis, seu stationibus sibi traditis non recessurum, *l. 1. §. Miles, ff. de re militar. l. pen. Cod. ex quibus causis majores.* Quod juramentum hodiè non est in usu, ut supra demonstravimus. 2.

Notandum tertiò, duo olim fuisse necessaria in electione militis; ut præstaret scilicet, juramentum prædictum, & ut scriberetur in matricula, seu libro aliorum militum, qui *Rollo* nuncupatur. Secundum est in usu; primum verò non, ut notant Auctores tractantes de rebus militaribus, & docet experientia. 3.

Notandum quartò, dari differentiam inter causam, & occasionem, quam tradit Barb. *in §. Jovanina, col. 188.* Felin. *in cap. Solita, de major. & obed.* quos producit Card. Albanus *in lucubrat. in Bart. in l. damus. ff. de cond. indeb. num. 1.* & occasionem peccandi esse duplicem, remotam, scilicet, & proximam. Lop. *1. p. instruct. cap. 19. §. Igitur*, & communiter Doctores, asserentes, occasionem remotam illam esse, quæ de se non est peccatum, quamvis disponat etsi remotè ad peccatum, ut est ars, officium, & exercitium licitum, quibus benè, vel malè uti possumus: ut sunt pariter omnes creaturæ, quarum usum peccato utentium malum esse contingit: Occasionem verò proximam esse illam, quæ proximè disponit ad peccatum, definiturque à Doctoribus, quæ in se est peccatum mortale, ut ars magica, vel usuraria; vel qua nunquam, vel rarò utimur sine peccato mortali, perpensis omnibus circumstantijs. Navar. *cap. 3. num. 14.* Graff. *par. 1. decis. lib. 1. cap. 28. num. 4.* 4.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an militia sit occasio proxima peccandi militibus, affirmativè respondendum videtur; nam militantes ut perveniant quo desiderant, oportet, quod diruant Ecclesiæ, violent Immunitatem Ecclesiasticam, & malè tractent loca sacra, & Ecclesiasticis molestias inferant; & alia agant contra rationem, contra proximos, contra leges, contra DEUM, quæ omnia culpabilia valdè sunt. Præterea, militare, sive bellare videtur peccatum, cùm omnis militia, vel ob injuriam propulsandam, vel propter vindictam inferendam sit instituta; & utrumque istorum est Lege evangelica prohibitum, ut patet Matth. *cap. 5.* ubi imponi- 5.

tur percusso in una maxilla, alteram præbere: & Matth. *cap*. 26. ubi præcipitur Petro, Magistrum defendenti, convertere gladium in vaginam, & 1. Petri, *cap*. 3. ubi prohibetur reddere malum pro malo. Cùm igitur bellare, seu militare appareat peccatum mortale, nec non & causa tot peccatorum; & peccatum mortale sit in se occasio proxima peccandi, ut diximus in quarto Not, videtur militia esse occasio proxima peccandi militibus.

6. Veritas tamen est, militiam minimè de se esse suis occasionem proximam peccandi, neque suos in occasione proxima peccandi constituere. Turrecr. *in cap. Quod militare*, *causa* 23. *quæst*. 1. §. *Ad primum*, Busæus, *v. Militia status*, *cap*. 2. Graff. *par*. 2. *decis. lib*. 3. *cap*. 28. *per tot*. Molfes. *in Sum. p*. 1. *tract*. 8. *cap*. 13. *de militibus*, Cesped. *in Dub. milit. dub*. 2. & alij communiter.

7. Moveor primò juribus, *causa* 23. *quæst*. 1. *cap*. *Noli*, *cap*. *Quid culpatur*, *cap*. *Militare*, *& alibi*; ubi expressè habetur, militare per se non esse delictum: *& l. milites*, 15. *Cod. de re militar. lib*. 12. *& toto tit. Cod. qui militare poss. eod. lib*. nec non *& l. ut vim*, *de just. & jur. & l*. 1. *Cod. eod. tit*. ubi habetur, licere vim vi repellere.

8. Moveor secundò rationibus; nam DEUS præcepit bella, ut habetur Numer. 25. *vers*. 17. & 1. Reg. 15. *vers*. 20. & in aliis Sacræ Scripturæ locis. Ergo status militiæ ex se non potest esse malus, seu peccaminosus, hoc est occasio proxima peccandi, cùm DEUS non possit præcipere malum, seu peccatum. Tum quia militare est opus justitiæ, & fortitudinis, qua quis tenetur bonum, & jus commune custodire, & defendere magis quàm se ipsum: nec non & opus virtuosum, cùm per militiam sæpè exerceatur opus ad pacem, & Christi reverentiam, ne Christi nomen blasphemetur, & Christianorum jura violentur. Quomodo ergo esse potest occasio proxima peccandi, quæ peccatum in se est, id, quod est virtus in se, & pertinet ad virtutem? Tum denique, quia cuique jure naturæ licitum est injustam vim sibi illatam vi repellere, ut constat ex lumine naturali, & communi hominum sensu, ac usu; aliàs Boni omnes paterentur ubique inIquorum violentias, & hi in illos omnia impunè possent. Reipublicæ verò, ut hoc faciat, nempe ut vim injustè illatam vi repellat, necessarium est militiâ uti, nempe suscipere bellum. Si igitur militia licita est, culpa esse non potest, nec occasio proxima culpæ, quæ semper ex se est illicita, præcisis omnibus circumstantijs.

9. Moveor tertiò exemplo in Abraham viro sancto, qui pugnavit contra Chodorlahomor, & Reges, qui cum eo erant, qui captivaverunt Loth fratrem suum. Gen. 14. In Moyse viro perfecto, qui inquit ad Josue. *Elige viros, & egressus pugna contra Amalech*. Exod. 17. In Christo, qui laudat fidem Centurionis, & apertè insinuat ipsum aptum esse Regno Cælorum, sive Legi gratiæ suscipiendæ; cùm tamen ipse esset miles, & coram Christo hoc profiteretur, dicendo, se esse in potestate, scilicet, militari, positum, & habere sub se milites; in quo à Christo nullo modo reprehenditur, nec jubetur militiam deserere, ut patet Matth. *Cap*. 8. quod tamen tunc Christus fecisset, si militia Christianis fuisset occasio proxima peccandi, quæ in se, ut notavimus, est peccatum.

Concludimus igitur, militiam ex se non esse peccatum, neque proximam occasionem peccandi militibus; aliàs nemini liceret unquam militare; cùm unusquisque naturalem obligationem habeat vitandi periculum nocumenti, & consequenter omne id, quod est sibi causa peccati. 10.

Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, posse dari bellum absque dictis delictis, nempe ruina Ecclesiarum, violatione Immunitatis Ecclesiasticæ, offensione Ecclesiasticorum, oppressione innocentium, & aliis similibus; quæ, si quando oriuntur, per accidens oriuntur; quæque illicitam, seu occasionem proximam peccandi non possunt militiam constitnere; aliàs chirurgia, exempli gratiâ, tanquam occasio proxima peccandi esset deserenda, cùm aliquando contingat Chirurgium fœminarum pudenda inspiciendo, ut ea curet, peccare: & sic de aliis artibus procederet, quæ tanquam occasiones proximæ forent annihilandæ, aut in praxim minimè deducendæ; quod nemo dixerit. 11.

Ad secundam, respondetur duobus modis. Primò, negando militiam institutam esse ad ulciscendas proprias injurias: Est enim instituta ad amplianduum honorem, & cultum divinum, & ad boni publici defensionem. Secundò: quia vindicta inferenda prohibetur tantùm privatæ personæ, & ex libidine vindictæ, non verò personæ publicæ, ut est Princeps supremus, cui præcipitur inferenda ex zelo justitiæ, & patet ad Rom. *Cap*. 13. & notat S. Aug. super Josue, 7. 12.

Ad loca Sacræ Scripturæ, inducta ad probandum propositiones, respondetur, per illa nullatenus prohiberi militiam, ut optimè demonstrat Turrecrem. *loc. cit*. 13.

Infero primò ex dictis, licere Principi, utendo jure suo, quærere occasiones, & causas belli justi, quando bellum cederet in majus bonum nationum, quibus inferretur; nec non Ecclesiæ; quia ea vi Infideles converterentur ad fidem, derelinquerent vitam pessimam, & vitam æternam consequerentur. Molina, *tom*. 1. *de just. tract*. 2. *disp*. 107. Secùs verò, tali majori bono cessante. Vict. *Relect*. 6. *de jur. belli*, *num*. 60. Molin. ibid. 14.

Infero secundò, Principem, qui justè bellum agit, non teneri à bello desistere, quamvis multa peccata à Bellatoribus committantur, nec non multa damna Innocentibus inferantur: Sufficit enim, si puniat delinquentes, nè sequantur delicta. 15.

Infero tertiò, Artifices non teneri artium exercitium deserere, ex quo, ob malitiam alterius, peccata & damna sequuntur. 16.

Infero quartò, Chirurgum non teneri relinquere curam fœminæ, quam medendo sæpe patitur pollutionem, dummodò in ipsam non consentiat, quia opus in se licitum exercet. 17.

Infero quintò, illum, qui expertus est pati pollutionem ex eo, quòd tali situ, & modo decumbat, non teneri aliter decumbere, si alio 18.

modo

modo dormire non possit. Dummodò etiam expertus sit in ipsam pollutionem non consentire, Toletus *in Sum, lib. 5, cap. 13.*

19. Infero sextò, non esse probabilem sententiam asserentem, posse absolvi adolescentes, qui versantur cum fæminis, laborando, vel conservando; & si sæpè ex tali occasione, consensu, tactibus, vel copula, peccent mortaliter; etiamsi talis conversatio sit cum fæminis, quæ in eadem domo cum ipsismet adolescentibus non cohabiteot: Esto hoc dicant Navar. Lugo, Candidus, & alii, quos citat, & sequitur Leander *p. 1. de Sacram. tract. 5. disp 7. disp. 34.* cùm talis conversatio videatur mala, & sic proxima occasio peccandi. Et ideò contrarium tenent alii, quod solùm puto esse tutum, & in praxim deducendum.

20. Infero septimò, pœnitentem non teneri statuere se abstenturum à remotis occasionibus peccandi; aliàs nunquam posset absolvi, quia, quidquid ferè in Mundo est, potest esse occasio remota peccandi, juxta Tex. *in Cap. De occidendis*, circa fin. *causa 23. quæst. 5.*

21. Infero octavò, non esse absolvendos eos, qui exercent necromantiam, aliasque superstitiones, astrologiam judiciariam, usuras, contractus illicitos, & alia similia, quæ ad nullum usum sunt utilia, nisi ad peccandum, si firmiter non proponant se ab his abstinere, & adsit debita facultas ab his absolvendi. Facit Tex. *in leg. quod sæpe, de contrah. empt.* ubi ponitur pro hac re regula universalis, & refertur à Graffio, *loc. cit. num. 5.*

22. Infero nonò, Confessarium, audita confessione, & omnibus examinatis, antequam pœnitentiam imponat, & sacramentaliter absolvat, teneri attentè considerare, an occasiones, in quibus suus pœnitens versatur, sint remotæ, an proximæ, ut possit tutè absolvere, si sint remotæ, licèt pœnitens non habeat animum illas evitandi vel si proximæ, proponat illas relinquere; & non proponendo firmiter proximas occasiones evitare, illi absolutionem denegare: teneri, inquam, discernere occasiones propinquas à remotis; ne deneget absolutionem, si sit impendenda, ne impendat, si sit deneganda.

VI. DIFFICULTAS.

An Principe præcipiente, aut vocante, liceat militibus subditis bellare, si dubitent de injustitia belli.

1. Notandum primò, bellum Principis posse constare esse injustum, ut patet penes Franciscum de Lugo, *de princip. Theol. mor. par. 1. cap. 3. quæst. 11. num. 89.* Quidquid sentiat Caramuel, putans hunc casum esse impossibilem *in theolog. moral. lib. 3. quæst. 2. num. 1412.*

2. Notandum secundò, Principes aliquando bellum indicere sine causis & justificis, & suasoriis, ut distinguit Polybius *lib. 2. cap. 1.* de quibus possumus dicere, quod Jurisconsulti dicebant, prædonem eum esse, qui rogatus de possidendi causa, nullam aliam adfert, nisi quòd possideat.

Notandum tertiò, posse dari Principem nullam causam belli volentem nisi arma, ut fuit Silio Annibal, cui, *Pro fœdere, proque justitia erat ensis.* Talis pariter fuit Attila. Tales sunt, qui dicunt. Quæritur belli exitus, non causa: unde dicebat Livius: Non certamen juris, sed, cùm quæritur, apparet. 3.

Notandum quartò, motivum Principes inducens ad bellum indicendum aliquando non esse justitiam, sed utilitatem. Dicebat enim Plutarchus, Reges plerosque duobus nominibus pacis & belli tanquam nummis uti, non ad id, quod justum est, sed ad id, quod expedit. 4.

Notandum quintò, non rarò induci Reges & Principes ad bellum movendum, non alia causa, nisi cupiditate imperii dilatandi, angustam nimis æstimantes gloriam, quam possident; fortasse apud Philiscum edoctos, qui Alexandrum monebat, ut gloriæ quidem studeret, sed ea lege, ne se pestilentiam, aut magnum morbum faceret, intelligendo populorum occisionem, desolationem Urbium, pestilentiæ esse opera, nihil autem magis esse regium, quàm consulere omnium saluti, quæ pace continetur. Edian. *lib. 14. 2.* 5.

Notandum sextò, posse dari bellum justum ex utraque parte, sed solùm per accidens, propter, scilicet, invincibilem ignorantiam alterius partis per accidens, inquam, quia ex natura rei, & per se non potest, *ut lib. 1.* circa Difficultates Principum adnotavimus. 6.

Notandum septimò, existente dubio inter duos Principes, quis eorum legitimus successor sit in aliquo Regno, si neuter in possessione sit, & jus succedendi æqualiter est dubium, neutri licere Regnum bello occupare; vel si unus est in possessione, alteri non licere bellum gerere. Ita docet Filliuc. *tr. 29. cap. 9. num. 184.* 7.

Notandum octavò, inter belli justi conditiones, rectam enumerari Principis intentionem, ut quando bellum indicit ob bonum publicum, sive temporale, sive spirituale; quam intentionem aliqui putant esse ad justitiam belli necessariam, ut patet ex *Cap. Quid culpatur, causa 23. quæst. 1.* non ita tamen, ut ea deficiente, bellum dicatur injustum, obligationem inducens restituendi. Diana *p. 6. tract. 4. Ref. 4.* 8.

His adnotatis, ad difficultatem propositam; an Principe præcipiente, aut vocante, liceat militibus subditis bellare, si dubitent de justitia belli, negativè respondent Host, *in Summa, de trenga & pace, & in Cap. Sicut, il terzo, eod. titul.* Aret. *in cons. 14. num. 7.* apud Menoch. *de præsump. lib. 6. præsump. 96. num. 3.* Vasq. *in 1. 2. quæst. 19. disp. 66. art. 6. cap. 9. num. 51.* Covarru. & alii asserentes, omne bellum in dubio præsumi injustum; & ideo non posse licitè militare dubitantem de justitia belli, cùm in dubiis tutior pars sit eligenda: qui enim dubitat contemplativè debet judicio activo eligere, quod tutius est, & apparet. Tutius autem est bello abstinere; quapropter laudantur Esseni, quòd inter alia jurarent, non nociturus se cuiquam, nec si juberent quidem ipsa jura civilia, quæ delictis excusabilibus veniam 9.

præbent. Facient quidem ea, quæ facere necesse habent, sed non omnia. Excipiunt enim ea, quæ atrocitatem habent facinoris, vel sceleris; *l. ad ea, ff. de reg. jur.* Et ideo si causa belli, quod secum defert talem atrocitatem, est dubia, non licebit militi dubitanti militare; & militando suum reddit inexcusabile delictum. Et quamvis ex altera parte periculum esset obedientiæ: quia nesciat in dubio, ex duobus malis, minus esse eligendum, & inobedientiam in hoc casu, & simili, minus esse malum, quàm homicidium, præsertim multorum Innocentium? Bal. *2. cons.* 381. Sot. *de secr, deteg, memb. 3. q. 2. in respons. ad 1.* & sic Pythagorei, Jamblico teste, bello abstinebant, causa addita, quia bellum subministrat, atque imperat.

10. Fateor, hanc opinionem magnam habere probabilitatem, contrariæ tamen, quam puto probabiliorem, loquendo de bello indicto à Principe non recognoscente Superiorem, libenter adhæreo cum Abb. *in Cap. Sicut, il. 3. num. 13. de jurejur.* Francisc. Arias *in tract. de bello, num. 158.* Barthol. Fum. *in Summa Armil, verb. Bellum, num. 15.* D. Aug. *l. 22. contra Faustum, cap. 75.* Petr. Navarr. *de restit. lib. 2. cap. 3. p. 2. dub. 22. num. 160.* Salas *in 2. 2.* D. Tho. *quæst. 21. tr. 8. disp. 1. sect. 26. num. 272.* & aliis pluribus, dummodo dubium sit merè speculativum.

11. Moveor primò juribus, *in reg. 11. de reg. jur. in 6.* quæ dicit, Reo esse favendum, cùm jura partium obscura fuerint: *& in Cap. Quid culpatur, causa 23. quæst. 1.* ubi habetur, militem, ad præceptum Domini, justè, & licitè bellare posse: & propter bonum obedientiæ excusari in dubio, quando dubitat, utrùm bellum sit justum, vel injustum, asserit Gratt. ibi, *p. 2. decis. lib. 2. de bello, cap. 20. num. 26. & in l. non videtur, §. Qui juss. ff. ad leg. Aquil.* ubi dicitur, quod is damnum dat, qui jubet dare; ejus verò nulla culpa est, cui parere necesse est; Necessitas enim potestatis excusat.

12. Moveor secundò rationibus; nam in dubio præsumenda est justitia pro suo Principe, qui multas & justas causas potest habere bellicæ indictionis, militibus ignotas; atque adeo, cùm milites suorum Principum lateat intentio, possunt ipsi, ob solam Principis authoritatem, prudenter sibi persuadere, bellum esse justum, suumque judicium ei submittere (cùm verius conveniat Principibus fidelibus, quod Tacitus dixit de Principibus fide carentibus. Principi summum rerum judicium Dii dedernut; subditis obsequii gloria relicta est) & sic deposita propria conscientia dubia, cum qua non est licitum operari. Tum etiam, quia in dubio speculativo Principi parendum est, ne spolietur jure, quod legitimè possidet, non ei parendo in re, de qua dubitatur, an licita sit, ut insinuat S. August. *loc. cit.*

13. Moveor tertiò exemplo in famulo, qui præcipiente Domino, potest licitè laborare diebus festivis, quamvis speculativè dubitet, an Dominus justam causam habeat imperandi, an injustam; dummodò judicio practico prudenter judicet, justam habere causam: Ita communiter DD. Unde Aristoteles *5. Nicomachiorum*, iis, qui injustum quidem aliquod faciunt, non autem injustè, annumerat famulum Domini imperantis, Injustè autem eum inquit agere, à quo actionis principium est, nimirum, quia in famulo vis deliberatrix plena non est.

Concludimus igitur, Principe præcipiente, aut vocante, licere militibus subditis bellare, quando dubitant de justitia belli, si dubium sit negativum; quia, scilicet, nulla specialis ratio fundet injustitiam illius: & etiam si dubium sit positivum, & probabilem putent utriusque partis opinionem, non tamen unam altera probabiliorem: & bello solummodò abstinere, quando constat ipsi injustam esse belli causam, juxta Tex. *in Cap. Si Episcopus quis fortè causa 11. quæst. 3.* ubi habetur, injustum Superioris præceptum non esse implendum. 14.

Ad rationes in contrarium respondemus, Host. Aret. Menoch. loqui de dubio se tenente ex parte Indicentis bellum, vel ex parte Consiliarii illius, non ex parte militum. Deinde nos supponimus, milites non debere ex defectu judiciorum rationabiliter dubitare de justitia belli; sed teneri æstimare utramque partem in sua mente rectè bellare, cùm possit, juxta notata, bellum, per accidens ex utraque parte esse justum, quia Host. Abb. Menoch. *loc. cit.* & alii plures docent bellum indictum à Principe non recognoscente Superiorem, præsumi justa causa indictum. 15.

Ad cæteras, sive positas, sive ponendas, respondemus eodem modo cum Abb. *in Cap. 1. de treu. & pace*, & cum Fran. Arias, *in tract. de bello, num. 158.* qui dixerunt, In dubio præsumi justam causam; *Arg. Cap. Quæ in Ecclesiarum de Constit.* 16.

Infero primò ex dictis, milites de justitia belli dubitantes, non teneri justitiæ causas inquirere, quia non est reddenda omnibus militibus ratio justitiæ; cùm sit ferè impossibile; sed tantùm teneri, antequam bellent, conscientiam dubiam deponere, præsumendo suos Principes esse veros Christianos, & quidem timoratæ conscientiæ, ac proinde posse licitè illis in bello servire. Sic etiam sentit Trullen, *lib. 5. cap. 2. dub. 3. num. 7.* 17.

Infero secundò, in probabilitate orta sive ex jure, ut quando adest opinio Doctorum, hanc rem posse in aliquo casu occupari; sive ex facto, ut quando duo, aut plures, scripturis, vel testibus contendunt probare, hanc rem ad se pertinere, quemlibet Principem licitè bellum gerere contra alium Principem: dummodò tamen opinio pro utroque sit æquè probabilis; & etiam secundum bonorum Auctorum opinionem, si alter sit in possessione. In probabilitate ex probationibus facti, negant plerique posse tunc Principem bellum gerere; sed teneri ad judices recurrere. 18.

Infero tertiò; ad deponendum dubium in genere, debere nobis aliquid apparere, per quod nobis liceat illud deponere; secus depositio esset temeraria. 19.

Infero quartò, nulla affulgente ratione, per quam dubium avertatur; tunc esse eligendum, quod est tutius. *Cap. Illud Dominus,* 20.

minus, de Cleric. excom. Azor. *p. 1. Inst. moral. lib. 2, cap. 16.*

11. Infero quintò, nobis licere facere, quod nobis placet, quando nescimus discernere, quod tutius est, & urget opus faciendum; nec adest qui de veritate nos doceat, cùm non sit major ratio de uno, quàm de altero, unde quodcunque elegerimus, ratum coram Deo erit: dummodò utrumque tutum putetur.

12. Infero sextò obiter, subditos regulares teneri obedire suo Superiori præcipienti sub præcepto obedientiæ, quamvis speculativè dubitent, an sit justa causa hujusmodi præceptum faciendi.

13. Infero septimò pariter obiter, peccare mortaliter, & incurrere censuram Fideles, nolentes exequi præceptum Summi Pontificis, exequendum sub pœna excommunicationis, dubitantes an ex justa causa præceperit; quia dum dubitant, an fuerit causa justa præcipiendi, tenentur præsumere, justè præcepisse. Præterquam quòd, aliàs nunquam, aut saltem raro adesset obligatio parendi Pontifici, aliisque Superioribus; cùm nihil sit, extra res de fide, adeo firmum, & indubitatum, ut suscipere non possit quandoque sollicitam dubitationem. Textus est *in Authen. de tabell. vers. & non fingant tabelliones.* Et docet Card. Albanus, *in lucubrat. in* Bart. *in l. fidejussor.* §. *Quidam*, *ff. Mandati, num. 3.*

VII. DIFFICULTAS.

An milites extranei, seu non subditi Principis bellum indicentis, si dubitant de justitia belli, possint licitè bellare.

1. Notandum primò, quòd milites stipendiatos, per quemdam quasi contractum, ad militandum necessitas cogit: Secus verò, milites voluntarios, qui vulgò *Venturieri* dicuntur. Card. de Luca *tom. 14. in Annot. ad Sac. Conc. Trid. discurs. 2. sub. num. 16.*

2. Notandum secundò, posse contingere, quòd Princeps putet invincibiliter se habere justam causam bellandi, ubi re ipsa iniquissima est; & hoc ratione Ministrorum, qui, vel ex malitia, vel ex ignorantia, vel propter eorum utilitatem, vel quia ab alio Principe subornati sunt, vel quia ex bello magnum sperant lucrum, aut ob alias causas, Principi proponunt, quod non est proponendum.

3. Notandum tertiò, militibus vulgaribus onus non esse impositum expressè examinandi justitiam belli, sed illis duntaxat, quos Princeps vocat ad consilium publicum; & ideo tuta conscientia posse militare, judicando bellum esse justum; cùm satis sit ad justitiam belli, quod publico consilio, & auctoritate geratur; & tunc solùm cessare à bellando teneri, quando eis clarè constat de injustitia belli, ut optimè docent Jodoc. *verb. Bellum, num. 7. & 8.* Maldor. *dub. 3. assert. 3.* Victor. Valent. Molin. & alii, quos refert Reginald. *lib. 21. num. 87.*

Notandum quartò, quòd qui contemplativè dubitat, potest activo judicio non dubitare; ut patet, quando relicta opinione probabiliore, & tutiore, sequimur opinionem tutam, & probabilem; quod facere possumus sine peccato, extra ea, quæ concernunt valorem Sacramentorum, atque judicia juxta propositiones 1. 2. 3. damnatas à SS. D. Nostro Innoc. XI. fel. mem. ut cum multis docet Bonacina *disp. 2. quæst. 4. de peccatis, pun. 9.* cùm non sit credibile Deum hominibus gravissimum onus imposuisse, ut esset inquirere probabiliorem, & tutiorem opinionem, ut eligeretur: Esto plures, & graves DD. sentiant oppositum. 4.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an milites extranei, seu non subditi Principis bellum indicentis, si dubitant de justitia belli, possint licitè militare, negativè respondent Graff. *p. 2. decis. lib. 2, cap. 20. num. 27.* Lorca 2. 2. *sect. 3. disp. 13. num. 7.* Filliuc. *tract. 29. in Decal. cap. 9. de bello*, & alii, quos refert Cesped. *in suis Dub. militar. dub. 6.* quia extranei non debent se committere discrimini in dubio, ut juvent alios in præjudicium alterius: nemo enim est gravandus, ut alteri subveniatur, ut per Tex. *in Cap. Denique, causa 14. q. 5.* ubi habetur, commodius esse neutrum juvari, si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur. Præterea, ij non possunt excusari à bono obedientiæ sicut subditi. Deinde, militando in dubio, se exponunt multorum peccatorum periculo. 5.

Video, hanc sententiam perplures habere sectatores, & quidem graves, qui illam vocant communem, & probabiliorem; verùm contrariam, quæ suammet habet probabilitatem, quæque mihi probabilior apparet, & favorabilior Principibus, nec non utilior publico Bono videtur, libenter amplector, absolutè asserendo, milites non subditos, sed vel mercede conductos, vel sponte se offerentes ad bellum, posse licitè bellare, quamvis sint dubii de justitia belli. Dummodò tamen eorum dubium sit speculativum, & non practicum; Ita ut rationabiliter sibi persuadere possint bellum esse justum, Suarez *de charit. disp. 13. sect. 6. num. 11.* Victor, *de jure belli, Relect. 6. à num. 24.* Castropal. *in oper. moral. par. 1. disp. 2. punct. 8. num. 4.* Navar. *de restit. lib. 2. cap. 3. num. 278.* Vasq. & alii. 6.

Moveor primò juribus, *in cap. Dudum, & cap. fin. extra, de præsumpt.* ubi habetur, quòd nemo regulariter præsumitur malus: & idem tenet Mattil. *in l. 1. num. 67. Cod. de sicar.* Glos. *in cap. 1. extra, de servit.* Glos. *in leg. cùm Pater, §. Rogo, ff. de legat. 2. l. omnimodo, Cod. de inoff. testa.* Dec. *in l. milites, num. 23. Cod. de milit. testam.* quia naturaliter quilibet bonus est, Glos. fin. *ff. de eo, quod met. caus.* & ita alia jura tum Canonica, tum civilia, & communiter DD. tam Canonistæ, quàm Civilistæ: atque adeò milites sive extranei, sive subditi, sine certis indiciis, non possunt præsumere Principem in bello indicendo esse malum, 7.

præser-

præsertim cum eis notum sit tum Principem, tum ejus Consiliarios esse viros prudentes, idoneos, & probos.

8. Moveor secundò rationibus: nam milites extranei debent judicare adesse in Principe, & Rege justitiam; adeóque bellum justè indicere; aliàs immunes minimè essent à culpa temerarij judicij; cùm indicia contraria, nempè auctoritas supremæ Principis, & totius Reipublicæ, quæ inducit magnam probabilitatem, recta intentio, quæ non potest dignosci, & justa causa à Consiliarijs examinata, superent omnia alia opposita indicia. Tum quia, communis sententia est, dubitantibus de justitia belli licere vendere arma, equos & alia Principi militanti, & militibus: in quo idem apparet periculum, ne hujusmodi venditio cedat in alterius præjudicium. Cur ergo militibus non licebit militare, si dubij sint de belli justitia? Deinde Extranei propter stipendium, quod recipiunt, alteri subduntur, illique se obligant servire: & ideo nisi eis constet bellum esse injustum, possunt licitè, imò debent suam operam præstare, sicut dicitur de servientibus propter stipendiū Domino, qui non tenentur examinare opera præcepta, cum debeant illa exequi, nisi eis constet esse injusta. Insuper subditus, dubitans de justitia belli, potest bellare, ut super probatum est: quare bellare non poterit extraneus, cùm militet eadem ratio, ut subtiliter ostendit Castropalaus *in oper. moral. part. 1. disp. 3 punct. 14. sub. num. 3.*

9. Moveor tertiò exemplo, relato, suppresso nomine, à Diana, *part. 11. tract. 5.* Miscell. *5. Res. 28.* in quodam viro nobili milite extraneo, qui se constituit in exercitu Philippi IV. Regis Catholici, absque examinatione ulla de justitia belli, putans, consilio etiam Theologorum, tantum Monarchum, totque ejus Consiliarios, viros pietate, ac prudentia fulgentes, minimè voluisse injusto bello animum applicare. Huic exemplo additur consuetudo. Videmus enim tot extraneos militiæ adscribi, nullatenus causam belli examinantes, quod est humano modo impossibile; & tamen tot bella geruntur, de quibus mundus dubitat, justa sint, an injusta.

10. Concludimus igitur, licere cuicunque extraneo, seu non subdito Principis bellum indicentis, ire ad bellum, nullo examine facto, totoque in Principis conscientiam, cujus stipendium recipit, onere rejecto; dummodò constet illum esse hominem justum, & prudentem; qui non nisi summo consilio bellum solet movere, quod sufficit, ut bellum justum præsumatur.

11. Ad rationes in contrarium respondemus; ad primam, advertendo, quòd D. Amb. relatus in *dict. cap. Denique causa 24. quæst. 5.* non dixit absolutè, nos non posse juvare alterum, quando dubitamus ne alter lædatur; sed commodius esse abstinere, quæ cauta locutio nobis non videtur obstare; quia multa sunt, à quibus consultius est abstinere; non tamen nefas est illa assequi: præterquam quòd, per se loquendo, non exponimur periculo alicujus mali, & aliàs utimur jure nostro, dando ob stipendium nostram operam, seu militando, quod non tenemur abdicare in nostrum detrimentum.

Ad secundam, patet responsio ex dictis; qui enim accipit stipendium, tenetur obedire illud danti: & sic illum excusat bonum obedientiæ. 12.

Ad tertiam, quæ confunditur cum prima, iterum dicimus, quando non constat de injustitia bellum præsumendum esse justum, & unicuique licere alterum juvare in re, quæ præsumitur justa, præsertim si juvanti non parvum suboriatur emolumentum. 13.

Infero primò ex dictis, militi extraneo, dubitanti de justitia belli, non solùm licere militare, si est militiæ adscriptus, sed etiam licere, se spontè militiæ scribere: cùm militet eadem ratio. Contrarium tenet Molfesius *in Summa, p. 2. tract. 12. cap. 3. num. 162.* 14.

Infero secundò, Senatores, Consiliarios, cæterosque, qui admittuntur, vel vocantur, vel etiam ultrò venientes ad consilium publicum, vel Principis, debere, & teneri diligenter examinare causam belli, quod apparet injustum, cùm militibus non sit hujusmodi onus impositum; quia agitur de periculo mortis, & damno proximorum, quod tenentur impedire: avertendo suo consilio bellum, si fortè injustum est. 15.

Infero tertiò, milites, quo deposito dubio, militarunt, si posteà comperiant bellum ex parte ipsorum fuisse injustum, teneri restituere ea, quæ extant, & illa, quorum communione, aut venditione, facti sunt locupletiores; non verò consumpta. Ita etiam docet Merolla, *tom. 1. disp. 3. cap. 3. n. 334.* Victor. *Relect. 6. de jure belli, n. 32. & 33.* Molina *de just. tom. 1 disp. 113. verb. Dubium est.* Contrarium tenet Syl. *verb. Bellum, 1. quæst. 9. concl. 3.* 16.

Infero quartò, milites dubitantes de justitia belli, si militant dubio non deposito, cùm militent, propter illam dubietatem, contra conscientiam, esse in mala fide; & consequenter teneri omnia ablata restituere; ut etiam notat Jodoc. *verb. Bellum, num. 10.* Reginal. *lib. 21. num. 104. & 105.* ubi plures citat, & præsertim Molin. *disp. 114. de contractibus.* 17.

Infero quintò incidenter, licere Advocato fovere causam, quam prudenter credit justam esse: licèt in veritate sit injusta; quia ibi est Judex superior qui causam examinat, & judicium profert de allegatis. Sic Graff. *p. 2. decis. lib. 2. de bello, cap. 20. num. 28.* ubi se contrarium nobis ostendit, asserendo scilicet, milites non subditos bellum indicentis, nullatenus posse licitè militare, si dubitant de justitia belli. 18.

Infero sextò pariter incidenter, eum, qui cum dubio tantùm speculativo operatur, illam indulgentiam; seu veniam mereri, quam ignorantia concedet; nam dubius & ignorans æquiparantur Bar. *in leg. manifestissimè, §. 1. de furt,* & alij, quos producit, & sequitur Cardin, Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. 1. Cod. de pact. num. 3.* 19.

Infero septimò etiam incidenter, ea, quæ dubitationis tollendæ causâ contractibus inseruntur, jus commune non lædere. Roma, *cons. 121.* quem citat, & sequitur Card. Albanus, *in lucubrat.* 20.

subrat. in Bart. in l. qui mutuam, ff. mandati, num. 5.

VIII. DIFFICULTAS.

An liceat Christianis militibus simulare se esse de Turcarum secta, habitu, sermone, signis, vexillis, ut sic incogniti hostes incautos invadere; atque opprimere possint.

1. NOtandum primò, contra quosdam hæreticos, relatos, & impugnatos à Valentia, *in 2. 2. disp. 1. quæst. 5. punct. 2.* asserentes, satis esse fidem animo retineri, & nunquam esse peccatum illam ore negare, dum celare; externam fidei confessionem esse pro aliquo tempore in præcepto, & est de fide, & habetur ex illo ad Rom 10. *Ore confessio fit ad salutem*: & Matth. 10. *Qui mè confessus fuerit*; & Luc. 9. *num. 26. Qui me erubuerit.*

2. Notandum secundò. Fideles teneri ad exteriorem fidei confessionem non semper, nec in quolibet loco, cùm fidem confiteri pertineat ad præceptum affirmativum, sed in aliquo loco, & tempore; quoties, scilicet, honos debitus DEO, aut utilitas proximi subtraheretur, illam non confitendi. Angel. *v. Fides, num. 8,* Sylvest. *v. Fides, quæst. 5,* ubi citat D. Thom.

3. Notandum tertiò, vestem, verba, signa, & alia hujusmodi infidelium, aut hæreticorum posse dupliciter considerari, vel quatenus sunt propria alicujus Nationis ex more Patriæ, vel Regni, sive ad libitum, sive ex lege, politica: vel quatenus ex lage, vel consuetudine instituta, sunt causa distinguendæ Religionis, ut, scilicet, gentes unius sectæ, distinguantur à gentibus sectæ alterius. Ita Sylvest. *loc. cit.* Sanchez, *in Decal. lib. 2. cap. 4. n. 16.*

4. Notandum quartò, dari discrimen inter occultare veritatem, & proferre mendacium; quamvis enim omnis, qui mentitur, velit celare, quod verum est; non tamen omnis, qui vult, quod verum est, celare, mentitur. Ita habetur ex S. August. super Gen *quæst. 26.* ex D. Chrysost. *lib. 1. de Sacerdot.* ed fin. & docet D. Thom. *2. 2. quæst. 110. art. 3. ad 4.* & ideo non esse per se malum, sed aliquando licere quod verum est aliquo modo, puta per facti dissimulationem, absque tamen juramento, alteri celare.

5. Notandum quintò, in bello justo licitum esse uti insidijs, occultando hostibus ea, per quæ volumus eos impugnare; ut constat ex Jos. 8. & habetur in *Cap. Dominus DEUS noster, causa 23. quæst. 2.* & alibi à nobis demonstratum est; dummodò tamen occultatio, quæ pertinet ad rationem insidiarum, non fiat per dictionem falsi, aut per non observentiam promissi: cùm nulli hominum sit mentiendum. Turrecrem. in *d. Cap. Dominus DEUS noster, causa 23. quæst. 2.* Panorm. *in cap. unic. num. 1. de sagit.*

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an militibus christianis liceat simulare se esse de Turcarum secta, veste, sermone, signis, ut sic incogniti hostes incautos invadere, & opprimere possint, negativè videtur respondendum, cùm tali vestimenti, sermonis, aut signorum genere, quod Turcarum proprium est, simulent se Turcas: falsam verò sectam simulara nunquam licitum est, ut probent Cajet. *2. 2. quæst. 3 art. 2.* Navarr. *cap. 11. num. 27.* Tolet. *lib. 4. cap. 2.* Sylv. & alij; quos citat Thomes Del Bene, *cap. 4. de mendacio, corol. 5.* Tum quia, nulli hominum est mentiendum; S. Aug. *lib. contra mendacium.* Vestire verò more Turcarum, uti eorum sermone; & signis, est mentiri. Præterea insidiæ, & fraudes videntur fidelitati opponi; & ideo cùm fides, ut dicit S. Aug. ad Bonifacium, sit etiam hosti servanda, non videtur, quòd milites possint contra hostes hujusmodi insidijs, aliisque uti.

Verius tamen est, militibus Christianis hoc licere, nempe simulare se esse de Turcarum secta, veste, sermone, signis, quando utilitas aliqua, sive bonum aliquod evenire potest. Cardin. Albanus *in lucubrat. in Bar. in l. Lucius Titius ff de pos. n. 5,* Sanchez, *lib. 2. Moral. cap. 4. num. 21. & 22.* Bann. *2. 2. q. 3. art. 2. dub. 2.* Tanner, *in 2. 2. disp. 1. q. 7. dub. 5. num.* 117. Diana *p. 3. tract. 5. Resol. 49.* & alij. quos citat, & sequitur Del Bene, *de mendacio, d. cap. 4. dub. 5. n. 5.* 7.

Moveor primò juribus, *ff. de capt. & postli. re. l. nihil interest. Cod de commer. & merca. l. 2. & ff. de dolo, l. 1. §. Non fuit. & in cap. Utilem, causa 22. quæst. 2.* ubi habetur, posse justos homines aliqua simulare pro tempore, ob suam, & aliorum salutem, *in cap. Dominus noster, causa 23. quæst. 2.* ubi apparet, quod in bellis justis licitum est insidiis uti: insidias autem parare, ut explicat Menoch. *de Arbitr. judic. lib. 2. cent. 4. cas. 361. num. 29.* is dicitur, qui habitu mutato, vel aliquo figmento facit, ut alium inconsideratè pertransceuntem adoriatur: quemadmodum à Clodio paratas has fuisse insidias ostendit Cicero in *oratione pro Milone.* 8.

Moveor secundò rationibus: nam in bellis uti insidiis contra hostes præcepit DEUS, qui nil injustè potest præcipere: Jos. 8. Tum quia, nemo tenetur aperire hostibus propria secreta, ea præsertim, quæ ad illos impugnendum parantur. Tum etiam, quia hujusmodi vestes, sermones, vexilla, & alia sunt ex se indifferentia ad significendum plura: neque sunt falsæ religionis, aut sectæ signa, sed Principis, sub quo exercitus militat: ideòque non est, cur ex gravi necessitate vincendi hostes, non possint milites Christiani illis uti ad finem distinctum à professione fidei, seu religionis. 9.

Moveor tertiò exemplo, primò in Christo, qui, ed vincendum hostes infernales, simulationem carnis peccatricis assumpsit, ut notat Glos. *in d. cap. Utilem, causa 22. quæst. 2.* & testatur S. Ignetius Martyr, relatus à S. Hieronymo, *lib. Comm. in cap. 1. Matth.* Secundò in Jehu Rege Israël, qui cùm non potuisset interficere Sacerdotes Baal, nisi se finxisset velle dolum colere, dixit, Congregate mihi omnes Sacerdotes Baal. Tertiò, in Davide, quando mutavit faciem suam coram Abimelech, & dimisit eum, ita Tex. *in eod. cap. Utilem.* Quartò denique in Sancto Sebastiano, qui clam colendo Fidem Christianam, exterius utebatur clemyde militari ex bono zelo, ut notat Sylv. *loc. cit.* 10.

11. Concludimus igitur, licere militibus christianis ad impugnandum Turcas, cæterosque infideles, eorum habitum sumere, sermone uti, signa, seu vexille explicare; cùm sit commune, hostes indui suorum hostium vestibus, sermone loqui, & alia hujusmodi agere, vel ut eos capiant, vel ut ad fugam eos cogant.

12. Ad rationes in oppositum respondemus. Ad primam, negando hos milites, loquendo more Turcarum, vel eorum vestibus se induentes, simulare se Turcas quoad religionem: non enim exhibent reverentiam Mahometo, nec dicunt verba, aut portant vestem, aut aliquid agunt ad aliquod destinatum signum infidelitatis.

13. Ad secundam, concedendo antec. & neg. consequentiam; nam induere se Turcarum vestimentis, luqui eorum sermone, explicare eorum vexilla, non est mentiri, sed uti insidijs, quod est in bello justo omninò licitum.

14. Ad tertiam, responsio paret ex dictis; nam insidiæ propriè non dicuntur fraudes; cùm fraus sit, aut falsum dicere, aut promissa non observare, quod est illicitum; adeóque non opponuntur fidelitati, seu fidei, quæ hostibus servanda est, quando promittitur.

15. Infero primò ex dictis, non peccare mortaliter eum, qui justa causa portat vestem non designantem determinatè infidelitatem. Secus verò, si sit destinata ad aliquod determinatum signum infidelitatis; cùm tunc exhibeatur reverentia diabolo. Ita etiam Sylv. *verb. Fides*, *quæst. 5.*

16. Infero secundò, nos non peccare, si aliquo modo fidem nostram, ob justam causam, dissimulamus; dummodò nulla eam profitendi necessitas urgeat. Navar. *in cap. Humanæ aures*, *cau. 22. q. 5.* in fin. Sanchez, *loc. cit. num. 6.* in fine, Azor. *p. 1. Inst. moral. lib. 8. cap. 27. quæst. 1.* Becan. 2. 2. *cap. 9. quæst. 4.*

17. Infero tertiò, homine privato nos interrogante de fide, seu an simus Catholici, nos non peccare contra externam fidei confessionem, si taceamus, vel respondeamus: Cur à nobis hoc petis? vel quid tua interest? Secus verò, si nos interrogaret Magistratus, seu Potestas publica, quia talis dissimulatio aliorum scandalum causat, & in fidei detrimentum cedit, ut rectè ostendunt Valentia, Azor. Sanchez, & alij apud Del Bene *loc. cit. num. 14.*

18. Infero quartò, Christianum negantem se esse Christianum, sive interrogatus sit, sive non, graviter peccare contra præceptum negativum, inclusum in confessionis fidei præcepto. Hoc enim peccato peccavit D. Petrus, dum præ timore se Christi discipulum negavit. Abul. *cap. in 10. Matth. quæst. 130.* Aragon. *dub. 2. conclus. 1.* Bannez, & alij.

19. Infero quintò, non peccare mortaliter eum, qui justa causa, indutus Turcarum vestibus, conversatur cum Turcis, cum illis manducat, bibit, aliasque corporales actiones in se indifferentes exercet. Secus verò, si dicit, se esse Turcam, Hæreticum, alteriusque sectæ Sectatorem, quia sic dicendo, negat se Christianum esse, quod est contra fidei confessionem. Cajet. *loc. cit.* Aragon, Azor. & alij.

Infero sextò, non peccare Fideles contra externæ confessionis præceptum, ingrediendo hæreticorum templa, conciones hæreticas audiendo, tantùm aut ut Dominum suum comitentur, aut ut hæreticorum errores notent; dummodò absit scandalum Catholicorum, communicatio in aliqua cæremonia hæretica, & perversionis propriæ periculum. 20.

Infero septimò incidenter, licere verè pauperi voce plangenti, vultu mæsto, pannis laceratis, simulare morbum, plagas, aliaque male, ut acquirat elimenta, & vivat, Bartholomæus Brixiensis *in tract. quæstionum Dominicalium*, *in 20. quæstione*, quem refert, & sequitur Card. Albanus *loc. cit.* Secus verò, si egestate revera non laborat; quia tunc simulatio foret vitiosa, & in aliorum vergeret detrimentum. 21.

IX. DIFFICULTAS.

Miles, ratione infirmitatis, suum non potuit munus exercere. Dubitatur, num ei debeatur in rigore stipendium pro tempore, quo fuit infirmus.

NOtandum primò, duplicem esse infirmitatem, alteram gravem, quæ obligat ægrotum in lecto permanere: alteram levem, quæ ægrotum à sui officij exercitatione non liberat: An hæc contumaciam excuset, vide Bart. *in l. quæsitum*, *ff. de re jud.* Gloss. *in cap. Placuit*, 18. *Dist.* Abb. *in cap. Tenor, de re jud.* & alios, quos citat Card. Albanus *in lucubrat. in Bar. in l. unic. ff. si quis jus dicen. non obtemper. num. 23.* 1.

Notandum secundò, infirmum tunc dici sanum effectum, cùm per triduum suis pedibus ambulavit. Nald. *in Sum. verb. Infirmus*, *num. 4.* ubi citat pro se Felin. Graff. 2.

Notandum tertiò, militiam, secundùm Sylv. *in Sum. verb. Bellum*, *1. num. 8. vers. 4.* Molin. *tract. 2. disp. 116.* & alios, esse contractum locationis. 3.

Notandum quartò, locationem esse personæ, vel rei ad certum usum factam concessionem, certa mercede pecuniaria constituta. Hostien. *in Sum. loc. cit. num. 1.* Azor. & alij cumulati per Molfes. *in Sum. p. 2. tract. 12. cap. 8. num. 19.* unde locare opus, sive personam esse, dum aliquis cum fabro, vel artifice paciscitur de aliquo opere efficiendo, præstita mercede. 4.

Notandum quintò, posse hominem ad libitum operas suas locare ad aliquam rem custodiendam, vel efficiendam, vel transferendam; dummodò non sit locatio perpetua, cùm hæc sit quædam servitutis species, & ideo non tenet, *l. Titia*, *§. Titio*, *ff. de condition. & demonstr. cap. Inter dilectos, de donat.* Innoc. Mantic. Surd. & alij: unde posse Medicum pro curandis infirmis, Advocatum pro defendendis causis, Militem pro tuende Republica, &c. opera sua locare pro justa mercede: & debere ex bono, & æquo munus suum edimplere; & conducentes eorum opera teneri illis justam persolvere mercedem, quæ pertinet 5.

ad rationem contractûs, ut in *l. si quis domum*, ubi Bart. & alij, *ff. locat.*

6. Notandum textò; mercedem sumi dupliciter, pro pretio, scilicet, locationis, & conductionis; & pro justo stipendio operariorum, de quo, 1. ad Tim. *cap.* 5 dicitur: *Dignus est operarius mercede sua:* unde merces proprij laboris est præmium, quæ ideò magis videtur ultro solvenda, quàm petenda; cùm persona, quæ operam præstat, longè dignior sit, quàm nulla res, quæ vicissim solvi possit: quia, quod pro labore datur, secundùm justitiam commutativam, debet conferri; cùm dicat Apostolus 1. Cor. *cap.* 9. *num.* 7. Quis militat suis stipendijs unquam?

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an militi, dum est infirmus, stipendium in rigore debeatur, videtur negativè respondendum, quia stipendium, seu merces ex vi locationis, juxta notata, datur pro opera præstenda, quæ tempore infirmitatis à milite non præstatur. Ergo neque stipendium est ei de rigore conferendum. Præterea, Capellanis, qui Missam celebrare tenentur, stipendia, seu fructus non debentur, si ob Infirmitatem celebrare non possint, & si percipiant, tenentur restituere, nisi per alios Sacerdotes propriæ obligationi satisfaciant, seu Missas dici curent: Ergo etiam militi, dum est infirmus, stipendium non debet solvi, & tenetur restituere, si fuit solutum; nisi per alios militaria munera curaverit exerceri.

8. Verùm, militibus etiam infirmis stipendium puto deberi cum Claud. Cotor. *de jure milit. lib.* 1. *cap.* 54. Crispolt. *in Casib. militar. cas.* 28. *num.* 3. Cesped. *in Dub. militar. dub.* 20. & alijs.

9. Moveor primò juribus, *l. hac lege*, *Cod. de proximis sacrorum scrin. lib.* 12. ubi apparet, milites habentes licentiam, & proficiscentes pro rebus proprijs, suum habere stipendium; cùm sine stipendij deductione à signis absint: milites verò infirmi supponuntur cum licentia abesse à signis, *& arg. ff. de verb. obligat. l. continuus*, *ff. de duob. reis*, *l. duos*, §. *Duo*, ubi sine intermissione dicitur fieri aliquid, licèt medius actus interveniet: unde licèt inter militandum adsit infirmitas, non videtur miles stipendio privandus.

10. Moveor secundò rationibus, primò à pari; nam Religiosis infirmis debet necessaria subministrare Religio: Ergo & Princeps militibus infirmis. Contractus enim inter militem & Principem, ut alibi demonstravimus, est valdè similis contractui, qui intervenit inter Religiosum & Religionem. Tum quia, Beneficiatus habet distributiones quotidianas, quamvis infirmus, *cap. Cùm percussio*, *de Cler. agrot.* & ibi Gloss. *verb. Quidam Sacerdos*, *& cap. uni. de Cler. non resid.* Ita explicant Innoc. & Host. *in d. cap.* 1. *de Cler. agrot.* Quare igitur miles infirmus non habebit suum quotidianum stipendium, cùm etiam eadem doctrina, & ratio militet de milite? Secundò, quia miles deserviret, si infirmitas non impediret: & ideò stipendia meretur, cùm voluntas disposita ad serviendum sit inchoatum servitium. Denique omnes, qui militiæ nomen dederunt, nec è numero militum sunt deleti, stipendia merentur, ut ostendit Claud. Cotor. Crispolt. Cesp. *loc. cit.*

Moveor tertiò exemplo, in Ludovico XIV. justissimo Franciæ Monarcha, alijsque nostri temporis Principibus, qui justè, & generosè bellantes, Thesaurario præceperunt militibus, per aliquod tempus infirmis, stipendia persolvere. 11.

Concludimus igitur, cùm stipendia primariò constituantur militibus ex vi contractûs locationis ad eorum sustentationem, eis deberi, seu esse solvenda etiam quando vulneribus, vel alia naturali infirmitate laborant: cùm hujusmodi solutio respiciat pariter Reipublicæ, sive Principis utilitatem; nam milites infirmi stipendio adjuti sani citiùs efficiuntur, & ad serviendum citiùs redeunt. Præterquamquòd, plures, qui minimè militarent, scientes, si ægrotabunt, stipendia sibi fore solvenda, milites fient, & Principem ad hostes vincendum adjuvabunt. 12.

Ad rationes in contrarium respondemus, ad primam patet clarè responsio ex dictis. 13.

Ad secundam, respondetur negando paritatem: militibus etiam stipendium datur primariò ad eorum sustentationem, non ut exerceant militaria; siquidem pro exercitijs militaribus nullum æquale, & dignum stipendium dari potest, ut probant Auctores, qui de rebus militaribus tractant: Capellano verò fructus dantur, non ad sustentationem primariò, sed ut opus Capellaniæ exerceat, ex quo fit, Capellano, quando est infirmus, non esse fructus dandos, nisi per alios Missas dici faciat, & militi infirmo esse stipendia solvenda: quia, quando ad sustentationem, & alimenta primariò datur stipendium, etiam infirmis debet dari; ut clariùs constabit ex inferendis; seu ex addita inferendorum doctrina. 14.

Infero primò ex dictis, famulis infirmis deberi stipendium: nam quoad esse stipendiati famuli cum militibus videntur convenire; ita Homobonus Grassius, & alij plures, quos refert Diana *tract.* 8. *de contract. Res.* 86. Contrarium tenet Azorius, Reginald. Imol. Oldrad. & alij. 15.

Infero secundò, Canonicos, qui ob infirmitatem, aut in Choro non cantant, aut à Choro absunt, distributiones mereri, cùm illis tales distributiones dentur ad sustentationem primariò. Ita docent, Sylvester, Sotus, Covarruvias. Et est sententia magis communis. 16.

Infero tertiò, militi ob aliquod crimen damnato ad carcerem, si ei à Duce hæc pœna condonetur, stipendium etiam pro tempore carcerationis deberi; quia quamvis condemnatus, non fuit tamen militiâ privatus, non enim omnis condemnatio est cum militia incompatibilis. Sic etiam sentit Crispolt. *in Casib. militar. cas.* 28. 17.

Infero quartò, militibus stipendia deberi, & dum sunt apud Hostes in captivitate; & dum sunt ob aliquam justam causam in itinere. Surdus *de alimentis*, *quæst.* 76. 18.

Infero quintò, Canonicum, qui, jussu Episcopi, Romam venit pro evidenti necessitate, non esse privandum, dum abest, quotidianis distributionibus, quando consuetudo talis est, quòd in ab-

absentia Canonici habeant distributiones. Ita Graff. p. 2. decis. lib. 3. cap. 14. num. 17.

20. Infero sextò obiter, à Canonico de aliquo distanti Loco veniente, & per aliquos paucos dies, puta duos, vel tres, moram faciente in domo suâ, licèt divinis non intersit, distributiones justè percipi: rationabile enim videtur, propter labores itineris, accipere pro se illos paucos dies, ut aliquantulum quiescat. Ita Arch. & Joan. Andr.

21. Infero septimò, uxorem non esse privandam legato, quod ei reliquit maritus, si cum filijs moraretur continuò, licèt per aliquod breve tempus non moretur ratione alicujus justi impedimenti, *ut ff. de cond. & demonstr. l. si quis*, & Graff. *part. 2. decis. lib. 3 cap. 14. num.* 18. & facit Gloss. *in cap. Sacrosancta Romana, Dist. 22.*

22. Infero octavò, posse salvari Testes, qui dicunt, Canonicum continuè, & sine intermissione residere in Ecclesia, & interesse Divinis, licèt aliquando fuerit absens. Ita Archid. explicans Glossam *in d. cap. Sacrosancta.*

23. Infero nonò, militem infirmum esse consolandum spe certa futuri stipendij, licèt ægrotet; ipsumque, & omnem tribulatum esse monendum, ut ægritudinem, adversaque omnia actu patienter acceptet, cùm omnis Fidelis per omnia pœnalia, ac calamitates omnes naturales hujus vitæ satisfaciat Justitiæ divinæ pro suis delictis, si tamen adsit actus positivus, illas acceptandi. Secus verò voluntate penitus renitente. Sot. *in 4. Dist. 39. quæst. 2. art. 2.*

X. DIFFICULTAS.

An liceat militi, cui constat bellum, in quo militat, esse injustum, in ipsa pugna, militem alterius justi Exercitûs interficere.

1. NOtandum primò, justum censeri bellum, ut sæpè demonstratum est, quod ex edicto geritur, id est ex auctoritate Principis, explicat Philip. Dec. *cons. 691. num.* 3. & aliter justum non esse bellum, sed injustum, ut dicit Innocen. *in cap. Olim causam, de restitu. spolia.* & in dubio bellum indictum ab Imperatore, justum præsumi, ut Abb. dicit *in cap. Sicut, de jurejurando.*

2. Notandum secundò, Aggresso ab alio licere, si nequeat aliter suam vitam defendere, aggressorem occidere, duabus concurrentibus conditionibus, congruitate temporis, nempe eodem tempore, & necessitate inevitabili. Ut probant Civilistæ, & præsertim Card. Albanus *in lucubrat. in Bart. in leg. ut vim, num.* 1. *ff. de just. & jur.* D. Thom. 2. 2. *quæst. 64. artic.* 7. Less. *lib. 2. de just. & jur. cap. 9. num.* 41. quia à jure naturali unusquisque facultatem obtinuit se ipsum defendendi ab iniquo aggressore, *ut in d. l. ut vim, & in cap. Jus naturale*, 1. *Dist.*

3. Notandum tertiò, ad moderamen inculpatæ tutelæ, quod licitam reddit invadentis occisionem, plura requiri. Primum, ut invasio, seu aggressio sit vera aggressio, & per vim facta. Secundum, ut sit vera, & actualis defensio, & propulsatio vis illatæ, & non præventio. Tertium, ut occisio aggressoris fiat in ipso actu defensionis, non autem postea. Quartum, ut defensio sit moderata, hoc est in nullo excedat id, quod solùm necessarium est ad evitandum damnum; ita docent Innoc. & Panot. *in cap. Olim*, 1. *num. 19. de restit. spoliat. & cap. Significasti, num. 5. & 9. de homic.* Sylv. *verb. Bellum, 2. quæst.* 1. & alij.

4. Notandum quartò, vocatum ad bellum, quamvis sit subditus Principis bellum gerentis, aut ab eo ante conductus, teneri inquirere de justitia belli, si vehementem habet suspicionem in contrarium, quæ positivè reddat dubium. Secus verò, si ei non occurrit hujusmodi suspicio; cùm possit præsumere pro suo Principe, cui in dubio putè speculativo debet obedire. Card. de Lug. *disp. 18. de just. sect. 1. num. 21.* Graff. *p. 2. decis. lib. 2. de bello, cap. 20. num. 26.* & habetur *causa 23. quæst. 1. cap. Quid culpatur.*

5. Notandum quintò, vehementer dubitantem, utrùm bellum sit justum, vel injustum, & nolentem inquirere veritatem antequam bellet, illicitè bellare, & posse tanquam affectatorem ignorantiæ puniri. Facit Tex. *in cap. Cùm inhibitio, §. Si quis verò, de clandest. despon.*

6. Notandum sextò, ad probandam defensionem, testes domesticos sufficere. Dec. *cons. 676. & cons. 678. & cons. 459.* sufficere probare, quod adversarius animo occidendi, vel vulnerandi in aggressum irruebat. Sic concludit Bald. *in l. multùm, in fin. Cod. de libe. causa.* Philip. Dec *d. cons. 678. num.* 4.

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an liceat militi, qui scit bellum, in quo militat, esse injustum, in ipsa pugna, militem alterius justi exercitûs interficere, negativè videtur respondendum; nam, dum bellum ex parte aggressi est injustum, Aggressor justè contra ipsum pugnat; & ideo invasus non potest justè se defendere, & successivè nec illum occidere; & ita sentire videntur Bal. *in leg. si servus, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* ubi ait, illicitam esse defensionem, quando licita est offensio, *& in l. si pignus, §. Si furem, ff. de furt.* Præterea Bannito prohibita censetur defensio, quamvis sit de jure naturali: & propterea si Bannitus insultatus aggressorem occiderit, se defendendo, puniendus est, secundùm communem opinionem, de qua testatur Claud. *in l. ut vim, num. 23. in lectura, ff. de just. & jur.* quem sequitur alios referendo Bertazzol. *in cons. 123. num. 8. lib. 1.*

8. Veritas tamen est, militi insultato, quamvis bellum, in quo militat, sit injustum, si adsint dictæ conditiones moderaminis inculpatæ tutelæ, licere milites aggressores interficere. Ita Doctores tam Jurisconsulti, quàm Theologi, & Canonistæ, Bald. *in l. 1. num. 31. Cod. unde vi, & in l. ut vim, num. 3. ff. de just. & jur.* Philip. Dec. *cons. 609.* Card. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. sed & si, ff. ad leg. Aquil.* Card. *in Clement. 1. num. 32. de homicid.* Sot. *de just. & jur. lib. 5. quæst. 1. art. 7.* circa fin. Petr. Navar. *tom. 1. de restit. lib. 2. cap. 3. num. 47. §. ultimo colligo*, Sayr. *in suo Thesaur. lib. 6. cap. 17, num. 6*, ubi alios citat, Tho.

Tho. Temb. *in Decalog. lib. 6. cap. 1. de homic.* §. 1. *num.* 9. & alij.

Moveor primò juribus, *in l.* 1. §. *Jus naturale*,
9. *& l. ut vim, ff. de just. & jur. & in l.* 1. §. *Cùm arietes, ff. si quadrupes pauper. fecis.* ubi habetur, defensionem esse juris naturalis, dum natura & ipse animalia, ut se defendent, & vitem suem tueantur, armis suis ermavit, videlicet boves cornibus, equos calcibus, cpros dentibus, apes eculeis. Non videtur igitur negandum hominibus, quod Natura Animalibus irretionabilibus concedit: atque edeo nostrum militem posse sine culpe aggressorem in ipsa pugne ducimus interficere.

10. Moveor secundò rationibus; nam per injustitiam bellandi ex parte Principis, miles non amittit jus propriam vitam defendendi: si enim non occidit milites in ipso conflictu, facilè occiditur: & ideo ad se, seu ed suam vitam tuendam potest occidere, si aliter non potest consulere dafensioni. Tum quia, quamvis bellum ex parte hostium sit justum, non tamen tenetur illam pati mortem. Ergo ne moriatur, potest licitè morte illis inferre.

Moveor tertiò, exemplo in quodam Nicolao,
11. qui aggressus à Goro, illum percussit. & nullam meteri pœnam fuit adjudicatus, cùm id licitè ad sui defensionem feecrit, ut refert Philip. Dec. *in cons.* 676. Et nobis favet continua praxis. Quot belle geruntur injustè? Quot occisiones per manus injustè militantium in ipsis conflictibus sequuntur? Et tamen Occisores nullo pecto, nec à propria conscientia, nec à Theologis, cùm hostes in defensionem propriæ vitæ occiderint, damnantur.

12. Concludimus igitur, licere scienti bellum, in quo militat, esse injustum, in ipsa pugna militem alterius justi exercitûs interficere, ne ab illo interficietur: dummodò temen miles injustus cesset ab occidendo, & edmoneat militem justum de hac sua cessatione; tunc enim statim cessat esse miles injusti belli, & sic poterit se defendere. Ita Tamb. *loc. cit.*

13. Ad rationes in contrarium respondetur. Ad primam, patet responsio ex dictis, præcipuè ex 2. & 6. Not. ubi demonstretur, nobis licere alterum ad nostram defensam occidere.

14. Ad secundam, respondet Bald. *loc. cit.* negando, prohibitam esse Bannito defensionem, quem recenset Fatin. *in Theor. criminal. quæst.* 103. *num.* 130. ibi docens, opinionem asserentem licere Bannito insultato insultantem occidere, maximè procedere, quando Bannitus offenditur, non zelo justitiæ, sed ex particulari odio: & notant Doctores *in l. ut vim, ff. de just. & jur.*

15. Infero primò ex dictis, militem occidentem in ipsa pugna invasorem, nullâ pœnâ esse afficiendum, cùm defensio sit de jure naturæ; & etiam de jure gentium fuerit instituta, ut tradit Card. Albanus *in lucubrat. in Bart. in leg. omnes populi, ff. de just. & jur. num.* 29.

16. Infero secundò, non esse pœna mortis puniendum Bannitum; qui, ut se defendat, aggressorem interfecit. Contrarium tenent alii plures apud Fatin. *loc. cit. num.* 134.

17. Infero tertiò, cuilibet licere occidere hominem innocentem, objectum quasi pro scuto, ut ab agressore se defendat, & alibi declaratum est.

Infero quartò, licere equo essidenti, fugienti ini- 18.
micum, volentem illum occidere, conculcare puerum, vel claudum in via jacentem, si aliò non potest fugere, & aliter vitam suam defendere: quia id non est directè occidere, sed propriam vitam servare; quamvis per accidens, & indirectè mors alterius sequatur: Secus tamen dicendum est, si puer occidendus non foret baptizatus, quia tunc lege charitatis teneretur fugiens mori potiùs, quàm illum occidere. Dian. *p. 5. tract. 4. Res.* 34.

Infero quintò, nobis licere aggressorem nostri 19.
proximi occidere, ad defendendam ipsius proximi innocentis vitam, cum moderamine temen inculpatæ tutelæ: & dummodò proximus invasus sit pater, mater, filius, uxor, frater, soror, Princeps, subditus, & aliquo modo nobis conjunctus, & habetur in *Cap. Non in inferenda, in Cap. Fortitudo, causa 23. quæst.* 3. & not. Innoc. *in Cap. Si verò, de sent. excom.* & Abb. *in l.* 1. *Cod. unde vi, verb. Ad defendendam, vers. sed nunquid socius.* Ita enim poscit charitas, ius debita; & etiam aliquando justitia, si curam illius gerimus. Ita Less. Mol. apud Dicastil. *lib. de just. tract.* 1. *disp. 10. dub. 8. n. 81. & seq.*

Infero sextò, illum, qui se defendendo excef- 20.
sit modum, esse quidem puniendum uti culpabilem, non verò pœnâ, *leg. Cornel. de sicar.* tanquam dolosum. Joan. Andr. *in additio. Specu, in rubri, de homicid.* quem recenset Philip. Dec. *cons.* 481. *num.* 15.

Infero septimò incidenter, captivis in bello non 21.
posse taleam imponi, si bellum sit injustum. Secus verò, stando in puncto juris, si bellum sit justum. Bal. in *l. nam & Servius, ff. de neg. gest.* Bald. in *Cap. Sicut, il secondo, de jurejur. col.* 2. *vers. sed nunquid capto.*

Infero octavò etiam obiter, homicidium com- 22.
missum cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defendendum proximum, nobis aliquo modo conjunctum, non esse puniendum. Ita Philip. Dec. *cons.* 469. *num.* 1. ibi referens exemplum Nicolai Strozi Capitanei armatæ militiæ Civitatis Pisarum, qui quemdam interfecit ed tuitionem militis sui stipendiarii, & à Judice, omnibus consideratis, fuit absolutus.

Infero nonò pariter incidenter, homicidium 23.
in dubio, an fuerit ad defensionem, an ad vindictam, esse præsumendum ad defensionem, & hoc secundùm regulam, quòd in dubio in favorem rei pronuntiandum sit. *Cap. Ex litteris, de proba. & in regula. Cùm sunt partium jura, de reg. jur. in* 6. & ratio videtur; quia melius est nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare, *in l. absentem, ff. de pœnis.* Quapropter diligenter examinandi sunt testes, à quorum dictis res tota quoad forum externum dependet: quidquid sit de interno, qui à solo supremi Judicis Tribunali sententiam, quam meretur, expectare debet.

Infero decimò, licere cuilibet se defendere,
non solùm quando ei re ipsa fit offensio, sed eti- 24.
iam quando subest timor satis probabilis; dicitur

enim metus alicui justè illatus, non solùm quando reipsa adest periculum, sed etiam quando adest suspicio; Textus est not. in *l. novissimè*, §. *Quod enim si compulsus*, *ff. quod fals. tut. auto.* & tradunt Alex. *in cons. 99. in 3. volu.* Card. Albanus *in lucubrat. in Bar. in l. habitatores*, §. *Item interrogatus*, *ff. de loc. & cond. num. 3.* & DD. *in l. ut vim. ff. de just. & jur.*

25. Infero undecimò, quod injuria facta uni militi ex itinerantibus sociis censetur omnibus esse illata, secundùm Glos. *in l. item apud Labeonem*, §. *Abduxisse*, *ff. de injur.* & successivè tales non tam alterius injuriam, & vim, quàm propriam repellere dici, docet Cæpol. *in cons. 32. col. 3. vers. tertia ratio.* Card. Albanus *in lucubras. in Bart. in d. l. ut vim. ff. de just. & jur. num. 18.* An autem Clericis liceat ad defendendum socios secum itinerantes, vel alios, arma suscipere, vim inferre, & occidere maximè pro subditorum suorum tutela, quando jurisdictionem habent, videndus est Abb. *in Cap. Clericis arma portantes, de vita, & honest. Cleric.*

26. Infero duodecimò, defensionem sui nec à lege, nec à Principe tolli posse, ut legitur apud Felin. *in Cap. Ex parte, 2. de off. deleg.* præsertim in criminalibus, licèt aliquis sit excommunicatus, per Tex. *in Cap. Cùm inter*, ubi Abb. *de exceptionib.* Defensio enim, ut notavimus, unicuique à Natura ipsa conceditur, ut etiam brutis animalibus competat. Hinc, inquit Philos. omne „ ens appetit vivere, & propriam salutem tueri. „ Idem dicit Toll. *lib. 1. de offic.* in princ. hic „ Principio generi animantium hoc tributum „ est, ut se naturamque suam tueatur. Sic pariter Boetius *in 3. de consolatione*, ubi inquit, „ Omne animal tueri salutem desiderat, mortemque evitare. Nullus propterea homo, potest homini defensionem impedire. Quando verò defensio possit à Principe tolli, vide apud Felin. *in Cap. Dilecti filij, de exception. & in Cap. Qualiter, & quando, §. Debet. de accusat.*

XI. DIFFICULTAS.

An liceat militi fugienti pro vita propria defendenda, occidere invadentem se; quisquis ille sit, dum sciat esse in peccato mortali, quando bellum ex parte hostium est justum.

1. NOtandum primò, in omni actu posse reperiri duos effectus, unum ab agente intentum directè; alterum verò præter intentionem agentis; & ideo in actu, quo quis se defendit ab invasore effectum intentum directè esse conservationem vitæ propriæ, à quo effectu actus ille sumit speciem, ac denominationem, ac proinde bonitatem, cùm hic sit finis illius defensionis; alterum verò actum, scilicet, occisionem invasoris, esse effectum præter intentionem, cùm illam non intendat defensor, sed consequatur actum illum.

2. Notandum secundò: ut licita sit invasoris occisio, debere fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ plura requiri, & inter cætera quatuor supra explicata *Diffic. X. Not. 3.* pag. 410. Unde attentè esse examinanda, quæ circa defensionem afferunt Jurisperiti, præsertim Bart. *in l. si ex plagis*, §. *Tabernarius*, *ff. ad leg. Aquil.* ubi dicit, „ quod si percutio te, antequam percutias me, „ dum es in actu percuentiendi, in dubio videor „ facere ad defensionem; & Bald. *in l. 2. Cod. de sica*, dicens, quod ille, qui primò fuit insultatus, dicitur facere ad defensionem, non ad vindictam, *l. multis*, in fin. *Cod. de lib. caus.* concludens quòd in probando defensionem, sufficit probare, quòd Adversarius animo occidendi, vel vulnerandi in eum irruebat. Et Cardin. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. sed & si quemcunque, ff. ad leg. Aquil. num. 1.*

Notandum tertiò, esse probabilem utramque sententiam circa occisionem aggressoris ad se defendendum, affirmantium, scilicet, licere sui defendendi causa intendere, & velle etiam ipsam mortem alterius, tanquam medium quoddam necessarium ad vitam propriam conservandam; & hoc negantium; cùm pro utraque adsint sufficientes rationes intrinsecæ; ut notat Sayr. *loc. cit. sub num. 14.* 3

His adnotatis, ad difficultatem propositam; an liceat militi pro vita propria defendenda, occidere invadentem se, quisquis ille sit, dum sciat esse in peccato mortali, quando bellum ex parte hostium est justum; negativè videtur respondendum, cùm ista sit regula communis; quòd si movens bellum, fovet justum bellum, defendens se, habet injustam defensionem; & è contrario, si defendens se, justè se defendit, movens bellum, fovet injustum bellum; & ideò cùm bellum sit justum ex parte hostium, qui hostem invadentem occidit, ut se defendat, peccat. Præterea, invadens militem injustè pugnantem, & fugientem, potest illum occidere, non privata auctoritate, sed publica, & divina. Ergò non licet invaso illum occidere, ut se defendat; esset enim resistere, quod illicitum est per omnes. Præterea, unusquisque tenetur in casu necessitatis ex charitate magis diligere vitam spiritualem proximi, quàm propriam corporalem; quia vita spiritualis est finis omnium temporalium. Cùm igitur Aggressor sit in peccato mortali, & damnetur, si in illo moriatur, est in extrema necessitate vitæ spiritualis. Et ideo ordo, & lex charitatis obligat invasum permittere potiùs se vitam propriam temporalem perdere, ne proximus, scilicet Aggressor vitam æternam perdat. Et ita sentire videtur S. Aug. *in epist. 154. ad Publicolam*, quod refertur *causa 23. quæst. 5. Cap. De occidendis*; & *lib. 1. de liber. arb. cap. 5.* 4

5. His tamen non obstantibus, contrariæ sententiæ, quam puto esse communem, adhæreo; & dico licitum esse militi privato aggressorem occidere ad necessariam vitæ suæ defensionem, si duo interveniant. Primum, congruitas temporis: & secundum, necessitas inevitabilis. Alex. de Ales. *p. 3. q. 34. memb. 2. art. 2. §. 2.* D. Tho. *2. 2. quæst. 64. art. 7.* Less. *lib. 2. de just. & jur. cap. 9. n. 41.* Regnal. *lib. 21. sua praxis, n. 56.* Megal. *lib. 3. cap. 1. quæst. 1.* Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 7. cap. 10. num.*

10. num. 14. ubi plures alios citat. Molfesius, *in Summ. p. 1. tract. 11. cap. 19. num. 89.* ubi citat Covar. Navar. Sylvest. Sot. & alios, & communiter Civilistæ *in l. ut vim, ff. de just. & jur.*

6. Moveor primò utroque jure, civili, *in l. 1. ff. de vi. & vi armata, & l. ut vim, ff. de just. & jur. l. etiã, ff. ad leg. Aquiliam; & l. injuriarum, ff. de injur.* ubi habetur, sine injuria, & jure fieri quidquid ad tutelam proprii corporis fit. Jure verò Canonico, *in Cap. Jus naturale. Dist. 1. Cap. Significasti, 2. de homic. Cap. Dilecto filio, de sent. excom. in 6. Cap. Si verò, 1. de sent. excom.* ubi approbantur omnes leges, omniaque jura, quæ permittunt vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, & propriam vitam defendendam.

7. Moveor secundò rationibus; nam si alteruter necessariò debeat mori, aut injurians, aut patiens injuriam, jus dictat naturale, ut potiùs inferens, quàm patiens injuriam moriatur: nimis enim durum esset invaso vitam amittere, ut aggressor vivat. Tum quia, jus naturæ dictat unicuique licere vitam propriam conservare omni modo licito, & necessario, quamvis debeat alter perire; aliàs jus naturæ latam aperiret viam Malis invadendi Bonos, si Boni in casu necessitatis non possent licitè occidere Malos. Et sic Mali in conditione superarent Bonos; quod ratio non dictat; Deus non tolerat; & dicet nemo. Denique negari non potest axioma tritum, quod omnes concedunt, nempe, quòd defensio sit de jure naturali; & quòd unusquisque magis suæ, quàm alienæ vitæ consulere tenetur; atque ideo cùm miles fugiens, si invaditur, debeat vitæ suæ consulere, aggressoris vitæ non debet parcere.

8. Moveor tertiò, exemplo, in Chananæis, qui justè se defendebant ab Israelitis, quamvis Israelitæ justè pugnarent contra Chananæos, quia pugnabant, de mandato Dei: quapropter Chananæi non peccaverunt occidendo Israelitas, ut se defenderent; quia justissimam causam habebant defendendi terram suam, & seipsos potissimè, quia Israelitæ non solùm conabantur ad eruendam terram de manu Chananæorum, sed etiam ad occidendum omnes Chananæos, quia Deus jusserat, quòd nulli eorum parcerent, Deuter. 2. & refert, notat, explicat Abul. *in 1. Paralip. cap. 19. q. 20.*

9. Concludimus igitur, licere militibus, qui in bello injusto pugnant, si invadantur, dum fugiunt à militibus contrariæ partis ipsos insequentibus, eos interficere pro sua vita defendenda.

10. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, negando illam regulam communem, quòd si movens bellum, fovet justum bellum defendens se habet injustam defensionem, esse universaliter veram, quia videmus fallere in facto de Chananæis: potest igitur bellum esse justum ex parte aggressorum; injustum ex parte invasorum, & invasorum defensio esse justa.

11. Ad secundam; concedendo militem injustè pugnantem, & fugientem occidi justè à milite justè pugnante: negamus tamen hoc ab ipso fieri auctoritate publica, seu tanquam à ministro publico, ut optimè advertit Sayr. *in sua Clavi Reg. lib. 7. cap. 10. num. 21.* Si enim aliquis extrema necessitate laborarat, & panem, seu pecuniam, ut suæ indigentiæ subveniat, à divite acciperet, non publica auctoritate, sed privato jura, quod habet à natura se conservandi, id faceret. Sic miles justè pugnans, posset quidem occidere militem injustè pugnantem, & fugientem, sed non tanquam minister publicus: atque ideò invaso militi liceret illum occidere; quod minimè esset resistere.

Ad tertiam, admittendo antecedens, negamus inde sequi, quòd quis teneatur perpeti mortem, ne alterum occidat, nam aggressor non est in extrema necessitate absolutè, sed voluntariè, & ex malitia sua, adeóque non militi fugienti, & invaso, sed militi invadenti peccatum, & mors, non solùm corporis, sed etiam Animæ, si non desistat, cùm possit desistere, si non eliciat actum contritionis, imputabitur. Præterquam quòd, miles fugiens, cùm injustè pugnaverit, non est certus de salute, & gratia sua, imò incertus, cùm sit in peccato: peccat enim, qui injustè pugnat; & consequenter cùm teneatur suæ necessitati spirituali consulere, non tenetur permittere se occidi, dum potest mortem inferendo occidenti, seu volenti occidere, suæ æternæ vitæ providere. 12.

Infero primò ex dictis, privato militi, qui certò credit bellum ex parte hostium esse justum, licitum esse occidere Principem se invadentem, si aliter se defendere non potest, & non possit avertere Principem ab irruptione in se. Dummodò tamen ex tali occisione non sequeretur notabile damnum Reipublicæ, & præcipuè bella civilia ob successionem: Ita ut ad ista avitanda necessaria esset vita Principis. Ita docet etiam Azor. *quæst. 3.* quem citat, & sequitur Filliuc. *tom. 2. tract. 29. quæst. 8. n. 193.* Quidquid dicat Molfes. *in sua Sum. p. 1. tract. 11. cap. 19. num. 96.* 13.

Infero secundò, totum exercitum, scientem hostes justè pugnare, licèt peccet contra hostes injustè pugnando: tamen si hi moniti ab illo, ut desistant, aggredi, nolint, posse se defendere, etiam cum morte hostium, si alia via mortem aufugere non possit: quia per injustitiam belli ex parte sui non amisit jus naturale se defendendi, & occidendi invasores, si aliter non potest se defendere. Sot. *lib. 5. quæst. 10. num. 7.* Azor. Filliuc. *loc. cit.* 14.

Infero tertiò, licere mulieri accumbenti cum viro illum occidere, si sub pulvinari gladium paratum à viro ad eam occidendam, quamprimùm fuerit excitatus, inveniat, dummodò non possit aliter mortem sibi inferendam à marito evadere, quia id non est prævenire inimicum, quod non licet, sed tueri, ac defendere se ipsam à viro aggressore. Secus verò, si, vel fugiendo, vel clamando, vel occultando pugionem, & resistendo, aut alia quacunque via, possit mortem evadere, quia tunc non esset se ipsam defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed prævenire inimicum, quod non licet. Martin. Nan, *in manuali, cap. 15. num. 3.* Pet. Navarr. *lib. 2. de restit. cap. 3. num. 319.* 15.

Infe-

16. Infero quartò, licere invaso occidere invadentem ad se defendendum, etiam si dederit operam rei illicitæ, & occasionem obtulerit invasori, puta, si illum ad singulare certamen contumeliis, & opprobriis provocaret. Contrarium tenet Mart. Navarr. *in Man. cap. 15. num. 7.*

17. Infero quintò, licere per accidens aggresso occidere innocentem, uti puerum, amentem, freneticum, vel dormientem, ebrium & similes, si alia via non possit aufugere occisionem, nec evitare mortem. Sic docet etiam Sotus, *lib. 5. de just. quæst. 1. art. 7.* in fine, Anton. Cordub. *lib. 1. Quæstionary, quæst. 38. num. 4.*

18. Infero sextò, licere Sacerdoti Missam celebranti, si in illo actu invaderetur ab inimico, se tueri, & occidere invasorem, si ita necessitas postulaverit, cum intentione tantùm se defendendi, & postea sacrum continuare, cùm in irregularitatem non incurreret. Ita Molfetius, *in Sum. par. 1. tract. 11. cap. 19. num. 95.*

19. Infero septimò, aggresso non licere occidere aggressorem, si aggressor videns se deficere viribus, fugeret, aut desisteret, vel durante rixa, dicat se nolle amplius rixari: quia cessaret jam violentia; & hujusmodi occisio non esset necessaria ad propriam defensionem.

20. Infero octavò, licitum esse omittere propriam defensionem pro vita corporali, vel spirituali invasoris, ut habeat tempus pœnitendi. Sic Sotus, *lib. 5. de just. quæst. 1. art. 8. vers. quære tres ordines*, Petr. de Aragon. *2. 2. quæst. 64. art. 7.* Petr. Navar. *lib. 2. de rest. cap. 3. n. 326.* Valent. *tom. 3. disp. 5. quæst. 8. punct. 4. dub. 2.* Tol. *in Sum. lib. 5. cap. 6.* Sà, *in Aphor. verb. Homicid.* Sayr. *in sua Clavi Reg. lib. 7. cap. 10. sub num. 25.* & alii communiter.

XII. DIFFICULTAS.

Milites quidam offenderunt in Castris imaginem; seu statuam Principis, & quidem in odium Principis. Dubitatur, num fuerint rei criminis læsæ Majestatis graviter puniendi?

1. NOtandum primò, statuariæ, & picturæ inventorem, secundùm nonnullos, fuisse Saruch filium Reu ex posteris Sem, ut constat Genes. 11. *vers. 20.* eumque statuas, & picturas invenisse, quibus repræsentarentur viri Principes, & colerentur. Verùm, primus illarum Auctor Nemrod, sive Belus certiùs existimatur, unde Saruch easdem duntaxar promovisse dicendus est, non invenisse.

2. Notandum secundò, primum, qui statuas erexit, si fides præstatur Beroso in quarto, fuisse Ninum, Tertium Babyloniæ Regem, qui in medio Babylonis statuas erexit, cujus exemplum sequens Semiramis ejus uxor, multas statuas fecit erigere, testibus Orosio, Justin. Euseb. apud Decian. *in tract. crim. lib. 7. cap. 51. num. 1.*

3. Notandum tertiò, statuas, & imagines indicare excellentiam, bonitatem, dignitatem, victorias, aliasque bona virtute comparata; & ideo non solùm antiquitus fuisse statuis, & imaginibus maximam adhibitam reverentiam, ut refert Tull. *in oratione pro lege Agraria*, in princ. *& in 2. de Oratore*, sed etiam nostris temporibus, magnam illis adhiberi. Videmus enim in publicis plateis, in publicis palatiis, nec non & in funeribus statuas erigi, imagines explicari Magnorum, seu Majorum ad ostendendum excelsas Familiarum prærogativas.

Notandum quartò, antiquum fuisse usum dedicandi, & consecrandi statuas, ac imagines Imperatoribus, Principibus, atque Magnatibus, teste Plin. *lib. 34. cap. 4.* Zazi. *in suis Commentariis, de Repub. Rom. lib. 6. cap. 9.* propterea hic præsertim Romæ tot statuas subterraneas repertas esse, & quotidie reperiri, cùm Roma tot Magnatibus abundaverit, quibus dedicabantur. 4.

Notandum quintò, inter Ethnicos Imperatores eò processisse ambitionem, ut in exercitu, ante militaria signa, eorum imagines veluti Numinum simulachra præferrentur, & genua ante illas flecterentur: aras quoque illis collocari in Castris solitas, refert Tacit. *lib. 14.* Veget. *lib. 2. cap. 5. & 6.* 5.

Notandum sextò, inter Fideles non adorari Principum statuas, aut imagines, sed in magna veneratione, & æstimatione esse apud omnes, tanquam sua prototypa exprimentes; unde statuas & imagines Summi Pontificis, Imperatoris, Regum, Principum, non tantùm in locis publicis collocari, sed etiam in domibus privatis, nec non & in Ecclesiis, occurrente illarum festivitate, ut quotidiana docet praxis. 6.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an milites offendentes sive in Castris, sive alibi Principis imagines, aut statuas in odium Principis, sint rei criminis læsæ majestatis, & ut tales graviter puniendi, negativè videtur respondendum, cùm aliud sit imago, aliud veritas, *l. 2. Cod. de jure aure. annul.* imago enim Principis non est hoc, quod ipse; & ideo licèt offendere personam Principis sit crimen læsæ majestatis severè puniendum, reus hujus criminis non est censendus miles, qui offendit illius imaginem, etiam in illius odium. 7.

Veritas tamen est, hunc militem imagines, aut statuas Principis, eique jam dedicatas offendentem, nullatenus posse à crimine læsæ majestatis excusari. Ita sentit Venuleius, *in leg. qui statuas, ff. ad leg. Jul. majest.* Idem Luc. de Pen. *in l. si qua, col. 1. Cod. de spectac. lib. 11. & in leg. prædia, Cod. de locat. præd. civil. lib. eod. in 12. col.* Decian. *in tract. crimin. loc. cit. num. 2.* 8.

Moveor primò juribus, *in l. qui statuas, 6. non contrahit, l. famosi, ff. ad legs Jul. majest.* ubi habetur, graviter puniri, qui statuam, aut imaginem Principis fœdavit, vel turpiter habuit: *& l. capitalium, §. Ad statuas, vers. eum quoque, qui imaginem Cæsaris, ff. de pœn.* 9.

Moveor secundò rationibus: nam Princeps est aliquo modo in sui imagine; dicebat enim per Athanasium *orat. 4. contra Arrian.* cujusdam Re- 10.
„ gis imago. Ego & Rex unum sumus: Ego
„ enim in illo sum, & ille in me, & quod in me
„ anim-

" animadvertis, id quoque in illo animadvertis, " & quod videris in illo, videris in me. Negare igitur potest nemo personam Principis offendi, ejus imago si offenditur. Tum quia, præceptum DEI est. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Exod. *cap.* 22. *num.* 28. Quid aliud est Principis imaginem offendere, nisi Principi maledicere, & detrahere non lingua, sed facto? Tum etiam, quia DEUM offendit, qui offendit hominem, cùm homo sit imago DEI: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Gen. *cap.* 1. *num.* 26. Quis igitur non videt ob paritatem rationis ad Principem extendi offensionem, ejus imagine offensa? & ideo reus criminis læsæ majestatis offensor imaginis Principis clarissimè apparet; *&* *leg. Jul. Majest.* tenetur.

11. Moveor tertiò exemplo, primò in quodam, relato à Sueton. *in Tyberio*, *cap.* 58. qui crimine majestatis læsæ fuit accusatus, quòd statuæ Augusti caput dempsisset, ut alterius imponeret. Secundò, in Theodosio, qui severè punivit tanquam reos criminis læsæ majestatis eos, qui Antiochiæ suas statuas subverterant: fortasse totam Civitatem subvertisset, ut pœna esset communis, reis non inventis, ob facinus singulare perpetratum, tam grave illud existimavit, nisi Flavianus Episcopus eum à proposito removisset.

12. Concludimus igitur, Principum statuas, & imagines esse oculis venerationis, seu æstimationis inspiciendas, earumque offensores, præcipuè in odium Principum *leg. Jul. Majest.* teneri.

13. Ad rationem in oppositum respondemus, admittendo legem allegatam, quæ nobis non obstat; nam etiam nos fatemur imaginem Principis non esse hoc, quod ipse, sicut filius, qui naturaliter est hoc, quod & Pater, ut probat S. Aug. *in Lib. Gen. cap.* 5. sed scimus semper Principem repræsentari in sua imagine, cùm nulla imago sit, in qua similitudo non sit, ut ibi concludit S. Aug. adeòque contempta Principis imagine, nullatenus à contemptu immunis ipse Princeps evadit.

14. Infero primò ex dictis, justè pœnam mortis imponi monetas falsificantibus, non solùm ratione publici damni, sed etiam quia monetas corrumpunt, in quibus adest imago Principis, in eis publica authoritate impressa. Quod per hoc tantùm negat Afflict. *decis.* 74. *n.* 29. Hip. *cons.* 71. *num.* 11. *& in l. qui falsam*, *num.* 112. *de falsi.* asserendo, corrumpentes monetam alterius, quàm Imperatoris, puta, Ducis, Reipublicæ, vel Civitatis habentis potestatem cudendi monetas, non esse pœnâ mortis puniendos; ut notat Decian. *tract. crim. lib.* 7. *cap.* 23. *num.* 19. sed alia mitiori, ut tenet Alex. *cons.* 105. *num.* 2.

15. Infero secundò, laudabilem esse morem semper apud Romanos observatum, in monetis cujuscunque speciei ferè semper vultum, seu imaginem Imperatoris viventis imprimendi. Herodian. *in* 1. *&* 2. *lib.* ut hoc modo, ob reverentiam imagini Imperatoris debitam, damnum publicum in monetis corruptis non sequeretur.

16. Infero tertiò, non esse quidem crimen læsæ majestatis collocare juxta statuas, & imagines Principum eis dedicatas, minorum, aut vilium imagines, sed hoc fieri non debere: neque debere juxta illas fieri spectacula, ut deciditur *in l. si qua*, *Cod. de spectacul. lib.* 11. cùm videatur reverentiæ Principi debitæ repugnare.

Infero quartò, incurrere crimen læsæ majestatis eum, qui imagines, statuas, arma, & insignia Principis à Castro, vel Civitate, ibi posita in signum dominij, deletet, quia supponitur delere, ut subjectionem tollat, nisi alia legitima causa suspicionem impediat. Ita etiam tenent Gemin. & Præpos. Alexand. *in cap. Quæcunque*, 30. *Dist.* 17.

Infero quintò, Immunitate Ecclesiæ non Privari eum, qui, sublata imagine Principis, imprimit in moneta, vel in alia re propriam imaginem; vel falsam pecuniam, vel veram, sed contra Principis edictum, cudit, vel bonam tondet; quia talis non conjurat, & machinatur in personam Principis, nec facit actionem in offensionem personæ Principis, quod requiritur ex vi Constitutionis Gregorianæ mox allegandæ, quamvis crimen læsæ majestatis committat. Ita tradunt Peregrinus, Silvius, Farinacius, Lezana, & alii plures, quos probat Thom. Del Bene, *par.* 2. *de Immunit. Eccles. cap.* 16. *dub.* 23. *sect.* 5. *n.* 3. 18.

Infero sextò, Immunitatis Ecclesiæ privilegio gaudere offendentem statuas, vel imagines dicatas Principibus, etiam in odium Principum, quia quamvis in hoc adsit crimen læsæ majestatis, non tamen similiter committitur crimen, seu offensio in personam Principum, quod requirit Constitutio Gregorij XIV. ubi ponuntur illa verba. *In personam Principis*, aliàs essent superflua. Et ita etiam docet Peregrinus, *de immunit. cap.* 10. *num.* 13. Boosc. *de immunit. disp.* 3. *quæst.* 7. *punct.* 4. *num.* 22 Diana, *p.* 1. *tract.* 1. *Ref.* 7. Marsilius, Bursatus, Clarus, Farinacius, & alij apud Tho. Del Bene, *loc. cit. sect.* 4. 19.

Infero septimò, immunitate non privari eum, qui offendit Filium Principis, qui est [illegible]a ejus imago; aut ejus Uxorem, Fratrem, Protegem, Oratorem, Consiliarios, aliosque Principem repræsentantes, etiam illos occidendo in odium Principis; quia licèt committatur crimen læsæ majestatis, non tamen offendit personam Principis, quod requiritur ex dicta Constitutione Gregoriana. Ita tenent præfati DD. Contrarium tenet Gambacurta, *lib.* 5. *cap.* 4. *dub.* 3. *&* 4. & Curtellius, Thom. Del Bene, *loc. cit.* 20.

Infero octavò, crimen læsæ majestatis non committi ab eo, qui statuas Cæsaris, vel alterius Principis, vetustate corruptas, reficit, *l. qui statuas*, 6. *ff. ad leg. Jul. Majest. l. non contrahit*, *ff. eod. tit.* Martian. *in ea leg.* 21.

Infero nonò, olim statuas Principis principaliter, & solas non posse vendi, ut ex regula generali, *l. qui statuas*, *ff. ad leg. Jul. Majest.* quæ lex nunc videtur abrogata per contrariam consuetudinem: posse verò absque dubio vendi, si venderetur domus, vel hortus, vel prædium, ubi statuæ collocatæ essent: ut habetur ex rescripto Tiberij, narrat Tacit. *lib.* 1. 22.

Infero decimò, reverentiam Principum statuis & imaginibus debitam redundare non solùm in honorem Principum, sed etiam in aliorum utilitatem, 23.

tatem,

tatem; nam olim criminum reis ad statuas Imperatorum confugientibus, nefas erat manus violentas imponere, ut habetur *in l. 2. ff. de ijs, qui sunt sui, vel alicujus juris, & in l. 1. §. 1. ff. de offic. Praef. Urb. & l. 1. Cod. de ijs, qui ad statuas confugiunt.*

24. Infero undecimò, summam deberi reverentiam Imaginibus Christi, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium; nec non proportionaliter Imaginibus Deiparae Angelorum Reginae; atque caeterorum Sanctorum. Propterea juste legum Sanctionibus cautum est, eos, qui venerandas Christi, vel Sanctorum Imagines contemnunt, & violant, poenae ultimi supplicij esse subjiciendos, ut videre est *in l. unic.* ubi Sali. *Cod. nemi. licet*, & facit Tex. *in leg. sacrilegij*, in princ. *ff. ad leg. Jul. pecul.* & tradunt Ange. & alii, quos producit; & sequitur Card. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. si quis id, §. Servi quoque, ff. de jur. omn. jud. num. 6.* Hinc S. Hieronymus dicit, Vigilantium esse haereticum, quia Imagines, & Reliquias Sanctorum non venerabatur, secundùm Ecclesiae consuetudinem. Proindè Ludovicus Imperator petentibus ab eo Oratoribus Michaëlis Constantinopolitani Imperatoris, delendae ne, an restituendae essent imagines Sanctorum, respondit, hoc ad Romanum Pontificem pertinere. Refert Card. Alban. *loc. cit.*

XIII. DIFFICULTAS.

Miles ebrius occidit duos Rusticos, ei obviam euntes. Dubitatur, num sit plectendus poenâ à Juribus statutâ Homicidis.

1. NOtandum primò, malitiam ebrietatis plenae & perfectae in eo consistere, quòd quis sine justa, & gravi causa, tantùm ob voluptatem, aut ingluviem, sciens, volens, privet se usu rationis non modo naturali, ut fit in somno, sed violenter, sed modo innaturali rationem perturbando. Ita communiter.

2. Notandum secundò, ebrietatem esse duplicem, perfectam, scilicet, & imperfectam; perfectam, qua homo privatur omninò usu rationis: & haec est peccatum mortale, generaliter loquendo; nam ebrius privando se usu rationis efficitur tanquam brutum animal, & se exponit periculo committendi varia delicta. Imperfectam verò, qua homo non privatur suis sensibus, sed fit tantùm exhilaratus, & gaudens propter vinum. Fatin, *quaest. 56 num. 438.* & tunc est tantùm peccatum veniale. Molf. *in Summa, par. 1 tract. 8. cap. 8. n. 165.*

3. Notandum tertiò, in ebrijs posse contingere voluntarium explicitum, & implicitum; explicitum, ut quando se volunt inebriare, ut tale delictum in ebrietate committant, pura, ut excusentur à poena. Implicitum verò dicitur, quando aliquid est cognitum, & volitum non in se ipso, sed in sua causa, seu in ebrietate volita. Si quis enim sciat se propter ebrietatem solitum esse committere tale crimen, puta, pollutionem, & voluntariè se inebriat, pollutio censetur voluntaria: & sic duo peccata mortalia, ebrietas nempe, quae mala est; & pollutio, utrumque peccatum voluntarium; ebrietas explicitè, pollutio verò implicitè. D. Thom. 1. 2. *quaest. 20. art. 5. & quaest. 73. art. 8.*

Notandum quartò, ab ebrietate quinque, ut plurimùm causari effectus, videlicet, ineptam laetitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium, hebetudinem mentis. Ita docet D. Tho. 2. 2. *quaest. 148. art. 6.* quem alij sequuntur, quamvis duos tantùm esse ebrietatis effectus, nempe mentis exilium, & libidinem dicat Abb. *in Cap. Crapula, de vita, & honest. Cleric.* quod approbat Cardin. Albanus infra citandus, ubi asserit, ebrietatem esse fomitem omnium malorum. 4.

Notandum quintò, ebrium cognosci posse ex signis indicantibus rationem fuisse interceptam, & prudentiam consopitam: unde vino temulentus, si nescit discernere bonum à malo, si non advertit quid agat; quid dicat; si nescit, qua ratione domum venerit, vel quo modo Ecclesiam ingressus fuerit; si die subsequenti non meminit quid fecerit, vel dixerit die antecedenti, cùm aliàs id ritè meminisse soleat: si aliqua praeter solitum malè operetur, perfectè ebrius est, quis signum est, defuisse usum rationis: imperfectè verò, si rerum praefatarum memoriam tenet, aut tempore ebullitionis vini sua solita officia utcumque praestat, aut bonum à malo discernit, quamvis patiatur vertiginem, aut rectè incedere non possit, aut omnes domus everti ipsi videantur. Ita Bonac. *de praeceptis Ecclesiae, disp. ult. quaest. 1. punct. 1. num. 4.* 5.

Notandum sextò, homicidium variis poenis puniri; interna, & est privatio absolutionis, donec fiat saltem in proposito restitutio damni illati in medicinis, expensis, stipendiis, juxta *l. ex hac lege, ff. si quadr. paup. fec. dic. l. fi. ff. de his, qui ejec. vel effud.* Civili, & est compensatio damni dati, *l. 2. & 3. ff. ad leg. Aquil.* Ecclesiastica, & est praeter irregularitatem, depositio, *Cap. Presbyter, Dist. 81.* detrusio in Monasterium, *Cap. Sacerdos, ead. Dist.* Criminali, & est mors. Ita communiter Doctores, asserentes, unam poenam per aliam non tolli. Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 67.* 6.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles ebrius, qui occidit duos Rusticos ei obviam euntes, sit puniendus poenâ à juribus statutâ homicidis. Card. Albanus, *in lucubr. in Bart. in l. respiciendum, §. Delinquunt, ff. de poenis, num. 1.* nec affirmat, nec negat; sed lectorem suum mittit ad Angel. *de malefic. verb. scienter, & dolosè, col. 1. vers. quid si*, Abb. *in Cap. Sicut nobis, de testib.* Negativè tamen videtur respondendum, quia poena homicidij non habet locum, nisi homicidium dolo commissum sit, *l. 1. Cod. de sica. l. 1. §. Divus, ff. eod. tit. cap. Significasti, il secondo, de homicid.* & facit Tex. not. *in l. omne delictum, §. Qui se, ff. de re milit.* & docent Jurisconsulti, Aret. *cons. 146.* & Dec. *cons. 482. num. 7.* ubi subdit, omnia statuta, imponentia poenam mortis pro homicidio commisso, intelligi si homicidium dolo committatur, quod etiam confir- 7.

mat

mat *conf.* 622. *num.* 3. Parif. *conf.* 161. *num.* 12. & alij, quos probat Menoch. *de arbitr. jud. lib.* 2. *cent.* 4. *caf.* 324. *num.* 7. Qui autem occidit in ebrietate, non dicitur dolo occidere, dummodò datâ operâ factus non fit ebrius, aut levi ebrietate affectus non fuerit. Et ideo miles, qui non supponitur affectus levi ebrietate. nec datâ operâ factus ebrius, pœnâ homicidij non tenetur.

8. Verius tamen arbitror, hunc militem homicidam, quamvis dolus in homicidio non fuerit, esse quidem puniendum, sed clementiùs, seu pœnâ mitiori, Gloss. *in cap. Sane, cauf.* 15. *quaſt.* 1. Jul. Clar. *in* §. *fin. quaſt.* 60. Rom. *in l.* 1. princ. *num.* 9. *de verb. obl.* Jo. de Ana. *in cap. De infamib. num.* 2. *de ijs, qui filios occidunt.* Dec. *in cap.* 1. in fin. *de teſtib.* Marsil. *in leg. quaſtionis medum, num.* 36. *de quaſt.* Placa. *lib.* 1. *epit. delicte, cap.* 30. *num.* 2. Didac. *in Clem. Si furioſus, par.* 3. princ. *num.* 3. Molf. *in ſum. part.* 1. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 51. & alij.

9. Moveor primò juribus, *in l. omne delictum* §. *Per vinum. ff. de re milit. l. reſpiciendum*, §. *Delinquunt, de pœnis l.* 1. §. *Divus, ff. ad leg. Cornel. de Sicar*, ubi habetur, delicta in ebrietate commissa puniri, quamvis mitiùs: *arg. l. abſentem*, §. *ult.* & *in cap. Sanè, cauſa* 15. *quaſt.* 1. ubi Gloss. dicit, delinquentem in ebrietate aliquam veniam mereri.

10. Moveor secundò rationibus: nam miles delinquens per ebrietatem non dicitur studiosè delinquere: siquidem ebrius dicitur alienatus mente, *cap. Crapula de vita*, & *honeſt. Cleric.* sed impetuosè, & ideo minus puniri debet. Tum quia, Ebrius non dicitur mereri, neque demereri, *dict. cap. Sane, cauſa* 15. *quaſt.* 1. & *cap. Unuſquiſque, cauſa* 22. *quaſt.* 3. atque adeò, quamvis miles ebrius sit puniendus ad exemplum universi exercitûs, ad hoc ut ebrietas, quæ est causa confusionis in exercitu, evitetur; non videtur tamen puniendus ob homicidium in ebrietate commissum nisi pænâ extraordinariâ, non verò pænâ homicidis à juribus statutâ.

11. Moveor tertiò exemplo, seu praxi quotidiana, in Judiciis exercitûs, qui milites, ob delicta in ebrietate commissa, puniunt aut carcere ad tempus, aut ictibus funis, non pæna ordinaria, seu morte; aliàs singula quàque die exercitus minueretur, cùm non pauci milites per singulos dies ebrij fiant, & in ebrietate, aut commilitonem, aut Rusticum, aut alios non rarò vulnerent graviter, aut occidant.

12. Concludimus igitur, homicidium à milite ebrio non præmeditatè commissum, & quævis alia crimina ab aliis in ebrietate patrata, esse quidem pænâ mulctanda, sed arbitriò prudentis Judicis, qui pro modo facti, examinatis restibus, perpensa culpa, & qualitate personæ, vel graviorem, vel minorem pænam indicere potest, modò pæna indicta non sit corporalis. Et hæc est juris communis determinatio, cum qua Menochius, *loc. cit. num.* 13. putat convenire statutum Veronæ, *lib.* 3. c. 40. *ſub Rub. Qui caſu*, & *non præmeditatè hominem occiderit, realiter puniatur.*

13. Ad rationem in contrarium respondemus: fatendo pænam homicidij locum non habere, nisi homicidium dolo commissum fuerit, sed pœnam ordinariam, non verò extraordinariam, quo in sensu debent intelligi jura allegata, & Doctores.

Ad cætera, quæ possunt objici, aut pro tollenda omninò, aut pro augenda pœna delictis in ebrietate commissis, patet responsio ex dictis, & ex dicendis in nostris illationibus patebit. 14.

Infero primò ex dictis, peccata commissa in ebrietate, quando in se ipsa mortalis est, si aliquo modo prævisa sint, dici etiam mortalia; aliàs duntaxat culpantur, quatenus metuit ebrietas, *cap. Inebriaverunt, cauſa.* 15. *quaſt.* 1. 15.

Infero secundò, quod sit in ebrietate nullatenus peccaminosa, ut quando sequitur inadvertenter, si nullo modo fuerit prævisum, nullo modo esse culpæ adscribendum: si verò fuerit culpa venialis ebrietas, peccatum in ipsa commissum esse veniale, Reginal. *Lib.* 21. *num.* 59. Jodoc. & alij. 16.

Infero tertiò, esse pœnâ ordinariâ, nec quidem minuendâ, puniendum homicidium commissum ab eo, qui vel levi ebrietate affectus erat, vel data opera factus est ebrius, & deliquit; vel qui dum in ebrietate deliquit, effectûs deinde mente compos, gloriatur se illud delictum fecisse, Bart. Tiraq. Ripa, & alij, quos probat Menoch. *de arbitr. jud. caſ.* 126. *à num.* 7. Et in hoc sensu explicanda est lex Pittaci Mitylen. qua sancitum est, duplo esse plectendum eum, qui per temulentiam sceleris aliquid commisisset. Paul. Manut. *in Pitt. Mitylen.* & etiam intelligenda sunt Caroli V. Imperatoris edicta, quibus ordinavit, ebrios, qui delinquerent, & pro ebrietate, & pro delicto puniri. Jodoc. *in pract. crimin. cap.* 84. *num.* 20. 17.

Infero quartò, militem, aut alium ebrium delinquentem, etiam contra personam Principis, ut puta, si Principem maledicat, si probarâ sit ebrietas, non puniri nisi arbitriò Judicis; ut habetur *ex lib.* 1. *Cod. Si quis Imper. maledixe.* ubi Ang. Quod exemplo declaravit Pyrrhus, & Val. Max. *lib.* 5. *cap.* 1. 18.

Infero quintò, blasphemias, aut hæreses, quas profert ebrius in sua ebrietate, non solitas proferri, esse quidem à Sancta Inquisitione puniendas, non tamen pœna ordinaria Blasphemis, & Hæreticis statuta. 19.

Infero sextò, ebrietatem excusare à perjurio, cùm ebrius æquiparetur ignoranti, & nescienti, *dict. cap. unuſquiſque, cauſa* 22. *quaſt.* 4. Et ita Decian. *tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 8. ibi addens, hoc esse verum, si ebrius statim quòd resipisceret, & cognosceret se perjurasse, corrigeret errorem in continenti, ut per Afflic. *in cap.* 1. §. *fi. num.* 20. *de conſuet. rec. feudi.* 20.

Infero septimò, Clericum ebrietatibus deditum, esse quidem arbitrio Episcopi puniendum, sed non deponendum, nisi postquam esset admonitus, & non desineret se inebriare, & habetur in *cap.* 1. *Diſt.* 35. & ibi Gloss. *verb. Aut deſinat,* & *cap. Nulli, Diſt.* 42. Sayr. *in Theſaur, lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 12. 21.

Infero octavò, esse probabilem utramque opinionem; negantem, scilicet, & affirmantem, esse irregularem eum, qui dum erat ebrius, & ebrius factus 22.

factus culpabiliter, & dein destitutus omni usu rationis, occidit aliquem; cùm sint pro utraque sententia validæ rationes, tam intrinsecæ; quàm extrinsecæ, nempe auctoritates plurium & gravium Doctorum, relat, à Sayr. *in suo Thesaur. lib. 6. cap. 17. à num. 34. ad 37.*

23. Infero nonò, peccare mortaliter eos, qui vendunt vinum ijs, quos probabiliter credunt lapsuros in ebrietatem, nisi excusentur aliqua causa sufficienti, quæ, secundùm Bonacinam, non potest esse lucrum cessans, non vendendo vinum in tali eventu. *de peccatis, disp. 2. quæst. 4. punct. 2. §. unic. num. 32.* ubi citat Valent. Rodriq. Sanchez. & Sà. *verb. Ebrietas, num. 1.*

24. Infero decimò obiter, esse repellendum à testimonio eum, qui tempore testimonij erat ebrius, & propterea si examinetur, nihil probare: Dec, *in cap. Placuit. num. 8. de testib.* & alij, quos probat Farin. *quæst. 56 num. 434.*

25. Infero undecimò, esse studiosè evitandam ebrietatem, quia sobrietati adversatur, Ose. 4. Dein, quia ebrietas secretum effundit in publicum. Prov. 21. Litea, & jurgia solicitat. Prov, 20. Discretionis sensum evacuat. Isa. 28. Ad luxuriam provocat. Ephes. 5. Luxuriosa enim res est vinum: alia mala producit. Turrcremata, *in cap. Sane, causa 15. qu. 1.* Idem tradunt Cajet. *in summ. verb. ebrietas* Sylv. *in sum. eod. verb. qu. 2.* & alij, asserentes tamen quòd qui inebriantur ex causa justa, puta, ratione sanitatis, non peccat. Crederem ego, ut horum Auctorum doctrina sit tuta, duas conditiones requiri; primam, ut Medicorum judiciô salus aliter quàm per ebrietatem obtineri non possit: secundam, ut ne ex ebrietate timeatur aliquod grave damnum, puta, quòd ebrius blasphemet, percutiat &c. Sic etiam Gaugerius Hispanus, *in Annot. ad sum.* Cajet. *ex* Tolet. *sub num. 5. verb. Ebrietas.* Ita pariter sentit Reverendissimus Pater Magister Jacobus Riceius, ex Illustrissima Familia Dominicana, sui Ordinis Procurator Generalis. Examinator Cleri in Urbe, Vir pietate, & doctrina celebris, Amicus meus charissimus, quem super hoc consului.

26. Infero duodecimò incidenter, ebrium non posse matrimonium contrahere, si omninò caret sensu. Secus verò, si tantummodò est hilaratus, seu hilaratum se ostendit. Soci. *in Cons. 47. col. 3. in 3. vol.* Card. Alban. *loc. cit,* ubi ad quæstionem, an propter nimiam, & frequentem ebrietatem, Clericus privari debeat beneficio, respondet, esse recurrendum ad Abb. & alios in dict. *cap. Sicut nobis, de testi.*

XIV. DIFFICULTAS.

Miles, ob crimen lenocinij, in ordine ad prostituendos mares, quod quasi per consuetudinem exercebat, ab Exercitu dimittitur. Dubitatur, num infamiam incurrat.

1. NOtandum primò, infamiam esse læsæ dignitatis statum vita & moribus reprobatum, & in aliquo diminutum, Ita Calderin. & alij, quos recenset, & probat Tusch. *in verb. Infamia, conclus. 10. num. 1.*

Notandum secundò, infamiam duplicem esse, unam juris, alteram facti; infamiam juris dividi in infamiam juris civilis, & est illa, quæ à solo jure civili imponitur, & in infamiam juris Canonici, quæ contrahitur solo jure Canonico, ut ex peccato mortali, & in alijs casibus expressis de jure Canonico. Gloss. *in cap. Illi, qui, causa 6. quæst. 1.* & Infamiam juris esse triplicem, unam ex delicto proprio, cui jure ipso, seu ex juris constitutione, infamia annexa est; aliam ex delicto alieno; aliam ex officio vili, quod exercetur. Infamiam verò facti dici, quando alicujus opinio est læsa, & gravata apud non malevolos & viles homines, ut tradit Pan. *in cap. Inquisitionis, §. Quæsivisti, de accusat.* ubi dixit, turpe esse à turpibus laudari, cùm laudatus videatur esse de complicibus laudantium; sed bonos, & graves viros, ut not. per Gloss. *in cap. Infames, §. Porro, causa 3, quæst. 7.* & plura exempla ponit Azo. *in Sum. tit. Cod. ex quib. causis infamia irrog.* tradit etiam Philip. Dec. *cons. 430. num 3.* Abb. Felin, quos producit, & sequitur Card. Alban. *in lucubrat. in Bart. in l. Cassius, ff. de Senat, num. 3.* Tiber. Decian. *tract. crimin. cap. 17 num. 18.* Molfes. *in Summ. par. 1. tract. 6. cap. 8. num. 15. & 16.* 2.

Notandum tertiò, infamiam ex delicto proprio esse duplicem, unam, quæ annectitur ipsi delicto tantùm ante Judicis sententiam; alteram, quæ prærequirit delicti condemnatoriam sententiam. Ita Alphon. de Castr. *lib. 2. de leg. pen. cap. ult.* circa fin. Avil. *de censur. par. 7. disp. 4. dub. 5.* Covarru. *3. resolut. cap. 3. num. 2.* Infamiam juris annexam delicto tantùm, ante judicis sententiam, oriri ex delicto, cui, propter suam atrocitatem jus civile, vel Canonicum infamiam annectit. 3.

Notandum quartò, militem posse dupliciter delinquere, nempe, ut est persona privata, & ut miles est. Crimina militis, ut est persona privata, esse adulterium, furtum, & alia hujusmodi, unde obnoxis esse legibus communibus. Crimina verò militis, ut miles est, propriè esse illa, quæ contra exigentiam disciplinæ communis admittit, *l. omne delictum,* in princ. *ff. de re militar.* ut esset adulterium, quod, capta Civitate contra Ducis præceptum, miles committit, violentiæ, extorsiones, furta in terris hostium, interneciones innocentium, & alia ejusmodi, contra expressam Principis prohibitionem, tunc propria erunt militum crimina, *l. 2.* in princ, *& §. 1. ff. de re militar.* & not. Tiber. Decian. *lib. 7. cap. 12. de milit. crimin. num. 2. & 3.* 4.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles, qui ob crimen lenocinij, in ordine ad prostituendos mares, quasi consuetum, insignibus militaribus privatur, & ab exercitu dimittitur, incurrat infamiam; respondetur, sine ulla controversia, affirmativè. Et quia difficultas hæc, à nobis incidenter proposita, ne quid minimum circa materiam bellicam prætermittatur, satis ex se manifesta est, aut saltem ex his, quæ jam notata sunt, facilè dilucidari potest; paucis expendenda est. 5.

da est, præcipuè cùm in terminis agitata à nemine ex innumeris Canonistis, Jurisconsultis, Theologis, quos vidimus, inveniatur, uno excepto, nempe doctissimo Thoma Del Bene, *p.1. de offic, S. Inquisitionis, dubit. 94. num.* 10. & etiam incidenter, & paucissimis verbis.

6. Moveor primò juribus, *in l. Athletas*, *§. Ait Prætor, ff. de his, qui notantur infam. & l. palam, §. Lenocinium, ff. de ritu nupt. & in cap. Infames, causa 6. quæst.* 1. ubi expressè declarantur infames enorme crimen committentes.

7. Moveor secundò rationibus: nam bona fama, seu bona existimatio est dignitatis illæsæ status legibus, ac moribus comprobatus, *l. cognitionum, ff. de variis, & extraordin. cognition.* & ideo infamia erit boni nominis, seu bonæ existimationis diminutio. Petr. Greg. Tholos. *Syntag. lib.* 31. *cap.* 19. *num* 7. Nonne diminuta, & graviter læsa, & gravata erit apud bonos, & graves viros militis opinio, qui, ob commissum crimen, cui ex juris dispositione annectitur infamia, ab exercitu dimittitur? Ergo infamiam incurrit, & quidem duplicem, unam, scilicet, ratione criminis, alteram verò ratione expulsionis.

8. Moveor tertiò, exemplo, seu potius praxi. Scimus Sodomitas tanquam infames, non raro spectante populo flaminis vindicibus nefandum scelus expiare, juxta leges allegatas, & alias leges, quas Baronius *in suis eruditis Annalibus, tom. 3. anno* 342. tangit, & quidem aliam sanctionem Constantii Imperatoris refert his verbis, „Cùm vir nubit, in fœmina viros paritura, quid „cupiatur, ubi sexus perdidit locum? ubi scelus est id, quod non proficit scire? ubi venus „mutatur in alteram formam? ubi amor quæritur, nec videtur? Jubemus insurgere leges, „armari jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis „subdantur infames, qui sunt, vel futuri sunt „Rei. P.P. Romæ, XIII. Kalend. Januar. Constantio III. & Constante II. A. A. *Coss. fol,* 509; *lit.* B.

9. Concludimus igitur, dictum militem, & quemcunque alium ejusmodi crimina committentem, esse dupliciter infamem, civiliter nempe, & Canonicè: nam regulariter, licèt à nobis fuerit divisa infamia in legalem, seu juris, & in Canonicam, in gratiam Curiosorum; infames secundùm leges, sunt etiam infames secundùm Canones. *Cap. Omnes verò, causa 7. quæst.* 1. Felin. Lambert, Azor. quos recenset Garz. *q. 7, de benefic. cap. 8. num,* 11. Et infames secundùm Canones dicuntur illi omnes, quos leges sæculares tales appellant; & insuper infamia Canonica, ut notat Host. *de testib, §. Qui possit, vers. fama,* incurritur per omne peccatum mortale: quæ tamen opinio minimè placet Thom, Del Bene, *loc. cit.* arbitranti, delictum carnis non esse infamiâ afficiendum, nisi per consuetudinem exerceatur.

10. Infero primò ex dictis, notam infamiæ incurrere militem, vel Ducem ab exercitu dimissum ob aliud delictum ibi commissum; vel si ob eam causam militaribus insignibus privetur, quæ ignominiosa exauthoratio militis dicitur *l. 1. & 2, ff. de his, qui not, infam.*

11. Infero secundò, militem, & quemcunque alium uxoratum, tenentem concubinam, esse infamiâ notatum, cùm non possit negari illius opinionem esse læsam, & gravatam apud probos, & graves viros; cùm jura prohibeant, habenti uxorem tenere concubinam, *l. 1. Cod. de concubinis, & in l. fi. Cod. communia, de manumiss.* ubi dicitur, quòd jura, nec nova hoc permittunt. Et ita docet etiam Bal. *in l, 2, Cod, de incest. nup,* ubi etiam dicit, habentem duas concubinas infamem pariter nuncupari.

Infero tertiò, milites de bellis publicis fugientes fieri de jure Canonico infames. *Cap. Infames, causa 6, q.* 1. 12.

Infero quartò, militem descendentem in pugnam privatam cum alio causa quæstus, seu pretio accepto, fieri infamem ex jure civili, *l. 2. §, ult. ff. de his, qui notantur infamia,* Secùs verò, si descendat ob fortitudinem ostendendam, vel exercendam; etiam proposito præmio, & in hoc casu pugil, seu athleta dicitur, *l. 2. Cod. de Athletis, lib.* 10. & ibi Glos. Hoc tamen verum est solùm ex vi legis civilis. 13.

Infero quintò, infames esse jure Canonico, ante sententiam judicis, reos læsæ Majestatis tam divinæ quàm humanæ, eorumque fautores, & Cardinales S. R. E. hostiliter insecutores, eorumque auxiliatores. *Cap. Felicis, de pœnis in* 6. 14.

Infero sextò, infames fieri descendentes in duellum, eorumque Patronos. Trid. *Sess.* 25. *cap. 19. de reform.* 15.

Infero septimò, infames infamia juris, vel facti esse etiam irregulares, & repelli à susceptione Ordinum: *d. Cap. Infames, causa 6. quæst.* 1. 16.

Infero octavò, nullam dignitatem esse concedendam infamibus, *l. 2. Cod. de dignit. lib.* 10. Vide etiam *in l. qui de libertate, ff. de liber. can. Cap. Infamibus, de reg. jur. in 6.* & hoc eò magis procedere in Ecclesiasticis dignitatibus & beneficiis, & præcipuè in Curatis, ut in Trid, *Sess. 14. in decret. de reform. in proœm.* An autem infamis verè privetur ipso jure honoribus, & dignitatibus jam quæsitis, videndus est Abb. *in Cap. Querelam, de jurejur.* Bart. *in l. 1. ff. de his, qui not. infam.* 17.

Infero nonò, Hæreticos ob hæresim infamiam incurrere, & eorum nobilitatem eos non excusare à pœna ignominiosa; ulteriùsque privari, seu arceri, & repelli ab omnibus honoribus, dignitatibus, & publicis officiis, ut doctè probat Farinac. *Tract. de hæresi, quæ 189. num.* 40. 48. Sanctarel. *de hæresi, cap, 25. dub.* 2. 18.

Infero decimò, repelli ab accusatione illos, qui infamiam aliquam incurrunt ob delictum proprium. Et ita etiam probat multis juribus, & rationibus Tiber, Decian, *Tract. crim, lib. 3. cap, 17. num, 1, 2. & 3. & seq.* ubi varias ponit limitationes. 19.

Infero undecimò, infamem etiam de facto accusare non posse, ut est Glos, *in Cap. Ipsi Apostoli, causa 2. quæst.* 7. & docuit Joan. Andr, & Imol. *in Cap. Omnipotens, in glo,* 1. *de accusat,* Tiber. Dec. *loc, cit.* per totum, ubi variè hoc limitat, & explicat. 20.

Infero duodecimò, regulariter accusatum, & 21.

11. Concludimus igitur, licere militibus christianis ad impugnandum Turcas, cæterosque Infideles, eorum habitum sumere, sermone uti, signa, seu vexilla explicare; cùm sit commune, hostes indui suorum hostium vestibus, sermone loqui, & alia hujusmodi agere, vel ut eos capiant, vel ut ad fugam eos cogant.

12. Ad rationes in oppositum respondemus. Ad primam, negando hos milites, loquendo more Turcarum, vel eorum vestibus se induentes, simulare se Turcas quoad religionem: non enim exhibent reverentiam Mahometo, nec dicunt verba, aut portant vestem, aut aliquid agunt ad aliquod destinatum signum infidelitatis.

13. Ad secundam, concedendo antec. & neg. consequentiam; nam induere se Turcarum vestimentis, loqui eorum sermone, explicare eorum vexilla, non est mentiri, sed uti insidijs, quod est in bello justo omninò licitum.

14. Ad tertiam, responsio patet ex dictis; nam insidiæ propriè non dicuntur fraudes; cùm fraus sit, aut falsum dicere, aut promissa non observare, quod est illicitum: adeóque non opponuntur fidelitati, seu fidei, quæ hostibus servanda est, quando promittitur.

15. Infero primò ex dictis, non peccare mortaliter eum, qui justa causa portat vestem non designantem determinatè infidelitatem. Secus verò, si sit destinata ad aliquod determinatum signum infidelitatis; cùm tunc exhibeatur reverentia diabolo. Ita etiam Sylv. *verb. Fides*, *quæst. 5.*

16. Infero secundò, nos non peccare, si aliquo modo fidem nostram, ob justam causam, dissimulamus; dummodò nulla eam profitendi necessitas urgeat. Navar. *in cap. Humanæ aures*, *can. 22. q. 5.* in fin. Sanchez, *loc. cit. num. 6.* in fine, Azor. *p. 1. Inst. moral. lib. 8. cap. 27. quæst.* 1. Becan. 2. 2. *cap. 9. quæst. 4.*

17. Infero tertiò, homine privato nos interrogante de fide, seu an simus Catholici, nos non peccare contra externam fidei confessionem, si taceamus, vel respondeamus: Cur à nobis hoc petis? vel quid tua interest? Secus verò, si nos interrogaret Magistratus, seu Potestas publica, quia talis dissimulatio aliorum scandalum causat, & in fidei detrimentum cedit, ut rectè ostendunt Valentia, Azor. Sanchez, & alij apud Del Bene *loc. cit. num. 14.*

18. Infero quartò, Christianum negantem se esse Christianum, sive interrogatus sit, sive non, graviter peccare contra præceptum negativum, inclusum in confessionis fidei præcepto. Hoc enim peccato peccavit D. Petrus, dum præ timore se Christi discipulum negavit. Abul. *cap. in 10. Matth. quæst. 130.* Aragon. *dub. 2. conclus. 1.* Bannez, & alij.

19. Infero quintò, non peccare mortaliter eum, qui justa causa, indutus Turcarum vestibus, conversatur cum Turcis, cum illis manducat, bibit, aliasque corporales actiones in se indifferentes exercet. Secus verò, si dicit, se esse Turcam, Hæreticum, alteriusque sectæ Sectatorem, quia sic dicendo, negat se Christianum esse, quod est contra fidei confessionem. Cajet. *loc. cit.* Aragon, Azor. & alij.

Infero sextò, non peccare Fideles contra externæ confessionis præceptum, ingrediendo hæreticorum templa, conciones hæreticas audiendo, tantùm aut ut Dominum suum comitentur, aut ut hæreticorum errores notent; dummodò absit scandalum Catholicorum, communicatio in aliqua cæremonia hæretica, & perversionis propriæ periculum. 20.

Infero septimò incidenter, licere verè pauperi voce plangenti, vultu mæsto, pannis laceratis, simulare morbum, plagas, aliaque mala, ut acquirat alimenta, & vivat, Bartholomæus Briziensis *in tract. quæstionum Dominicalium*, *in 20. quæstione*, quem refert, & sequitur Card. Albanus *loc. cit.* Secus verò, si egestate revera non laborat; quia tunc simulatio foret vitiosa, & in aliorum vergeret detrimentum. 21.

IX. DIFFICULTAS.

Miles, ratione infirmitatis, suum non potuit munus exercere. Dubitatur, num ei debeatur in rigore stipendium pro tempore, quo fuit infirmus.

Notandum primò, duplicem esse infirmitatem, alteram gravem, quæ obligat ægrotum in lecto permanere: alteram levem, quæ ægrotum à sui officij exercitatione non liberat: An hæc contumaciam excuset, vide Bart. *in l. quæsitum*, *ff. de re jud.* Gloss. *in cap. Placuit*, 18. *Dist.* Abb. *in cap. Tenor, de re jud.* & alios, quos citat Card. Albanus *in lucubrat. in Bar. in l. unic. ff. si quis jus dicen. non obtemper. num. 23.* 1.

Notandum secundò, infirmum tunc dici sanum effectum, cùm per triduum suis pedibus ambulavit. Nald. *in Sum. verb. Infirmus*, *num. 4.* ubi citat pro se Felin. Graff. 2.

Notandum tertiò, militiam, secundùm Sylv. *in Sum. verb. Bellum*, *1. num. 8. vers. 4.* Molin. *tract. 2. disp. 116.* & alios, esse contractum locationis. 3.

Notandum quartò, locationem esse personæ, vel rei ad certum usum factam concessionem, certa mercede pecuniaria constituta. Hostien. *in Sum. loc. cit. num. 1.* Azor. & alij cumulati per Molfes. *in Sum. p. 2. tract. 12. cap. 8. num. 19.* unde locare opus, sive personam esse, dum aliquis cum fabro, vel artifice paciscitur de aliquo opere efficiendo, præstita mercede. 4.

Notandum quintò, posse hominem ad libitum operas suas locare ad aliquam rem custodiendam, vel efficiendam, vel transferendam; dummodò non sit locatio perpetua, cùm hæc sit quædam servitutis species, & ideo non tenet, *l. Titia*, *§. Titio*, *ff. de condition. & demonstr. cap. Inter dilectos, de donat.* Innoc. Mantic. Surd. & alij: unde posse Medicum pro curandis infirmis, Advocatum pro defendendis causis, Militem pro tuenda Republica, &c. operas sua locare pro justa mercede: & debere ex bono, & æquo munus suum adimplere; & conducentes eorum opera teneri illis justam persolvere mercedem, quæ pertinet 5.

ad

ad rationem contractûs, ut in *l. si quis domum*, ubi Barr. & alij, *ff. locat.*

6. Notandum sextò; mercedem sumi dupliciter, pro pretio, scilicet, locationis, & conductionis; & pro justo stipendio operariorum, de quo, 1. ad Tim. *cap. 5* dicitur: *Dignus est operarius mercede sua:* unde merces proprij laboris est præmium, quæ ideò magis videtur ultro solvenda, quàm petenda; cùm persona, quæ operam præstat, longè dignior sit, quàm ulla res, quæ vicissim solvi possit: quia, quod pro labore datur, secundùm justitiam commutativam, debet conferri; cùm dicat Apostolus 1. Cor. *cap. 9. num. 7.* Quis militat suis stipendijs unquam?

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an militi, dum est infirmus, stipendium in rigore debeatur, videtur negativè respondendum, quia stipendium, seu merces ex vi locationis, juxta notata, datur pro opera præstanda, quæ tempore infirmitatis à milite non præstatur. Ergo neque stipendium est ei de rigore conferendum. Præterea, Capellanis, qui Missam celebrare tenentur, stipendia, seu fructus non debentur, si ob infirmitatem celebrare non possint, & si percipiant, tenentur restituere, nisi per alios Sacerdotes propriæ obligationi satisfaciant, seu Missas dici curent: Ergo etiam militi, dum est infirmus, stipendium non debet solvi, & tenetur restituere, si fuit solutum; nisi per alios militaria munera curaverit exerceri.

8. Verùm, militibus etiam infirmis stipendium puto deberi cum Claud. Cotor. *de jure milit. lib. 1. cap. 54.* Crispolt. *in Casib. militar. cas. 28. num. 9.* Cesped. *in Dub. militar. dub. 20.* & alijs.

9. Moveor primò juribus, *l. hac lege*, *Cod. de proximis sacrorum scrin. lib. 12.* ubi apparet, milites habentes licentiam, & proficiscentes pro rebus proprijs, suum habere stipendium; cùm sine stipendij deductione à signis absint: milites verò infirmi supponuntur cum licentia abesse à signis, *& arg. ff. de verb. obligat. l. continuus*, *ff. de duob. reis*, *l. duos*, §. *Duo*, ubi sine intermissione dicitur fieri aliquid, licèt medius actus interveniat: unde licèt inter militandum adsit infirmitas, non videtur miles stipendio privandus.

10. Moveor secundò rationibus, primò à pari; nam Religiosis infirmis debet necessaria subministrare Religio: Ergo & Princeps militibus infirmis. Contractus enim inter militem & Principem, ut alibi demonstravimus, est valdè similis contractui, qui intervenit inter Religiosum & Religionem. Tum quia, Beneficiatus habet distributiones quotidianas, quamvis infirmus, *cap. Cùm percussio*, *de Cler. ægrot.* & ibi Gloss. *verb. Quidam Sacerdos*, *& cap. uni. de Cler. non resid.* Ita explicant Innoc. & Host. *in d. cap. 1. de Cler. ægrot.* Quare igitur miles infirmus non habebit suum quotidianum stipendium, cùm etiam eadem doctrina, & ratio militet de milite? Secundò, quia miles deserviret, si infirmitas non impediret: & ideò stipendia meretur, cùm voluntas disposita ad serviendum sit inchoatum servitium. Denique omnes, qui militiæ nomen dederunt, nec è numero militum sunt deleti, stipendia merentur, ut ostendit Claud. Cotor. Crispolt. Cesp. *loc. cit.*

Moveor tertiò exemplo, in Ludovico XIV, justissimo Franciæ Monarcha, alijsque nostri temporis Principibus, qui justè, & generosè bellantes, Thesaurario præceperunt militibus, per aliquod tempus infirmis, stipendia persolvere. 11.

Concludimus igitur, cùm stipendia primariò constituantur militibus ex vi contractûs locationis ad eorum sustentationem, eis deberi, seu esse solvenda etiam quando vulneribus, vel alia naturali infirmitate laborant; cùm hujusmodi solutio respiciat pariter Reipublicæ, sive Principis utilitatem; nam milites infirmi stipendio adjuti sani citiùs efficiuntur, & ad serviendum citiùs redeunt. Præterquamquòd, plures, qui minimè militarent, scientes, si ægrotabunt, stipendia sibi fore solvenda, milites fient, & Principem ad hostes vincendum adjuvabunt. 12.

Ad rationes in contrarium respondemus, ad primam patet clarè responsio ex dictis. 13.

Ad secundam, respondetur negando paritatem: militibus etiam stipendium datur primariò ad eorum sustantationem, non ut exerceant militaria; siquidem pro exercitijs militaribus nullum æquale, & dignum stipendium dari potest, ut probant Auctores, qui de rebus militaribus tractant: Capellano verò fructus dantur, non ad sustentationem primariò, sed ut opus Capellaniæ exerceat, ex quo fit, Capellano, quando est infirmus, non esse fructus dandos, nisi per alios Missas dici faciat, & militi infirmo esse stipendia solvenda: quia, quando ad sustentationem, & alimenta primariò datur stipendium, etiam infirmis debet dari; ut clariùs constabit ex inferendis; seu ex addita inferendorum doctrina. 14.

Infero primò ex dictis, famulis infirmis deberi stipendium: nam quoad esse stipendiati famuli cum militibus videntur convenire; ita Homobonus Graffius, & alij plures, quos refert Diana *tract. 8. de contract. Res. 86.* Contrarium tenet Azorius, Reginald. Imol. Oldrad. & alij. 15.

Infero secundò, Canonicos, qui ob infirmitatem, aut in Choro non cantant, aut à Choro absunt, distributiones mereri, cùm illis tales distributiones dentur ad sustentationem primariò. Ita docent, Sylvester, Sotus, Covarruvias. Et est sententia magis communis. 16.

Infero tertiò, militi ob aliquod crimen damnato ad carcerem, si ei à Duce hæc pœna condonetur, stipendium etiam pro tempore carcerationis deberi; quia quamvis condemnatus, non fuit tamen militiâ privatus, non enim omnis condemnatio est cum militia incompatibilis. Sic etiam sentit Crispolt. *in Casib. militar. cas. 28.* 17.

Infero quartò, militibus stipendia deberi, & dum sunt apud Hostes in captivitate; & dum sunt ob aliquam justam causam in itinere, Surdus *de alimentis*, *quæst. 76.* 18.

Infero quintò, Canonicum, qui, jussu Episcopi, Romam venit pro evidenti necessitate, non esse privandum, dum abest, quotidianis distributionibus, quando consuetudo talis est, quòd in ab- 19.

absentia Canonici habeant distributiones. Ita Graff. *p. 2. decis. lib. 3. cap. 14. num. 17.*

20. Infero sextò obiter, à Canonico de aliquo distanti Loco veniente, & per aliquos paucos dies, puta duos, vel tres, moram faciente in domo suâ, licèt divinis non intersit, distributiones justè percipi: rationabile enim videtur, propter labores itineris, accipere pro se illos paucos dies, ut aliquantulum quiescat. Ita Arch. & Joan. Andr.

21. Infero septimò, uxorem non esse privandam legato, quod ei reliquit maritus, si cum filijs moraretur continuò, licèt per aliquod breve tempus non moretur ratione alicujus justi impedimenti, *ut ff. de cond. & demonstr. l. si quis*, & Graff. *part. 2. decis. lib. 3 cap. 14. num.* 18. & facit Gloss. *in cap. Sacrosancta Romana, Dist. 22.*

22. Infero octavò, posse salvari Testes, qui dicunt, Canonicum continuè, & sine intermissione residere in Ecclesia, & interesse Divinis, licèt aliquando fuerit absens. Ita Archid. explicans Glossam *in d. cap. Sacrosancta.*

23. Infero nonò, militem infirmum esse consolandum spe certa futuri stipendij, licèt ægrotet; ipsumque, & omnem tribulatum esse monendum, ut ægritudinem, adversaque omnia actu patienter acceptet, cùm omnis Fidelis per omnia pœnalia, ac calamitates omnes naturales hujus vitæ satisfaciat Justitiæ divinæ pro suis delictis, si tamen adsit actus positivus, illas acceptandi. Secus verò voluntate penitus renitente. Sot. *in 4. Dist. 39. quæst. 2. art. 2.*

X. DIFFICULTAS.

An liceat militi, cui constat bellum, in quo militat, esse injustum, in ipsa pugna, militem alterius justi Exercitûs interficere.

1. NOtandum primò, justum censeri bellum, ut sæpè demonstratum est, quod ex edicto geritur, id est ex auctoritate Principis, explicat Philip. Dec. *cons. 691. num. 3.* & aliter justum non esse bellum, sed injustum, ut dicit Innocen. *in cap. Olim causam, de restitu. spolia.* & in dubio bellum indictum ab Imperatore, justum præsumi, ut Abb. dicit *in cap. Sicut, de jurejurando.*

2. Notandum secundò, Aggresso ab alio licere, si nequeat aliter suam vitam defendere, aggressorem occidere, duabus concurrentibus conditionibus, congruitate temporis, nempe eodem tempore, & necessitate inevitabili. Ut probant Civilistæ, & præsertim Card. Albanus *in lucubrat. in Bart. in leg. ut vim, num. 1. ff. de just. & jur.* D. Thom. *2. 2. quæst. 64. artic. 7.* Less. *lib. 2. de just. & jur. cap. 9. num.* 41. quia à jure naturali unusquisque facultatem obtinuit se ipsum defendendi ab iniquo aggressore, *ut in d. l. ut vim, & in cap. Jus naturale, 1. Dist.*

3. Notandum tertiò, ad moderamen inculpatæ tutelæ, quod licitam reddit invadentia occisionem, plura requiri. Primum, ut invasio, seu aggressio sit vera aggressio, & per vim facta. Secundum, ut sit vera, & actualis defensio, & propulsatio vis illatæ, & non præventio. Tertium, ut occisio aggressoris fiat in ipso actu defensionis, non autem postea. Quartum, ut defensio sit moderata, hoc est in nullo excedat id, quod solùm necessarium est ad evitandum damnum; ita docent Innoc. & Panor. *in cap. Olim, 1. num. 19. de restit. spoliat. & cap. Significasti, num. 5. & 9. de homic.* Sylv. *verb. Bellum, 2. quæst.* 1. & aiij.

Notandum quartò, vocatum ad bellum, quamvis sit subditus Principis bellum gerentis, aut ab eo ante conductus, teneri inquirere de justitia belli, si vehementem habet suspicionem in contrarium, quæ positivè reddat dubium. Secus verò, si ei non occurrit hujusmodi suspicio; cùm possit præsumere pro suo Principe, cui in dubio purè speculativo debet obedire. Card. de Lug. *disp. 18. de just. sect. 1. num.* 21. Graff. *p. 2. decis. lib. 2. de bello, cap. 20. num.* 26. & habetur *causa 23. quæst. 1. cap. Quid culpatur.* 4.

Notandum quintò, vehementer dubitantem, utrùm bellum sit justum, vel injustum, & nolentem inquirere veritatem antequam bellet, illicitè bellare, & posse tanquam affectatorem Ignorantiæ puniri. Facit Tex. *in cap. Cùm inhibitio, §. Si quis verò, de clandest. despon.* 5.

Notandum sextò, ad probandam defensionem, testes domesticos sufficere. Dec. *cons. 676. & cons. 678. & cons. 459.* sufficere probare, quod adversarius animo occidendi, vel vulnerandi in aggressum irruebat. Sic concludit Bald. *in l. multis, in fin. Cod. de libe. causa.* Philip. Dec *d. cons. 678. num.* 4. 6.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an liceat militi, qui scit bellum, in quo militat, esse injustum, in ipsa pugna, militem alterius justi exercitûs interficere, negativè videtur respondendum; nam, dum bellum ex parte aggressi est injustum, Aggressor justè contra ipsum pugnat; & ideo invasus non potest justè se defendere, & successivè nec illum occidere; & ita sentire videntur Bal. *in leg. si servum, Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* ubi ait, illicitam esse defensionem, quando licita est offensio, *& in l. si pignus, §. Si furem, ff. de furt.* Præterea Bannito prohibita censetur defensio, quamvis sit de jure naturali: & propterea si Bannitus insultatus aggressorem occiderit, se defendendo, puniendus est, secundùm communem opinionem, de qua testatur Claud. *in l. ut vim, num. 23. in lectura, ff. de just. & jur.* quem sequitur alios referendo Bertazzol. *in cons. 123. num. 8. lib. 1.* 7.

Veritas tamen est, militi insultato, quamvis bellum, in quo militat, sit injustum, si adsunt dictæ conditiones moderaminis inculpatæ tutelæ, licere milites aggressores interficere. Ita Doctores tam Jurisconsulti, quàm Theologi, & Canonistæ. Bald. *in l. 1. num. 51. Cod. unde vi, & in l. ut vim, num. 3. ff. de just. & jur.* Philip. Dec. *cons. 669.* Card. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. sed & si, ff. ad leg. Aquil.* Card. *in Clement. 1. num. 32. de homicid.* Sot. *de just. & jur. lib. 5. quæst. 1. art. 7.* circa fin. Petr. Navar. *tom. 1. de restit. lib. 2. cap. 3. num. 47. §. ultimo colligo*, Sayr. *in suo Thesaur. lib. 6. cap. 17. num. 6.* ubi alios citat, 8.

Tho,

Tho. Tamb. *in Decalog. lib. 6. cap. 1. de homic. §. 2. num. 9.* & alij.

Movent primò juribus, *in l. 1. §. Jus naturale,*
9. *& l. ut vim, ff. de just. & jur. & in l. 1. §. Cùm arietes, ff. si quadrupes pauper. fecis.* ubi habetur, defensionem esse juris naturalis, dum natura & ipse animalia, ut se defendant, & vitam suam tueantur, armis suis armavit, videlicet boves cornibus, equos calcibus, apros dentibus, apes aculeis. Non videtur igitur negandum hominibus, quod Natura Animalibus irrationabilibus concedit: atque adeo nostrum militem posse sine culpa aggressorem in ipsa pugna ducimus interficere.

10. Moveor secundò rationibus; nam per injustitiam bellandi ex parte Principis, miles non amittit jus propriam vitam defendendi: si enim non occidit milites in ipso conflictu, facilè occiditur: & ideo ad se, seu ad suam vitam tuendam potest occidere, si aliter non potest consulere defensioni. Tum quia, quamvis bellum ex parte hostium sit justum, non tamen tenetur illam pati mortem. Ergo ne moriatur, potest licitè mortē illis inferre.

Moveor tertiò, exemplo in quendam Nicolao,
11. qui aggressus à Goro, illum percussit, & nullam mereri pœnam fuit adjudicatus, cùm id licitè ad sui defensionem fecerit, ut refert Philip. Dec. *in cons. 676.* Et nobis favet continua praxis. Quot bella geruntur injustè? Quot occisiones per manus injustè militantium in ipsis conflictibus sequuntur? Et tamen Occisores nullo pacto, nec à propria conscientia, nec à Theologis, cùm hostes in defensionem propriæ vitæ occiderint, damnantur.

12. Concludimus igitur, licere scienti bellum, in quo militat, esse injustum, in ipsa pugna militem alterius justi exercitûs interficere, ne ab illo interficiatur: dummodò tamen miles injustus cesset ab occidendo, & admoneat militem justum de hac sua cessatione; tunc enim statim cessat esse miles injusti belli, & sic poterit se defendere. Ita Tamb. *loc. cit.*

13. Ad rationes in contrarium respondetur. Ad primam, patet responsio ex dictis, præcipuè ex *2.* & *6.* Not. ubi demonstratur, nobis licere alterum ad nostram defensam occidere.

14. Ad secundam, respondet Bald. *loc. cit.* negando, prohibitam esse Bannito defensionem, quem recenset Farin. *in Theor. criminal. quæst. 103. num. 130.* ibi docens, opinionem asserentem licere Bannito insultato insultantem occidere, maximè procedere, quando Bannitus offenditur, non zelo justitiæ, sed ex particulari odio: & notant Doctores *in l. ut vim, ff. de just. & jur.*

15. Infero primò ex dictis, militem occidentem in ipsa pugna invasorem, nullâ pœnâ esse afficiendum, cùm defensio sit de jure naturæ; & etiam de jure gentium fuerit instituta, ut tradit Card. Albanus *in lucubrat. in Bart. in leg. omnes populi, ff. de just. & jur. num. 29.*

16. Infero secundò, non esse pœna mortis puniendum Bannitum, qui, ut se defendat, aggressorem interfecit. Contrarium tenent alii plures apud Farin. *loc. cit. num. 134.*

17. Infero tertiò, cuilibet licere occidere hominem innocentem, objectum quasi pro scuto, ut ab agressore se defendat, & alibi declaratum est.

Infero quartò, licere equo assidenti, fugienti inimicum, volentem illum occidere, conculcare puerum, vel claudum in via jacentem, si aliò non potest fugere, & aliter vitam suam defendere: quia id non est directè occidere, sed propriam vitam servare; quamvis per accidens, & indirectè mors alterius sequatur: Secus tamen dicendum est, si puer occidendus non foret baptizatus, quia tunc lege charitatis teneretur fugiens mori potiùs, quàm illum occidere. Dian. *p. 5. tract. 4. Ref. 34.* 18.

Infero quintò, nobis licere aggressorem nostri proximi occidere, ad defendendam ipsius proximi innocentis vitam, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ: & dummodò proximus invasus sit pater, mater, filius, uxor, frater, soror, Princeps, subditus, & aliquo modo nobis conjunctus, & habetur in *Cap. Non in inferenda, in Cap. Fortitudo, causa 23. quæst. 3.* & not. Innoc. *in Cap. Si verò, de sent. excom.* & Abb. *in l. 1. Cod. unde vi, verb. Ad defendendam, vers. sed nunquid socius.* Ita enim poscit charitas, iis debita; & etiam aliquando justitia, si curam illius gerimus. Ita Less. Mol. apud Dicastil. *lib. de just. tract. 1. disp. 10. dub. 8. n. 81. & seq.* 19.

Infero sextò, illum, qui se defendendo excessit modum, esse quidem puniendum uti culpabilem, non verò pœnâ, *leg. Cornel. de sicar.* tanquam dolosum. Joan. Andr. *in additio. Specu. in rubri. de homicid.* quem recenset Philip. Dec. *cons. 481. num. 15.* 20.

Infero septimò incidenter, captivis in bello non posse taleam imponi, si bellum sit injustum. Secus verò, stando in puncto juris, si bellum sit justum. Bal. in *l. nam & Servius, ff. de neg. gest.* Bald. in *Cap. Sicut, il secondo, de jurejur. col. 2. vers. sed nunquid capto.* 21.

Infero octavò etiam obiter, homicidium commissum cum moderamine inculpatæ tutelæ ad defendendum proximum, nobis aliquo modo conjunctum, non esse puniendum. Ita Philip. Dec. *cons. 469. num. 1.* ibi referens exemplum Nicolai Strozi Capitanei armatæ militiæ Civitatis Pisarum, qui quemdam interfecit ad tuitionem militis sui stipendiarii, & à Judice, omnibus consideratis, fuit absolutus. 22.

Infero nonò pariter incidenter, homicidium in dubio, an fuerit ad defensionem, an ad vindictam, esse præsumendum ad defensionem, & hoc secundùm regulam, quòd in dubio in favorem rei pronunciandum sit. *Cap. Ex litteris, de proba. & in regula. Cùm sunt partium jura, de reg. jur. in 6.* & ratio videtur; quia melius est nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare, *in l. absentem, ff. de pœnis.* Quapropter diligenter examinandi sunt testes, à quorum dictis res tota quoad forum externum dependet: quidquid sit de interno, qui à solo supremi Judicis Tribunali sententiam, quam meretur, expectare debet. 23.

Infero decimò, licere cuilibet se defendere,
non solùm quando ei re ipse fit offensio, sed etiam quando subest timor satis probabilis; dicitur 24.

enim metus alicui justè illatus, non solùm quando reipsa adest periculum, sed etiam quando adest suspicio; Textus est not. in *l. novissimè*, §. *Quid enim si compulsus*, *ff. quod fals. tut. auto.* & tradunt Alex. *in consl. 99. in 3. volu.* Card. Albanus *in lucubrat. in Bar. in l. habitatores*, §. *Item interrogatus*, *ff. de loc. & cond. num. 3.* & DD. *in l. ut vim. ff. de just. & iur.*

25. Infero undecimò, quod injuria facta uni militi ex itinerantibus sociis censetur omnibus esse illata, secundùm Gloss. *in l. item apud Labeonem*, §. *Abduxisse*, *ff. de injur.* & successivè tales non tam alterius injuriam, & vim, quàm propriam repellere dici, docet Cæpol. *in cons. 32. col. 3. vers. tertia ratio*, Card. Albanus *in lucubrat. in Bart. in d. l. ut vim. ff. de just. & iur. num. 18.* An autem Clericis liceat ad defendendum socios secum itinerantes, vel alios, arma suscipere, vim inferre, & occidere maximè pro subditorum suorum tutela, quando jurisdictionem habent, videndus est Abb. *in Cap. Clericis arma portantes, de vita, & honest. Cleric.*

26. Infero duodecimò, defensionem sui nec à lege, nec à Principe tolli posse, ut legitur apud Felin. *in Cap. Ex parte, 2. de off. deleg.* præsertim in criminalibus, licèt aliquis sit excommunicatus, per Tex. *in Cap. Cùm inter*, ubi Abb. *de exceptionib.* Defensio enim, ut notavimus, unicuique à Natura ipsa conceditur, ut etiam brutis animalibus competat. Hinc, inquit Philos. omne „ ens appetit vivere, & propriam salutem tueri, „ Idem dicit Tull. *lib. 1. de offic.* in princ. sic, „ Principio generi animantium hoc tributum „ est, ut se naturamque suam tueatur. Sic pari- „ ter Boetius *in 3. de consolatione*, ubi inquit, „ Omne animal tueri salutem desiderat, mor- „ temque evitare. Nullus propterea homo, potest homini defensionem impedire. Quando verò defensio possit à Principe tolli, vide apud Felin. *in Cap. Dilecti filii, de exception.* & *in Cap. Qualiter, & quando*, §. *Debet. de accusat.*

XI. DIFFICULTAS.

An liceat militi fugienti pro vita propria defendenda, occidere invadentem se; quisquis ille sit, dum scit esse in peccato mortali, quando bellum ex parte hostium est justum.

1. NOtandum primò, in omni actu posse reperiri duos effectus, unum ab agente intentum directè; alterum verò præter intentionem agentis; & ideo in actu, quo quis se defendit ab invasore effectum intentum directè esse conservationem vitæ propriæ, à quo effectu actus ille sumit speciem, ac denominationem, ac proinde bonitatem, cùm hic sit finis illius defensionis; alterum verò actum, scilicet, occisionem invasoris, esse effectum præter intentionem, cùm illam non intendat defensor, sed consequatur actum illum.

2. Notandum secundò: ut licita sit invasoris occisio, debere fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ plura requiri, & inter cæterà quatuor supra explicata *Diffic. X. Not. 3. pag. 410.* Unde attentè esse examinanda, quæ circa defensionem afferunt Jurisperiti, præsertim Bart. *in l. si ex plagis*, §. *Tabernarius*, *ff. ad leg. Aquil.* ubi dicit, „ quod si percutio te, antequam percutias me, „ dum es in actu percutiendi, in dubio videor „ facere ad defensionem; & Bald. *in l. 2. Cod. de sica*, dicens, quod ille, qui primò fuit insultatus, dicitur facere ad defensionem, non ad vindictam, *l. multis*, in fin. *Cod. de lib. caus.* concludens quòd in probando defensionem, sufficit probare, quòd Adversarius animo occidendi, vel vulnerandi in eum irruebat. Et Cardin. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. sed & si quemcunque, ff. ad leg. Aquil. num. 1.*

Notandum tertiò, esse probabilem utramque sententiam circa occisionem aggressoris ad se defendendum, affirmantium, scilicet, licere sui defendendi causa intendere, & velle etiam ipsam mortem alterius, tanquam medium quoddam necessarium ad vitam propriam conservandam; & hoc negantium; cum pro utraque adsint sufficientes rationes intrinsecæ; ut notat Sayr. *loc. cit. sub num. 14.* 3

His adnotatis, ad difficultatem propositam; an liceat militi pro vita propria defendenda, occidere invadentem se, quisquis ille sit, dum sciat esse in peccato mortali, quando bellum ex parte hostium est justum; negativè videtur respondendum, cùm ista sit regula communis; quòd si movens bellum, fovet justum bellum, defendens se, habet injustam defensionem; & è contrario, si defendens se, justè se defendit, movens bellum, fovet injustum bellum; & ideò cùm bellum sit justum ex parte hostium, qui hostem invadentem occidit, ut se defendat, peccat. Præterea, invadens militem injustè pugnantem, & fugientem, potest illum occidere, non privata auctoritate, sed publica, & divina. Ergò non licet invaso illum occidere, ut se defendat: esset enim resistere, quod illicitum est per omnes. Præterea, unusquisque tenetur in casu necessitatis ex charitate magis diligere vitam spiritualem proximi, quàm propriam corporalem; quia vita spiritualis est finis omnium temporalium. Cùm igitur Aggressor sit in peccato mortali, & damnetur, si in illo moriatur, est in extrema necessitate vitæ spiritualis. Et ideo ordo, & lex charitatis obligat invasum permittere potiùs se vitam propriam temporalem perdere, ne proximus, scilicet Aggressor vitam æternam perdat. Et ita sentire videtur S. Aug. *in epist. 154. ad Publicolam*, quod refertur *causa 23. quæst. 5. Cap. De occidendis*; & *lib. 1. de liber. arb. cap. 5.* 4

His tamen non obstantibus, contrariæ sententiæ, quam puto esse communem, adhæreo; & dicò licitum esse militi privato aggressorem occidere ad necessariam vitæ suæ defensionem, si duo interveniant. Primum, congruitas temporis: & secundum, necessitas inevitabilis. Alex. de Ales. *p. 3. q. 34. memb. 2. art. 2. §. 2.* D. Tho. *2. 2. quæst. 64. art. 7.* Less. *lib. 2. de just. & jur. cap. 9. n. 41.* Regnal. *lib. 21. sua praxis. n. 56.* Megal. *lib. 3. cap. 1. quæst. 1.* Sayr. *in sua Clavi Regia, lib. 7. cap. 10. num.* 5

10. *num.* 14. ubi plures alios citat, Molfesius, *in Summ. p.* 1. *tract.* 11. *cap.* 19. *num.* 89. ubi citat Covar. Navar. Sylvest. Sot. & alios, & communiter Civilistæ *in l. ut vim, ff. de just. & jur.*

6. Moveor primò utroque jure, civili, *in l.* 1. *ff. de vi, & vi armata, & l. ut vim, ff. de just. & jur. l. etsi, ff. ad leg. Aquiliam; & l. injuriarum, ff. de injur.* ubi habetur, sine injuria, & jure fieri quidquid ad tutelam proprii corporis fit. Jure verò Canonico, *in Cap. Jus naturale. Dist.* 1. *Cap. Significasti,* 2. *de homic. Cap. Dilecto filio, de sent. excom. in* 6. *Cap. Si verò,* 1. *de sent. excom.* ubi approbantur omnes leges, omniaque jura, quæ permittunt vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam, & propriam vitam defendendam.

7. Moveor secundò rationibus; nam si alteruter necessariò debeat mori, aut injurians, aut patiens injuriam, jus dictat naturale, ut potiùs inferens, quàm patiens injuriam moriatur: nimis enim durum esset invaso vitam amittere, ut aggressor vivat. Tum quia, jus naturæ dictat unicuique licere vitam propriam conservare omni modo licito, & necessario, quamvis debeat alter perire; aliàs jus naturæ latam aperiret viam Malis invadendi Bonos, si Boni in casu necessitatis non possent licitè occidere Malos. Et sic Mali in conditione superarent Bonos: quod ratio non dictat; Deus non tolerat; & dicet nemo. Denique negari non potest axioma tritum, quod omnes concedunt, nempe, quòd defensio sit de jure naturali; & quòd unusquisque magis suæ, quàm alienæ vitæ consulere tenetur; atque ideo cùm miles fugiens, si invaditur, debeat vitæ suæ consulere, aggressoris vitæ non debet parcere.

8. Moveor tertiò, exemplo, in Chananæis, qui justè se defendebant ab Israelitis, quamvis Israelitæ justè pugnarent contra Chananæos, quia pugnabant, de mandato Dei: quapropter Chananæi non peccaverunt occidendo Israelitas, ut se defenderent; quia justissimam causam habebant defendendi terram suam, & seipsos potissimè, quia Israelitæ non solùm conabantur ad eruendam terram de manu Chananæorum, sed etiam ad occidendum omnes Chananæos, quia Deus jusserat, quòd nulli eorum parcerent, Deuter. 2. & refert, notat, explicat Abul. *in* 1. *Paralip. cap.* 19. *q.* 20.

9. Concludimus igitur, licere militibus, qui in bello injusto pugnant, si invadantur, dum fugiunt à militibus contrariæ partis ipsos insequentibus, eos interficere pro sua vita defendenda.

10. Ad rationes in contrarium respondemus, Ad primam, negando illam regulam communem, quòd si movens bellum, fovet justum bellum defendens se habet injustam defensionem, esse universaliter veram, quia videmus fallere in facto de Chananæis: potest igitur bellum esse justum ex parte aggressorum; injustum ex parte invasorum, & invasorum defensio esse justa.

11. Ad secundam; concedendo militem injustè pugnantem, & fugientem occidi justè à milite justè pugnante; negamus tamen hoc ab ipso fieri auctoritate publica, seu tanquam à ministro publico, ut optimè advertit Sayr. *in sua Clavi Reg. lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 21. Si enim aliquis extrema necessitate laboraret, & panem, seu pecuniam, ut suæ indigentiæ subveniat, à divite acciperet, non publica auctoritate, sed privato jure, quod habet à natura se conservandi, id faceret. Sic miles justè pugnans, posset quidem occidere militem injustè pugnantem, & fugientem, sed non tanquam minister publicus; atque ideò invaso militi liceret illum occidere; quod minimè esset resistere.

Ad tertiam, admittendo antecedens, negamus inde sequi, quòd quis teneatur perpeti mortem, ne alterum occidat, nam aggressor non est in extrema necessitate absolutè, sed voluntariè, & ex malitia sua, adeòque non militi fugienti, & invaso, sed militi invadenti peccatum, & mors, non solùm corporis, sed etiam Animæ, si non desistat, cùm possit desistere, si non eliciat actum contritionis, imputabitur. Præterquam quòd, miles fugiens, cùm injustè pugnaverit, non est certus de salute, & gratia sua, imò incertus, cùm sit in peccato: peccat enim, qui injustè pugnat: & consequenter cùm teneatur suæ necessitati spirituali consulere, non tenetur permittere se occidi, dum potest mortem inferendo occidenti, seu volenti occidere, suæ æternæ vitæ providere. 12.

Infero primò ex dictis, privato militi, qui certò credit bellum ex parte hostium esse justum, licitum esse occidere Principem se invadentem, si aliter se defendere non potest, & non possit avertere Principem ab irruptione in se. Dummodò tamen ex tali occisione non sequeretur notabile damnum Reipublicæ, & præcipuè bella civilia ob successionem: ita ut ad illa evitanda necessaria esset vita Principis. Ita docet etiam Azor. *quæst.* 3. quem citat, & sequitur Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 29. *quæst.* 8. *n.* 193. Quidquid dicat Molfes. *in sua Sum. p.* 1. *tract.* 11. *cap.* 19. *num.* 96. 13.

Infero secundò, totum exercitum, scientem hostes justè pugnare, licèt peccet contra hostes injustè pugnando: tamen si hi moniti ab illo, ut desistant, aggredi, nolint, posse se defendere, etiam cum morte hostium, si alia via mortem aufugere non possit: quia per injustitiam belli ex parte sui non amisit jus naturale se defendendi, & occidendi invasores, si aliter non potest se defendere. Sot. *lib.* 5. *quæst.* 10. *num.* 7. Azor. Filliuc. *loc. cit.* 14.

Infero tertiò, licere mulieri accumbenti cum viro illum occidere, si sub pulvinari gladium paratum à viro ad eam occidendam, quamprimùm fuerit excitatus, inveniat, dummodò non possit aliter mortem sibi inferendam à marito evadere, quia id non est prævenire inimicum, quod non licet, sed tueri, ac defendere se ipsam à viro aggressore. Secus verò, si, vel fugiendo, vel clamando, vel occultando pugionem, & resistendo, aut alia quacunque via, possit mortem evadere, quia tunc non esset se ipsam defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed prævenire inimicum, quod non licet. Martin. Nan. *in manuali, cap.* 15. *num.* 3. Pet. Navarr. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *num.* 349. 15.

Infe-

16. Infero quartò, licere invaso occidere invadentem ad se defendendum, etiam si dederit operam rei illicitæ, & occasionem obtulerit invasori, puta, si illum ad singulare certamen contumeliis, & opprobriis provocaret. Contrarium tenet Mart. Navarr. *in Man. cap. 15. num. 7.*

17. Infero quintò, licere per accidens aggresso occidere innocentem, uti puerum, amentem, freneticum, vel dormientem, ebrium & similes, si alia via non possit aufugere occisionem, nec evitare mortem. Sic docet etiam Sotus, *lib. 5. de just. quæst. 1. art. 7.* in fine, Anton. Cordub. *lib. 1. Quæstionary, quæst. 38. num. 4.*

18. Infero sextò, licere Sacerdoti Missam celebranti, si in illo actu invaderetur ab inimico, se tueri, & occidere invasorem, si ita necessitas postulaverit, cum intentione tantum se defendendi, & postea sacrum continuare, cùm in irregularitatem non incurreret. Ita Molfesius, *in Sum. par. 1. tract. 11. cap. 19. num. 95.*

19. Infero septimò, aggressu non licere occidere aggressorem, si aggressor videns se deficere viribus, fugeret, aut desisteret, vel durante rixa, dicat se nolle amplius rixari: quia cessaret jam violentia; & hujusmodi occisio non esset necessaria ad propriam defensionem.

20. Infero octavò, licitum esse omittere propriam defensionem pro vita corporali, vel spirituali invasoris, ut habeat tempus pœnitendi. Sic Sotus, *lib. 5. de just. quæst. 1. art. 8. vers. quæro tres ordines*, Petr. de Aragon. 2. 2. *quæst. 64. art. 7.* Petr. Navar. *lib. 2. de rest. cap. 3. n. 326.* Valent. *tom. 3. disp. 5. quæst. 8. punct. 4. dub. 2.* Tul. *in Sum. lib. 5. cap. 6.* Sa, *in Aphor. verb. Homicid.* Sayr. *in sua Clavi Reg. lib. 7. cap. 10. sub num. 25.* & alii communiter.

XII. DIFFICULTAS.

Milites quidam offenderunt in Castris imaginem, seu statuam Principis, & quidem in odium Principis. Dubitatur; num fuerint rei criminis læsæ Majestatis graviter puniendi?

1. NOtandum primò, statuariæ, & picturæ inventorem, secundùm nonnullos, fuisse Saruch filium Reu ex posteria Sem, ut constat Genes. 11. *vers. 20.* eumque statuas, & picturas invenisse, quibus repræsentarentur viri Principes, & colerentur. Verùm, primus illarum Auctor Nemrod, sive Belus certiùs existimatur, unde Saruch easdem dumtaxat promovisse dicendus est, non invenisse.

2. Notandum secundò, primum, qui statuas erexit, si fides præstatur Beroso in quarto, fuisse Ninum, Tertium Babyloniæ Regem, qui in medio Babylonis statuas erexit, cujus exemplum sequens Semiramis ejus uxor, multas statuas fecit erigere, testibus Orosio, Justin. Euseb. apud Decian, *in tract. crim. lib. 7. cap. 51. num. 1.*

3. Notandum tertiò, statuas, & imagines indicare excellentiam, bonitatem, dignitatem, victorias, aliaque bona virtute comparata; & ideo non solùm antiquitùs fuisse statuis, & imaginibus maximam adhibitam reverentiam, ut refert Tull. *in oratione pro lege Agraria*, in princ. *& in 2. de Oratore*, sed etiam nostris temporibus, magnam illis adhiberi. Videmus enim in publicis plateis, in publicis palatiis, nec non & in funeribus statuas erigi, imagines explicari Magnorum, seu Majorum ad ostendendum excelsas Familiarum prærogativas.

4. Notandum quartò, antiquum fuisse usum dedicandi, & consecrandi statuas, ac imagines Imperatoribus, Principibus, atque Magnatibus, teste Plin. *lib. 34. cap. 4.* Zazi. *in suis Commentariis, de Repub. Rom. lib. 6. cap. 9.* propterea hîc præsertim Romæ tot statuas subterraneas repertas esse, & quotidie reperiri, cùm Roma tot Magnatibus abundaverit, quibus dedicabantur.

5. Notandum quintò, inter Ethnicos Imperatores eò processisse ambitionem, ut in exercitu, ante militaria signa, eorum imagines veluti Numinum simulachra præferrentur, & genua ante illas flecterentur: aras quoque illis collocari in Castris solitas, refert Tacit. *lib. 14.* Veget. *lib. 2. cap. 5. & 6.*

6. Notandum sextò, inter Fideles non adorari Principum statuas, aut imagines, sed in magna veneratione, & æstimatione esse apud omnes, tanquam sua prototypa exprimentes; unde statuas & imagines Summi Pontificis, Imperatoris, Regum, Principum, non tantùm in locis publicis collocari, sed etiam in domibus privatis, nec non & in Ecclesiis, occurrente illarum festivitate, ut quotidiana docet praxis.

7. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an milites offendentes sive in Castris, sive alibi Principis imagines, aut statuas in odium Principis, sint rei criminis læsæ majestatis, & ut tales graviter puniendi, negativè videtur respondendum, cùm aliud sit imago; aliud veritas, *l. 2. Cod. de jure aure. annul.* imago enim Principis non est hoc, quod ipse; & ideo licèt offendere personam Principis sit crimen læsæ majestatis severè puniendum, reus hujus criminis non est censendus miles, qui offendit illius imaginem, etiam in illius odium.

8. Veritas tamen est, hunc militem imagines, aut statuas Principis, eique jam dedicatas offendentem, nullatenus posse à crimine læsæ majestatis excusari. Ita sentit Venuleius, *in leg. qui statuas, ff. ad leg. Jul. majest.* Idem Luc. de Pen. *in l. si qua, col. 1. Cod. de spectac. lib. 11. & in leg. prædia, Cod. de locat. præd. civil. lib. eod. in 12. col.* Decian, *in tract. crimin. loc. cit. num. 2.*

9. Moveor primò juribus, *in l. qui statuas, 6. non contrahit, l. famosi, ff. ad leg. Jul. majest.* ubi habetur, graviter puniri; qui statuam, aut imaginem Principis fœdavit, vel turpiter habuit: *& l. capitalium, §. Ad statuas, vers. eum quoque, qui imaginem Cæsaris, ff. de pæn.*

10. Moveor secundò rationibus; nam Princeps est aliquo modo in sui imagine; dicebat enim per Athanasium *orat. 4. contra Arrian.* cujusdam Re„ gis imago, Ego & Rex unum sumus: Ego „ enim in illo sum, & ille in me, & quod in me „ anim-

„ animadvertis, id quoque in illo animadvertis; „ & quod videris in illo, videris in me. Negare igitur poteſt nemo perſonam Principis offendi, ejus imago ſi offenditur. Tum quia, præceptum DEI eſt. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Exod. *cap.* 22. *num.* 28. Quid aliud eſt Principis imaginem offendere, niſi Principi maledicere, & detrahere non lingua, ſed facto? Tum etiam, quia DEUM offendit, qui offendit hominem, cùm homo ſit imago DEI: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Gen. *cap.* 1. *num.* 26. Quis igitur non videt ob paritatem rationis ad Principem extendi offenſionem, ejus imagine offenſa? & ideo reus criminis læſæ majeſtatis offenſor imaginis Principis clariſſimè apparet; *& leg. Jul. Majeſt.* tenetur.

11. Moveor tertiò exemplo, primò in quodam, relato à Sueton. *in Tyberio*, *cap.* 58. qui crimine majeſtatis læſæ fuit accuſatus, quòd ſtatuæ Auguſti caput dempſiſſet, ut alterius imponeret. Secundò, in Theodoſio, qui ſeverè punivit tanquam reos criminis læſæ majeſtatis eos, qui Antiochiæ ſuas ſtatuas ſubverterant: fortaſsè totam Civitatem ſubvertiſſet, ut pœna eſſet communis, reia non inventis, ob facinus ſingulare perpetratum, tam grave illud exiſtimavit, niſi Flavianus Epiſcopus eum à propoſito removiſſet.

12. Concludimus igitur, Principum ſtatuas, & imagines eſſe oculis venerationis, ſeu æſtimationis inſpiciendas, earumque offenſores, præcipuè in odium Principum *leg. Jul. Majeſt.* teneri.

13. Ad rationem in oppoſitum reſpondemus, admittendo legem allegatam, quæ nobis non obſtat; nam etiam nos fatemur imaginem Principis non eſſe hoc, quod ipſe, ſicut filius, qui naturaliter eſt hoc, quod & Pater, ut probat S. Aug. *in Lib. Gen. cap.* 5. ſed ſcimus ſemper Principem repræſentari in ſua imagine, cùm nulla imago ſit, in qua ſimilitudo non ſit, ut ibi concludit S. Aug. adeóque contempta Principis imagine, nullatenus à contemptu immunis ipſe Princeps evadit.

14. Infero primò ex dictis, juſtè pœnam mortis imponi monetas falſificantibus, non ſolùm ratione publici damni, ſed etiam quia monetas corrumpunt, in quibus adeſt imago Principis, in eis publica authoritate impreſſa. Quod per hoc tantùm negat Afflict. *deciſ.* 74. *n.* 19. Hip. *conſ.* 71. *num.* 11. *& ſul, qui falſam*, *num.* 112. *de falſ.* aſſerendo, corrumpentes monetam alterius, quàm Imperatoris, puta, Ducis, Reipublicæ, vel Civitatis habentis poteſtatem cudendi monetas, non eſſe pœnâ mortis puniendos; ut notat Decian. *tract. crim. lib.* 7. *cap.* 23. *num.* 19. ſed alia mitiori, ut tenet Alex. *conſ.* 102. *num.* 2.

15. Infero ſecundò, laudabilem eſſe morem ſemper apud Romanos obſervatum, in monetis cujuſcunque ſpeciei ferè ſemper vultum, ſeu imaginem Imperatoris viventis imprimendi. Herodian. *in* 1. *&* 2. *lib.* ut hoc modo, ob reverentiam imagini Imperatoris debitam, damnum publicum in monetis corruptis non ſequeretur.

16. Infero tertiò, non eſſe quidem crimen læſæ majeſtatis collocare juxta ſtatuas, & imagines Principum eis dedicatas, minorum, aut vilium imagines, ſed hoc fieri non debere; neque debere juxta illas fieri ſpectacula, ut deciditur *in l. ſi qua*, *Cod. de ſpectacul. lib.* 11. cùm videatur reverentiæ Principi debitæ repugnare.

Infero quartò, incurrere crimen læſæ majeſtatis eum, qui imagines, ſtatuas, arma, & inſignia Principis à Caſtro, vel Civitate, ibi poſita in ſignum dominij, deleret, quia ſupponitur delere, ut ſubjectionem tollat, niſi alia legitima cauſa ſuſpicionem impediat. Ita etiam tenent Gemin. & Præpoſ. Alexand. *in cap. Quæcunque*, 30. *Diſt.* 17.

Infero quintò, immunitate Eccleſiæ non Privari eum, qui, ſublata imagine Principis, imprimit in moneta, vel in alia re propriam imaginem; vel falſam pecuniam, vel veram, ſed contra Principis edictum, cudit, vel bonam rondet; quia talis non conjurat, & machinatur in perſonam Principis, nec facit actionem in offenſionem perſonæ Principis, quod requiritur ex vi Conſtitutionis Gregorianæ mox allegandæ, quamvis crimen læſæ majeſtatis committat. Ita tradunt Peregrinus, Silvius, Farinacius, Lezana, & alii plures, quos probat Thom. Del Bene, *par.* 2. *de Immunit. Eccleſ. cap.* 16. *dub.* 23. *ſect.* 5. *n.* 3. 18.

Infero ſextò, Immunitatis Eccleſiæ privilegio gaudere offendentem ſtatuas, vel imagines dicatas Principibus, etiam in odium Principum, quia quamvis in hoc adſit crimen læſæ majeſtatis, non tamen ſimiliter committitur crimen, ſeu offenſio in perſonam Principum, quod requirit Conſtitutio Gregorij XIV. ubi ponuntur illa verba. *In perſonam Principis*, aliàs eſſent ſuperflua. Et ita etiam docet Peregrinus, *de immunit. cap.* 10. *num.* 13. Bonac. *de immunit. diſp.* 3. *quæſt.* 7. *punct.* 4. *num.* 22 Diana, *p.* 1. *tract.* 1. *Reſ.* 7. Marſilius, Burſatus, Clarus, Farinacius, & alij apud Tho. Del Bene, *loc. cit. ſect.* 4. 19.

Infero ſeptimò, immunitate non privari eum, qui offendit Filium Principis, qui eſt [illegible] ejus imago; aut ejus Uxorem, Fratrem, Protegem, Oratorem, Conſiliarios, aliosque Principem repræſentantes, etiam illos occidendo in odium Principis; quia licèt committant crimen læſæ majeſtatis, non tamen offendit perſonam Principis, quod requiritur ex dicta Conſtitutione Gregoriana. Ita tenent præfati DD. Contrarium tenet Gambacurta, *lib.* 5. *cap.* 4. *dub.* 3. *&* 4. & Curtellius, Thom. Del Bene, *loc. cit.* 20.

Infero octavò, crimen læſæ majeſtatis non committi ab eo, qui ſtatuas Cæſaris, vel alterius Principis, vetuſtate corruptas, reficit, *l. qui ſtatuas*, 6. *ff. ad leg. Jul. Majeſt. l. non contrahit*, *ff. eod. tit.* Martian. *in ea leg.* 21.

Infero nonò, olim ſtatuas Principis principaliter, & ſolas non poſſe vendi, ut ex regula generali, *l. qui ſtatuas*, *ff. ad leg. Jul. Majeſt.* quæ lex nunc videtur abrogata per contrariam conſuetudinem; poſſe verò abſque dubio vendi, ſi venderetur domus, vel hortus, vel prædium, ubi ſtatuæ collocatæ eſſent; ut habetur ex reſcripto Tiberij, narrat Tacit. *lib.* 1. 22.

Infero decimò, reverentiam Principum ſtatuis & imaginibus debitam redundare non ſolùm in honorem Principum, ſed etiam in aliorum utili- 23.

tatem; nam olim criminum reis ad statuas Imperatorum confugientibus, nefas erat manus violentas imponere, ut habetur *tul. 2. ff. de ijs, qui sunt sui, vel alienjus juris, & in l. 1. §. 1. ff. de offic. Praf. Urb. & l. 1. Cod. de ijs, qui ad statuas confugiunt.*

14. Infero undecimò, summam deberi reverentiam Imaginibus Christi, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium; nec non proportionaliter Imaginibus Deiparæ Angelorum Reginæ; atque cæterorum Sanctorum. Propterea juste legum Sanctionibus cautum est, eos, qui venerandas Christi, vel Sanctorum Imagines contemnunt, & violant, pœnæ ultimi supplicij esse subjiciendos: ut videre est *in l. unic.* ubi Sali. *Cod. nemi. licet*, & facit Tex. *in leg. sacrilegij*, in princ. *ff. ad leg. Jul. pecul.* & tradunt Ange. & alii, quos producit; & sequitur Card. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. si quis id. §. Servi quoque, ff. de jur. omn. jud. num. 6.* Hinc S. Hieronymus dicit, Vigilantium esse hæreticum, quia Imagines, & Reliquias Sanctorum non venerabatur, secundùm Ecclesiæ consuetudinem. Proindè Ludovicus Imperator petentibus ab eo Oratoribus Michaëlis Constantinopolitani Imperatoris, delendæ ne, an restituendæ essent imagines Sanctorum, respondit, hoc ad Romanum Pontificem pertinere. Refert Card. Alban. *loc. cit.*

XIII. DIFFICULTAS.

Miles ebrius occidit duos Rusticos, ei obviam euntes. Dubitatur, num sit plectendus pœnâ à Juribus statutâ Homicidis.

1. NOtandum primò, malitiam ebrietatis plenæ & perfectæ in eo consistere, quòd quia sine justa, & gravi causa, tantùm ob voluptatem, aut ingluviem, sciens, volens, privet se usu rationis non modo naturali, ut fit in somno, sed violenter, sed modo innaturali rationem perturbando. Ita communiter.

2. Notandum secundò, ebrietatem esse duplicem, perfectam, scilicet, & imperfectam; perfectam, qua homo privatur omninò usu rationis: & hæc est peccatum mortale, generaliter loquendo; nam ebrius privando se usu rationis efficitur tanquam brutum animal, & se exponit periculo committendi varia delicta. Imperfectam verò, qua homo non privatur suis sensibus, sed fit tantùm exhilaratus, & gaudens propter vinum. Fagin. *quæst. 56 num. 438.* & tunc est tantùm peccatum veniale. Molf. *in Summa, par. 1 tract. 8. cap. 1. n. 165.*

3. Notandum tertiò, in ebrijs posse contingere voluntarium explicitum, & implicitum; explicitum, ut quando se volunt inebriare, ut tale delictum in ebrietate committant, puta, ut excusentur à pœna. Implicitum verò dicitur, quando aliquid est cognitum, & volitum non in se ipso, sed in sua causa, seu in ebrietate volita. Si quis enim sciat se propter ebrietatem solitum esse committere tale crimen, puta, pollutionem, & voluntariè se inebriat, pollutio censetur voluntaria: & sic duo peccata mortalia, ebrietas nempe, quæ mala est, & pollutio, utrumque peccatum voluntarium; ebrietas explicitè, pollutio verò implicitè. D. Thom. 1. 2. *quæst. 20. art. 5. & quæst. 73. art. 8.*

Notandum quartò, ab ebrietate quinque, ut plurimùm causari effecta, videlicet, ineptam lætitiam, scurrilitatem, immunditiam, multiloquium, hebetudinem mentis. Ita docet D. Tho. 2. 2. *quæst. 148. art. 6.* quem alij sequuntur, quamvis duos tantùm esse ebrietatis effectus, nempe mentis exilium, & libidinem dicat Abb. *in Cap. Crapula, de vita, & honest. Cleric.* quod approbat Cardin. Albanus infra citandus, ubi asserit, ebrietatem esse fomitem omnium malorum. 4.

Notandum quintò, ebrium cognosci posse ex signis indicantibus rationem fuisse interceptam, & prudentiam consopitam: unde vino temulentus, si nescit discernere bonum à malo, si non advertit quid agat; quid dicat; si nescit, qua ratione domum venerit, vel quo modo Ecclesiam ingressus fuerit; si die subsequenti non meminit quid fecerit, vel dixerit die antecedenti, cùm aliàs id ritè meminisse soleat: si aliqua præter solitum malè operetur, perfectè ebrius est, quia signum est, defuisse usum rationis: imperfectè verò, si tetum præfatarum memoriam tenet, aut tempore ebullitionis vini sua solita officia utcumque præstat, aut bonum à malo discernit, quamvis patiatur vertignem, aut rectè incedere non possit, aut omnes domus everti ipsi videantur. Ita Bonac. *de præceptis Ecclesiæ, disp. ult. quæst. 1. punct. 1. num. 4.* 5.

Notandum sextò, homicidium variis pœnis puniri; interna, & est privatio absolutionis, donec fiat saltem in proposito restitutio damni illati in medicinis, expensis, stipendiis, juxta *l. ex hac lege, ff. si quadr. paup. fec. dic. l. si. ff. de his, qui ejec. vel effud.* Civili, & est compensatio damni dati, *l. 2. & 3. ff. ad leg. Aquil.* Ecclesiastica, & est præter irregularitatem, depositio, *Cap. Presbyter, Dist. 81.* detrusio in Monasterium, *Cap. Sacerdos, ead. Dist.* Criminali, & est mors, Ita communiter Doctores, asserentes, unam pœnam per aliam non tolli, Grast. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 67.* 6.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles ebrius, qui occidit duos Rusticos ei obviam euntes, sit puniendus pœnâ à juribus statutâ homicidis. Card. Albanus, *in lucubr. in Bart. in l. respiciendum, §. Delinquunt, ff. de pœnis, num. 1.* nec affirmat, nec negat; sed lectorem summittit ad Angel. *de malefic. verb. scienter, & dolosè, col. 1. vers. quid si*, Abb. *in Cap. Sicut nobis, de testib.* Negativè tamen videtur respondendum, quia pœna homicidij non habet locum, nisi homicidium dolo commissum sit, *l. 1. Cod. de sica. l. 1. §. Divus, ff. eod. tit. cap. Significasti, il secondo, de homicid.* & facit Tex. not. *in l. omne delictum, §. Qui se, ff. de re milit.* & docent Jurisconsulti. Aret. *cons. 146.* & Dec. *cons. 482. num. 7.* ubi subdit, omnia statuta, imponentia pœnam mortis pro homicidio commisso, intelligi si homicidium dolo committatur, quod etiam confir- 7.

mat

mat *conf. 622. num. 3.* Parif. *conf. 161. num. 12.* & alij, quos probat Menoch. *de arbitr. jud. lib. 2. cent. 4. caf. 324. num. 7.* Qui autem occidit in ebrietate, non dicitur dolo occidere, dummodò datâ operâ factus non fit ebrius, eut levi ebrietate affectus non fuerit. Et ideo miles, qui non fupponitur affectus levi ebrietate, nec datâ operâ factus ebrius, pœnâ homicidij non tenetur.

8\. Verius tamen arbitror, hunc militem homicidam, quamvis dolus in homicidio non fuerit, effe quidem puniendum, fed clementiùs, feu pœna mitiori, Gloff. *in cap. Sane, cauf. 15. quæft. 1.* Jul. Clar. *in §. fin. quæft. 60.* Rom. *in l. 1.* princ. *num. 9. de verb. obl.* Jo. de Ana. *in cap. De infamib. num. 2. de ijs, qui filios occidunt.* Dec. *in cap. 1.* in fin. *de teftib.* Marfil. *in leg. quæftionis modum, num. 36. de quæft.* Place. *lib. 1. epito. delicto. cap. 30. num. 2.* Didac. *in Clem. Si furiofus, par. 3.* princ. *num. 3.* Molf. *in fum. part. 1. tract. 8. cap. 2. num. 51.* & alij.

9\. Moveor primò juribus, *in l. omne delictum §. Per vinum. ff. de re milit. l. refpiciendum, §. Delinquunt, de pœnis l. 1. §. Divus, ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* ubi habetur, delicta in ebrietate commiffa puniri, quamvis mitiùs; *arg. l. abfentem, §. ult. & in cap. Sanè, caufa 15. quæft. 1.* ubi Gloff. dicit, delinquentem in ebrietate aliquam veniam mereri.

10\. Moveor fecundò rationibus: nam miles delinquens per ebrietatem non dicitur ftudiosè delinquere: fiquidem ebrius dicitur alienatus mente, *cap. Crapula de vita, & honeft. Cleric.* fed impetuosè, & ideo minùs puniri debet. Tum quia, Ebrius non dicitur meteri, neque demeteri, *dict. cap. Sane, caufa 15. quæft. 1. & cap. Unufquifque, caufa 22. quæft. 3.* ergo adeò, quamvis miles ebrius fit puniendus ad exemplum univerfi exercitûs, ad hoc ut ebrietas, quæ eft caufa confufionis in exercitu, evitetur; non videtur tamen puniendus ob homicidium in ebrietate commiffum nifi pœnâ extraordinariâ, non verò pœnâ homicidis à juribus ftatutâ.

11\. Moveor tertiò exemplo, feu praxi quotidiana, in Judicibus exercitûs, qui milites, ob delicta in ebrietate commiffa, puniunt aut carcere ad tempus, eut ictibus funis, non pœne ordinaria, feu morte; aliàs fingula quæque die exercitus minueretur, cùm non pauci milites per fingulos dies ebrij fiant, & in ebrietate, aut commilitonem, aut Rufticum, aut alios non verò vulnerent graviter, aut occidant.

12\. Concludimus igitur, homicidium à milite ebrio non præmeditatè commiffum, & quævis alia crimina ab eifdem in ebrietate patrata, effe quidem pœnâ mulctanda, fed arbitriò prudentis Judicis, qui pro modo facti, examinatis teftibus, perpenfa culpe, & qualitate perfonæ, vel graviorem, vel minorem pœnam indicere poteft, modò pœna indicta non fit corporelis. Et hæc eft juris communis determinatio, cum qua Menochius, *loc. cit. num. 13.* putat convenire ftatutum Veronæ, *lib. 3. c. 40. fub Rub. Qui cafu, & non præmeditatè hominem occiderit, realiter puniatur.*

13\. Ad rationem in contrarium refpondemus: fatendo pœnam homicidij locum non habere, nifi homicidium dolo commiffum fuerit, fed pœnem ordinariam, non verò extraordinariam, quo in fenfu debent intelligi jura allegata, & Doctores.

Ad cætera, quæ poffunt obijci, eut pro tollenda omninò, aut pro augenda pœna delictis in ebrietate commiffis, patet refponfio ex dictis, & ex dicendis in noftris illationibus patebit. 14.

Infero primò ex dictis, peccata commiffa in ebrietate, quando in fe ipfa mortalis eft, fi aliquo modo prævifa fint, dici etiam mortalia; aliàs duntaxat culpantur, quatenus meruit ebrietas. *cap. Inebriaverunt, caufa. 15. quæft. 1.* 15.

Infero fecundò, quod fit in ebrietate nullatenus peccaminofa, ut quando fequitur inadvertenter, fi nullo modo fuerit prævifum, nullo modo effe culpæ adfcribendum: fi verò fuerit culpa venialis ebrietas, peccatum in ipfa commiffum effe veniale, Reginal. *Lib. 21. num. 59.* Jodoc, & alij. 16.

Infero tertiò, effe pœnâ ordinatiâ, nec quidem minuendâ, puniendum homicidium commiffum ab eo, qui vel levi ebrietate affectus erat, vel data opera factus eft ebrius, & deliquit; vel qui dum in ebrietate deliquit, effectus deinde mente compos, gloriatur fe illud delictum feciffe, Bart. Tiraq. Ripa, & alij, quos probat Menoch. *de arbitr. jud. caf. 126. à num. 7.* Et in hoc fenfu explicanda eft lex Pittaci Mitylen, qua fancitum eft, duplo effe plectendum eum, qui per temulentiam fceleris aliquid commififfet. Paul. Manut. *in Pitt. Mitylen.* & etiam intelligenda funt Caroli V. Imperatoris edicta, quibus ordinavit, ebrios, qui delinquerent, & pro ebrietate, & pro delicto puniri. Jodoc. *in pract. crimin. cap. 84. num. 10.* 17.

Infero quartò, militem, aut alium ebrium delinquentem, etiam contra perfonam Principis, ut puta, fi Principem maledicat, fi probatâ fit ebrietas, non puniri nifi arbitriò Judicis; ut habetur *ex lib. 1. Cod. Si quis Imper. maledixe.* ubi Ang. Quod exemplo declaravit Pyrrhus, & Val. Max. *lib. 5. cap. 1.* 18.

Infero quintò, blafphemies, aut hærefes, quas profert ebrius in fua ebrietate, non follius proferri, effe quidem à Sancta Inquifitione puniendaa, non tamen pœna ordinaria Blafphemis, & Hæreticis ftatuta. 19.

Infero fextò, ebrietatem excufare à perjurio, cùm ebrius æquiparetur ignoranti, & nefcienti, *dict. cap. unufquifque, caufa 22. quæft. 4.* Et ita Decian. *tract. crimin. lib. 6. cap. 11. num. 8.* ibi eddem, hoc effe verum, fi ebrius ftatim quod refipifceret, & cognofceret fe perjuraffe, corrigeret errorem in continenti, ut per Afflic. *in cap. 1. §. fi. num. 20. de confuet. rec. feudi.* 20.

Infero feptimò, Clericum ebrietatibus deditum, effe quidem arbitrio Epifcopi puniendum, fed non deponendum, nifi poftquam effet admonitus, & non defineret fe inebriare, & habetur in *cap. 1. Dift. 35.* & ibi Gloff. *verb. Aut definat, & cap. Nulli, Dift. 42.* Seyt. *in Thefaur. lib. 5. cap. 21. num. 12.* 21.

Infero octavò, effe probabilem utramque opinionem; negantem, fcilicet, & affirmantem, effe irregularem eum, qui dum erat ebrius, & ebrius factus 22.

factus culpabiliter, & dein destitutus omni usu rationis, occidit aliquem; cùm sint pro utraque sententia validæ rationes, tam intrinsecæ; quàm extrinsecæ, nempe auctoritates plurium & gravium Doctorum, relat. à Sayr. *in suo Thesaur. lib. 6. cap. 17. à num. 34. ad 37.*

23. Infero nonò, peccare mortaliter eos, qui vendunt vinum ijs, quos probabiliter credunt lapsuros in ebrietatem, nisi excusentur aliqua causa sufficienti, quæ, secundùm Bonacinam, non potest esse lucrum cessans, non vendendo vinum in tali eventu. *de peccatis, disp. 2. quæst. 4. punct. 2. §. unic. num. 32.* ubi citat Valent. Rodriq. Sanchez, & Sà. *verb. Ebrietas, num. 1.*

24. Infero decimò obiter, esse repellendum à testimonio eum, qui tempore testimonij erat ebrius, & propterea si examinetur, nihil probare: Dec. *in cap. Placuit, num. 8. de testib.* & alij, quos probat Farin. *quæst. 56 num. 434.*

25. Infero undecimò, esse studiosè evitandam ebrietatem, quia sobrietati adversatur, Ose. 4. Dein, quia ebrietas secretum effundit in publicum. Prov. 21. Lites, & jurgia solicitat. Prov. 20. Discretionis sensum evacuat. Isa. 28. Ad luxuriam provocat. Ephes. 5. Luxuriosa enim res est vinum: alia mala producit. Turrocrem. *in cap. Sane, causa 15. qu. 1.* Idem tradunt Cajet. *in summ. verb. ebrietas* Sylv. *in sum. eod. verb. qu. 2.* & alij, asserentes tamen quòd qui inebriantur ex causa justa, puta, ratione sanitatis, non peccat. Crederem ego, ut horum Auctorum doctrina sit tuta, duas conditiones requiri; primam, ut Medicorum judiciô salus aliter quàm per ebrietatem obtineri non possit: secundam, ut ne ex ebrietate timeatur aliquod grave damnum, puta, quòd ebrius blasphemet, percutiat &c. Sic etiam Gaugerius Hispanus, *in Annot. ad sum.* Cajet. *ex* Tolet. *sub num. 5. verb. Ebrietas.* Ita pariter sentit Reverendissimus Pater Magister Jacobus Riccius, ex Illustrissima Familia Dominicana, sui Ordinis Procurator Generalis. Examinator Cleri in Urbe, Vir pietate, & doctrina celebris, Amicus meus charissimus, quem super hoc consului.

26. Infero duodecimò incidenter, ebrium non posse matrimonium contrahere, si omninò caret sensu. Secus verò, si tantummodò est hilaratus, seu hilaratum se ostendit. Soci. *in Cons. 47. col. 3. in 3. vol.* Card. Alban. *loc. cit.* ubi ad quæstionem, an propter nimiam, & frequentem ebrietatem, Clericus privari debeat beneficio, respondet, esse recurrendum ad Abb. & alios in dict. *cap. Sicut nobis, de testi.*

XIV. DIFFICULTAS.

Miles, ob crimen lenocinij, in ordine ad prostituendos mares, quod quasi per consuetudinem exercebat, ab Exercitu dimittitur. Dubitatur, num infamiam incurrat.

1. NOtandum primò, infamiam esse læsæ dignitatis statum vita & moribus reprobatum, & in aliquo diminutum. Ita Calderin, & alij, quos recenset, & probat Tusch. *in verb. Infamia, conclus. 10. num. 1.*

Notandum secundò, infamiam duplicem esse, unam juris, alteram facti; infamiam juris dividi in infamiam juris civilis, & est illa, quæ à solo jure civili imponitur; & in infamiam juris Canonici, quæ contrahitur solo jure Canonico, ut ex peccato mortali, & in alijs casibus expressis de jure Canonico. Gloss. *in cap. Illi, qui, causa 6. quæst. 1.* & infamiam juris esse triplicem, unam ex delicto proprio, cui jure ipso, seu ex juris constitutione, infamia annexa est; aliam ex delicto alieno; aliam ex officio vili, quod exercetur. Infamiam verò facti dici, quando alicujus opinio est læsa, & gravata apud non malevolos & viles homines, ut tradit Pan. *in cap. Inquisitionis, §. Quæsivisti, de accusat.* ubi dixit, turpe esse à turpibus laudari, cùm laudatus videatur esse de complicibus laudantium; sed bonos, & graves viros, ut not. per Gloss. *in cap. Infames, §. Porro, causa 3. quæst. 7.* & plura exempla ponit Azo. *in Sum. tit. Cod. ex quib. causis infamia irrog.* tradit etiam Philip. Dec. *cons. 430. num 3.* Abb. Felin, quos producit, & sequitur Card. Alban. *in lucubrat. in Bart. in l. Cassius, ff. de Senat, num. 3.* Tiber. Decian. *tract. crimin. cap. 17. num. 18.* Molfes. *in Summ. par. 1. tract. 6. cap. 8. num. 15. & 16.* 2.

Notandum tertiò, infamiam ex delicto proprio esse duplicem, unam, quæ annectitur ipsi delicto tantùm ante Judicis sententiam; alteram, quæ prærequirit delicti condemnatoriam sententiam. Ita Alphon. de Castr. *lib. 2. de leg. pæn. cap. ult.* circa fin. Avil. *de censur. par. 7. disp. 4. dub. 5.* Covarru. 3. *resolut. cap. 3. num. 2.* Infamiam juris annexam delicto tantùm, ante judicis sententiam, oriri ex delicto, cui, propter suam atrocitatem Jus civile, vel Canonicum infamiam annectit. 3.

Notandum quartò, militem posse dupliciter delinquere, nempe, ut est persona privata, & ut miles est. Crimina militis, ut est persona privata, esse adulterium, furtum, & alia hujusmodi, unde obnoxia esse legibus communibus. Crimina verò militis, ut miles est, propriè esse illa, quæ contra exigentiam disciplinæ communis admittit, *l. omne delictum*, in princ. *ff. de re militar.* ut esset adulterium, quod, capta Civitate contra Ducis præceptum, miles committit, violentiæ, extorsiones, furta in terris hostium, interneciones innocentium, & alia ejusmodi, contra expressam Principis prohibitionem, tunc propria erunt militum crimina, *l. 2.* in princ. *& §. 1. ff. de re militar.* & not. Tiber. Decian. *lib. 7. cap. 12. de malef. crimin. num. 2. & 3.* 4.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles, qui ob crimen lenocinij, in ordine ad prostituendos mares, quasi consuetum, insignibus militaribus privatur, & ab exercitu dimittitur, incurrat infamiam; respondetur, sine ulla controversia, affirmativè. Et quia difficultas hæc, à nobis incidenter proposita, ne quid minimum circa materiam bellicam prætermittatur, satis ex se manifesta est, aut saltem ex his, quæ jam notata sunt, facilè dilucidari potest; paucis expendenda est. 5.

da est, præcipuè cùm in termiois agitata à nemine ex innumeris Canonistis, Jurisconsultis, Theologis, quos vidimus, inveniatur, uno excepto, nempe doctissimo Thoma Del Bene, *p.1. de offic. S. Inquisitionis, dubit. 94. num.* 10. & etiam incidenter, & paucissimis verbis.

6. Moveor primò juribus, *in l. Athletas, §. Ait Prator, ff. de his, qui notantur infam. & l. palam, §. Lenocinium, ff. de ritu nupt. & in cap. Infames, causa 6. quæst.* 1. ubi expressè declarantur infamea eoorme crimen committentes.

7. Moveor secundò rationibus: nam bona fama, seu bona existimatio est dignitatis illæsæ status legibus, ac moribus comprobatus, *l. cognitionum, ff. de varijs, & extraordin. cognition.* & ideo infamia erit boni nominis, seu bonæ existimationis diminntio. Petr. Greg. Tholos. *Syntag. lib.* 31. *cap.* 19. *num* 7. Nonne dimiouta, & graviter læsa, & gravata erit apud bonos, & graves viros militis opinio, qui, ob commissum crimen, cui ex juris dispositione annectitur infamia, ab exercitu dimittitur? Ergo infamiam incurrit, & quidem duplicem, unam, scilicet, ratione criminis, alteram verò ratione expulsionis.

8. Moveor tertiò, exemplo, seu potiùs praxi. Scimus Sodomitaa taoquam infames, non rarò spectaote populo flaminia vindicibus nefandum scelus expiare, juxta leges allegatas, & alias leges, quas Baronius *in suis eruditis Annalibus, tom.* 3. *anno* 342. tangit, & quidem aliam sanctionem Constantii Imperatoris refert his verbis.

„ Cùm vir nubit, in fæmina viros paritura, quid
„ cupiatur, ubi sexus perdidit locum? ubi sce-
„ lus est id, quod non proficit scire? ubi venus
„ mutatur in alteram formam? ubi amor quæ-
„ ritur, nec videtur? Jubemus insurgere leges,
„ armari jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis
„ subdantur infames, qui sunt, vel futuri suot
„ Rel. P.P. Romæ. XIII. Kalend. Januar. Con-
„ stantio III. & Constante II. A. A. *Coss. fol.* 509.
„ *lit.* B.

9. Concludimus igitur, dictum militem, & quemcunque alium ejusioodi crimina committentem, esse dupliciter iofamem, civiliter nempe, & Canonicè: nam regulariter, licèt à nobis fuerit divisa infamia in legalem, seu juris, & in Canonicam, in gratiam Curiosorum; infames secundùm leges, sunt etiam infames secundùm Canones. *Cap. Omnes verò, causa* 7. *quæst.* 1. Felin. Lambert. Azor. quos recenset Garz. *q.* 7. *de benefic. cap.* 8. *num.* 21. Et iofames secundùm Canones dicuntur illi omnes, quos leges sæculares tales appellant, & insuper infamia Canonica, ut notat Host. *de testib. §. Qui possit, vers. fama.* incurritur per omne peccatum mortale: quæ tameo opinio minimè placet Thom. Del Bene, *loc. cit.* arbitranti, delictum carnis non esse infamiâ afficiendum, nisi per consuetudinem exerceatur.

10. Infero primò ex dictis, notam infamiæ incurrere militem, vel Ducem ab exercitu dimissum ob aliud delictum ibi commissum; vel si ob eam causam militaribus insignibus privetur, quæ ignominiosa exauthoratio militis dicitur *l.* 1. *& 2. ff. de his, qui not. infam.*

11. Infero secundò, militem, & quemcunque alium uxoratum, tenentem coocubinam, esse infamiâ notatum, cùm noo possit oegari illius opinionem esse læsam, & gravatam apud probos, & graves viros; cùm jura prohibeant, habenti uxorem tenere concubinam. *l. 1. Cod. de concubinis, & in l. fi. Cod. communia, de manumis.* ubi dicitur, quòd jura, nec nova hoc permittunt. Et ita docet etiam Bal. *in l. 2. Cod. de incest. nup.* ubi etiam dicit, habentem duas concubinas Infamem pariter nuncupari.

Infero tertiò, milites de bellis publicis fugientes fieri de jure Canonico infames, *Cap. Infames, causa* 6. *q.* 1. 12.

Infero quartò, militem descendentem in pugnam privatam cum alio causa quæstus, seu pretio accepto, fieri infamem ex jure civili, *l.* 2. *§. ult. ff. de his, qui notantur infamia.* Secùs verò, si descendat ob fortitudinem ostendeodam, vel exercendam; etiam proposito præmio, & in hoc casu pugil, seu athleta dicitur, *l.* 2. *Cod. de Athletis, lib.* 10. & ibi Glos. Hoc tamen verum est solùm ex vi legis civilis. 13.

Infero quintò, Infames esse jure Canonico, ante senteotiam judicis, reos læsæ Majestatis tam divinæ quàm humanæ, eorumque fautores, & Cardinales S. R. E. hostiliter insecutores, eorumque auxiliatores. *Cap. Felicis, de pœnis in* 6. 14.

Infero sextò, infames fieri descendentes in duellum, eoruoque Patronos. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 19. *de reform.* 15.

Infero septimò, infames infamia juris, vel facti esse etiam irregulares, & repelli à susceptiooe Ordinum: *d. Cap. Infames, causa* 6. *quæst.* 1. 16.

Infero octavò, nullam dignitateoi esse concedendam infamibus, *l.* 2. *Cod. de dignit. lib.* 10. Vide etiam *in l. qui de libertate, ff. de liber. cau. Cap. Infamibus, de reg. jur. in* 6. & hoc eò magis procedere in Ecclesiasticis dignitatibus & beneficiis, & præcipuè in Curatis, ut in Trid. *Sess.* 24. *in decret. de reform. in proœm.* An autem infamia verè privetur ipso jure honoribus, & dignitatibus jam quæsitis, videndus est Abb. *in Cap. Querelam, de jurejur.* Bart. *in l.* 1. *ff. de his, qui not. infam.* 17.

Infero nonò, Hæreticos ob hæresim infamiam incurrere, & eorum nobilitatem eos non excusare à pœna igoominiosa; ulteriùsque privari, seu arceri, & repelli ab omnibus honoribus, dignitatibus, & publicis officiis, ut doctè probat Farinac. *Tract. de hæresi, quæ* 189. *num.* 40. 48. Sanctarel. *de hæresi, cap.* 25. *dub.* 2. 18.

Infero decimò, repelli ab accusatione illos, qui infamiam aliquam incurrunt ob delictum proprium. Et ita etiam probat multis juribus, & rationibus Tiber. Decian. *Tract. crim. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 1. 2. *&* 3. *& seq.* ubi varias ponit limitationes. 19.

Infero undecimò, infamem etiam de facto accusare non posse, ut est Glos. *in Cap. Ipsi Apostoli, causa* 2. *quæst.* 7. & docuit Joan. Andr. & Imol. *in Cap. Omnipotens, in glo.* 1. *de accusat.* Tiber. Dec. *loc. cit.* per totum, ubi variè hoc limitat, & explicat. 20.

Infero duodecimò, regulariter accusatum, & denun- 21.

denunciatum de aliquo crimine, non esse promovendum ad dignitatem, & officium, accusatione, seu denunciatione pendente: habetur *in l. reus, ff. de muner. & honor. d. Cap. Omnipotens Deus*; quia ejus fama dicitur in aliquo diminuta, donec appareat veritas rei.

22. Infero decimotertiò, accusationem, seu denunciationem factam dolosè per calumniam, vel aliam causam iniquam, non impedire promotionem Accusato, seu Denunciato, dummodò de crimine supposito non sit diffamatus apud probos, & graves viros. Ita Joan. Andr. Host. & alii plures, *in Cap. Meminimus, de accusation.*

23. Infero decimoquartò, Apostatas, Hæreticos, eorumque Fautores, & Receptatores, Capientes arma contra Ecclesiasticos, Contemptores sacrorum Canonum, Schismaticos, Homicidas, publicos Latrones, Maleficos, Veneficos; Usurarios manifestos, Mimos, & alios esse infames infamia juris, si sequuta sit sententia; infamia verò facti, sententiâ non sequutâ, sed si dolosè, & culpabiliter ita manifestè peccaverunt, ut apud probos, & graves homines sit læsa eorum æstimatio.

24. Infero decimoquintò, Electores, Judices, bonos & graves viros non debere cum facilitate credere proximum errasse, & sic esse infamem; sed debere cautè procedere, attentè prospiciendo qualitates Accusati. & Accusatoris, cùm rumor possit esse falsus, & fama, originem habere à falsa causa, vel ab inimicis; unde non debere accusationem & denunciationem admittere, præcipuè stante famâ Accusatoris, si graves & boni viri Accusatum habeant pro viro probo.

25. Infero decimosextò, infamem non posse esse Judicem. Bart. *in l. Cassius, ff. de Senat.* neque aliud officium publicum exercere. Idem Bart. *in l. quod ait Prætor, §. miles ff de his, qui not. infam.* neq; esse Procuratorem, si est infamis infamia facti, neque Æconomum Ecclesiæ, nec etiam in bonis patrimonialibus Clericorum. Abb. *in Cap. Imperatorum de juram. calum.* Card. Albanus *in lucubrat. in Bart. in dict. l. Cassius ff. de Senato, num. 6.* ibi, *num.* 11. allegans Bart. dicentem *in l. Is cui §. Si quis ob carmen, ff. de testam.* quòd infamis potest testamentum facere, cùm possit infamis actus legitimos, respicientes utilitatem privatam, exercere: *ibique, n. 5. & 11.* quæstionem movens, an infamia possit esse Tutor, & hæres institui.

XV. DIFFICULTAS.

An miles sodomita sit puniendus non solùm morte naturali, sed etiam igne post mortem.

1. NOtandum primò, sodomiam sic dici, quia ab impiissimis sodomitis nomen accepit, ut habetur Gen. 13. & 19.

2. Notandum secundò, sodomiam, quæ est concubitus ad sexum non debitum, ut vir cum viro, fœmina cum fœmina. D. Tho. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 11. & ibi Cajet. non solùm esse peccatum mortale, sed etiam valde abominabile, & iræ divinæ provocativum; unde à Methodio Martyre inter alias cataclysmi, & diluvii causas collocatur peccatum hoc contra naturam, ex S. Anton. *par. 2. tit. 5. cap 4. §. 1.* & propter hoc vitium, quod semper clamat apud Deum pro vindicta. Gen. 18. Deum immittere bella, famem, pestes, terræ motus, & similia, testatur Imperator in *Authent. ut non luxurientur contra naturam, collat. 6.*

Notandum tertiò, pœnam sodomitis imponendam ex dispositione omnium jurium esse mortem: juris quidem diversi, ut patet Levit. 18. & 20. unde in Nocte Nativitatis Domini Nostri JESU Christi omnes sodomitas mortuos esse testatur, inter alios Ecclesiasticos Historicos. D. Hieronym. in Isa. 9. Juris verò civilis, *l. cum vir, Cod. ad l. jul. de Adulter, d. Authen. ut non luxurientur contra nat. § propterea. Cod de extraord. crimin. l. Qui puero*, vi cujus sodomita decapitabatur: & etiam jure Canonico, seu Pontificio pœna mortis indicta videtur sodomitis, ex *Cap. Solicitatores, §. 1. de pœnit. Dist.* 1. Sed veriùs, sola pœna excomm. & separationis à Cœtu fidelium, *Cap. Clerici. de excessib. Prælat.* Etiam apud Antiquos, & Gentiles pœna mortis, & alia gravissima puniebantur sodomitæ: ita refert Mysinger. *in §. item lex julia, n. 12. instit. de public. Judic.* Jodoch. *in pratic. crim. cap 96. n. 21.* Lopez. Menoch. & alii relat. à Farin. *par. 4. prax. & theor. quæst. 127. n. 10.* 3.

Notandum quartò, eadem pœna esse puniendum sodomitam agentem, & patientem, *l. si cum vir, Cod. de adulteriis*: & notant Socin. Gomez, Clar. quos refert Molfesius *in sum. part. 1. tract. 7. cap. 21, n. 112.* ubi dicit, esse communem sententiam. 4.

Notandum quintò, crimen sodomiæ esse mixti fori; & ideo Judicem sæcularem posse hoc crimen punire. Est Text. *in l. cum vir nubit. Cod. de adul. & in dict. Auth. ut non luxurientur contra Nat.* & Laicum posse per Judicem Ecclesiasticum puniri, scilicet excommunicari, & à cœtu Fidelium penitùs arceri. Est Tex. *in cap. Clerici*, & ibi communiter notant omnes Canonistæ, *extra de excessib. Prælator.* quos refert Farin. loc. cit. *num.* 23. & Decian. *tr. crimin. lib. 4. cap. 27. n.* 11. 5.

Notandum sextò, delictum sodomiæ posse variis modis probari præsumptionibus, Calcan. *cons.* 110. ubi addit depositionem sodomitari, cum fama, fuga, & teste, qui audiant quassationes, & tergiversationes. Mascard. *de probat. lib. 3. conclus.* 1213. *num* 3. Monticell. *reg. crim.* 11. *n.* 16. Socin. Decian. & alii. 6.

Notandum septimò, in crimine sodomiæ interdictum esse ad Rei defensionem Procuratori, seu Advocato intervenire. Bal. *in Authen. sed novo jure. Cod. de ser. fugit.* Boss. *in tit. de stupr. detestabili in mascul, n. 5.* Ludovic. de Alphe. *consil. crimin. divers.* 143. *n.* 1. *Borba. concil. pen. col. 2. in fin. lib.* 1. Menoch. *de arbit. judic. lib. 2. cent. 3. cas. 286. n.* 13. & alii plures, unanimi consensu asserentes, sodomitis assignandos non esse Advocatos, ut defendantur. 7.

His

8. His annotatis: ad difficultatem propositam, an miles sodomita sit puniendus non solùm morte naturali, sed etiam igne post mortem, respondemus, absque ulla hæsitatione, affirmativè. Bermon. *De public. concub. rubr. de peccat. sodomit. n.* 29. Piot. *de in lit. jurand.* §. *sexto, sub. num.* 42. Jodoch. *in pract. crimin. cap.* 96. *num.* 13. *&* 25. Ignat. Lopez. *in addit. ad Diaz, in pract. crimin. Canon. cap.* 86. *Clar. in pract.* §. *sodomia, sub. n.* 2. *vers. vide quandoque*, & plures alij, quos refert, & sequitur Farin. *in tract. crimin. quæst.* 148. *num.* 7. *amplia.* 1.

9. Moveor primò juribus, *in l. cum vir. Cod. de adulterijs*, & alijs pluribus, relat. à Doctoribus, & præcipuè Farin. *loc. cit. num.* 4. quorum dispositione habetur, sodomitas esse etiam vivos concremandos: & in varijs constitutionibus, ac pragmaticis Regni Neapolis, quibus præcipitur, agentes, & patientes igne comburi, ut in *pragmat. de sodomia.*

10. Moveor secundò rationibus: nam Justitia humana in puniendis criminibus imitari debet Justitiam divinam, cujus est participatio. Justitia verò divina in pænam, seu punitionem sodomiæ ignem adhibuit, seu igni tradidit sodomam, & Gomorrham cum omnibus ejus habitatoribus, ut habetur Gen. 19. Ergo & ignem contra sodomitas tenetur Justitia humana adhibere. Tum etiam, quia vitium sodomiticum, quod pessimum est inter omnia alia crimina, & delicta carnis, & gravius quàm cum matre coire, causa 32. *quæst.* 7. *cap. Adulterij*, Ignis est ex se, & modo abominabili consumens genus humanum: Ergo, & igne puniri meretur; cum pœna sit delicto commensuranda. *cap. non afferamus.* 34. *dist. Authen. omnes peregrin. Cod. communia, de succes.* & legitur in Deuteron. *cap.* 25. *n.* 2. Pro mensura peccati erit plagarum modus, & scribit Marsi. *consil.* 6. *in fin.*

11. Moveor tertiò exemplo, in sodomitis Ordinis Templarij, qui, ut fuit observatum in Concil. Viennensi, sub Clemente, qui Benedicto successit, igne concremati fuerunt, & refert Petrus crinitus *lib.* 24. *de honesta discipl. cap.* 13. Quod & in facto pluries vidisse servari testatur Baiard. *in suis addit. n.* 7. & esse in praxi in Regno Neapol. subdit Moisesius *in sum. par.* 1. *tract.* 8. *cap.* 8. *n.* 115. *& tract.* 7. *cap.* 20. *n.* 115. in toto statu mediolanensi, scribit Menochius, *de Arbitr. judic. lib.* 2. *cent.* 3. *cas.* 286. *n.* 5. & in alijs regionibus, & ferè ubique testatur Farin. *loc. cit. n.* 7.

12. Concludimus igitur, Milites sodomitas, omnesque alios hujus nefandi, & semper destabilia criminis reos esse comburendos in aliorum conspectu, ut pœna unius, vel paucorum sit metus multorum; esse, inquam, comburendos, non vivos, sed mortuos, ut est usus. Prius enim furca suspenduntur, aut capite plectuntur, vel strangulantur; deinde igni traduntur. Et hoc, nè lenta morte ignis in desperationem deveniant.

13. Infero primò ex dictis, Judicem non posse ullo pacto delicti sodomiæ reo pœnam minuere, sed omnino teneri eum legitima pœna punire. Monteleon. *in praxi, part.* 4. *fol.* 202. *n.* 501. Bermon. *de public. concub. rubr. de peccat. sodomit. n.* 23. *in fin. vers. Ergo videtur.* Baiard. *in addit ad Clarum, in* §. *sodomia n.* 7. testatur vidisse, stante nobilitate personæ, absque pœna ignis, hujus criminis reos capite obtruncatos.

Infero secundò, esse sodomitam illum, qui intra anum, seu vas membrum imposuit, sed semen extra vas effudit: & ideo esse pœnâ ordinaria puniendum, & incidere etiam in casum reservatum, ubi sodomia est casus reservatus; cum in fraudem legis, aut in fraudem legislatoris nihil faciendum sit, *cap. Constitutus. de concess. praben.* Glos. *in cap. quanto, in verb. in fraudem, de privileg.* 14.

Infero tertiò, sodomitas, secundùm leges esse etiam infames ipso jure, etiam antequam sint accusati, & damnati, *l. cum vir. Cod. de Adulter.* & tenent plures, quos recenset *Farin. loc. cit. n.* 11. & ideo convictos de hoc crimine advocare, & procurare non posse. *ff. de postul. l.* 1. §. *infames*, neque testamentum condere, quia infamis ipso jure testari prohibetur. *leg. Is cui*, §. *Si quis, ff. de test.* 15.

Infero quartò, pœnis Sodomitis statutis subjici peccantem non solùm cum masculo, sed etiam cum fæmina in vase indebito: se enim miscere nefario coitu in vase indebito est semper vitium sodomitæ, sive masculus sit patiens, sive fœmina. *Cap. Usus, causa* 32. *quæst.* 7. Et est Tex. *in l. cùm vir nubit, in fæmina, Cod. ad leg. Juliam, de adulter.* & not. Decian. *in leg. si qua mulier, num.* 4. *Cod. de secund. nupt.* 16.

Infero quintò, esse probabilem sententiam Doctorum asserentium, Sodomitas dominio rerum suarum ipso jure privari. Glos. *in* §. 1. *in Authen. de incest. nupt.* Gl. *in cap. Cùm secundùm*, in princ. *de hæreticis, in* 6. Bart. *in leg. post contractum, ff. de dona. & in l. Imperator, ff. de jure fisci.* Bal. & alij, quos citat, & sequitur Menochius, *loc. cit. n.* 9. 17.

Infero sextò, pœnam mortis locum habere magis in eo, qui præpostera venere cognovit uxorem suam; nam gravius est delictum cum uxore, quàm cum alia fœmina, prout est Tex. *in cap. Adulterij, caus.* 32. *quæst.* 7. Piot. *de in lit. jurejurand.* §. 6. *sub num.* 42. Menoch. *loc. cit.* 18.

Infero septimo, pœnam mortis locum habere in fæmina, quæ agit ut vir in aliam fæminam patientem non sola fricatione, quia tunc solùm intrat pœna extraordinaria; sed aliquo instrumento materiali, ligneo, aut vitreo: adest Tex. *in d. l. cùm vir, vers. & idem si fæmina agit in fæminam, Cod. ad leg. Jul. de adulter* Cyn. *in l. fœdissimam, vers. alio modo, Cod. eod.* Gomez, *in l. Tauri*, 80. *num.* 24. 19.

Infero octavò, damnandam esse ad mortem etiam mulierem agentem ut vir cum masculo patiente in vase præpostero; committit enim tunc peccatum sodomiæ. Ita etiam Alexand. *in addit. ad Bart. in l. cum vir, ad leg. Jul. de adulter.* Glos. *in d. l. fœdissimam, vers. alij dicunt; Cod. eod.* Salicet. Jo. Faber. Angel. Bermon. & alij plures. 20.

Infero nonò, à fortiori debere ad mortem damnari, & comburi Masculum committentem crimen sodomiæ cum aliquo animali bruto, & etiam fæminam ab eodem animali se cognosci permit- 21.

tentem:

tentem: nec non & ipsum animal, ex Tex. *in cap. Mulier, causa 15. quæst. 1.* Monteleon. *in praxi p. 4. fol.* 200. *num.* 487. Bermon. *loc. cit. num.* 28. Jodoc. *in pract. crimin. cap.* 96. *num.* 14. & 15. & alij.

22. Infero decimò, à sodomia separationem thori induci, non solùm si vir cum alia muliere, & viro; aut muliet cum viro sodomiam commisit, sed etiam si uxor cum alia muliere se carnaliter cognoverint: quia tunc pœna sodomiæ intrat. Sanchez, *de matrim. lib.* 10. *tit. de divort. disp.* 4. *num.* 5. ubi alios allegat, affirmans, hanc conclusionem procedere, quando semen immittere tur intra vas non debitum. Secus verò, ubi aut semen non expelleretur, aut extra vas decideret.

23. Infero undecimò, Clericos sodomitas, & de hoc crimine convictos, qui jure veteri depositi in Monasterium detrudebantur, *cap. Clerici, de excessib. Prælator.* nunc omni privilegio clericali, officio, beneficio, & dignitate privari. Sayr. *in sua Clavi Regia, lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 16. in med. Molf. *in Sum. p.* 1. *tract.* 7. *cap.* 20. *num.* 116. Et hoc quidem jure novo, seu per Constitutionem Pij V. quæ incipit: *Horrendum illud scelus*, 72. in ordine, editam anno 1568. in qua Pontifex mandavit, ut Clerici tam sæculares, quàm regulares vitio sodomiæ maculati, priùs degradentur, & postea sic degradati tradantur Curiæ sæculari, ut puniantur pœna ultimi supplicij. Et pœnam privationis privilegij clericalis, officij, & dignitatis Ecclesiasticæ Clericos, sive sæculares, sive regulares, qui in vitio sodomiæ delectantur, incurrere ipso jure, non solùm in foro exteriori, sed etiam interiori vult Graff. *p.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 90. *num.* 4. ubi pro se citat Navar. Alij tamen Doctores volunt, dictam Extravagantem non intelligi in foro interno; sed solùm externo; cùm jus antiquum, nempè Tex. *in cap. Clerici, de excess. Prælat.* procedat tantùm in foro exteriori.

XVI. DIFFICULTAS.

An Milites, qui luxuriosè vivunt, sint ab Exercitu dimittendi.

1. NOtandum primò, luxuriam sumi dupliciter, latè, & strictè: latè, & significat omnem excessum, non solùm in rebus venereis, sed etiam in rebus, quæ directè, aut indirectè ordinantur ad venerem, ut sunt vestes, convivia, epulæ, impensæ, luxus, profusio divitiarum, verba vana, petulantia, incontinentia, & similia, & habetur *in l.* 1. in fin. *ff. de adult. edicto.* Item *in l. penult. ff. de incendio, ruina, naufragio*, ubi actio dolosa dicitur luxuria; & docet etiam Senec. *epist.* 14. Cicer. *lib.* 3. *de finib.* Strictè verò, & significat opus carnis cum excessu, quod ex genere suo est gravis culpa, ut patet ad Galat. *Cap.* 5. & in hoc sensu nostra procedit difficultas.

2. Notandum secundò, luxuriam dici à dissolutione, quia dissolvit Animam hominis, & ordinem perturbat rationis, D. Thom. *2.* 2. *quæst.* 153. *art.* 1. & propriè esse amorem concupiscentiæ, circa voluptates venereas sine debito modo, & ordine ad finem generationis humanæ, & directè castitati oppositum per excessum rationis circa venerea, ut optimè tradit D. Thom. *loc. cit. artic.* 2. & 3.

Notandum tertiò, sex species luxuriæ communiter ab Auctoribus numerari, scilicet, fornicationem simplicem, adulterium, incestum, stuprum, raptum, & vitium contra naturam, D. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 4. Alex. de Ales. *p.* 2. *quæst.* 14. *memb.* 99. Sayr. *in sua Clavi Regia, lib.* 8. *cap.* 1. *num.* 6. ubi innumeros alios recenset: & habetur, *causa* 36. *quæst.* 1. *cap. Lex illa.* Quibus speciebus addunt alij septimam, nempè sacrilegium, quod accipitur pro illicito concubitu cum persona DEO dicata per votum, sive implicitum, ut est Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus, quia Ordinibus sacris annexum est votum castitatis; sive explicitum, ut est Monialis, & quælibet alia persona, quæ votum emittit castitatis. Molfes. *in Summ. par.* 1. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 179. & 200. 3.

Notandum quartò, luxuriam esse unum ex septem vitiis capitalibus; cùm ex illo multa alia peccata mortalia originem habeant propter vehementiam delectationis venereæ. D. Greg. *lib* 31. *Moral. cap.* 31. D. Tho. 2. 2 *quæst.* 153. *art.* 4. & 5. 4.

Notandum quintò, à luxuria hos octo oriri effectus; videlicet, cæcitatem mentis, inconsiderationem, præcipitationem, inconstantiam, amorem sui, odium DEI desiderium præsentis vitæ vitæ, horrorem futuræ. D. Tho. *loc. proximè cit. art.* 5. & omnes ejus Discipuli, inter quos, Jodoc. *in verb. Peccatum luxuria, num.* 3. Unde Valerius Maximus, *lib.* 9. *de luxuria* loquens, declamat. Quid „ est ergo hoc vitio fœdius, quid damnosius? „ quo virtus atteritur, victoriæ languescunt, „ sopita gloria in infamiam convertitur: Animi, „ & corporis vires expugnantur. 5.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an milites, qui luxuriosè vivunt, sint ab exercitu dimittendi; negativè videtur respondendum cum Laderch. *cons.* 197. *num.* 3. Mario Giurb. *cons.* 47. *num.* 16. Ferret. *de re militar. tit. de militar. justitia, num.* 18. quia lapsus carnis non est tam rigorosè tractandus propter connaturalitatem concupiscentiæ, præcipuè in militibus, qui ordinariè florentis, & robustæ sunt ætatis. Præterea, si omnes milites luxuriosè viventes, essent in pœnam ab exercitu dimittendi, quilibet exercitus in brevi permultis destitutus militibus, ad pugnandum, hostesque vincendum, qui finis est belli, inhabilis redderetur. 6.

Verius tamen pro bono communi, & securius arbitror, milites luxuriosè viventes esse ab exercitu dimittendos. Crispolt. *in Casib. militar. cas.* 13. & ita sentire videtur Thesaur. *quæst. forens.* 57. *num.* 17. *lib.* 4. Gaball. *resolut. criminal. cas.* 171. *num.* 3. *centur.* 2. & alij. 7.

Moveor primò juribus, saltem deductivè, *ff. ad l. Jul. de adulter.* ubi habetur, nihil esse detestabilius in milite, quam lenocinij exercitium; & *l.* 2. *Cod. de donat. inter vir. & uxor.* ubi habetur, majorem requiri castitatem in militibus, quàm in Paganis, ut sint audaciores, & fortiores; & *cap.* 8.

cap. Sinon, *cauf. 23. quæst. 5.* ante fin. ubi dicitur, Fortes vinci à luxuria: & refertur exemplum de Sampſone, *& in leg. omne delictum*, §. *Contumacia*, *ff. de re militar.* ubi admonetur, cæteros aliorum exemplo diſcere. Ex quibus juribus milites luxurioſè viventes, tanquam audaciâ, fortitudine, aliiſque virtutibus deſtitutos, militibus ad rectè bellandum neceſſariis, nec non & alijs perniciosos, eſſe ab exercitu dimittendos ſatis clarè deducitur.

9. Moveor ſecundò rationibus: nam ille miles est dimittendus, qui militare aptus non eſt. Quis unquam dixerit, aptum eſſe ad militandum laſcivum, qui ſumma facilitate hoſtium armis ignominioſè cedit? Teſtantur Annibalis milites, qui Capuæ Veneri inſervientes, Marte oblito, ab hoſtibus ſupervenientibus aggreſſi, maxima ſtrage interfecti ſunt. Liv. *lib. 2. decad. 3.* unde Valer. Max. *loc. cit. de luxuria* loquens, ait. Blan„dum malum luxuria, quæ invictum Anniba„lem armis illecebris complexa, vincendo Ro„mano militi tradidit. Tum etiam, quia illi milites tolerandi non ſunt, qui tempore militandi, ſeu præliandi ſumma facilitate fugiunt, & quorum fuga perit aut exercitus, aut victoria. Tales eſſe milites luxurioſos, & ita accidere eorum causâ exercitibus Sacra Scriptura demonſtrat, Gen. *cap. 14.* ubi *num.* 10. dicitur, quòd Reges laſcivi, tempore præliandi, terga verterunt, cecideruntque ibi, & qui remanſerant, fugerant ad montem. Tum denique, quia luxuria, ut notavimus, obcæcat intellectum, unde luxurioſus non cognoſcit, quæ ſunt agenda: impedit actum conſilij; undè oritur præcipitatio: inflectit animum; & ſic oritur inconſtantia: debilitat vires corporis; unde pugna ad terminos impoſſibilitatis reducitur: impedit actum judicij in agendis; & conſequenter libidinoſus ſæpè agit quæ dedecent ſtatum ſuum. Ineptus igitur undequaque ad militandum, ſi luxuriæ vacat, apparet miles, & ideo à militia dimittendus.

10. Moveor tertiò exemplo, primò in Rege Cyro, qui militem quemdam inſpiciens fæmineis vanitatibus, argumento luxuriæ, deditum, nudatum enſe è rollo deleri, & mitti mandavit, dicens: „Cor militia habere non poſſe illum, qui fæminæ „vanitatem habet, neque poſſe viriliter pugnare, „qui armis libidinis expugnatur. Secundò, in Scipione Africano, qui, ut militum ſuorum pectora, quæ ob luxuriam debilia admodum evaſerant, fortitudine communiret, duo millia ſcortorum è Caſtris ejecit, ne tot milites dimitteret. Alex. ab Aleſ. *dier. genial. lib.* 10. *cap.* 10. Toloſ. *in ſyntagm. jur. univerſ. par. 2. de perſonis, lib. 19. cap. 12. num. 8.*

11. Concludimus igitur, aut à militibus rejiciendam eſſe luxuriam, quæ, ut ait Seneca, *lib. 1. declamationum*, rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam enervat, oblivionem immittit, errorem infundit, ignorantiam inducit, hominem quaſi beſtiam facit: deturpat, ait Molfeſ. *loc. cit. num.* 226. formam, ac ſpeciem, diminuit vitam, diſſipat bona temporalia, & alia plura incommoda corpori, & Animæ parturit: aut ab exercitu mittendos milites, nè eorum causâ, aut exercitus langueſcat, aut victoria.

Ad rationes in contrarium reſpondemus. Ad 12.
primam, fatendo & nos non eſſe lapſum carnis nimium rigoroſè tractandum, quando eſt accidentalis. Secus verò, quando eſt habitualis. A venere enim conſueta, ſeu habituata oriuntur mala, quæ Marti repugnant: unde, quando allegati Auctores aſſerunt, cum milite, amore Veneris accenſo, aliqua venia eſſe utendum, non intendunt aſſerere, militem luxurioſum eſſe in exercitu fovendum, ſeu non eſſe ab exercitu mittendum; ſed eſſe priùs corrigendum, antequam mittatur: quod & nos fatemur, ſcientes correctionem, juxta Evangelium, eſſe punitioni præcurrendam.

Ad ſecundam, negando tot luxurioſos habitua- 13.
tos in quolibet exercitu reperiri, adeòque quemlibet exercitum permultis militibus deſtitutum iri, ſi omnes ejicerentur; ſed dato & non conceſſo enormi militum luxurioſorum numero, ab exercitu mittendorum, fortiùs, & validiùs pugnare parvum exercitum caſtis militibus compoſitum, quàm exercitum luxurioſis militibus magnum, & ingentem arbitramur; cùm luxuria reddat hominem timidum, & debilem; caſtitas verò, ut notavimus, juri inhærendo, audacem, fortem, & generoſum.

Infero primò ex dictis, actum venereum tunc 14.
malum eſſe, quando quis illo utitur contra ordinem rationis, hoc eſt, quando quis illum exercet non ſecundùm finem, ad quem à natura ordinatur, vel etiam quando illum exercet quiſpiam modo indebito, ac inconvenienti. Secus verò, quando adeſt debitus ordo, & modus conveniens.

Infero ſecundò, in exercitio veneris inordina- 15.
tæ tot adeſſe peccata, quot reſpectus ad diverſas perſonas; atque ideo neceſſariò in confeſſione explicandos, cùm tendant ad diverſa peccata numero, vel ſpecie diverſa: ut ſi quis in actu fornicationis, vel voluntariæ pollutionis haberet reſpectum ad virginem, ad maritatam, ad puerum, & ſic de alijs: nam ille reſpectus, ad virginem eſt ſtuprum; ad nuptam, eſt adulte-
rium; ad puerum, eſt ſodomia: & ſic de alijs. 16.

Infero tertiò, habentem illicitam copulam cum fæmina, vel mare, non ſatis explicare in confeſſione dicendo, ſe peccaſſe contra caſtitatem, quæ doctrina fuit damnata ab Alexandro VII. & eſt propoſitio 25. in ordine, ſed teneri explicare copulam habuiſſe, & qualitatem perſonæ, cum qua habuit. Lugo, *diſp. 16. de pœnit. ſect. 5. n.* 238.

Infero quartò, peccantem cum tribus fæminis 17.
ejuſdem rationis, puta, tribus liberis, ſatiſfacere confeſſioni, ſi dicat, ter fornicatus ſum; & non teneri declarare, fuiſſe tres fæminas. Bonac. *de Sacr. diſp. 5. quæſt. 5. punct.* 2. *ſect.* 2. §. 3. *diff.* 3. *prop. 3. num.* 14. cùm ſit eadem malitia, ſive cum tribus, ſive ter cum eadem. Excipitur caſus Interrogationis factæ à Confeſſario ad videndum an ſit occaſio proxima.

Infero quintò, illum, qui pluries concupivit 18.
meretricem, ſi non retractavit per actum contrarium voluntatem, ſatisfacere integritati confeſſionis dicendo, v. g. per unam hebdomadam con-

cupivi meretricem; quia aut omnes illi actus, licèt physicè multiplicentur, in genere tamen moris censentur unum peccatum; aut, si plura peccata sunt, sufficienter eorum numerus Confessario manifestatur, indicando illi tempus, seu durationem illius pravæ concupiscentiæ nunquam retractatæ. Io: della Crux, Petr. Fay. Diana, Canus & alii, quos citat, & sequitur De Ludo, *disp. 16. sect. 14. à n. 566.*

19. Infero sextò, Principes posse, & debere suis legibus vanitates vestium moderate, cùm sint incitamenta ad luxuriam. Ita Molfes. *tom. 1. ad Consuetud. Neapol. p. 6. quæst. 5. num. 27.*

20. Infero septimò, Confessarium teneri interrogare pœnitentem, quando se excusat de peccato luxuriæ, seu carnis, cujusnam species sit ex recensitis in *Not. 3.*

21. Infero octavò, accensum luxuriâ teneri ad extinguendum hujusmodi ignem, adhibere varia remedia, ut est devota oratio, afflictio corporis, evitatio conversationum, & occasionum pravarum, subita resistentia initiis tentationum, frequentia Sacramentorum, & alia, quæ perdoctè explicat Molfesius, *in Sum. tr. 8. cap. 8. à num. 227.*

22. Infero nonò Incidenter, militem, vel alium duas habentem concubinas, vel unam, quando est uxoratus, infamem esse, saltem de facto. Dec. *in cons.* 530. Card. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. Cassius, ff. de Senat. num. 5.*

XVII. DIFFICULTAS.

An miles, qui permanendo in excubiis nocturnis, ultra tempus militari consuetudine receptum, si in excubiis dormiat, committat culpam mortalem, pœnâ corporali puniendam.

1. Notandum primò, excubias esse vigilias extracubantium, quamvis vigiliæ propriè sint nocturnæ, & excubiæ, etiam diurnæ. Ita communiter Scriptores.

2. Notandum secundò, excubias tempore tum belli, tum pacis, esse necessarias, ut nihil incommodi Respublica patiatur, aut dedecoris; & ideo ad hujusmodi munus non quemvis esse deputandum, sed delectum, ut notavit Socrates apud Platonem; & experimentum docet: videmus enim meliores cives, ac lautioris fortunæ, ad custodiam urbium, præcipuè tempore suspecto, destinari.

3. Notandum tertiò, urbium, Arciumque conservationem non parùm ab excubiarum diligentia dependere, & interitum ab earumdem negligentia: quod patet ex nota illa historia, referente olim per excubitorum negligentiam Res Romanas in summum exitium adductas fuisse, Gallis Capitolium obsidentibus, si non Anseres improviso strepitu dormitantes excitassent, hostemque muro imminentem prodidissent.

4. Notandum quartò, dupliciter posse contingere somnum in milite custodiæ dato in excubiis, scilicet, ex inadvertentia, & advertenter, seu datâ operâ; & ideo in hoc sensu procedere difficultatem; cùm in primo inadvertentia, sine qua, secundùm Theologos & Philosophos, voluntarium non datur, locum tollat dubitandi. 5.

Notandum quintò, excubias, seu nocturnas vigilias, juxta consuetudinem militarem communiter receptam, in quatuor partes esse divisas, adeo quòd non amplius, quàm tribus horis nocturnis, necesse sit singulis vigilare: Alex. ab Alex. Genial. *lib. 1. cap. 12.* Veget. de re milit. *lib. 3. cap. 8.* & hodiernis temporibus, ita observari testatur Ginutius, *della disciplina militare, lib. 1. Cap. delli delitti militari, n. 71.*

Notandum sextò, semper teneri milites in excubiis vigilare, sed præcipuè considerata locorum, & temporum qualitate: locorum, inquam, si sint hostium improvisè aggressioni subjecta; temporum verò, si bella ardent: si hostes propè, vel longè sunt, &c. Unde minùs esse excusandos minùs in excubiis vigilantes tempore majoris necessitatis, ut probat illud eximium, & notum Romanorum exemplum, telarum à Livio & Plinio, & post eos, à Tholosan. *in sintagm. jur. lib. 19. cap. 11. n. 4.* de canibus, qui nocturnæ custodiæ causâ in Capitolio alebantur, cùm enim obdormiverint, & minimè detexerint hostium adventum, furcæ fuerunt fixi, & suspensi; ut mortui homines docerent modum vivendi in proprii muneris exercitatione, nempe custodias, & vigilias agendi. 6.

His adnotatis: ad difficultatem propositam, in miles, qui perseverando in excubiis nocturnis, ultra tempus militari consuetudine receptum, si in excubiis dormiat, committat culpam mortalem, pœna corporali puniendam, negativè videtur respondendum; unicuique enim animalium necessarium est dormire. ex Arist. *cap. 3. de somn. & vigil.* & somnum expellere non est in potestate hominis longa vigilia defatigati, ex Hypocr. *prognostic.* 11. quod etiam docet Aristot. *de somn. & vigil. cap. 1.* Galen. *ad trasib. 18.* & confirmatur ex „ Sacra Script. Matt. *cap. 26.* Marc. *cap. 14.* Si„ mon, dormis? non potuisti unâ horâ vigilare „ mecum? Ubi autem adest necessitas, & quidem antecedens, libertas locum non habet. Quis unquam dixerit adesse peccatum, ubi plena libertas non adest? Non peccat igitur miles in excubiis dormiendo, si non datâ operâ dormit: si verò non peccat, neque puniri potest, vel saltem modus temperandus est punitionis; cùm sine culpa & dolo pœna non irrogetur *l. Sancimus Cod. de pœnis, cap. sine culpa, de reg. juris in 6.* 7.

Contrarium tamen arbitror asserendum, sive dormiat in tribus horis, in quibus tenetur vigilare, sive ultra tres horas, dummodo fuerit conventio cum sociis in illis vigilandi, sive adhibito Ducis placitu, sive non, Claud. Cotor. *de offic. imperat. lib. unic. pag. 243. Farinac. conf. 4. n. 28.* Caball. *resolution. criminal. conf. 294. n. 190.* Brancac. *lib. inscripto, I carichi militari, cap. 1. del soldato*, Cespedes, *in dub. militar. dub. 16.* Polidorus Rippa. *tract. de nocturno tempore, cap. 75. & alii plures.* 8.

Moveor primò juribus, *in l. nam salutem, §. sciendum, ff. de offic. Præfect. Urb.* ubi dicitur, 9.

vigilum

vigilum Præfectum per totam noctem vigilare debere, id exigente officio publico, nocturnas vigilias ad hostes removendos postulante. Ergo & id etiam agere debet miles, prout munus suum etiam ex conventione postulaverit: *& in l. qui excubias, ff. de re militar.* ubi habetur, capite esse puniendum militem, qui excubias deserit: qui autem in excubiis dormit, excubias, saltem pro tempore dormitionis, censetur deserere.

10. Moveor secundò rationibus: nam culpam committere, & pœnam mereri negat nemo illum, qui munus suum negligit voluntariè, & quidem notabiliter adimplere. Ita se gerit miles in excubiis dormiendo, dum poterat sibi, diurnas horas quieti tradendo, præcavere; & sic somnum nocturnum in illis tribus horis, aut toto tempore convenio impedire: videtur igitur voluntariè dormire, & sic munus suum minimè adimplere. Tum etiam, quia ex ejus somno oritur periculum damni, præsertim si loca, ubi excubias facit, possint facilè ab Adversariis invadi, qui non dormire, sed vigilare semper præsumuntur. Tum denique, quia in excubiis dormiendo, evidenti se exponit periculo pœnam incurrendi, qua dormientes in excubiis solent puniri: quæ est internecio. Nemo autem potest se exponere sine necessitate claro periculo mortis, ut ratio dictat, & omnes fatentur.

11. Moveor tertiò exemplo, non solùm in Epaminonda Thebano, Iphicrate Atheniensi, qui vigiles sopitos inventos cuspide transfixerunt; sed etiam in tot Vigilum Præfectis, qui excubias visitando, si quem dormientem, aut excubias deserentem reperiunt, sine remissione propriis manibus interficiunt; existimantes eos nihil amplius præstare dormientes, quàm si vita ipsa caruissent: unde notum est, & memorabile illud Epaminondæ dictum, dormientem in excubiis interficientis. Talem reliqui, qualem inveni.

12. Concludimus igitur, militem in excubiis dormientem eo tempore, quo vigilare tenetur, graviter delinquere, & à pœna nullatenùs esse in rigore militaris disciplinæ excusandum; nisi ultra consuetum in excubiis retineretur ex culpa Sergentis, qui alium illius loco debito tempore non subrogavit.

13. Ad rationem in contrarium respondemus, concedendo non esse aliquando in potestate hominis somnum expellere longâ vigiliâ defatigati, sed negando militem in excubiis dormientem non esse in culpa, cùm sciat tempore excubiarum esse vigilandum, & ad id non se opportunè paraverit, aliquas horas diei quieti tradendo, seu noluerit se opportunè parare, aut ludo, aut crapulis deditus; aut aliis occupationibus vanis, & inutilibus detentus.

14. Infero primò ex dictis, teneri vigilum Præfectos custodias, stationesque circuire, cùm possint ex militum somno, tot damna Reipublicæ oriri: scimus enim à Scipione, dum Carthagine esset, negligentia culpabili custodum, Tunetum fuisse occupatum, Oppidum situ suo, & conlistutum, Ex Livio, *lib. 10. 3. Decad.*

15. Infero secundò, graviter errare Sergentem, qui negligit debito tempore alium subrogare loco existentis in excubiis, cùm post longam, & non debitam vigiliam possit facilè in excubiis obdormire, & consequenter se in periculo necis, & Rempublicam in periculo damni constituere.

Infero tertiò, teneri milites, ad excubias nocturnas destinandos, si rationabiliter suspicantur in excubiis posse dormire, aliquas horas diurnas quieti tradere pro somno tunc impediendo, cui, cùm sit accidens naturale, resisti non potest. Ita Bald, *in l. 3. §. cognoscit*, in fin. *ff. de offic. Præfect. vigil.* 16.

Infero quartò, neque esse à pœna excusandum illum, qui in excubiis palatii dormit, aut illas deserit, *l. qui excubias, ff. de re milit.* 17.

Infero quintò, milites custodientes castrum, si inter se dividunt custodiam nocturnam, puta, ut aliqui dormiant usque ad mediam noctem, & reliqui custodiant castrum; si ob malam custodiam vigilantium capiatur castrum, non delinquere, neque teneri dormientes. Jas. *in l. 1. §. si procurator, in 3. col. ff. si quis jus dic. non obtem.* 18.

Infero sextò, excubitorum partes esse in omnem partem sollicitos esse, & ad minimam rumoris auram, præsertim de nocte, circumspicere, omnia suspecta habere, ubique insidias vereri, publicæ tranquillitati invigilare: cùm possint hoc modo hostium insidiæ, nocturnæ seditiones, & injuriæ à civitate arceri, nec non, & fortuita incendia; aut excitatæ quavis occasione insolentiæ impediri: secùs verò, hisce cautelis nequaquam adhibitis. Scribit enim Polybius, *lib. 2.* Epirotis obsidentibus Phœnicem, dum exercitum suum dividunt, & negligentiùs excubant, stationarios Illyricos, qui in Urbe erant, intempesta nocte exire, hostium stationes occupare, arma primo mane adhibere, & victores fieri. 19.

Infero septimò incidenter, actum dormientis non esse quidem peccatum ex se, sed tantùm ratione causæ, à qua procedit: unde pollutionem nocturnam dormientis esse peccatum, si datâ operâ sic dormit, ut polluatur, Cajet. *22. quæst. 154. art. 5.* Covarr. *tom. 1. 3. par. relect. init. sub num. 6.* 20.

Infero octavò, illum, qui ita irascitur in vigilia, & demùm somno dat operam, ut aliquem occidat, vel offendat dormiens, esse homicidii, & offensionis reum, & ut homicidam puniendum. Bonif. *in tract. de malefic. rub. de insultu, & percuss.* ad fi. Ludovic. Carr. & alii. 21.

Infero nonò, eum, qui operam dat somno, ut occidat aliquem dormiens, si occisio sequatur, esse irregularem, cùm sit homicida dolosus: Palud. *in 4. sent. dist. 32. quæst. 1.* Secùs verò, si dormit absque tali prævia intentione, quia is intellectu, & ratione caret, ac ebrioso similis, ex *Cap. Merito, Cap. Sanè, causa 15. quæst. 1. Cap. Majores. §. item quæritur, de baptismo, L. si servus servum, §. si fornicarius.* ubi Floria. *ff. ad l. Aquil.* 22.

Infero decimò incidenter, peccare mortaliter contra charitatem famulum, qui sciens alterum conservum vel extraneum furari bona Domini sui, factâ correctione fraterna, nec emendatum, non denunciat Domino, ut bonorum suorum securitati prospicere valeat; quia unusquisque famulus videtur ex officio Custos domus heri 23.

sui, ne alieni illam invadant: si verò famulus curam habet domûs, ut si esset æconomus, peccare mortaliter non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam, si fures non proderet. Ita etiam docet Naldus, *in sum. verb. Familia num.* 4.

XVIII. DIFFICULTAS.

An liceat militibus in obsidione Urbis vesci carnibus humanis, ad vitandum mortis periculum, ubi alius cibus non suppetit.

1. NOtandum primò, nullum cibum, secundùm Fidem Catholicam, esse immundum, sed omnes posse indifferenter adhiberi, etiam si sint carnea; & ita definitum est in Concil. Toleta. I. in assertione fidei, Concil. Braccaren. I. *Can.* 14. & Concil. Florent. in doctrina tradita Armenis, contra varios hæreticos, qui abominabantur carnes, tanquam immundas, & malas factas à dæmone, & materiam mali; uti fuerunt Hæretici Tatiani, aliàs Encratitæ, ut scribit S. Aug. *de hæresibus, cap.* 25. Manichæi, ut refert idem Aug. *cap.* 46. *tit. Priscillianista*, ut desumitur ex Concil. Toletano I. in Assertione Fidei.

2. Notandum secundò, certum esse apud omnes, præcepta rem intrinsecè malam prohibentia, ob nullum mortis metum licere transgredi: quia implicat rem intrinsecè malam esse in aliquo casu licitam, puta, mentiri, fornicari, & alia, quæ sunt intrinsecè mala.

3. Notandum tertiò, legem, seu præceptum obligare cum vitæ periculo, quando periculum vitæ conjungitur intrinsecè cum legis observantia; ut quando nimirum, prævisum à legislatore non impediret promulgationem legis, seu impositionem præcepti, hoc majore bono communi exigente: posse enim legem, vel præceptum cum hujusmodi severitate statui obligans dubitat nemo; cùm tota Communitas, & consequenter Rector illius possit singulas ejus partes vitæ periculo exponere, id bono communi postulante.

4. Notandum quartò, esum carnis humanæ esse prohibitum jure divino, & colligitur ex Sacra Scriptura. Gen. 9. ut exponit Nicolaus, & Burgensis, quos refert, & sequitur Victor *Relect.* 9. *de temperantia, num.* 5.

5. Notandum quintò, difficultatem procedere de carnibus hominum interfectorum, an scilicet, hia liceat in obsidione Urbis vesci, non verò de carnibus hominum occidendorum, an scilicet liceat hominem occidere ad manducandum, ut vitetur mortis periculum: hoc enim constat non licere ob nullum mortis timorem, cùm sit intrinsecè malum.

6. His adnotatis; ad difficultatem propositam, an liceat militibus in obsidione urbis vesci carnibus humanis, ubi alius cibus non suppetit, videlicet, extrema, vel gravi extante necessitate, affirmativè videtur respondendum cum Cajet. 2. 2. *quæst.* 148. *art.* 2. circa fin. §. *Ad secundum vero*, in fin. Abul. *quæst.* 32. *in cap.* 6. *lib.* 4. Reg. Sà, *verb. Comedere, num.* 1. Less. *lib.* 4. *de just. & jur. cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 10. & aliis pluribus, quorum fundamentum est, quia licèt jure naturæ prohibeatur esus carnis humanæ, non tamen omnia præcepta juris naturæ obligant cum discrimine vitæ, & necessitas favet humanitati. Præterea, in veteri lege, in extrema necessitate licebat, non obstante præcepto juris divini, uti carnibus suillis, quæ aliàs non admittebantur. Præterea, jus naturale est conservare vitam propriam; atque adeò, non obstante alio jure, poterunt comedi carnes humanæ, ut vita conservetur. Item, tam repugnat juri naturali abscindere proprium membrum, quàm vesci carne humana: licere autem ad salutem hominis abscindere membrum dubitat nemo; atque adeò & licere vesci carnibus humanis, ad vitandum mortis periculum, nemo debet dubitare.

Fateor in hac sententia magnam mihi apparere probabilitatem; contrariæ tamen, quæ mihi probabilior videtur, libenter adhæreo cum Victor. *loc. cit.* Valentia, *tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 3. *punct.* 1. Fagundez. *precep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *num.* 6. Azor. *p.* 1. *Inst. moral. tit. de jejunio, quod jus naturale prescribit, lib.* 7. *cap.* 22. *quæst.* 4. Sylv. 2. 2. *quæst.* 142. *art.* 4. & aliis, præter D. Tho: cujus hæc est, absque dubio, sententia, dum 2. 2. *quæst.* 142. *art.* 4. *ad* 3. ponit commestionem carnium humanarum tanquam vitium excedens modum humanæ naturæ, & ejusdem generis cum coitu bestiarum, qui nunquam fit licitus. En verba Doctoris Angelici. Sed illa vitia, quæ excedunt modum humanæ naturæ, sunt magis improbabilia; & tamen etiam illa videntur reduci ad genus intemperantiæ, secundùm quemdam excessum, sicuti si aliquis delectaretur in comestione carnium humanarum, aut in coitu bestiarum, aut masculorum. 7.

Moveor primò juribus, *Arg. in Cap. Ne quis. Cap. omne genus, & Cap. Si quis.* 2. *causa* 2. *quæst.* 7. ubi habetur, nunquam fieri licita ex quacunque necessitate, quæ sunt intrinsecè mala; ut constat in mendacio, quo nemo potest licitè uti, neque pro vita, aut propria, aut proximi tuenda. Vesci autem carnibus humanis esse intrinsecè malum, ex motu sequenti constabit. 8.

Moveor secundò rationibus. Nunquam est adhibendum, quod est intrinsecè malum, ut asserunt Textus allegati. Esse autem ab intrinseco malum comedere carnes humanas, patet: Siquidem ab intrinseco est contra ordinem à natura præscriptum. Natura enim non ordinavit carnes humanas ad escam. Imò carnium humanarum esus, vel solo aspectu naturæ benè institutæ horrorem infert. Propterea habitum est tanquam immane, & inhumanum, quod aliqui in obsidione hujusmodi usi sunt alimento, ut videre est apud Historicos. Tum etiam, quia prohibita est nobis à natura hominis occisio, ut notavimus. Ergo & carnis humanæ comestio. Si enim liceret carnes humanas comedere; etiam liceret hominem interficere: sicuti licitum est occidere animalia, quia licita est animalium comestio. 9.

mestio,

mestio. Item, si liceret vesci carnibus humanis, tenerentur iis vesci homines, si adesset necessitas; ratione enim præcepti naturalis conservandi propriam vitam, tenetur quisque uti omnibus mediis licitis, & necessariis, qualis esset carnium humanarum comestio in dicto casu: adesse verò obligationem carnes humanas comedendi, vitæ tuendæ necessitate, negant etiam Auctores contrariæ sententiæ, inter quos, Sanchez, *in Sum. lib. 1. cap. 18. num.* 14. cùm nemo hactenus consulerit, quamvis plures fuerint Urbes & Arces obsessæ, in quibus non pauci fame perierunt, nec alicui venit in mentem, quòd tenebatur carnibus humanis vesci interfectorum.

10. Moveor tertiò exemplo, in viris contaminatissimis, & aliàs immanissimis, qui, non obstante extrema necessitate, comedere noluerunt oblatas cujusdam pueri reliquias, quem Maria Eleazari ejus mater in extremis angustiis occidit, coctumque comedit medium; ut refert Victor. *loc. cit. sub num.* 6. & in tot viris, quibus non fuit permissum in obsidione Hierosolymitana sub Vespasiano, ubi tot millia perierunt fame, aut in obsidione Jerusalem sub Ioram Rege Israel. 4. Reg. 6. ubi indicibiles fuerunt angustiæ.

11. Concludendum est igitur, milites, aliosque in Urbia obsidione, aliave necessitate, fame oppressos, teneri potiùs mortem pati, quàm carnibus vesci humanis; & aliter faciendo, nempe carnes humanas comedendo, gravissimè peccare, tanquam id committendo, quod ab intrinseco suo continet dissonantiam ad rectam rationem, seu naturali jure interdictum.

12. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, quæ est principalior, negando præcepta naturalia non obligare cum discrimine vitæ, quando id, quod prohibent, est intrinsecè malum.

13. Ad secundam: negando paritatem: quia comedere carnes suillas non est de suo intrinseco malum, unde non mirum, si ratione necessitatis esus illarum fuerit licitus.

14. Ad tertiam; concedendo à jure naturæ præcipi quidem omnibus propriæ vitæ conservationem: at hujusmodi præceptum date jus tantummodò ad media licita; & ab ipsa natura instituta pro tali fine.

15. Ad cæteras, patet responsio ex dictis.

16. Infero primò ex dictis, teneri potiùs mortem sustinere, quàm obedire illum, cui mora intimatur, nisi frangat jejunium Ecclesiasticum, vel comedat carnes in die Veneris, vel Sabbathi, in contemptum Fidei, vel Potestatis Ecclesiasticæ. Unde laudabiliter se gessit Eleazarus patienter mortem sustinendo, ne carnes porcinas manducaret, & alias legis observantias violaret, ut habetur 2. Machab. *Cap. 6. & Cap.* 7. celebratur martyrium Sanctorum septem Fratrum Machabæorum, & Matris, propter eandem causam crudeliter à Tyranno interfectorum, dicentium, *Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis.*

17. Infero secundò, non esse licitum, propter periculum mortis comminatæ, admovere scalam furati volenti; vendere, vel commodare gladium volenti alterum occidere, aut ostendere, ubi occidendus est. Ita docet etiam Comitolus, *lib. 5. quæst. 7. num.* 3. contra plures contrarium docentes, quod postea fuit damnatum à sanctæ memoriæ Innocentii XI. & est propositio 51. in ordine.

Infero tertiò, non esse licitum in morbi necessitate sumere carnem humanam, aut haurire sanguinem humanum ex vena adolescentis detractum, ad acquirendum vigorem corpori senili, & senectuti prorogandæ. Contrarium est etiam probabile, ut docet Diana, *p. 3. tract. 6. & Miscell. 2. Resol.* 48. & alii asserentes, tale medicamentum, quod Medici Momiam appellant, eò quod in eo aliquid carnis humanæ admisceatur, non posse revera carnis humanæ esum appellari. 18.

Infero quartò, peccare mortaliter eum, qui ex sola concupiscentia, & delectatione vesceretur carnibus humanis, vel sanguinem biberet humanum. Ita docet etiam Martin. *quæst. 2. de gula.* 19.

Infero quintò, nunquam licere fornicari ad vitandam mortem, etiam si omnium Medicorum judiciò esset necessaria pro tali fine fornicatio; cùm fornicatio sit ex suo intrinseco mala; unde Sanctus Casimirus gravi pressus infirmitate, mori potiùs, quàm hujusmodi adhibere remedium constanter, & laudabiliter decrevit. 20.

Infero sextò, nunquam licere, neque ob metum mortis, sacrificare homines DEO, nisi mandato DEI, qui vitæ & necis omnium habet imperium, ut dicit Azor. *loc. cit.* cùm hoc jure divino, & naturali prohibeatur, ut apertè habetur Deuter. 12. Num. 18. Unde justè damnantur tanquam juris naturalia violatores Laodicei, sacrificantes virginem Palladi, Arcades, Jovi Lyceo puerum, Carthaginenses, Saturno infantes etiam regiæ nobilitatis, aliique Barbari humanas hostias ad Aras mactantes: ut refert Alex. ab Alex. *lib. 7. cap.* 25. 21.

Infero septimò, non licere carnes humanas appositas manducare timore mortis, & potiùs mortem subeundam esse. Ita docet Victor. *Relect. 9. de temperantia, num. 6. vers. item si hoc* Pasqualig. *in praxi jeju. decis. 12. num.* 2. 22.

Infero octavò, non fuisse observantiâ dignam, tanquam illicitam, & barbariem sapientem legem illam apud Hispanos, quæ modò in praxi non est, quæ præcipiebat Gubernatori Arcis, fame superveniente, potiùs proprium filium devorare, quàm Arcem hostibus tradere, quæ lex refertur *ex lib. 18. tit. 17. p.* 4. à Balthas. Gomez de Amescua, *lib. 2. de potestate in se ipsum, cap. 2. n.* 31. 23.

Infero nonò, nefas pariter esse, carnes humanas bestijs devorandas objicere; contra nonnullos, putantes id aliquando licere in vindictam publicam, & ad aliorum terrorem in praxim deducere, quos Azor. *loc. cit.* valde, & justè reprehendit. 24.

Infero decimò incidenter, nefas quoque esse comedere, & bibere usque ad satieratem, non ad vigorem viribus deficientibus inferendum, sed 25.

ob solam voluptatem. Contraria doctrina fuit à Summo Pontifice Innocentio XI, damnata, & est propositio 8. in ordine.

XIX. DIFFICULTAS.

Miles Christianus, pro redimenda in quodam conflictu vita, promisit aliquibus Turcis praeliantibus juramento improprie, nempe Mahometum, pecuniam: Dubitatur num debeat cogi observare promissum.

1. NOtandum primò, juramentum esse assumptionem divini Nominis in testem ad confirmandam fidem jurantis, ut per Bald. *in rubr. cap. De jurejur.* in princ. vel, ut alibi diximus, esse invocationem divini Numinis, vel divini Testimonij ad fidem faciendam, vel ad promissum firmandum. Ita Thom. Del Bene, *de juram. dub.* 1. *num.* 3.

2. Notandum secundò, infidelem promittentem aliquid Christiano per suos Deos falsos, & contravenientem tali juramento, posse per Judicem saecularem, vel Ecclesiasticum cogi ad observantiam, & puniri de perjurio quoad poenas fori contentiosi, & praesertim civile, non verò quoad poenas spirituales, quarum infidelis non est capax. Imola *Cons. 1. num. 8.* Tiber. Dec, *tract. crim. lib. 6. cap.* 10.

3. Notandum tertiò; non dici juratum, si Christianus juret per Mahometum, atque adeo non tenere illud juramentum, & Religio Mahometi sit publicè improbata, ita videtur asserere Baldus *in l. 3. §. jurari. de jurejur. n. 2.* Bal. *in l, non erit. §. divus. ff. eod. tit. de jurejur.* & alij, quorum opinionem ego intelligo in foro interno, nempè hujusmodi juramentum quoad Animam non ligare, cùm juramentum sit Animae vinculum; ut pluries alibi diximus.

4. Notandum quartò, in juramento, quo quis jurat per falsos deos, duo esse consideranda, nempe illud, quod asseritur, & illud, per quod asseritur. Sic explicat Turrecrem. *in cap. Movet. causa 22. quaest. 1. §. ad quartam*, ubi dicit, talem explicationem esse juxta Alex. & Bona.

5. Notandum quintò, peccare mortaliter Christianum, qui jurat per Mahometum, per falsos deos, per Solem, Lunam, &c. Ita habetur ex Exod. *cap.* 25. & asserit summa Corona, *verb. Juramentum, num.* 58. Sayr, *in sua Clavi Regia, lib. 5. cap. 9. num.* 3. cùm nihil tam repugnet veritati, quàm mendaces, & fictitios deos tanquam verum DEUM testari: undè meritò asserit D. Thom. 2. 2. *quaest. 13. art. 1. ad 3.* esse quamdam blasphemiam. Praeterquam quòd, falsi Dij nullatenus digni sunt honore, qui verò DEO debetur.

6. Notandum sextò, Christianum jurantem per Mahometum, vel per falsos DEOS, & juramento contravenientem non posse puniri de perjurio: cùm nulla vera Religio, quoad jurantem, sit contempta. Ita etiam docet Tiber. Decian. *loc. cit.*

7. His adnotatis: ad difficultatem propositam, an miles Christianus, qui pro redimenda vita juravit per Mahometum dare Turcis praeliantibus certam pecuniam, possit cogi ad observandum promissum, videtur negative respondendum; nam licèt jurans per falsos Deos, vel per Mahometum, peccet, attamen tale juramentum non obligat, & minimè peccat, illud non observando: Aequiparatur enim votum quoad testificationem promissionis juramento; votum verò idololatriae nullam inducit obligationem: & ideò neque obligabit juramentum factum per idolum, seu per Mahometum; & ubi nulla est obligatio, nullam vim potest lex habere.

Veritas tamen est, militem Christianum jurantem per Mahometum, ad redimendum in conflictu propriam vitam, solvere Turcis certam pecuniam, posse cogi ad solvendum. Glos. *in dict. cap. Movet. Causa 22. quaest. 1.* Innoc. *in cap. & si Christus, n. 2. de jurejur.* Alexan. *in l. 3. in §. jurari n.* 7. Turrecrem. in dict. *cap. Movet. 22. q. 1. §. ad primum* Nald. *in summa, verb. Juramentum, num. 6.* ubi alios recenset. 8.

Moveor primò juribus, *in l. non erit. ff. de jurejur. §. Divus*, ubi habetur, fidem quocunque modo promissam esse servandam. Et *in dict. cap. Movet. causa 22. quaest.* 1. ubi apparet, jurantem per falsos Deos, & non observantem in duobus peccare, videlicet, quatenus taliter jurat cum praejudicio tertij. 9.

Moveor secundò rationibus: nam cuilibet Christiano nefas est decipere quemquam: atque adeo miles, qui promisit per Mahometum solvere pecuniam pro redimenda vita, cogendus est ad solutionem, ne sub falsa specie religionis detur fraudis, & deceptionis occasio. Tum, quia vita est pretio aestimabilis: Ergo miles si vitam redemit pecuniâ, pecuniam conventam tenetur solvere, & non solvendo, locum habet legis coactio. 10.

Moveor tertiò exemplo, in aliquibus militibus exercitûs Leopoldi Primi imperatoris electi, sub invictissimo & prudentissimo Maximil. M. Duce Bavariae, in admirabili Belgradi obsidione, qui in quodam loco, ubi se tutos putabant, à Turcis inopinatè invasi, nolentes pecuniam per Mahometum illis promissam, ne ab illis occiderentur, persolvere, fuerunt, facta brevi tregua pro mortuis sepeliendis, ad solutionem ab Auditore generali, apud quem Turcae creditores exclamaverunt, coacti: circa quem casum fui incidenter à quodam Officiali interrogatus, an Auditor generalis rectè se gesserit talem sententiam proferendo, cui respondi affirmativè. 11.

Concludimus igitur, absque haesitatione, Christianum jurantem per Mahometum, vel per falsos Deos, licèt non intendat se religione, & reverentia Mahometi, aut falsorum deorum obligare, cùm non credat in eos; neque putet ullam venerationem illis deberi: neque etiam intendat obligari DEO vero, & Christo, nullam de eo mentionem faciendo in juramento, attamen esse, quoad forum contentiosum, cogendum promissionem juramento tali firmatam observare. 12.

Ad rationem adductam in contrarium respondemus, negando ant. & ad paritatem de voto, respondemus, non valere; quia sicut in voto facto DEO non adest, nisi una ratio obligandi; 13.

cum

cum fiat soli DEO, & non homini; & in juramento per DEUM duplex est ratio obligandi; quia qui jurat, promittit proximo per ipsum DEUM, per quem firmat suam promissionem. Qui vovet DEO, soli DEO promittit: qui alteri jurat; promittit DEO, & alteri. Ito, cùm homo nil debeat idolo, quia idolum est nil, nulla est obligatio in voto facto idolo; cùm verò in juramento duo sint attendenda, ut in Not. 4. diximus, illud, scilicet, quod asseritur, & illud per quod asseritur, est veritas proximo servanda; ad per quod asseritur, est Mahometus: Ratio obligandi quoad Mahometum cessat; quia Mahometo nulla reverentia debetur: at non cessat quoad proximum; cùm veritas proximo sit servanda. Obligatur igitur miles solvere, non propter Mahometum, per quem jurat, sed propter proximum, cui jurat, & cui tenetur servare fidem, cùm se intendat illi obligare.

14. Infero primò ex dictis, graviter peccare illum, qui alium inducit ad jurandum per Mahometum, aut per falsos DEOS, quia jurare per Mahometum, aut per falsos DEOS, est grave peccatum, *ut per Tex. in d. cap. Movet. Causa* 22. *q.* 1. & ibi Glos. *verb. Licet.* Ita quoque D. Thom. 2. 2. *quæst.* 98. *art.* 4. *ad quartum*, Sayr. *in sua Clavi Regia* 1. *lib* 5. *cap* 9. *sub num.* 3. An verò peccet, qui petit juramentum ab eo, quem scit juraturum per falsos deos, respondet Turrectem. *in dict. cap. Movet.* §. *ad tertium*, affirmativè, habito respectu ad venerationem deorum in juramento facto per deos falsos; secus verò, considerata in hujusmodi juramento exterioris verbi, seu veritatis confirmatione. At ego S. Augustini sensui adhærens, asserentis, peccare mortaliter, qui petit juramentum ab eo, quem scit juraturum falsum, puto, absque ulla distinctione, graviter etiam peccare exigentem juramentum ab eo, quem scit juraturum per falsos deos, cùm malitia sit ab hujusmodi actu juramenti inseparabilis. Et Apostolus ad Rom. *cap.* 1. *vers. fin.* dicit *Qui talia agunt, digni sunt morte. & non solùm qui ea faciunt sed etiam qui consentiunt facientibus.* Ex quibus verbis colligitur, peccare mortaliter consentientem peccanti. Atqui jurare per falsos deos peccatum est, ut diximus.

15. Infero secundò Judæum jurantem per Christum; vel per ejus Evangelia, sive causa sit cum Christiano, sive cum Judæo, posse cogi à sæcularibus Judicibus observare juramentum, & non observando, puniri. Ita docet etiam Bald. Salic. Alex. apud Tiber. Dec. *tract. crim. lib.* 6. *cap.* 10.

16. Infero tertiò, Infideles non posse ob perjurium, quo contraveniunt juramento præstito per eos, puniri secundùm leges divinas, & Canonicas à Judice Christiano; quia jus divinum, & Canonicum punit perjurium illorum, qui observando juramentum, possunt salvari. Quæ autem salus in infidelibus jam perditis, ut habetur in *Cap. Ita quorundam, de Juda.* & de salute animarum, quæ foris sunt. *Cap. Multi, causa* 2. *quæst.* 1. Et ratio apparet in *Cap. sæpè, causa* 28. *q.* 4. *Cap. Constituit, causa* 29. *quæst.* 4. ubi habetur, in hujusmodi spiritualibus, & Sacramentalibus, Judæos non ligari jure Canonico.

Infero quartò, Christianum jurantem per caput 17.
suum, & aliam similem formam, delatam à Parte, vel à Judice, teneri servare juramentum, quo est validum. Ita etiam Bal. *in l. qui per salutem, ff. de jurejur. Jas. in l.* 3. §. *jurare*, in princ. *eod. ff.* Secus verò, si nulla data forma, sed spontè sic juravit, ut puta, ad validandum contractum, aliàs invalidum: tale enim juramentum non valet.

Infero quintò, jurantem non per DEUM, aut 18.
alias res sacras, sed per vitam suam, per honorem suum, & aliam similem formam, si contravenit huic juramento, non esse perjurum, nec esse puniendum de perjurio; cùm nullum Numen divinum vocetur in testem, quamvis possit ad arbitrium Judicis puniri tanquam mendax, & alteri præjudicans. Sic videtur sentire Gloss. *in Cap. pen. in gloss. ultima de jurejur.*

Infero sextò, jurantem nulliter, vel illicitè, sed 19.
putantem se licitè, & validè jurare, si contravenit juramento, esse verè perjurum, & puniendum. *Cap. Innocens*, §. *Illicitum, causa* 22. *quæst.* 4. & ibi Gloss. *verb. Confirmavit.* Craver. *consil.* 19. *n.* 7.

Infero septimò, peccare mortaliter, & esse per- 20.
jurum illum, qui juravit aliquid licitum se facturum, si intentionem non habuerit promissum adimplendi, vel, si animum habuerit, reipsa non implet, & ille, cui promisit, ante terminum non relaxavit juramentum; *cap.* 1. & 2. *causa* 22. *quæst.* 2. & ita docet D. Thom. 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. S. Anton. *par.* 3. *tit.* 10. *cap.* 4. §. 2.

Infero octavò, Infideles jurantes per suos deos, 21.
& more suo, & contravenientes juramento, malè facere, & legibus suis puniri. Tenet. Imola *in cap. Cum contingat, de jurejur.* Socin. *Cons.* 66. *n.* 30. & 31. in princ.

Infero nonò, recipientem juramentum ab In- 22.
fidelibus per falsos Deos non peccare, si adsit justa causa, & non inducant illos ad jurandum. Gen. 31. ubi Jacob accepit juramentum à Laban, qui tamen juravit ei per falsos Deos. & Judas petijt juramentum à Romanis, quia petijt ab eis fœdus, & tamen sciebat, quod jurarent per deos falsos, 2. Machab. *cap.* 8. Et tamen Jacob, & Judas non reprehenduntur de hoc in Sacra Scriptura. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. & *quæst.* 98. *art.* 4. Et est communis Doctorum opinio; quia inire contractum, qui per mutuum juramentum firmatur, licet Fidelibus cum Infidelibus; & sic eorum juramentum factum per suos Deos recipere.

Infero decimò incidenter, Summum Pontifi- 23.
cem non compellere asperitatibus Hebræos in ijs, quæ concernunt salutem Animarum. *Cap. Qui sincera, & cap. de Judæis*, 19. *Dist.* quapropter Roman. *consil.* 155. consuluit, Judæum jurantem observare compromissum, non posse à Judice Ecclesiastico compelli ad servandum ipsum juramentum: quam opinionem tenuit post Jas. *in l.* 3. §. *Jurari, n.* 1. *de jurejur.* & alij.

Infero undecimò, juramentum deferentem ve- 24.
risimiliter dejeraturo non differre ab homicida, imò esse plusquam homicidam; ut tradit Felin. *in Cap. Apostolica, vers. & est plusquam homicida, de except.*

In-

25. Infero duodecimò incidenter, non valere jurameotum in pluribus casibus, puta, si Titius jurasset, se nolle loqui alicui proximo, vel nolle ingredi domum ejus, cùm licitè posset, vel nolle pro aliquo fidejubere, etiamsi charitas id exposceret. Felin. *in cap. Si verò, de jurejur.* Cardinal. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. si quis pro eo, ff. de fidejuss. num. 5. & 6.* ubi quæstionem agitando, an juramentum de non loquendo cum aliquo; vel de non subveniendo ei, arctet jurantem; an verò absque aliqua absolutione possit contravenire, remittit suum lectorem ad Felin. *in Cap. Cùm quidam, num. 16. de jurejur.*

XX. DIFFICULTAS.

Miles suspectus de fuga, jurat per Cælum, & terram, omnesque creaturas DEI, Auditori generali, volenti illum uti fugitivum punire, nunquam habuisse animum fugiendi. Dubitatur, num tale juramentum sit licitum, & sufficiens ad suspicionem purgandam.

1. NOtandum primò, jusjurandum esse, secundùm M. Tullium, *lib. 3. de offic.* religiosam affirmationem. & secundùm Bal. *in cap. 1. §. Item Sacramenta, de pace jura. firma.* Esse juramentum, dictum, assertum, promissum, sacræ rei attestatione firmatum.

2. Notandum secundò, in jorejurando duo esse consideranda, ot supra explicatum est, illud, nempe, quod asseritur? & illud per quod asseritur, Alex. Bona, relati à Torrecrem. *in cap. Movet, causa 22. quæst. 1. §. Ad quartam, n. 5.*

3. Notandum tertiò, quatuor esse juramenti species, 1. promissorium fidelitatis. 2. confirmatorium contractûs. 3. introductorium obligationis. 4. decisorium litis, ac controversiæ. Menoch. *de præsump. lib. 1. quæst. 1. n. 34.*

4. Notandum quartò, probationis inartificialis species, ex Aristotele, *lib. 1. Rethor. cap. 15.* esse quinque, videlicet, leges, testimonia, tabulas, quæstiones, & jusjurandum. Et ex Fabio, *lib. 5. instit. oratoria, cap. 2.* esse sex, scilicet, præjudicia, romores, tormenta, tabulas, jusjurandum & testes.

5. Notandum quintò, juramentum, secundùm opinionem magis receptam, teste Dec. *in rub. extr. de prob. num. 11.* esse verè, & propriè probationem. Circa hanc materiam vide etiam Jas. *in repetit. l. admonendi, n. 232. ff. de jurejur.* Mars. *in rubr. Cod. de prob. num. 130.*

6. Notandum sextò, jorementum, quod & verè & propriè probatio, esse triplex: voluntarium, judiciale, & necessarium. Ita omnes *in l. admonendi, ff. de jurejur.*

7. Notandum septimò, ad juramentum non necessariò requiri particulam, *juro*, sed posse, ea tacita, induci verum juramentum, dummodo usurpentur verba significativa juramenti, puta: Per Deum, per Christum, per Sanctam Crucem, per Beatam Virginem, per Sanctos Cœli: per hujusmodi enim verba invocatur Dei testimonium; in quo consistit natura juramenti, ut docet Abb. *in Cap. Et si Christus, de jurejur. num. 3.* Sylvest. *verb. Juramentum, 1. num. 1.* Covar. *p. 1.* in princ. *num. 7.* & alii.

Notandum octavò, hoc verbum, *juro*, etiam absolutè prolatum, sine expressione illius, per quod juratur, indicare, addito animo jurandi, verum juramentum, rigorosè loqoendo, cùm significet addoci Deum in testem. Secundùm verò communem hominum usum, hujusmodi verbum, *juro*, non inducere verum juramentum: nam homines quotiescunque juramentum verum præstant, solent exprimere per quid jurent, scilicèt, aut DEUM, aut sancta Evangelia, aut Sanctos, aut Cælum, aut alias creaturas. 8.

Notandum nonò, quòd dupliciter possint creaturæ vocari in testimonium veritatis, aut secundùm id, quòd in eis relucet, vestigium, scilicèt, veritatis divinæ. Sayr. in *Clav. Reg. lib. 5. cap. 3. num. 14.* 9.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles suspectus de fuga, si jurat per Cælum, & terram, omnesque creaturas DEI, nonquam habuisse animum fugiendi, seu Castra deserendi, hujusmodi juramentum sit licitum, & sufficiens ad suspicionem purgandam, negativè videtur respondendum. Primò, ex illo Matth. 5. *Non jurare omninò, neque per Cælum, quia thronus DEI est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus.* Cælum enim significat creaturam spiritualem, & terra omnem creaturam corporalem. Secundò, quia juramentum est actus latriæ, qui nullomodo debetur alicui creaturæ; & ideò per creaturas non licet jurare. Præterea, scimus jurare per DEUM nihil aliud esse, qoàm vocare DEUM, ut testimonium perhibeat veritati: & ideo jurare per creaturas est vocare creaturas in testem. Quomodo autem creatura irrationabilis potest veritatem testificari? Vanum ergo erit per creaturas jurare: & sic fugæ præsumptio non tollitur hujusmodi juramento militis fugientis, dicentis, se discessisse, non animo Castra deserendi, sed tantùm modicæ recreationis causâ. 10.

Veritas tamen est, procedendo cum distinctione facta in nono Not. jurare per creaturas, non secundùm se, sed ut ad DEUM relatas, hoc est, quatenus in eis divina veritas relocet, esse licitum; & sic huic juramento standum esse. D. Thom. 2. 2. *quæst. 89. art. 6.* communiter receptus, ut probat Covarr. *de pact. 1. p. §. 1. num. 5.* Turrecrem. *in cap. Clericum, causa 22. quæst. 1. sub num. 3.* Sayr. *loc. cit.* Sanchez, *lib. 3. moral. cap. 2. num. 7.* Thom. Del Bene, *tract. de juram. cap. 1. dub. 1. n. 26.* & alij plures ab illis relati. 11.

Moveor primò juribus, *in cap. Movet, causa 22. quæst. 1.* ubi habetur, quòd Sancti per creaturas, quasi per Creatorem creaturarum jurabant; & eorom juratio facta per creaturas, referebatur ad ipsum creaturarum Creatorem, ut optimè explicant Canonistæ, *Cap. Clericum, causa 22. quæst. 1.* 12.

Moveor secundò rationibus: nam jurare per creaturas quatenus referuntur ad DEUM, nil aliud est, quàm jurare per eum, qui in creaturis 13.

relucet;

relucet; quod licitum est, ut patet ex notatis. Tum etiam, quia licita est veneratio, quam exhibemus Imaginibus Sanctorum, non secundùm se, sed quatenus honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant. Concil. Trid. *Sess. 25. de invoc. vener. & Reliq. Sanct.* Cur igitur nobis non licebit jurare per creaturas, quatenus repræsentant DEUM, cujus sunt imagines? Juratio enim tunc refertur ad prototypum, nempe DEUM, cui totus honos, & cultus exhibetur.

14. Moveor tertiò exemplo, præcipuè in duobus Viris sanctis. Jacob, qui juravit per salutem Patris sui. Gen. *Cap. 31.* Joseph, qui juravit per salutem Pharaonis, tanquam per illum, qui cùm esset Rex, in se ut in DEI imagine, honorem divinum repræsentabat: unde Proverb. 8. dicitur, *Per me Reges regnant.*

15. Concludimus igitur, licitum esse jurare per creaturas ut relatas ad DEUM, quatenus, scilicet, in eis vestigium divinæ veritatis relucet; & consequenter standum esse assertioni, sive judiciali, sive extrajudiciali militis jurantis, se aufugisse non animo deserendi Castra, sed causâ se recreandi tantisper, vel aliquod opus indifferens faciendi, cùm fugæ præsumptio per hujusmodi juramentum sufficienter tollatur, ut asserit, & optimè probat Farin. *quæst. 48. n. 37. & 38.* ubi allegat Cyn. Marsi. & alios.

16. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, quòd Christus voluit prohibere jurare per creaturas ratione periculi, quod erat tunc temporis sistendi in illis, & eis exhibendi divinam reverentiam, & eas tanquam testes infallibiles adducendi: non quia per ipsas creaturas verè jurare non liceat, quatenus referuntur ad DEUM, & DEUM repræsentant; nam talis juramenti honestas utroque jure, Canonico, scilicet, & civili probata est. *cap. Quis perjerat, causa 22, quæst. 5. & l. qui per salutem, ff. de jurejuran.* Alio modo respondet Turrecrem. *in d. cap. Clericum*, dicens, quòd Christus non prohibuit jurare per creaturas, secundùm quod in eis relucet vestigium divinæ veritatis; sed tantùm prohibuit jurare per creaturas, ita quòd eis exhiberetur divina reverentia, quod eveniret, quando creaturæ, secundùm se consideratæ in testimonium veritatis vocarentur, hoc enim esset superstitiosum.

17. Ad secundam respondetur, quòd quando juratur per creaturas, ut relatas ad DEUM, cultus latriæ non exhibetur creaturis, sed ipsi DEO, cujus testimonium jurando invocatur.

18. Ad tertiam respondemus cum Divo Bonaventura, quòd quando juramus per creaturas, ut ad DEUM relatas, non ipsæ creaturæ testificantur, sed DEUS, qui est Creator ipsarum; & ad ipsum testificatio refertur.

19. Infero primò ex dictis, esse verum juramentum, jurare per Animam meam, per salutem meam, per vitam meam, aut per alias creaturas, in quibus specialiter aliquod Attributum divinum elucet. Secus verò, quando juratur per creaturas viles, & abjectas, ita ut earum invocatio potiùs contemptus, aut jocus censeatur, quàm seria divini Numinis invocatio; puta, si dicerem, Juro per hanc barbam, per muscas, per meam vestem, & similia. Sylv. *verb. Juramentum, 1. num. 4.* Navarr. *in Sum. cap. 12. num. 5.* Suarez, & alij.

Infero secundò, nefas esse jurare per Deos falsos; quia falsi Dij non repræsentant DEUM verum: unde S. August. *Epist. 154. ad Publicolam*, ait, Quòd qui jurat verum per Deos falsos, semel peccat, quia jurat, per quem non debet; qui verò falsum per Deos falsos jurat, bis peccat; quia jurat etiam falsum. 20.

Infero tertiò, gravius peccatum esse, cæteris paribus, jurare falsum per DEUM, quàm per creaturas, & arctiùs obstringere, generaliter loquendo, juramentum per DEUM, quàm per creaturas factum. D. Tho. *2. 2. quæst. 89. art. 10. ad 2.* Alex. de Ales. *in Sum. p. 3. quæst. 31. memb. 3. art. 3. §. 2.* Sot. *lib. 8. de just. quæst. 1. art. 10. ad 2.* 21.

Infero quartò, jurare per creaturas, constituendo in illis finem juramenti, afferendo illas tanquam infallibiles veritatis testes, esse blasphemiam, & speciem idololatriæ. Ita Sanchez, *loc. cit.* 22.

Infero quintò, Fideles, quoties jurant per creaturas, præsumi referre eas ad Creatorem, cujus numen, & majestas in eis elucet, quod est jurare tacitè, & virtute per DEUM; cum non sit credendum, ipsos velle idololatrare. 23.

Infero sextò, non licere per quamcunque creaturam per contestationem jurare, etiam ut referatur ad DEUM, estque ipsius creatura: & sic non licere per dæmones jurare; cùm dæmones non sint convenientes creaturæ ad repræsentandam in se divinam Bonitatem. Tum quia, qui jurat per dæmones, videtur dæmones honorare, cùm eis faveat confirmans veritatem, vel promissionem suam nominibus eorum invocatis. 24.

Infero septimò, ad juramenti rationem opus esse verbis, aut signis, ut juramentum in foro exteriori vim habeat. Secus verò quoad forum conscientiæ, in quo satis est sola mente nos velle nos jurejurando astringere DEO. 25.

Infero octavò, esse servandum juramentum, quando juratur per creaturas; dummodò id, quod juratur, licitum sit. Tho. Del. Bene, *loc. cit. num. 32.* 26.

Infero nonò, verum esse juramentum, non solùm quando DEUS expressè, scilicet, vocibus DEUM significantibus, in testem nostri dicti adducitur, sed etiam quando aliqua creatura, aliquid divinum, atque sacrum continens, quatenus talis, invocatur; puta, per sanctum Evangelium, per Baptismum à me receptum, per Templum DEI, per Sacramenta, per Ordines sacros, per habitum B. Virginis, per fidem Christi, per Animam meam, &c. Semper enim DEUS tacitè invocatur, ubi semper divinum aliquid, & sacrum invenitur. Ita docet Sayr. *in sua Clavi Reg. lib. 1. cap. 1. num. 14.* 27.

Infero decimò, esse verum juramentum, quando creaturæ non sacræ, ut Ignis, lux, panis, aqua, addito DEI nomine in obliquo, in testimonium adducuntur: ut dicere; per hanc manum DEI, per 28.

per istum ignem DEI, &c. quia ratione nominis DEI in obliquo positi, DEUS saltem tacitè in testem vocatur, D. Tho. 2. 2. *quæst. 38. art. 6.* Angel. *verb. Juramentum, 1. §. 2.* Petr. de Arago. 2. 2. *quæst. 98. art. 1.* Navar. *in Manual. cap. 12. num. 5.* Secus verò, quando solùm nominarentur creaturæ, quatenus tales sunt, & secundùm se tantùm consideratæ, absque ullo tacito, vel expresso respectu DEI.

29 Infero undecimò, esse verum juramentum, quando quis interrogatus de veritate sub jurejurando, responderet, Juro ita esse, vel juro in forma juris, quamvis non invocetur DEUS, nec aliqua creatura DEI. Suarez, *tract. 4. de Relig. lib. 1. de juram. cap. 13. num. 4* Sanchez, *lib.* 8. *moral. cap. 2. num. 4.* Secus verò, quando non interrogatus diceret, Juro, ibi sistendo, absque animo jurandi, & absque DEI invocatione, quia depressio linguæ, & ultra non progredi, clarè indicat noluisse DEUM in testem vocare.

30. Infero duodecimò, esse juramentum dicere: statim moriar, si DEUS me non adjuvet: dæmon me eripiat: per meam, vel alienam vitam in sensu execratorio, id est, DEUS auferat mihi, vel illi vitam, si hoc non est. D. Tho. 2. 2. *quæst. 89. art. 6.* Sot. *lib. 8. de just. quæst. 1. art. 1.* & alij.

31. Infero decimotertiò, non intervenire juramentum, quando dicimus, in mea conscientia: Super meam conscientiam: per fidem meam: In fide boni viri: In fide Christiani, Sacerdotis, Religiosi: ut Christianus baptizatus; quia in his omnibus formulis non invocatur DEUS in testem, neque explicitè, neque implicitè: nisi intentio sit jurandi, aut dirigatur ad DEUM. Bonac. *de juram. quæst. 1. punct. 1.* Tho. Del. Bene, *tit. eod. cap. 1. dub. 2. num. 8 9.* Navarr. *cap. 12. num. 2.*

XXI. DIFFICULTAS.

An liceat militi Catholico docto cum alio milite hæretico disputare de Articulis fidei, ut illum convertat.

1. Notandum primò, hoc nomen, *hæresis*, simpliciter prolatum significare errorem, & perversum dogma, Fidei Catholicæ contrarium; hæresis enim est nomen græcum, quod latinè sonat electionem, seu sectam, ut docet D. Hieronymus, relatus *in cap. hæresis, causa 24. quæst. 3.*

2. Notandum secundò, Hæreticos dividi in veros, & præsumptos: hæreticos veros, & proprios esse illos, qui formaliter sunt tales per actum internum, ita ut verè errorem habeant in intellectu Fidei Catholicæ contrarium, cum pertinacia: præsumptos verò hæreticos illos esse, qui nullum errorem habent in intellectu, sed opera quædam extrinsecus operantur, quæ hæresim sapiunt manifestam: ut sunt invocare dæmones, idolis thura adolere, sacrificium offerre, genuflectere; imagines sacras lacerare, Corpus Christi conculcare, crucem perfringere, duas uxores ducere, hæreticos honorare, & colere; & alia similia, ut notat Siman. *de Cath. instit. tit. 32. n. 7.* Eymer. *par. 3. dir. q. 41. & 43.*

Notandum tertiò, prohibitum esse laicis tam publicè, quàm secretè disputare de fide sub pœna excommunicationis. Text. est expressus *in cap. quicumque §. inhibemus, de hæreticis, in 6.* Extat etiam Constitutio Innocentij IV. edita anno 1254. quæ incipit. *Noverit universitas, vers. item firmiter*, nec non alia Constitutio Nicolai III. edita de anno 1280. quæ incipit, *Noverit universitas, § 19.* Quam excommunicationem ferendam esse, non latam, tradit Gloss. *verb. Inhibemus*, & communiter DD. quia Textus dicit, innodetur, quod est verbum futuri, ut advertit Sanchez *in Summa, lib. 2. cap. 6. num. 3.* 3.

Notandum quartò, Laicis non esse interdictam quamcunque disputationem de fide, sed solam disputationem formalem, illam, scilicet, quæ ad fidei veritatem persuadendam assumitur cum persona hæretica. Secus verò, quando est inter Catholicos animo concordes in fidei veritate, sed exercitij gratiâ, & causâ ingenij acuminis ostendendi. Ita explicat Cajet. 22. *quæst. 10. art. 7. dub. 1.* Pet. de Led. *tom. 2. sum. tr. 1. cap. 5. concl. 13.* Ban. Nav. & plures alij. 4.

Notandum quintò, nomine Laicorum, quibus interdicitur disputare de fide, illos intelligi, qui verè Laici sunt; quia decretum est pœnale, & ideò non ampliandum: adeóque sub tali prohibitione non comprehendi insignitos primâ tonsurâ, cùm non sint Laici, docet Azor. *par. 1. lib. 8. instit. moral. cap. 26. q. 1.* 5.

His annotatis; ad difficultatem propositam, an militi Catholico docto liceat disputare de articulis fidei cum milite hæretico, affirmativè respondet Lel. Zech. *in summa, part. 1. tit. de fide, cap. 24. rubr. de apostasia, num. 5. vers. secunda communio*, si miles, seu laicus sit vir doctus in scriptura, & theologia; & alij, asserentes laicis prohiberi de fide formaliter disputare cum hæreticis, quia laici, ut plurimùm sunt indocti; & ideò si datur laicus doctus, non videtur in tali prohibitione comprehendi. Tum quia, id videtur usu receptum, quòd Laici docti non solùm verbis, sed etiam scriptis, de articulis fidei agunt, disputant; sic fecit Albertus Pighius, & Henricus VIII. Ita docent *Cajet.* 2. 2. *qu. 10. art. 7. dub. 1.* & ibi Bannes, Petrus de Ledesma *in sum. tom. 2. tract. 1. cap. 5. conclus. 13.* 6.

Contrariæ tamen sententiæ, quam puto esse veriorem, libenter adhæreo cum Glossa. *in dict. cap. quicumque*, in §. *inhibemus, de hæreticis, in 6. in verbo, Laica persona*, Geminian. *n. 1. vers. glossa tertia, & num. 2.* & Franch. *num. 1.* Sylvest. *in sum. verb. disputatio, §. 1. in princ.* Umbert. Locat. in *judicial. inquisitor. ver. disputare, n. 1.* Rosella, *verb. Infidelis* fin. Navarr. *lib. 5. consil. tit. de hæret.* in secunda editione. *consil. 17. num. 2.* Albert. *de agnoscendis propositionibus, q. 13. num. 12.* Aragon. *2. 2. quæst. 10. art. 3. notab. 2.* & alijs, quos citat, & sequitur Sanchez *in sum. lib. 2. cap. 5. num. 5.* 7.

Moveor primò juribus, *in l. nemo Clericus, Cod. de summa Trinit. & fide cath.* ubi ad litteram dicitur. 8.

„ dicitur. Nemo Clericus, vel militaris, vel alterius cujuslibet conditionis, de fide Christiana publicè turbis coadunatis, & audientibus tractare conetur in posterum: ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. *Et in cap. cum quibus*, §. *Canonum*, *causa* 24. *quæst*. 3. „ Cujus verba sunt hæc. Canonum Magistris, atque custodibus nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienæ, & ibi Glossa, *in verb. Certamen*. in princ. *verb. Ergo cum hæreticis non est disputandum*.

9. Moveor secundò rationibus: nam disputatio publica, præcipuè inter milites Catholicos, & hæreticos fieri non potest absque verborum contentione, quæ 2. *ad Tit. cap*. 4. prohibetur: Ergo Catholico militi non licet cum hæretico de fide disputare. Tum etiam, quia disputare importat probare; probare autem exigit rationes necessarias ad convincendum: velle autem rationibus probare fidem, est fidei derogare, cujus veritas non solùm humanas mentes, sed etiam Angelorum excedit: Fidelis enim credit, quæ credenda proponuntur, quia à DEO revelata. Insuper, disputare causat impugnare in Adversarijs; Fides verò non admittit justam impugnationem: nam necessaria, & justa ratione non potest impugnari quod falsum non est. Tum, quia hujusmodi disputatio semper esset periculosa, & scandalosa: periculosa, quia esset coram Auditoribus indoctis, uti ordinariè sunt milites; scandalosa; quia si miles doctus disputaret cum Hæreticis, indocti ansam de fide disputandi arriperent contra expressam prohibitionem, Tum denique, quia licèt in milite aliqua resplendeat doctrina, seu scientia, ad summum, erit Rethorica, aut Philosophia, aut mathematica, lex civilis, non verò theologia scholastica, moralis, lex Canonica, quæ scientiæ necessariæ sunt in disputante cum hæreticis.

10. Moveor tertiò exemplo, seu praxi Catholicorum, quorum Laici docti ob dictam prohibitionem non audent cum hæreticis de fide disputare formaliter, scilicet, ad fidei veritatem illis persuadendam, ne censuras incurrant, peccatum committant.

11. Concludimus igitur, disputationem de fide tam privatam, quàm publicam Laicis, sive militantibus, sive pacificis, sive doctis, sive indoctis cum infidelibus illicitam esse, ex fine, ex parte disputantis, ex parte Auditorum; & ex modo disputandi; cùm in utroque casu idem versetur periculum; adeóque dictæ prohibitioni contravenientes peccare mortaliter, & esse excommunicatos sententiæ ferendæ.

12. Ad rationes in contrarium respondemus, negando Laicum doctum non comprehendi in prohibitione. Licèt enim finis legis per accidens, seu in aliquo casu deficiat, tamen quia semper in communi manet, ideo lex omnes, & semper ligat: unde in casu nostro, quamvis reperiatur aliquis laicus doctus, lex prohibitionis, & ipsum, & non doctum ligat, ne disputante docto, detur occasio indoctis disputandi.

13. Ad secundam, admittendo praxim, scilicet, sine scrupulo, imò cum merito Laicos doctos disputare de fide cum Infidelibus, aut in casu magnæ necessitatis, vel utilitatis, ut puta, quando in exercitu, vel in alio loco adesset Turca, Hæreticus, vel alius infidelis, qui Catholicos perverteret; nec ibi adessent Ecclesiastici docti, qui fidei partes susciperent: tunc miles doctus, aut quilibet alius doctus Laicus, non solùm posset cum Infideli disputare, & ratione ostendere non esse falsum, quod Fides Catholica confitetur, sed tenetur, ut proximorum spirituali saluti consuleret, & fidem, quam tenet, ut veram, defenderet, ut docet Farin. *tract. de hæres. q*. 178 §. 5. *num*. 121. Turrecrem. *in cap. Cum quibus*, *causa* 24. *quæst*, 3. *sub num*. 2. Sanch. loc. cit. *num*. 7. ubi citat Arag. Valent.

Infero primò ex dictis, etiam Clericis de fide disputare esse prohibitum; & tex. adest expressus, qui est supra allegatus, *in l. nemo Clericus. Cod. de sum. Trinit. & Fide Catholic*. Armilla, *in sum. rubr. de disput. num*. 1. *vers. prohibetur ne dum laicis, sed & Clericis*, & alij cumulati per Farin, loc. cit. *num*. 113. 14.

Infero secundò, Clericos indoctos disputantes de fide, quamvis non delinquerent contra prohibitionem in *cap*. 2. §. *inhibemus*, *de hæret. in* 6. nec contra *d. leg. Nemo*, *Cod. de sum. Trin*. ut vult Azor. mox citandus, *quæst*. 3. & Sanchez loc. cit. *num*. 8. peccare tamen contra jus naturæ, ob periculum in multis errandi, cui disputando exponitur, sicetiam docet Azor. *par*. 1. *lib*. 7. *instit. moral. cap*. 26. *quæst*. 1. 15.

Infero tertiò, Clerico licere in aliquibus casibus disputare de fide. Circa quod videndus est. Azor. *Instit. Moral. par*. 1. *lib*. 9. *cap*. 26. *quæst*. 1. *vers. At dices*, & *quæst*. 2. ubi optimè declarat, quando, & quomodo potest Clericus absque peccato, & censura disputare de fide. 16.

Infero quartò, disputationem de fide reddi illicitam ex parte finis, quando, scilicet, ob Infidelium perfidiam, cum quibus disputatio habetur, nullus bonus finis ex ea potest sperari, cùm sit otiosa: & esse peccatum mortale, si disputantes sunt laici: veniale verò, si Ecclesiastici docti, nisi aliæ circumstantiæ adjungantur, quemadmodum sunt culpæ veniales aliæ actiones otiosæ. 17.

Infero quintò, non esse licitum disputare de mysterijs fidei ex plenè traditis, præcipuè ei, qui in jam determinatis ab Ecclesia de fide disputat, tanquam de fide dubitans, fidei veritatem, & jam ab Ecclesia determinatam pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens; hunc peccare uti dubium in fide, & infidelem asserit, sine hæsitatione, Armilla *in verb. disputatio*, *num*. 1. Tabien. *in rubr. de disput. num*. 1. & alij communiter sine controversia: & patet, quia ea, quæ sunt fidei, cùm sint certissima, non sunt in dubium adducenda, ut observat Turrecrem. *in sum. num*. 3. *in cap. Cum quibus*. 24. *q*. 3. 18.

Infero sextò, non esse licitum disputare de opinionibus Philosophorum tangentibus fidem, si veritas fidei pro certo non supponatur, ut esset disputare, & sustinere, vel saltem, ut probabilem proclamare opinionem Averrois, *de unitate intellectûs*, *& de infinitate temporis*. Ita Armilla, loc. cit. *vers. ideo Laicus*, ibi asserens, sic disputantea peccare mortaliter, cùm sit contra fidem, & ex- 19.

& expresse prohibitum à Concilio Lateranensi *sess. 8.*

20. Infero septimò, varias esse pœnas à lege statutas disputantibus de fide in casu prohibito, juxta qualitatem personæ loci, & temporis, *l. nemo Clericus, Cod. de sum. Trin. & fid. Cath. & l. mathematicos, C. de Episc. aud. & in l. Arians, Cod. de hære*, ut est separatio à consortio Clericorum, si est Clericus; depositio cinguli, si est miles; ejectio ab urbe, si Laicus liber; severissima animadversio, si servus: & has pœnas simul cum alijs enumerat Umbert. Locat. *in judicial. Inquisitorum, verb. disputatio, num. 3.* Decian, *in tract. criminal. lib. 5. cap. 42. num. 5.* Francisc. Pegna *in addit. ad Eymericum, in Direct. Inquisit. ad dict. l. nemo, C. de sum. Trin. & Fide Cathol. lit. E. pag. mihi 34. col. 2.* in fin. ibi asserens, has pœnas hodiè non esse in praxi.

21. Infero octavò, disputantes de fide in malum finem; & in disputatione contra fidem falsa dogmata prædicantes, Hæresiarchas reputari, & Curiæ sæculari tradendos, ut pœnâ hæreticorum mulctentur, quæ est ignis; quam pœnam hæreticis nulla lege reperio indictam, neque Canonica, neque civili, usque ad Federicum II. qui anno Domini 1222. legem promulgavit, qua hæreticos vivos jussit comburi; quæ lex incipit, *Inconsutilem*, & est prima in ordine Constit. Regni Neapolit. ut latè per Afflict. *num. 28. in 13. notab. & num. 37. not. 22* Et Carolus V. Imperator, anno 1540. legem promulgavit, qua hæretici pertinaces ignis supplicio damnantur; resipiscentes autem gladio; mulieres verò putei inhumatione, ut refert Jodoc. Dambouderius, *in prax. crim. cap. 6. num. 59.*

22. Infero nonò, contra disputantes de fide, in casu à jure non permisso, posse procedere Episcopos, & Inquisitores, & istos peccare mortaliter, si negligant obviare hujusmodi disputationibus. Sylvestrina, *in rubr. de disp. §. 2.*

23. Infero decimò, disputationem de fide in casu à jure permissam, ut sit licita, debere esse modestam, & temperatam, sine convicijs, & vana gloria; cum amore, & desiderio reducendi hæreticos ad fidem. Ita Nazian. Clemen. Rom. Hieronymus, & alij, quos refert Thomas Del Bene, *p. 1. de S. Offic. dubit.* 154. *petit. 8. num. 5.*

XXII. DIFFICULTAS.

An miles proferens verba hæreticalia ex ira, vel iracundia, vel lubrico linguæ, sed absque intentione hæretica, sit pœnis hæreticorum puniendus.

1. Notandum primò, verba esse notas earum passionum, quæ sunt in Anima. Ita habemus in Tex. *l. Labeo, §. Id Tubero. ff. de supellect. legat.* & docet Molf. *in Sum. p. 2. tract. 12. cap. 4. num. 32.*

2. Notandum secundò, pluribus modis posse contingere, ut quis proferat verba hæreticalia sine mala intentione. Primò, per ignorantiam. Secundò, per bonam fidem, sic credendo doceri ab Ecclesia. Tertiò, per simplicitatem. Quartò jocosè, vel lubrico linguæ, aut inadvertenter. Quintò, per iram, aut iracundiam. Sic observat Farinac. *Tract. de hæresi, quæst. 179. §. 8. & 4.*

Notandum tertiò, illum dici hæreticum, qui seriò & mala intentione verba profert hæreticalia. Secus verò, si non seriò, sed jocosè, inadvertenter, vel per subitum impetum iræ, Arch. *in cap. Inter hæresim, & schisma, num. 1.* in fin. *vers. & dic. habet serio, causa 24. q. 3.* Carret. *in tract. de hæreticis, sub num. 2 & num. 9. vers. intellige tamen*, Decianus, *in tract. criminal. lib. 5. cap. 37. num. 8.* & alij plures post Bald. Jasonem, Cardinalem, & alios. 3.

Notandum quartò, verba, & facta dubia, quæ in bonam, & malam partem possunt accipi, præsumenda esse in bono sensu & dicta, & facta. Ita advertit Souza, *in Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 13. num. 8.* 4.

Notandum quintò, intentionem proferentis verba hæreticalia per jocum, vel subitam iram, probari ex qualitate personæ proferentis, ex modo proferendi, & ex alijs circumstantijs; unde si contra reum stent indicia aliqua malæ credulitatis; ut, v. g. si quis ex hebræo factus Catholicus proferret hanc propositionem, lex Moysis illa est, quæ bona est, quam possumus in bonum sensum interpretari; utique torquendus esset super sua credulitate; cùm Hebræi teneant eorum legem solùm esse bonam. Hæc etiam docet Diana, *par. 4. tract. 8. resol. 83.* Massin. *in praxi S. Offic. p. 9. assert. 97. primæ impressionis.* 5.

Notandum sextò, non semper valere consequentiam, dixit, vel scripsit hæretica, Ergo est hæreticus. *cap. Damnamus, de Summa Trin.* ubi Innoc Bal. & alij, ut observat Decian, *in tract. criminal. lib. 5. cap. 37. num. 48.* 6.

Notandum septimò, infinitas propemodum esse hæresum species, quas cognoscere singulas necessarium foret; sed impossibile quasi videtur: unde legendi sunt attentè Auctores de hac materia tractantes, ut est Gabriel Puteolus, *de vitijs, sectis, & dogmatibus hæretic*or. Blascus, *de sect. & sectat.* & alij innumeri. Isidorus autem, *Etymolog. lib. 8. cap. 5.* enumerat circiter 80. species hæresum, quas omnes transcripsit Gratianus, *in cap. Quidam autem, causa 24. quæst. 3.* præter quas sunt etiam aliæ infinitæ, quas & Augustinus, & Hieronymus, & Epiphanius, & plures alij persequuti sunt. 7.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles proferens verba hæreticalia ex subitaneo motu iræ, vel lubrico linguæ, sed absque intentione hæretica, sit pœnis hæreticorum puniendus, affirmativè respondent plures, quos citat & sequitur Tho: Del Bene, *tom. 1. de S. Offic. dubit. 194. sect. 3. num. 5.* Fundamentum hujus sententiæ est, quia si miles, vel alius non esset puniendus pœnis hæreticorum, licet protulisse verba, vel facta exercuisse hæreticalia fateatur, neget tamen id ex mala intentione, quilibet hæreticus posset vitare condemnationem; cùm hoc modo quilibet hæreticus posset se excusare. Præterea, miles convictus de verbis, vel factis spontaneis, suffici- 8.

ficienter convincitur de mala intentione; cùm verbum, vel factum malum, ex mala intentione dictum, vel factum esse supponatur. *Cap. 1. de de præsumpt.* & ideo dum miles non probat contrarium, huic claræ & manifestæ probationi standum erit.

9. Verùm contrariæ opinioni, quæ mihi probabilior videtur, libenter adhæreo cum Simanch. *de Catholic. institut. cap. 65. num. 52.* Pegna, *2. parte directorii, commentar. 59. vers. quòd si non compareat spontè.* Lazar. *Tract. de blasphem. q. 6. n. 13.* Decian. *in tract. criminal. lib. 5. cap. 37. num. 8.* Caten. *p. 2. de hæresi, tit. 1. §. 12. n. 70,* & aliis pluribus, quos citat & sequitur Farinac. *Tract. de hæres. quæst. 179 §. 4. num. 41. verb. Amplia primò*; & altero, militem proferentem verba hæreticalia, vel joco, vel lubrico linguæ, vel ex magna ira, vel ob magnam animi commotionem, & corporis dolorem, vel etiam recitativè, recitando, scilicet, aliorum hæreses, sine tamen intentione hæretica, & præcipuè legitimè non probata, non esse pœnis hæreticorum, sed alia pœna extraordinaria, & maximè pecuniaria puniendum, præscindendo tamen à praxi, quæ quandoque magis est attendenda, quàm aliquorum Auctorum doctrina.

10. Moveor primò juribus, *in l. famosi, ad l. Jul. Majest. l. 1. Cod. si quis Imperatori maledixerit, Cap. Quod autem ait, causa 22. quæst. 2.* ubi habetur, lubricum linguæ non facilè ad pœnam trahendum esse; *& l. 1. §. Divus, ff. de sicar. l. obligationum substantia, §. fin. ff. de actio. & oblig. l. sicut semel, Cod. de liber. caus. cap. 1. de sent. excommun.* ubi habetur, factum jocosum pœnam non mereri, cùm in proferente non supponatur mala intentio.

11. Moveor secundò rationibus, nam error non adest in intellectu, sed tantùm in lingua, ut supponitur, nec pertinacia in voluntate, quæ faciunt hæreticum; & ideo non est pœnis hæreticorum puniendus. Tum quia, ex præsumptionibus nemo debet saltem ad pœnam corporalem, & ordinariam condemnari, ut sentiunt communiter Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *quæst. 86.* Ergo miles proferens verba hæreticalia modo dicto, licet adesse possit contra ipsum aliqua præsumptio, non debet ut hæreticus puniri. Esto possit super intentione torqueri.

12. Moveor tertiò, exemplo, in S. Cypriano, quem S. Augustinus, *lib. 1. contra Donatistas, cap. 18.* asserit in illo errore, quem unà cum octoginta Episcopis Africanis, circa hæreticorum rebaptizationem protulit, solùm venialiter peccasse: & videtur id colligi, quoniam error illius, & aliorum Patrum, præsertim SS. Firmiliani Cæsariensis in Capadocia Archiepiscopi, Dionysii Alexandrini, videtur fuisse imperfectus, seu procedens ex advertentia minimè plena, ratione dictaminis conscientiæ ipsorum, ac bonæ intentionis, quâ ducebantur, Nec non in Tertulliano, qui excusatur ab Augustino *in lib. de hæresibus, cap. 86.* quòd diceret Deum corporeum esse, asserendo, potuisse intelligere corporeum, non quatenùs corpus habeat partes majores, vel minores, & quòd loco circumscribatur, sed quòd non sit inane, sed omnino aliquid, cùm totus ubique sit. Et licet hæc S. Augustini excusatio sit levis & mendicata, cùm corpus dici non possit, quod partes non habeat, attamen hac utens mitissima censura ostendit, antequam aliquis crimine hæresia damnetur, & hæreticorum pœnis puniatur, esse omnia summâ diligentiâ expendenda, omnemque lapidem movendum, ne quid ab Inquisitoribus, vel aliis Judicibus, ut hæreticum puniatur, quod malitiam culpæ venialis, vel mortalis non excedet.

13. Concludendum est igitur, militem, vel alium verba hæreticalia proferentem, per subitaneum iracundiæ motum, aut jocosè, sed absque intentione hæretica, non esse hæreticorum pœnis puniendum. licèt possit aliter, & extraordinariè puniri, ut tradit Cardin. *in Clem.* in fine, *de Summa Trinit, §. Nos.* Carret. *de hæretic. num. 2. & 89.* in fine, *num. 9.* Decian. *in tract. criminal. lib. 5. cap. 36. num. 8.* & alii plures.

14. Ad rationes in oppositum respondemus. Ad primam, distinguendo: Quilibet hæreticus posset vitare condemnationem, si ex negata intentione cessaret hæresis probatio ex verbis, vel factis hæreticalibus, ad omnem pœnam, negamus; ad pœnas hæreticorum, seu mortem corporalem, concedimus. Præterquam quòd, intentio hæretici indagari potest etiam vi tormentorum.

15. Ad secundam, nempe quòd convictus de hæreticalibus verbis, vel factis spontaneis, satis convincitur de mala intentione: negamus absolutè, ut patet ex dictis, aliàs innumeri ex veris Catholicis essent hæretici, & ut tales pœnis hæreticorum puniendi, cùm per subitaneos motus verba hæreticalia proferant, vel facta hæreticalia exerceant: quod est contra praxim; cùm prudentiores Inquisitores ad aliquam pœnam, seu potiùs pœnitentiam illos condemnent.

16. Infero primò ex dictis, probabilissimam esse opinionem Bellarmini, *lib. 4. de Summo Pontifice, cap. 8.* asserentis, nullum Pontificem adhuc fuisse hæreticum: nec non Thom. Del Bene, *par. 1. de offic. S. Inq.* asserentis, Papam ut personam privatam non posse esse hæreticum. Contra Cajet. *Opuscul. 1. de auth. Papa. cap. 15.* Sotum *in 4. Dist. 22. q. 2. art. 2.* Can. *lib. 6. de locis theolog. cap. 12.* Et licèt Marcellinus Papa idolis sacrificaverit, Liberius Papa Arrianis adhæserit, & Anastasius Secundus Nestorianis, & Cælestinus erraverit circa matrimonia Fidelium, vel quisquis lapsus fuerit exteriùs in hæresim, ut notat Decian. *in tract. criminal. p. 1. lib. 4. cap. 15. num. 18. & cap. 37. num. 14.* potest responderi in ejusmodi errores cecidisse, vel ignoranter, vel inadvertenter, vel per metum, non spontè, nec animo recedendi à fide, ut inter cæteros dicitur de Marcellino Papa, qui compulsus, idolis sacrificavit, *Cap. Nunc autem, 21. Dist.* & probat Decian. *d. tr. crim. lib. 5. cap. 37. num. 14.*

17. Infero secundò, adolescentes aliqua verba hæreticalia joco proferentes, sed statim se corrigentes, vel admonitos, non esse puniendos ut hæreticos, licèt possit illis aliqua pœna imponi juxta arbitrium Judicis prudentis: quod etiam tenet Decian. *loc. cit. num. 8.*

18. Infero tertiò, mulieres, quæ improvisa, inopinataque nece maritorum, aut filiorum commotæ, aliquid impium repentè dicunt contra Deum, vel Sanctos ejus, non esse hæreticas; & si convictæ fuerint, non esse severiùs puniendas, sed dolori aliquo modo parcendum. Simanc. *Catholicar. institution. titul. 27. rubr. de defensione reorum, num. 41. & num. 46.* Farinac. *de hæresi, quæst.* 179. §. 4. *num.* 43.

19. Infero quartò, non esse puniendum illum, qui Lutheranorum, vel Calvinistarum, vel Quietistarum, aliorumque errores, aut hæreses refert, nisi dolo malo sic referat. Simanc. *loc. cit. num* 18. ibi asserens, quod dolus in isto casu non præsumitur, nisi ex circumstantiis aliud sit verisimile.

20. Infero quintò, proferentem verba hæreticalia per iracundiam, aut lubrico linguæ esse quidem graviter reprehendendum, ut caveat in futurum, at illi esse minuendam pœnam, aut nullam prorsus infligendam, si statim se correxit. Ita sentit etiam Pegna, *in additionibus ad Eymericum, in directorio Inquisit. p.3. rubr. de examinatione testium, commentar.* 17. Simanch. Squillacen. & alii.

21. Infero sextò, dubitantem de fide excusari ab hæresi, si dicat se hoc ex primo motu dubitasse, & paratus sit se corrigere, & se remittere Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Sic tradunt omnes *in cap.* 1. *de hæret.*

22. Infero septimò, errantem in fide per simplicitatem non esse ut hæreticum puniendum, sed posse excusari: ut per Bald. *in rubr. Cod. de Summa Trinit.* & per Pan. & Card. *in Clem.* 1. *& in Clem. ult. de usur.* & per alios, putantes esse aliquam pœnitentiam, seu pœnam imponendam.

23. Infero octavò, docentem hæreticalia, si paratus est corrigi, & revocare, posse aliquo modo excusari: sic excusatur Abbas Joachim, qui hæretica docuit, sed submisit se judicio Romanæ Ecclesiæ, ut *in Cap. Damnamus,* in fine, *de Summa Trinit.*

24. Infero nonò, hæreticum per testes plenè & concludenter convictum, & sine exceptione, licèt neget dicta & facta, de quibus fuit accusatus, asserendo credere, quod credit Sancta Romana Ecclesia, esse propter negativam tanquam impœnitentem condemnandum, & Curiæ sæculari tradendum. Ita Rota, *in antiq. Decis.* 875. & est *decis.* 1. *sub titul. de hæretic.*

25. Infero decimò, esse puniendum illum, qui fuit apud hæreticum causa addiscendi, sed nondum recessit à fide Catholica; puniendum quidem pœnâ extraordinariâ centum librarum, *l. quicunque, vers. nulla, de hæret.* & tradit Purp. *in l. cunctos populos, num.* 96.

26. Infero undecimò, dormientem, ebrium, furiosum, mente captum, dæmonibus vexatum, si proferat hæretica, posse excusari, ut not. *in l. Divus, de officio Præsid. in l. ult. de admi. tut. in Cap. Aliquos, cum seq. causa* 15. *q.* 1.

27. Infero duodecimò, Inquisitorem non debere, esse facilem ad credendum asserenti verba hæreticalia dixisse jocosè, lubrico linguæ, per iram, seu aliàs inadvertenter; cùm præsumptio sit, quòd mala intentione sic protulerit. Farin. *de hæresi, quæst.* 179. §. 4. *num.* 53. addens *num.* 61. posse puniri, tanquàm de hæresi suspectum leviter, vel vehementer juxta qualitatem personæ, delicti, & scandali, si tortus super intentione persistat.

Infero decimotertiò, in his blasphemiis, quæ 28.
hæreticales non sunt, cognitionem, & punitionem non ad Inquisitores contra hæreticam pravitatem, sed ad Episcopos spectare, ut etiam probat Tex. *in cap.* 2. *de maled.* imò etiam ad Judices laicos, juxta præventionem; Punitio enim hujus criminis est mixti fori, ut tradit Soc. sen. *cons.* 119. *lib.* 4. Menoch. *de Arbit. jud. lib.* 2. *cent.* 4. *casu* 319. *num.* 16. & optimè probant Salzed. Sanchez, & alii, quos producit, & sequitur Barbosa, *de offic. & potest. Episc. Alleg.* 51. *num.* 93.

XXIII. DIFFICULTAS.

An milites assueti blasphemare, qui in exercitu nunquam desunt, sint graviter puniendi, & ad quas pœnas damnandi.

NOtandum primò, nihil horribiliùs esse blasphemiâ, quæ ponit in Cœlum os suum, ait 1.
Decianus, *Tract. criminal. lib.* 6. *cap.* 3. *n.* 1. esseque blasphemiam maximum omnium peccatorum, D. Tho 2. 2. *q.* 13. *art.* 3. & etiam Luc. de Penna, *in l. omnes, Cod. de dela. lib.* 10. *num.* 6. Bover. *decis.* 301. *n.* 31. in fin. Archid. *in Cap. Quid ergo, caus.* 23. *quæst.* 5. Et ratio est, quia directè tendit in Dei injuriam, & fidei ejus opponitur, ut sentit cum aliis. Bart. *in l.* 2. circa med. *ff. de pub. jud.* & Abb. Host. *in Cap. Ex parte, il primo, de verb. signif.*

Notandum secundò, ob hoc blasphemiæ cri- 2.
men sæpe sæpius Mundum à Deo puniri bellorum acerbitate, Civitatum rebellione, populorum captivitate, Regnorum translatione, Imperiorum eversione, incendiis, fame, peste, aliisque calamitatibus, ut notat Decian. *loc. cit.* Crispolt. *in Casib. militar. cas.* 4. *num.* 1. & experientia docet. Ulteriùs scimus ob blasphemiam integros exercitus fuisse destructos: ita evenisse exercitui Sennacherib legimus 4. Reg. *Cap.* 19. & exercitui Regis Syriæ, ut habetur 3. Reg. *Cap.* 20. & de aliis exercitibus plures testantur Historiæ; videatur: inter cæteros Borell. *de Magistrat. edict. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 39.

Notandum tertiò, licèt regulariter in delictis 3.
ad inducendam consuetudinem sufficiat duplex actus, ut dixit Glos. *Cap. Mos, Dist.* 1. *& in Cap. Tua nos, & Cap. Illo vos, de pignorib. & in l. de quibus, ff. de legib. & in Cap. Venerabilem, verb. Ex successione, de elect.* non sufficere tamen, ut quis dicatur habere consuetudinem blasphemandi, quòd quis blasphemaverit, sed requiri actum sæpe ac sæpiùs replicatum. Ita Bellon. *cons. fin. num.* 5. Mantua. Decian. Albertin. & alii innumeri, quos citat & sequitur Carena, *p.* 2. *de blasph. tit.* 7. §. 5. *num.* 23.

Notan-

4. Notandum quartò, actus, quibus constituitur consuetudo blasphemandi, debere esse interpolatos, ... non dici pluries blasphemasse eum, qui uno ... petu plures blasphemias protulerit. Farin. de ... et pœnis, quæst. 20. num. 43. Capol. cons. 76. in crimin. Salazar. de usu. & consuet. cap. 6. num. 13. & alii.

5. Notandum quintò, blasphemiæ crimen fuisse semper obnoxium punitioni; nam in veteri Lege morte puniebantur blasphemi, & quidem horrendè, quia lapidabantur, ut habetur Levit. Cap. 24. de quâ pœna Francisc. Squillacens. Tract. de fid. Cathol. cap. 26. num. 2. Bover decis. 301. num. 4. Decian. Tract. criminal. lib. 6. cap. 3. num. 18. & 19. & cap. 6. de pœnis blasph. num. 1. & de hac materia, nempe quâ pœnâ sit modò puniendus blasphemus, vide Jas. in §. Item, si quis postulante, col. 14. vers. in ea Gloss. admonendi, Instit. de action. Paridem de Puteo, in tract. de ludo, n. 63. & quid sit blasphemia? vide Socin. in cons. 201. in 1. vol. Jas. & alios apud Card. Albanum, in lucubrat. in Bart. in l. item apud, §. ait Prætor, ff. de injur. num. 1.

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an milites assueti blasphemare, seu blasphemantes ex consuetudine sint graviter puniendi, & ad quas pœnas damnandi, respondemus, quoad primam partem difficultatis, sine ulla controversia, affirmativè; præcipuè quando blasphemiæ sunt hæreticales. Ita Pegna, Commen. 17 in tertia parte, lit. B, vers. & quamvis regulariter. Lazar. in blasph. q. 0. n. 11. vers. extenditur tertiò. Decian. Tract. criminal. lib. 6. cap. 6. per totum. Duard. in Bullam. Cæn. lib. 2. Can. 1. q. 22. n. 21. Sanctarel. tr. 3. de blasphem. cap. 8. dub. 2. n. 3. alios referens, & est communis.

7. Moveor primò juribus, in Auth. ut non luxurientur homines contra nat. §. Propterea, ubi contra blasphemantes statuitur pœna mortis, licèt hodie pœna hujusmodi in desuetudinem abierit, ut notat Luc. de Pen. in l. omnes Judices, Cod. de dilat. Duard. in Bullam Cæn. loc. cit. num. 18. & alii, in Cap. Statuimus, extra, de maledic. ubi Pontifex varias pœnas contra blasphemantes assignat: nec non in aliis Constitutionibus, de quibus Sayr. in Clav. Reg. lib. 6. cap. 13. n. 22. Graff. p. 1 decis. lib. 2. cap. 20. n. 12. Azor. lib. 9. Instit. moral. par. 1. cap. 28.

8. Moveor secundò rationibus; nam blasphemiæ crimen est omnium sceleratissimum, ac omnino detestabile, ut notavimus. Ergo gravissimè puniendum. Tum quia, consuetus blasphemare vitium in habitum convertit, ut per Bover. decis. 301. num. 11. & 14. & tradunt Scribentes in l. 2. Cod. de reb. cred. & Joan. de Ana. in capit. 1. de cler. percuss. & in cap. 2. de maledi. col. 8. Jas. in l. ait Prætor, §. Jurari, num. 14. de jurejuran. & ideo videtur graviter puniendus, cùm ex habitu augeatur malitia, & pœna esse debeat proportionata culpæ.

9. Moveor tertiò exemplis, in filio mulieris Israelitidis, qui præceptu Domini lapidibus fuit obrutus, eò quòd nomen Domini blasphemasset, Levit. 24. In Antiocho, qui ob blasphemiam insanabili ac horribili plagâ fuit percussus, 2. Machab. Cap. 2. In Nicanore, eò quòd blasphemavit, propriis armis occubuit, 2. Machab. Cap. 15. In puerulo annorum quinque, qui relato à S. Greg. in quarto Dialogorum, qui solitus erat Deum blasphemare, parentibus tolerantibus; nam, superveniente peste, in sinu patris sui exhalavit Animam, clamando & invocando auxilium patris, ut eum defenderet à Mauris, id est dæmonibus, qui eum volebant arripere; quod notat etiam Decian. Tract. criminal. lib. 6. cap. 3. num. 19. ubi testatur, vidisse quemdam puerum vicinum suum horrendas usque ab infantia blasphemias vomentem, continventibus etiam parentibus, qui tandem à Rusticis fuit occisus. Justitia igitur humana, quæ participatio divinæ Justitiæ est, errare minimè potest gravissimis pœnis consuetum blasphemare puniendo, si ita gravitas blasphemiæ postulaverit. Utinam hoc intelligerent omnes Principes, omnesque Provinciarum Senatus; & innumera mala, quibus opprimitur Orbis ob multitudinem blasphemiarum, quæ à pœna immunes evadunt, minimè evenirent.

Concludendum est igitur, militem, & alium vomentem blasphemias, præcipuè hæreticales, esse severè puniendum. 10.

Ad secundam partem difficultatis propositæ, ad quas pœnas sit consuetus blasphemare damnandus, respondeo, juxta varia Provinciarum statuta, varias pœnas constitutas contra blasphemantes reperiri, de quibus latè Boer. decis. 30. & Sayr. loc. cit. num. 19. In Provinciis Regalis Celsitudinis Ducis Sabaudiæ blasphemus punitur perforatione linguæ, quam clavo publicè fieri, ego ipse dum essem in Sæculo, Taurini propriis oculis vidi; eademque pœna puniri blasphemantes testatur Gram. decis. 50. in Regno Neapolitano, ubi olim blasphemiæ pœna erat linguæ abscissio, teste Duardo Neapolitano, loc. cit. num. 20. Universaliter verò loquendo, video blasphemantes ex consuetudine puniri pœnâ pecuniariâ, vel carcere, si nobiles; verberatione vel triremibus ad triennium, si viles; amissione fructuum unius anni beneficii, pro prima vice; privatione beneficii, pro secunda vice; depositione ab omnibus dignitatibus, & exilio pro tertia vice; si sunt Clerici. Et hoc quidem virtute Bullæ Pii V. quæ incipit: Cùm primùm Apostolatus, renovans decreta Concilii Lateran. sub Leone X. contra blasphemantes Deum, & Dominum nostrum JESUM Christum, & gloriosam Virginem Mariam ejus Genitricem. 11.

Et licèt hodie pœna mortis, quâ olim blasphemantes puniebantur, mutata sit; tamen Decianus. Tract. crimin. lib. 6. cap. 6. num. 7. asserit, posse etiam hodie hanc pœnam mortis imponi, attentata qualitate blasphemiæ, nempe si esset enormissima & horrenda; & attenta pessima qualitate blasphemantis, qui ex consuetudine incorrigibilis sit factus: à quo non video discrepare Clarum, lib. 5. sent. verb. Blasphemia, vers. sed quæro, quæ sit pœna. Menoch. de Arbit. judic. casu 375. num. 23. 12.

Ubi verò non adsunt statuta, per quæ pœna blasphemantibus infligatur, remanet arbitraria, na humana 13.

humana vita, quæ à blasphemia solent oriri, vergantur in pejus : ut per Afflictum, *in Constit. blasphem. num.* 1. & per Luc. de Pen. *in leg. omnes. Cod. de delat. lib.* 10. *nu.* 6. & Grammat. *in d. Constit. blasphemantes, num.* 2. & 6. Non deberet tamen Judex; quando ex defectu statuti ejus arbitrio pœna blasphemantibus infligenda remittetur, ab abscissione, vel perforatione linguæ discedere, quæ propria pœna hujus horrendi criminis communius judicatur, cùm in eo membro quis debeat puniri, quo delinquit, ut inquit Glos. per Tex. *in l. si fugitivi, Cod. de serv. fugi.* & Glos. per Tex. *in Auth. Omnes peregrini, Cod. commun. de success.* quæ plures adducit concord. & in terminis blasphemiæ confirmat Afflict. *in Constitut. blasphemantes, num.* 1. & Boer. *decis.* 301. *num.* 11. & 15.

14. De alijs pœnis blasphemis imponendis, vel impositis est videndus Barbosa, *de officio, & potest. Episcops. alleg.* 51. *n.* 89. ubi de illis fusissimè pertractat; Pegna, *comment.* 66. *vers. blasphemi olim.* Marius Italia, *de Immunit. Ecclesiæ, cap.* 5. §. 6. *num.* 86. Decianus, *Tract. criminal. par.* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 8. ubi speciatim mentionem facit de pœnis, quibus puniuntur blasphemi per legem Valesij Gallorum Regis Graff. *p.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 12.

15. Infero primò ex dictis, communem consuetudinem Regionis non excusare à pœnis blasphemiæ: & est communis sententia; cùm in ijs, quæ ex sua natura mala sunt, non excuset consuetudo. Glos. *in cap. Sanè, de tempor. ordinat.* Lazar. *de blasphem. quæst.* 3. *n.* 21.

16. Infero secundò, blasphemum hæreticalem non gaudere immunitate Ecclesiæ; cùm talis sit suspectus de fide: & suspecti de fide non gaudent privilegio immunitatis Eccles. Decian. *Tract. criminal. lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 33. Diana, *par.* 1. *tract.* 1. *Ref.* 28. Carena, *par.* 2. *de blasphem. tit.* 7. §. 10. *n.* 57. ubi alios citat.

17. Infero tertiò, blasphemis, seu blasphemiam hæreticalem proferentibus, posse dari torturam, sive pro veritate obtinenda, sive etiam super intentione. Ita etiam Molfes. *in Sum. par.* 1. *tract.* 11. *cap.* 3. *n.* 27. ubi alios allegat, cùm hujusmodi blasphemi sint vehementer de hæresi suspecti. Si verò tantùm leviter essent suspecti, dubitant Doctores, ut notat Carena, *loc. cit. n.* 63.

18. Infero quartò, blasphemantem, qui confitetur se corde credidisse blasphemiam, quam ore protulit, debere in hoc casu abjurare de formali, & pœnis hæreticorum mulctari. Ita etiam Lazar. *de blasphem. quæst.* 6. *num.* 17. Zanard. *in Sum. divin. præcept.* & alij.

19. Infero quintò, Judices sæculares contra blasphemos convictos non animadvertentes, tanquam eodem scelere contaminatos eisdem pœnis subjici, ut habetur in Concil. Lateran. sub Julio II. incœpto, & sub Leone X. continuato, *Sess.* 9. §. *Ad abolendam.*

20. Infero sextò, blasphemis dandam esse defensionem, quia defensio cùm sit de jure naturæ tolli non potest, *leg. ut vim,* ubi omnes notant, *ff. de just. & jur.* quidquid fecerit Paris de Puteo, dum esset Judex, & dixerit *in tract. syndic. verb. Condemnatio, ver. an potestas, versic. licèt sint aliqua delicta.*

21. Infero septimò, posse excusari à pœnis blasphemiæ illum, qui ex subita ira, orta ex justa, vel injusta causa blasphemat, quia tunc non peccat, ut docet D. Thom. cum alijs. Estò possit torqueri super intentione, & debitâ pœnâ puniri, si blasphemia fuerit hæreticalis: Item illum, qui blasphemat in magna ebrietate, vel in somno, vel ex lubricitate linguæ, vel ex alia passione, vel causa inadvertenter orta, si appareat non dolosè, aut consideratè blasphemasse, ut habetur per omnes, *in leg.* 1. *Cod. si quis Imper. maledix.* & in specie tradit Luc. de Pen. *in l. omnes, num.* 7. *Cod. de delat.* 10. & alij. Vel saltem esse hujusmodi blasphemantes mitissimè puniendos. Ita Farinac. Lazar. & alij, quos citat, & sequitur Caren. *loc. cit. num.* 31.

22. Infero octavò, in foro pœnitentiali Confessarios debere in consuetos blasphemare severissimè se habere tum in pœnitentijs injungendis, tum in eradicanda occasione; ut si ex ludo blasphemia oriatur, debere eis ludum prohibere. Ita etiam docet Duard. *loc. cit. num.* 31. De hac materia fusiùs *in diffic. seq.*

XXIV. DIFFICULTAS.

An contra militem consuetum blasphemare, non obstante admonitione, possint procedere solò Inquisitores.

1. Notandum primò, consuetum blasphemare dici illum, qui pluries blasphemat, & quidem diverso tempore, non verò illum, qui semel, vel bis blasphemiam profert, ut in præcedenti Difficultate notavimus.

2. Notandum secundò, nomine blasphemiæ, secundùm Theologos, intelligi quamcunque falsitatis affirmationem, aut veritatis negationem de DEO prolatam. Graff. *par.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 1. secundùm verò Canonistas, intelligi maledictionem DEI, aut Sanctorum ejus, *Cap.* 2. *extra, de maled.* & ideò blasphemiam propriè consistere in locutione contumeliosa DEI, non in ipso sensu, vel opinione falsa de DEO, affirmat Suarez, *de Relig. tract.* 3. *par.* 1. *lib.* 1. *de irreligios. cap.* 6. *sub num.* 5.

3. Notandum tertiò, præcipuam blasphemiarum divisionem esse in hæreticalem, seu qualificatam; & in non hæreticalem, seu non qualificatam; primam hæresim sapere, & manifestè continere; secundam nec continere, nec sapere hæresim, Card. *in Clem.* 1. §. *Sanè, de usur.* Sayr. *in Clav. Reg. lib.* 6. *cap.* 12. *sub num.* 20. ubi plures citat asserentes, hanc distinctionem esse communem, Primam directè opponi confessioni fidei: ut, *Abnego DEUM: discredo de DEO: non credo in DEUM, renego fidem, vel baptismum, vel Crucem Domini, puritatem Virginis,* & similia, quæ quocunque modo opponuntur articulis fidei. Pegna, *p.* 1. *Dir. Inquis. quæst.* 41. *de blasphem.* Suarez, *loc. cit.* Secundam verò, nempè, non hæreticalem esse, si quis diceret, *Al dispetto di Dio;*

Dio, disgratia à Dio: malgrado à Dio: & similia, quæ referunt DD. Naldus, *in Sum. verb. Blasphemia, num.* 1. Molfes. *in Sum. p. 1. tract. 11. cap. 3. n. 20. & 27.* & alij plures.

4. Notandum quartò, consuetum blasphemare dici largo modo hæreticum. *Cap. Ille qui, §. Quia verò, causa 24. q. 3.* & monitum non cessantem blasphemare, ut hæreticum reputari. *Cap. Qui Ecclesia, ead. caus. & quæst.*

5. Notandum quintò, blasphemiam in DEUM, & in Sanctos non differre specie, sed solùm gravitate, & levitate materiæ subjectæ. Cajet. 2. 2. *quæst. 13. art. 1. ad 2.* & Joan. Azor. *par. 1. Instit. moral. lib. 9. cap. 28. dub.* 10. Et ratio videtur esse; quia hoc peccatum Religioni opponitur, quæ una est, sive DEO, sive Sanctis propter DEUM ipsum cultus iste tribuatur. Quæ ratio probat etiam juramentum non differre specie, eo quòd quis per DEUM, aut per Sanctos juret, ut advertit Sayr. *in Clav. Reg. lib. 6. cap. 13. num.* 4. Plures tamen sentiunt, & quidem satis probabiliter, blasphemias in DEUM, in Beatam Virginem, & in Sanctos differre specie; quia per primam violatur Latria; per secundam, Hyperdulia; per tertiam, Dulia. Mendoza, 2. 2. *disp. 91. sect. 12. §. 54.* & alij.

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an contra militem consuetum blasphemare, non obstante admonitione, possint soli Inquisitores procedere, negativè videtur respondendum, cum Covar. *in Cap. Quamvis pactum, par. 1. §. 7. num. 21. de pactis in 6.* Soc. sen. *consil. 119. lib. 4.* apud Azor. *par. 1. Instit. moral. lib. 9. quæst. 14. cap. 28.* Menoch. *de Arbitr. jud. cas. 319. num.* 16. Thom. Del Bene infra citandus, & alij, quos producit Azor. *par. 1. &c.* Et probat Tex. *in cap. 2. de maled.* ut notat. Socin. *loc. cit.*

7. Veritas tamen est, Inquisitores privativè, quoad alios Judices sæculares, posse militis consueti blasphemare, seu hæreticales blasphemias ex consuetudine proferentis causam cognoscere. Castro, *lib. 1. de justa hæret. punit. cap. 12.* Eymeric. *in Directorio Inq. 2. p. quæst. 41. num. 1.* Anchar. *in Rubric. de judic.* Farin. *in prax. crimin. quæst. 20. num. 39.* Crispolt. *in Casib. militar. cas. 4. num. 12.* Catena, *de off. S. Inq. p. 2. de blasph. tit. 7. §. 7. num. 13. & 14.* & plures alij, quos refert, & sequitur Barbos. *de offic. & potest. Episc. Alleg. 51. num. 89.*

8. Moveor primò juribus, *in l. ult. ff. de jurisd. omn. jud.* ubi habetur, quòd judex extra fines suæ jurisdictionis potestatem exercere non potest: nec non & Constitutione Julij III. quæ incipit: *In multis*, in Ordine 23. §. 6. ubi Pontifex delegat cognitionem omnium blasphemiarum in DEUM, B. Virginem, & Sanctos, Generalibus Inquisitoribus Urbis; ut etiam optimè notat Catena, *loc. cit.*

9. Moveor secundò rationibus; nam dum miles verba hæreticalia profert, statim Inquisitorum jurisdictioni obnoxius constituitur: atque adeò ad eorum Tribunal spectat judicare, ac discernere, an seriò, vel jocosè blasphemiæ hæreticales prolatæ fuerint. Tum quia, miles, vel alius verba proferens hæreticalia, est suspectus de hæresi: imò blasphemus dicitur hæreticus, ut adnotatum est; & hæreticis blasphemi semper æquiparantur, præsertim si moniti, non corrigantur, ut habetur *in cap. Qui in Ecclesia, causa 24. quæst. 3.* & probat Decian. *in tract. crimin. lib. 6. de blasphem. cap. 3. num.* 4. & ideo subjiciuntur jurisdictioni Inquisitorum, ad quos spectat cognoscere, an quid hæreticum sit, vel non hæreticum, ut ostendit Afflict. *in Constit. Reg. Neapol. de hæret.* & Farin. *de hæresi, quæst. 178. §. 2. n. 76.*

Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi. Sci- 10.
mus proferentem blasphemias hæreticales à solo Tribunali Inquisitionis, ubi adest, privativè quoad judices sæculares, cognosci, judicari, condemnari, etiam si ex calore iracundiæ blasphemaverit, teste Thom. Del Bene, *tom. 2. de S. Off. dubit. 218. sect. 15. in Corollario.* Et ita etiam testatur Reverendiss. Pater Thomas M. Bosius, ex Illustrissima Prædicatorum Familia, hujus Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Commissarius, fidei zelo, veritatis tuitione, & doctrinæ soliditate celebris.

Concludimus igitur, Inquisitores privativè 11.
quoad alios judices sæculares, posse cognoscere de blasphemijs hæreticalibus à nostro milite, & à quovis alio prolatis, haberéque facultatem inhibendi cuicunque judici sæculari, quod est certum, ut patet in Constitutione Julij III. quæ incipit: *In multis*, in Ordine 17. de illis cognoscere.

Ad objecta respondemus, nobis minimè obstare, nam Tex. alleg. *in d. cap. 2 de maled.* probat tantùm, blasphemias non hæreticales esse mixti fori, adeóque earum cognitionem, & punitionem, non ad Inquisitores contra hæreticam pravitatem tantùm, sed & etiam ad Judices sæculares spectare, quod utique admittimus: & in hoc sensu loquuntur Doctores citati, addentes, ad cognoscendum de blasphemijs non hæreticalibus, alijsque criminibus, quæ sunt mixti fori, inter Judicem Ecclesiasticum, & Sæcularem dari locum præventioni: quod pariter docent Abb. *in d. cap. 2. de maled.* Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 8. num.* 9. Covar. *de pactis, p. 1. §. 7. num.* 12. & alij communiter, quos sequitur Azor. *par. 1. Instit. moral. loc. cit.*

Infero primò ex dictis, blasphemantem esse ab 12.
Audiente ad Tribunal de blasphemijs intrà triduum denunciandum; & à nolente eum denunciare, easdem pœnas incurri. ita statuit Paulus III. in dicta Constitutione: *In multis*, ut notat Sayr. *in sua Clavi Reg. lib. 6. cap. 12. num.* 17. Et probat Anan. *in cap. ult. de maled.*

Infero secundò, Convictos de blasphemijs hæ- 13.
reticalibus, habere infames, & inhabiles ad quæcunque beneficia: & quoscunque gradus, dignitates, honores obtinendos, juxta quod superius dictum est.

Infero tertiò, blasphemiam, sive in DEUM, 14.
sive in Beatam Virginem, sive in Sanctos, excusari non posse à mortali ratione parvitatis materiæ, sed tantummodò ex defectu plenæ, & maturæ deliberationis; cùm omnis contumelia in DEUM, vel Beatam Virginem, vel Sanctos prolata non possit esse nisi gravissima, ut advertit Nald. *in Sum. verb. Blasphemia, num.* 2.

16. Infero quartò, pœnas ab Inquisitoribus imponendas blasphemis, debere conformes esse gravitati blasphemiæ, quæ possant videri apud Sayr. *loc. cit num.* 19. *&* 21. Caren. & alios.

17. Infero quintò, in blasphemijs, alijsque criminibus, quæ sunt mixti fori, si fortè Judex Ecclesiasticus prius de hisce cognoverit, pœnámque levem imposuerit, jure optimo posse Secularem de hujusmodi causam judicare, suppleréque usque ad condignam condamnationem. Ita Covar. Tolos. Decian. & alij innumeri, quos refert, & sequitur Barb. *loc. cit. num.* 95.

18. Infero sextò, Ebrios omni judicio rationis carentes, habentésque sensus pœnitùs ligatos, si proferant verba hæreticalia, ab omni pœna excusari, *Arg. in Clem. unic. de homicid.* Tiraq. *de pœnis temperandis, aut remittendis.* Franc. de Pegna, *Com.* 17. *ad Direct. Inquisit. p.* 3. & alij asserantes, idem esse dicendum de pueris, & senibus, si illi propter ætatem præmaturam, & teneram, & isti ob ætatem decrepitam delirantes blasphemarent. Esto possit ad cautelam, & ex abundanti aliqua pœnitentia imponi, *Arg. in cap. Excommunicatorum, caus.* 23. *quæst.* 5. ubi Glos. *verb. Ad cautelam.*

19. Infero septimò, blasphemantem ex calore iracundiæ, quamvis non sit suspectus de hæresi, esse nihilominùs denunciandum, & judicis arbitrio relinquendum, ut videat, & judicet. Nald. *loc. cit. n.* 6. Quidquid dicant nonnulli Criminalistæ.

20. Infero octavò, proferentes blasphemias hæreticales, & quæ hæresim sapiunt manifestam; estò quod errorem non habeant in intellectu, & consequenter non sint hæretici, posse nihilominus ab Inquisitoribus compelli ad abjurandum. Duardus, *in Bullam Cæn, lib.* 2. *in Can.* 1. *quæst.* 22. *n.* 28. ubi alios citat.

21. Infero nonò, consuetum blasphemare hæreticaliter, si de hæresi posteà convincatur, esse tanquam relapsum puniendum, ut *in cap. Accusatus, de hæret. lib.* 6. & mortis pœna irremissibiliter plectendum, juxta Tex. *in cap. Ad abolendam, de hæret. & cap. Super, eod. tit. in* 6.

22. Infero decimò, Inquisitores, qui de blasphemijs hæreticalibus possunt cognoscere, non posse prohibere Judici Ecclesiastico, nempe Episcopo, aut ejus Vicario generali, quòd de illis cognoscat. Castr. *lib.* 1. *de just. hæret. punit. cap.* 12. circa finem. Cordub. *lib.* 1. *Quæstionarij, quæst.* 17. §. 15. *notab.* 4. *vers in cujus examinatione*, & alij asserentes, de blasphemijs hæreticalibus cognoscere posse Inquisitores cumulativè cum Judice Ecclesiastico.

23. Infero undecimò, aliquid dicentem joci causâ contra DEUM, Beatam Virginem, Sanctos, vel contra fidem, esse puniendum. Card. Zabarella, *in Clement.* 1. §. *Nos igitur.* Simanc. *de cathol. instit. tit.* 17. *n.* 23. Farin. *Tract. de hæresi, q.* 179. §. 4. *n.* 47. 48. & alij plures, quos refert Del Bene, *tom.* 2. *de S. Offic. dubit.* 218. *n.* 6.

24. Infero duodecimò, non solùm in blasphemijs, sed etiam in omnibus alijs delictis ad S. Officium spectantibus, minorem viginti quinque annis esse mitiùs puniendum, nisi hæreticus esset pertinax, & impœnitens. Farinac. *de hæresi, quæst.* 194. §. 2. *num.* 52. Sousa, *in Aphoris. Inquisit. lib.* 3. *cap.* 32. *num.* 18.

Infero decimotertiò, Inquisitores debere scientia Theologiæ, & Juris Canonici pollere: Theologiæ quidem, ut propositiones hæreticales, & non hæreticales cognoscant: Juris Canonici, ut causas, & lites decidere possint. Sic etiam docet Azor. *par.* 1. *Instit. moral. lib.* 8. *cap.* 18. *quæst.* 3. & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *de hæresi, quæst.* 186. *num.* 54. 25.

Infero decimoquartò, habentem consuetudinem blasphemandi, vel jurandi ex advertentia, non esse absolvendum. Catena, *p.* 2. *de blasphem. tit.* 7. §. 20. *num.* 108. & alij. Secus verò, si inadvertenter. 26.

Infero decimoquintò, blasphemiæ crimen satis explicari in confessione, si dicatur: Blasphemiam protuli in DEUM, vel Sanctos, subjiciendo numerum certum, vel verisimilem iterationis ipsius: neque oportere aperire modum blasphemiæ, puta, si fuit per membra pudenda DEI, vel alias. Nal. *in Sum. verb. Blasphem. n.* 3. 27.

XXV. DIFFICULTAS.

An milites, qui Vrbes, aut Oppida dilapidando, sacras Imagines Christi, Beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum fœdant, conspuunt, pedibus calcant, aut alio modo offendunt, sint graviter per Judicem Laicum, aut Ecclesiasticum puniendi.

NOtandum primò, sacras imagines non modicam excitare in Christi Fidelibus illas adorantibus, & inspicientibus devotionem in Prototypa, quæ repræsentant: adeóque Concilium Trid. *Sess.* 25. *de invocat. venerat.* illas in Templis præsertim haberi, retineri, eísque debitum honorem, ac venerationem impertiri ordinavit. 1.

Notandum secundò, quòd usus sacrarum imaginum, non solùm habuit locum in novo, sed etiam in veteri Testamento, teste S. Hieron. super illud Gen. 4. Enos filius Seth, qui primò cœpit invocare nomen Domini, fecit hoc per quasdam exteriores cæremonias, & imagines rerum cælestium. Moyses pariter pinxit in Tabernaculo, seu in Arca Domini imagines Angelorum, Cherubin, & aliarum rerum, & quidem jubente Domino, ut habetur. Num. 21. & sic de alijs, ut habetur in Prophetijs Isaiæ, Danielis, & refert Beda, *in libro de Templo Salom. cap.* 19. Nicephorus, Baron. & alij apud Jodoc. *verb. Imagines, num.* 3. 2.

Notandum tertiò, hoc esse discrimen inter imagines Gentilium, & Christianorum, quòd imagines Gentilium significant id, quod non est, nec potuit esse, nempe Deos, in quibus nullo modo adest divinitas; unde significatio est falsa; falsus etiam est cultus, dum tribuitur creaturæ cultus, qui soli DEO debetur. Christianorum verò imagines ex re significata vera significant, eos nempe, qui verè sunt Sancti, & digni honore; 3.

&

& honor principaliter transit ad Prototypum in imagine.

4. Notandum quartò, usum imaginum esse licitum, & est de fide; nam Christus ipse imaginem sui sacratissimi Vultûs linteo impressit, misitque Abagaro Regi Edissæ ægrotanti, illam summo perè desideranti. Niceph. Callist. *lib. 17. histor. Eccles. cap. 16.* Baron. *Annal. tom. 1. anno Christi 31.* Evagrius, *lib. 4. cap. 26.*

5. Notandum quintò, esse adorandas imagines DEI, & sic totius Trinitatis, imagines Christi, Beatæ Virginis, & Sanctorum, ut expresse declarant Septimæ Synodi Patres in *actione 3.* & docent Concilij Trid. Patres, *Sess. 24.* in fin. & probat fusè Sayr. *in sua Clavi Reg. lib. 4. cap. 3. num. 11.* & imagines Christi, cultu latriæ, imagines B. Virginis, cultu hyperduliæ; imagines verò Sanctorum, cultu duliæ. Et est certum apud omnes Catholicos, ut notat Jodoc. *in verb. Adoratio, & in verb. Reliquia.*

6. Notandum sextò, plures esse utilitates sacrarum imaginum, à nobis omissas, brevitati studentibus; sed distinctè relatas, & explicatas post alios à Paleott. *lib. 1. de Imagin. sacr. cap. 18.* Jodoc. *in verb. Imagines, num. 4.* & à nobis in nostro Libello, cui titulus: *Imagine della Purità di MARIA Vergine*, edito anno 1687.

7. His advotatis, non tantùm ut more meo procedam, sed etiam in honorem sacrarum imaginum; ad difficultatem propositam, an milites in Urbium dilapidatione, sacras imagines, sive in Ecclesijs, sive in domibus quoquo modo offendentes, sint graviter per Judicem, sive Laicum, sive Ecclesiasticum puniendi, respondemus, absque ulla controversia, affirmativè, sive Catholici, sive Hæretici, aut Infideles sint offensores. Bover. *decis. quæst. 301. n. 17.* Paul. Grillan. *Tract. de sortileg. quæst. 11. n. 18.* Decius, *in l. si quis id, quod, num. 4. de jurisd. om. jud.* Paris Puteus, *Tract. de ludo, num. 62.* Menochius, *de Arbitr. jud. lib. 2. cas. 376. num. 4.* Tiber. Decian. *in tract. crimin. lib. 6. cap. 6.* Viscont. *in suis conclusionib. juris, litt. I. verb. Imagines.* Jacob. Simanc. *in praxi Hæreses, tit. 10.* Et est communis apud Theologos, & Canonistas, nec non Jurisconsultos.

8. Moveor primò juribus, *in l. non contrahit, & l. seq. & l. famosi, ff. ad leg. Jul. majest. & leg. Capitalium, §. Ad statuas, ff. de pœnis*, ubi habetur, graviter esse plectendum eum, qui imagines Cæsaris offendit; unde à fortiori plectendus erit, qui supremi Imperatoris, & Principum Domini, ejusque Immaculatæ Matris, vel Sanctorum imagines lædit. *Et in cap. Si Canonici, §. ult. de off. ordin. in 6.* ubi habetur, pœnâ gravissimâ puniri eos, qui in contemptum Christianæ Religionis in terra, vel marmore signum Crucis, quod pedibus calcari potest, insculpsit, & fixit; & quidem meritò, cùm imago Crucis, quæ nobis Cœlum aperuit, & nostro capiti æternam obtinuit coronam, debeat exhiberi, non terræ contemnenda, non pedibus calcanda, sed oculis reverenter inspicienda, & cordi ardenter amanda, totique corpori, & Animæ profundè adoranda.

Moveor secundò rationibus; nam etiam apud Gentiles maximum erat scelus Deorum imagines lædere, gravi pœnâ puniendum, unde Athenis statutum fuit, rigorosè punire eos, qui una nocte Mercurij statuas, fractis capitibus, ad terram prostraverant. Plutarchus, *in vita Alcibiadis.* Quis ergo dixerit non esse inter Christianos veræ fidei professores, maximum scelus sacras imagines detrurpare, frangere, prostrare, aliòque modo offendere, & Christi DEI veri, Beatissimæ Virginis, aut aliorum Sanctorum imaginem offendentes, & deturpantes non esse graviter puniendos, cùm nullum scelus debeat apud qualescunque Nationes impunitum remanere? Tum quia, per Judicem tam Laicum, quàm Ecclesiasticum non levi pœnâ blasphemus punitur. Quid est impijs manibus spurcare, fædare, oblinire Christi, B. Virginis, Sanctorúmque imagines sacras? Profectò, factis blasphemare, ut notat Menochius, *de Arbitr. jud. lib. 2. cent. 4. cas. 376. n. 1.* Ergò hujusmodi blasphemus factis gravem punitionem meretur. 9.

Moveor tertiò exemplo, relato à Decian. *in tract. crimin. lib. 6. cap. 2. n. 16.* & à Menochio *loc. proximè cit.* in illo impijssimo viro, qui cùm Mediolani esset, & ludo pecunias amitteret, pugione imaginem Salvatoris nostri percussit, & illam transfigendo, dixit (oh scelus! oh horror) Utinam Christe, potuissem te in utero matris tuæ ita transfigere, quemadmodum tuam hanc transfixi imaginem. Et Chassanæus refert, miraculosè sanguinem fluxisse ex imagine illa, illúmque perterritum domum abijsse, & cùm domum esset ingressus, illam corruisse, & domus suæ propriæ ruinâ oppressum ad inferos condignum supplicium luiturum putamus transijsse. 10.

Concludimus igitur, milites, aliósve facto offendentes imaginem Christi, B. Virginis, vel Sanctorum, vel morte puniendos, ut tenet Hip. *in tract. crimin. §. Et quia, num. 25,* Viscont. *loc. cit.* & Angelus *in l. ex Senatuscon. ff. ad leg. Cornel. de sicarijs*, quem secuti sunt plures, relati à Boverio, *quæst. 301. col. ult.* Vel saltem esse judicis arbitrio pro facti qualitate, & personæ mulctandos, ut tradit Glos. *in cap. Si Canonici, de offic. Ordinar. in 6.* Decius, *in leg. si quis id, quod, 4. de jurisd. om. jud.* Paris de Puteo, *Tract. de lud. num. 62.* Grillandus, *Tract. de sortileg. quæst. 11. n. 18.* & plures alij. 11.

Infero primò ex dictis, rectè excludi ab Indulto generali Catholici Regis Reos hujus sceleris, nempe fædantes, conspurcantes, & quovis alio modo offendentes imagines sacras. Mastrillus, *ad Indul. cap. 26. n. 14.* 12.

Infero secundò, offendentes sacras imagines posse pœnâ mitiori, quàm morte puniri, nempe abscissione manus, quod observatum fuit Perusij in quodam relato à Menoch. *loc. cit.* cui, dum fregisset DEI imaginem, manus fuit amputata. Hócque refert etiam Angelus, *in leg. ex Senatusconsult. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* 13.

Infero tertiò, manum esse amputandam illi, qui fregisset lignum Crucis. Ita tradit etiam Marsil. *in l. ex Senatusconsulto*, ubi asserens, te- 14.

neri etiam *leg. Corn. de ficar.* testatur, se vidisse amputari manum cuidam, qui disciderat, & fregerat signum Crucis.

15. Infero quartò, offendentibus sacras imagines posse, post amputationem manûs, justè caput amputari. Sic tradit Boverius, *præf. quæst.* 301. *n.* 18. & dixit Gloss. *in verb. Ultrix*, *in cap.* 2. in fine, *de offic. Ordin. in* 6.

16. Infero quintò, posse puniri pœnâ capitali eos, qui percutiunt imaginem Christi, sive Hebræi, Hæretici sint, sive Catholici. Tenet etiam And. de Isern. *in cap.* 1. *verf. diffidamus*, *pen. col. de stat. & imagin.* Joan. de Ana. *in cap. fi. de maleds. col.* 10. & Menoch. *loc. cit.* Grammat. & alij.

17. Infero sextò, pœnam mortis eos mereri, qui Crucem in marmore insculpit, vel insculpi facit in terra studiosè, ut conculcetur ab hominibus in fidei nostræ contemptum; & habetur *in l.* 1. *Cod. nemini licet signum Salvatoris.* Et tradit etiam Tho. Del Bene, *p.* 2. *de off. S. Inq. dubit.* 218. *sect.* 17. *num.* 12.

18. Infero septimò, posse puniri etiam pœnâ mortis eos, qui sacras imagines, vel ponerent inter spinas, vel projicerent in loca immunda; aut saltem arctis carceribus esse puniendum. Tiber. *loc. cit.*

19. Infero octavò, esse rigorosè puniendos eos, qui prætextu perfectioris contemplationis, aut majoris perfectionis tollunt, aut tollere faciunt imagines sacras, asserentes omne sensibile contemplationem impedire, uti docebant dolosi Quietistæ, præcipuè nostri temporis; nam tollere sacras imagines est illas lædere, vel saltem earum venerationem impedire.

20. Infero nonò, Fædantes, Conspurcantes, & alio modo sacras imagines offendentes, esse de hæresi vehementer suspectos. Alphonsus de Castro, *de justa hæreticor. punit. lib.* 1. *cap.* 12. & 15. Zanar. *in Sum. divin. præcept. cap.* 64. *vers. secundò dico*, *tom.* 2. & alij, quos recenset, & seq. Carena, *Tract. de off. Inq. p.* 2. *tit.* 7. *num.* 38.

21. Infero decimò, offensores, aut estractores sacrarum imaginum, esse quidem blasphemos facto, non esse tamen hæreticos, ut volebant Græci, teste Azeuedo apud Caren. *loc. cit.* & consequenter non incidere in excommunicationem contra hæreticos latam: cùm blasphemi sive facto, sive verbo non habeant in intellectu errorem Fidei Catholicæ contrarium, ut benè docet Ugol. Suarez, & alij, quos citat, & sequitur Duardus, *in Bullam Cœn. lib.* 2. *in Can.* 1. *quæst.* 22. *num.* 9. Si tamen offensores sacrarum imaginum errorem aliquem haberent in intellectu circa illas, putantes, v. g. non esse veneratione dignas, essent profectò hæretici.

22. Infero undecimò, dicentem, sacras imagines non esse venerandas, blasphemare hæreticaliter, & ut talem, seu blasphemum hæreticalem esse graviter puniendum.

23. Infero duodecimò, cognitionem hujus criminis, seu causam lædentium imagines sacras spectare ad Inquisitores, seu Judices, fidei privativè quoad laicos. Ita tenet Gentiensis *in praxi Archiepiscop. Neap. cap.* 8. *in addit. num.* 7. Lazar. *de blasphemia*, *quæst.* 6. *num.* 14. & optimè probat Carena, *loc. cit. num.* 41. ibi dicens, ita fuisse decisum à supremo Regio Consilio Hispaniæ. Contrarium, nempe esse mixti fori hunc casum tenet Clarus, *in pract. crimin.* § *fin. q.* 68. *vers. imaginem*, Simanc. *de Cathol. instit. tit.* 32. *num.* 17. ita ut sit locus præventioni inter Judicem Laicum, & Ecclesiasticum.

Infero decimotertiò, lædentes imagines sacras debere abjurare, si Catholici sint, aut de levi tantùm, aut de vehementi, prout qualitas delicti postulaverit, quod aliqui negant, videndi apud Carenam, *loc. cit. num.* 38. 24.

Infero decimoquartò, Christianum videntem Christum ab Infidelibus, vel Fidelibus contumeliis affici, vel imagines ejus, aut Beatissimæ Virginis, aut aliorum Sanctorum conculcari, fædari, frangi, aut quoquo modo offendi, teneri illos denunciare Sancto Officio Bordon. *in sacr. Tribun.* Del Bene, *de off. S. Inq.* & alii de materia S. Inq. tractantes. 25.

XXVI. DIFFICULTAS.

An miles occidens Clericos in Campo hostili post partam victoriam inventos, incurrat ipso jure excommunicationem.

NOtandum primò, appellatione Clericorum intelligi omnes constitutos in alicujus Ordinis gradu, etiam in prima tonsura, *Argum. cap. Cleros, Dist.* 21. & *cap. Cùm contingat*, *de ætat. & qualitat.* & communiter DD. quos citat, & sequitur Sayr. *lib.* 3. *Thesaur. cap.* 26. *num.* 4. etiam venire Clericum conjugatum cum una & virgine, non bigamum, in habitu clericali incedentem, & tonsura, *Arg. cap. unic. de Cleric. conjug. lib.* 6. cùm talis utroque privilegio & fori, & Canonis gaudeat; modo observet quæ observare debet, præcipuè requisita à Trid. *Sess.* 23. *de reform. cap.* 6. 1.

Notandum secundò, nomine Monachorum venire omnes professos, vel professas in Religione approbata, etiam Novitios, etiam Conversos, & Conversas Religionis approbatæ. *cap. Monachi*, *cap. Parochianos. cap. Cùm illorum absolutio*, *de sent. excom.* & *cap. Religioso*, §. *fin.* & ibi Gloss. *verb. Non possit de sent. excom. lib.* 6. & Doctores innumeri, quos citat, & sequitur Sayr. *loc. cit. num.* 5. 2.

Notandum tertiò, illicitum quidem esse Clericis pugnare, seu in bello exercitibus præesse, nisi id fiat de licentia Summi Pontificis, qui solus in hoc potest dispensare, ut alibi demonstratum est; in aliquibus tamen casibus esse illis licitum: puta, si id necessarium sit ad defensionem propriæ vitæ, vel proximi innocentis illis aliquo modo conjuncti, præsertim Reipublicæ valdè utilis, & necessarij, vel Patriæ, aut Civitatis contra injustos invasores. *Arg. cap.* 2. *de Immunit. Eccles.* Vel ad consequendam justam victoriam, ex qua salus Ecclesiæ, vel Reipublicæ Christianæ multum pendet: quod rarò evenit. Ita Molina, *tom.* 1. *de just. tract.* 2. *disp.* 108. Beccan. *cap.* 25. *q.* 25. 3.

concl.

concl. 3. Laym. *lib.* 2. *tract.* 3, *cap.* 12. *num.* 19. Palans, & alii, quos refert, & sequitur Diana, *par.* 6, *tract.* 4. *Ref.* 35.

4. Notandum quartò, Clericos in bello pugnantes posse in conflictu belli impunè occidi, & expoliari, ac proinde nullam incurri pœnam, excepta irregularitate: modo tamen bellum sit justum ex parte occidentis, quia pœna excommunicationis supponit peccatum mortale, quale non est homicidium commissum in bello justo; cùm sit justum, & licitum, ob bonorum defensionem, vel recuperationem, quæ procurat justè Belligerans. Sic docet Franc. Bordonus, *in Miscellan. decis.* 162. Bannes, 2. 2. *D. Tho. quæst.* 40. *art.* 2. *dub. ult.* Ledesm. *in Sum. tom.* 2. *tr.* 3. *cap.* 13. *conclus.* 58. Diana, *par.* 10. *tract.* 2. *Ref.* 3. & alij communiter.

5. Notandum quintò, plures esse casus, in quibus percutiens Clericum, vel Monachum, non incurrit excommunicationem *Can. si quis suadente*, & notari à Gloss. *in d. cap. Si quis, causa* 17. *quæst.* 4. *in verbo, Violentas*, à Sayr. *lib.* 3. *Thesaur. cap.* 27. *à num.* 1. à Turrecrem. *in d. cap. Ad primum*, *num.* 2. ubi quindecim enumerat.

6. His adnotatis, ad difficultatem propositam, an miles occidens Clericos in Campo hostili post partam victoriam inventos, incurrat ipso jure excommunicationem, negativè respondet Caramuel, *in Theol. Moral. lib.* 2. *disp.* 2. *art.* 1. *num.* 340. asserens, Summum Pontificem, aut non concessisse, aut concedere non potuisse, ut Ecclesiastici invadant Rempublicam sæcularem impunè, excommunicando quoscunque, qui in eos manus violentas imposuerint; nec interdixisse, nec interdicere potuisse justam defensionem, aut rei propriæ recuperationem, quam natura concedit, ac per consequens, nec expoliare authoritate indirectâ occidendi Ecclesiasticos orta ex jure directè se, & sua defendendi. Cùm igitur Clerici simul cum aliis pugnaverint, ut supponitur, vel saltem ad pugnandum alios milites hortati fuerint, si in Campo hostili reperiuntur, non videtur illis parcendum, sed possunt impunè occidi, tanquam impedientes, saltem partialiter justi finis belli consecutionem. Præterquam quòd, injiciens manus violentas in Clericos dicitur in Rubrica, *Excommunicetur*, non autem dicitur, quòd sit excommunicatus. Tum quia, dicit Textus; *Anathematis vinculo subjaceat*, & ideo ipso jure non est excommunicatus. Deinde cum Glossa, *in cap. Si quis, causa* 17. *quæst.* 4. plures casus ab hac regula excipiat, sufficiens adest fundamentum asserendi hunc esse exclusum.

7. Contrariæ tamen sententiæ, quam puto esse tenendam, firmiter adhæreo cum Joanne de la Cruz, *in Direct. Conscien. par.* 1. *precept.* 5. *art.* 3. *concl.* 3 Bannes, *in* 2. 2. *D. Tho. quæst.* 40. *art.* 2. *dub. ult.* Candido, *tom.* 1. *disquis. art.* 8. *dub.* 2. Ledesma, *in Sum. tom.* 2. *tract.* 3. *cap.* 13. *conclus.* 58. Diana, *par.* 9. *tract.* 9. *& miscell.* 4. *Ref.* 2. quibus adderem Hugonem Grotium, nisi esset hæreticus, dum *de jure belli, lib.* 3. *cap.* 11. *num.* 10. „ ait. In hac Classe primùm ponendi sunt hi, „ qui sacra curant: nam ut hi ab armis abstinerent, mos ab antiquo fuit gentium omnium; „ atque ideo vicissim vi in illos temperabatur. „

8. Moveor primò juribus, *in d. cap. Si quis suadente diabolo, causa* 17. *quæst.* 4. *cap. Cum illorum, cap. De Monialibus, & cap. Veniens, de sentent. excomm.* ubi constat injicientem manus violentas in Clericos excommunicatione ipso jure puniri: *& in l. si quis in hoc genus, Cod. de Episc. & Cler.* ubi habetur, incurrere crimen sacrilegij illum, qui offendit Clericos, vel Ministrantes in rebus sacris, ut notat Decianus, *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 1. Quid facit miles Clericos post partam victoriam in Campo hostili inventos occidendo? in illos saoè manus violentas, & nimis violentas injicit. Ergo sacrilegus, ergo excommunicatus.

9. Moveor secundò ratione; nam Princeps extra actualem conflictum non est Judex Clericorum: quando verò adest completè victoria, non amplius adest conflictus: & ideo Princeps non potest illos occidere, & occidendo non agit impunè; & sic milites ejus exequentes voluntatem, sive expressam, sive tacitam, Clericos nequaquam impunè interficiunt.

10. Moveor tertiò exemplo, in Philisthæis hostibus Judæorum, qui non nocebant Collegio Prophetarum, quod erat Gabæ, ut videre est. 1. Reg. 10. 5. & 10. propterea ad alium locum, ubi simile erat Collegium, tanquam sepositum ab omni armorum injuria, cum Samuele confugit David. 1. Reg 19. 18. Cretenses, scribit Plutarchus, cùm bellis intestinis colliderentur, omnem noxam abstinuisse à Sacerdotibus, & ijs, quos humandis mortuis præpositos vocabant. Notat Strabo olim cùm tota Græcia armis fremeret, Eleos, utpote Jovi sacros, & eorum hospites in alta pace vixisse. Sacerdotibus illis meritò hac in parte æquantur, qui vitæ genus simile elegerunt, ut Monachi; & Conversi, id est pœnitentes, quibus proinde æquè, ut Sacerdotibus parci volunt Canones naturalem æquitatem sequuti.

11. Concludendum est igitur, injustè, & injuriosè Clericos post conflictum capi, detineri, expoliari, aut occidi; & consequenter capientes, detinentes, occidentes impunè minimè evadere, sed censuras sacrorum Canonum incurrere.

12. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, dicendo, quòd Caramuel intelligit, Summum Pontificem non concessisse Clericis privilegium actu pugnantibus, vel quando, partâ victoriâ, timetur periculum futurum; & ideo tunc posse Clericos impunè expoliari, & occidi, tanquam justi belli finis consecutionem impedientes; id jure naturæ admittente, quod etiam & nos fatemur, ut patet in quarto Not.

13. Ad secundam, & cæteras respondetur, quòd illud, quod dicitur in Rubr. *Excommunicetur*, intelligendum est sic, id est denuntietur excommunicatus: ita explicat Turrecrem. *in d. cap. Si quis, causa* 17. *q.* 4. *ad primum, num.* 7. & eodem modo est exponendum de Tex. *anathematis vinculo subjaceat*, id est denuntietur subjacere, vel sciat, se subjacere, ut exponunt Doctores. Ad argumentum Gloss. concedimus, excipi multos

casus, sed negamus, hunc excipi, ut patet ex dictis.

14. Infero primò ex dictis, incidere in censuram *Can. si quis suadente*, milites, qui manus violentas injiciunt in Sacerdotes, seu Confessarios non pugnantes, sed tantùm in rebus spiritualibus exercitui assistentes absque ulla exhortatione ad pugnam.

15. Infero secundò, offendentem cadaver Clerici, vel Religiosi mortui, sive violenta morte, sive naturali, si illi injuriam faciat, incidere in crimen Canonis, *si quis suadente*; quia durat privilegium etiam in cadavere, ut tenet Felin. *in cap. A nobis, il secondo, num. 4. de sent. excom.* pro qua opinione facit Tex. *in l. 2. ff. de cadaver. punit.* & Gloss. *in cap. Licitè, causa 32. quæst. 7.* Facit etiam Tex. *in cap. Quod in te, de pœnit. & remis.* ubi Clericus mortuus vivo æquiparatur.

16. Infero tertiò; milites post partam victoriam, ingredientes in arcum, aut civitatem, & offendentes omnes, vel singulos Clericos, incidere in censuram Canonis *si quis*, sive Clericus sit conjugatus cum unica tantùm & virgine, ut habetur *in cap. 1. de Cler. conjugat. in 6.* & tradit Lop. *de Liber. Eccles. quæst. 1. num. 2.* dummodò ferat tonsuram, & habitum honestum, sive sit Monachus: & est Tex. apertus *in dict. cap. Si quis suadente*; dato quòd non esset Clericus; nam in primitiva Ecclesia Monachi non erant Clerici. *cap. Generaliter, causa 16. quæst. 1.* Sive sit Novitius non professus, ut probat Tex. apertus *in cap. Religioso, §. ult. de sentent. excomm. in 6.* & tenet Host. *in cap. Statuimus in 2. colum.* & alij. Contrarium sentiunt Innoc. & Abb. antiquus *in cap. Statuimus, extra de regular.* Sive sit conversus alicujus Religionis, & sunt jura aperta *in cap. Non dubium, & in cap. Ex tenore, & cap. Parrochianos. de sentent. excomm.* Sive sit conversus alicujus Ecclesiæ sæcularis, ut tenet Gloss. *in dict. cap. Non dubium*, cùm se tradiderit divino obsequio. Sive sint Moniales, *in cap. Indemnitatibus, de elect. in 6.*

17. Infero quartò, milites, aut alios post partam victoriam, aut quovis tempore, si includant Clericum aliquo loco, licèt corpus ejus non tangant, incidere in pœnam *d. Can. Si quis suadente*, sicut si manus violentas injecissent in eum, & tradit Bar. *in l. licitatio, §. Quod illicitè, ff. de publica.* Bald. *in l. si quæ per calumniam, Cod. de Episc. & Cler.* Paul. & Alexand. *in l. 1. §. Prætor. ff. ne quis eum.*

18. Infero quintò, incidere in censuram *d. Canonis. Si quis suadente*, eum, qui ex odio gravem aliquam injuriam infert Clerico, consistentem, scilicet, in actione exteriori graviter contumeliosa, & in persona illius, quæcunque illa sit, puta, si aquâ eum aspergat, vel spuat in faciem ejus, vel includat eum, vel ponat Custodes ad capiendum si de domo exeat, vel ei equitanti capiat habenas equi, vel rumpat cingulum sellæ, vel minis, & terroribus arrestet eum, vel faciat ire quasi captum ad judicem. Secus verò, si solo metu cogat, ut se redimat, vel sibi aliquid det. Ita docet etiam Turrecrem. *in d. cap. Si quis suadente, §. ad secundum num. 15.*

19. Infero sextò, incidere in censuram *d. Canonis, si quis suadente*, eum, qui à Clerico ludente secum, graviter percussus, illum animo vindicandi graviter repercutit. Ita pariter tenet Turrecrem. *loc. cit. num. 4.* Secus verò; si tanta esset surreptio, quòd nec se vindicaret, nec injuriari intenderet.

20. Infero septimò, excommunicatum ob percussionem publicam Clericorum, vel à Judice Ecclesiastico unius Provinciæ, esse ubique locorum vitandum, Abb. *in cap. Cum & plantare, §. 1. extra, de privileg.* Felin. & Abb. *in cap. 1. extra, de treug. & pace. Gloss. in cap. Si quis Presbyter, causa 1. quæst. 1. Gloss. in cap. Pastoralis, §. Utrum, extra, de appell.* & alij DD.

21. Infero octavò, milites occidentes post partam victoriam Clericos in campo hostili inventos, teneri petere absolutionem saltem ad cautelam, cùm excommunicatio non sit in foro contentioso contemnenda, sive verè, & realiter, sive dubiè, sive justè fuerit lata, sive injustè. Ita tenent plures, quos citat, & sequitur Intrigliol. *Tract. de Casib. conscientiæ, cas. 75. num. 9.*

22. Infero nonò, injicientem manus violentas in Clericum, vel Religiosum non posse absolvi, regulariter loquendo, nisi à Summo Pontifice. Excipi tamen plurimos casus, in quibus possunt ab alijs absolvi, notat Sayr. *lib. 3. Thesaur. cap. 28.* per totum, Turrecrem. *in d. cap. Si quis suadente, §. Ad secundum, num. 8. & seq.*

23. Infero decimò obiter, percutientem Clericos hæreticos incurrere censuram Canonis. *Si quis suadente*: cùm Clericus hæreticus non videatur privatus ejusmodi privilegio: non enim in jure hoc habetur expressum, ut tradit etiam Naldus *in Sum. verb. Hæresis, num. 24.* contra nonnullos, qui sunt refellendi; & successivè teneri petere à Sancta Sede absolutionem.

24. Infero undecimò, percutientem publicè Clericum, utpote excommunicatum vitandum, nec non, & alium publicè excommunicatum, non posse validè testari, ut notat Card. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. si quæramus, ff. de testam.* Contrarium tenent Abb. & Felin. *in cap. Ad probandum, de re jud.* Joan. Andr. *in cap. Decernimus, de sent. excomm.* & Card. *in Clement. 1. de except.* Quod putamus esse verum, quando excommunicatus testamentum facit ad pias causas, & nobis favet Innoc. *in cap. Cum voluntate, de sent. excomm.* Vide Bald. & Salic. *in Authen. Credentes, Cod. de hæret.* Felin. cum alijs, quos producit Card. Alban. *loc. cit.* ubi dixit reconvalescere testamentum factum ab excommunicato, si petat absolutionem à censura, & absolvatur.

* * *

XXVII. DIFFICULTAS.

An peccent Catholici milites contra leges excommunicationis, præcipuè Bullæ Cœnæ, participantes in bello justo cum militibus hæreticis, aut in alijs negotijs politicis exercitûs.

1. NOtandum primò, hæreticum ab hæresi denominari, quæ, ut colligitur ex D. Tho. 2. 2. *q.* 11, *art.* 1. & 2. Turrecrem. *lib.* 4. *Summæ, par.* 2. *cap.* 1. Sayr. *in expositione Can.* 1. *Bullæ Cœn. lib.* 3. & alijs, est error intellectûs Fidei Catholicæ contrarius cum pertinacia in eo, qui fidem Christi in Baptismo est professus. Quis dicatur esse hæreticus propriè, vide Gloss. *in cap. Illiqui, causa* 24. *quæst.* 3. Oldrad. *in consil.* 110. Spurllecens. *in tract. de fide*, & alios plures, quos congerit Cardin. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in Rubr. Cod. de hæret. num.* 1. & 2.

2. Notandum secundò, præceptum de vitandis excommunicatis antiquissimum esse, & ab ipsis Apostolorum temporibus deductum; unde *in cap. Sicut Apostoli, causa* 11. *quæst.* 3. vocatur præceptum Apostolicum; ut observat Sayr. *lib.* 2. *Thesaur. cap.* 11. *num.* 1.

3. Notandum tertiò, probabilem esse sententiam affirmantem, Hæreticos esse jure divino excommunicatos. Ita tenet Driedo, *lib.* 2. *de libert. christiana, cap.* 8. Pegna, *in additionibus ad Eymericum, in Direct. Inquisit. p.* 2. *comment.* 12. *ad cap. Excommunicamus*, 1. *de hæret.* & alij, quos citat, & sequitur Suarez, *disp.* 21. *de pæn. hæreticorum, sect.* 1. *num.* 1. ubi dicit, hanc veritatem, præter loca Sacræ Scripturæ, & rationes, posse suaderi antiqua traditione Pontificum, Conciliorum, & Patrum.

4. Notandum quartò, excommunicationem duplicem esse, ut alibi tetigimus, minorem, & majorem: Primam esse separationem Christiani à Sacramentorum Ecclesiæ perceptione. Secundam verò esse separationem Christiani non tantùm à communione Fidelium omninò extrinseca, ex Tex. *in cap. Excommunicates, causa* 11. *quæst.* 3. *cap. Si verò, cap. Si quando, de sent. excom.* sed etiam Sacramentorum, ac communi suffragiorum Ecclesiæ perceptione: Farin. & alij cumulati per Intrigl. *Tract. de Casib. conf. cas.* 72. Nam idem esse videtur excommunicare, quod communicationem interdicere.

5. Notandum quintò, si ex hæreticorum conversatione contrahatur hæresis suspicio, Religionis contemptus, & infectionis periculum, jure naturali, ac divino, nobis inhiberi cum illis communicationem; & extra hos casus tantùm jure Canonico, non divino; & ideò extra supradictos casus, posse Summum Pontificem concedere Catholicis communicationem cum hæreticis, non solùm in profanis, sed etiam in sacris, ut ostendit Duardus, *in Bull. Cœn. in Can.* 1. *quæst.* 18. *num.* 21.

6. His adnotatis; ad difficultatem propositam, an peccent Catholici milites contra leges excommunicationis, in exercitu cum militibus hæreticis, aut in alijs negotijs politicis participantes, videtur affirmativè respondendum; quia communicare cum Hæreticis, & Apostatis, qui à fide defecerunt, Ecclesiastico jure, in pœnam ipsorum, prohibitum est, ut affirmant Tannerus, Valentia, Suarez, Sanctarellus, Palaus, & alij cumulati per Dianam, *tom.* 9. *tr.* 23. *Ref.* 2. 3. 4. Præterea, in prima excommunicatione Bullæ Cœnæ nominatim excommunicantur Lutherani, & quidam alij: Ergo saltem isti sunt vitandi; & ideò peccant Catholici milites, si eum militibus Lutheranis, aut alijs communicant in convictu civili, bello, &c. Et ita mordicus tenet Card. Alban. *in lucubrat. in Bart. in Rubr. primæ Consil. florum, num.* 4. ubi absolutè dicit, cum hæreticis commercium non esse habendum, nec cibum, nec potum sumendum.

Verùm contrariæ sententiæ adhæreo ex Palud. *in* 4. *Dist.* 18. *quæst.* 6. *art.* 2. ante medium. S. Anton. 3. *p. tit.* 25. *cap.* 1. *vers.* 8. Adrian. *in* 4. *tract. de Clavib. quæst.* 3. Sayr. *in suo Thesauro, lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 29. Sylv. *verb. Excommunicatio*, 5. *num.* 4. Et apertè Petr. Hurtad. *de fide vol.* 1. *disp.* 76. *sect.* 1. §. 11. Texed. *in Theolog. moral. tom.* 2. *lib.* 3. *tr.* 1. *dub.* 1. *num.* 31. Turrecrem. *in cap. Antecessor, causa* 11. *quæst.* 1. ubi loquitur cum aliqua limitatione. Diana, *loc. cit. num.* 2. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 3. 7.

Moveor primò juribus, *in cap. Quid culpatur, causa* 23. *quæst.* 1. *cap. Julianus. causa* 11. *quæst.* 3. ubi habetur, licere Catholicis militare sub Rege sacrilego, & excommunicato, eùmque in bello justo sequi & defendere, eique obedire. 8.

Moveor secundò rationibus; nam per legem excommunicationis prohibetur tantùm communicare cum speciatim & publicè denunciatis. Atqui Hæretici non sunt nominatim excommunicati: Licèt enim in Bulla Cœnæ aliquæ exprimantur hæreticorum Sectæ, non tamen pro hæreticis nominatim excommunicatis habendi sunt hujusmodi hæretici, quousque tales ab Ecclesia declarentur, sed solùm excommunicati sunt, ut optimè observat Sayr. *in Thesau. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 32. & ideo enumerari non videntur inter Excommunicatos vitandos. Ergo licitum est militibus Catholicis in bello, & in convictu civili cum hæreticis communicare. Tum quia, admissâ saltem tanquam probabili hac nostrâ sententiâ, plurima vitantur peccata, cùm sit quasi inevitabilia, præsertim hisce nostris temporibus, Catholicorum communicatio in bello, & in aliis negotiis politicis cum Hæreticis; quapropter, si peccarent Catholici contra legem excommunicationis cum hæreticis communicantes, oh, quot peccata à Catholicis committerentur! Tum etiam, quia necessitas non habet legem: Supponimus enim bellum, cùm sit justum, esse necessarium, & necessitatem adesse saltem moralem cum hæreticis communicandi: atque adeò miles Catholicus communicando in bello cum hæreticis contra legem excommunicationis non peccat. 9.

Moveor tertiò exemplo, in Philippo II. Hispaniarum 10.

niarum Rege, qui in emergentibus bellis, in Duces, Principes & Equites Lutheranos eligebat, eósque ut generosius & fidelius militarent, absque ullo scrupulo donis fovebat, in convictu civili, & in negotiis politicis cum illis communicabat, ut videre est apud Historicos. Præterquam quòd, in Hispania, ut refert Petrus Hurtadus, *de fide, vol. 1. disp. 76. sect. 1. §. 5.* exercentur commercia cum Anglis, è quibus complures hæretici notorii mercaturam agunt. Et hoc pariter practicari in Gallia tempore pacis notum omnibus est.

11. Concludimus igitur, si hæretici nominatim excommunicati essent, non licere cum illis, juxta Concilii Constantiensis decretum, militibus Catholicis participare in bello quamvis justo, aut in aliis negotiis politicis exercitûs. Secus verò, quando Hæretici sunt innodati excommunicatione tantummodo in communi lata; quamvis quantùm possibibile erit, eorum consortia vitare debeant omnes propter periculum seductionis. Adeóque circa communicationem cum Hæreticis servanda sunt, quæ statuit Clemens VIII. in Bulla, *Cùm sicut*, die 26. Julii, 1596. & Gregorius XV. in alia Bulla, quæ incipit, *Romani Pontificis*, die 2. Julii, 1622. quibus attentè servatis, nullus prorsus ex communicatione cum Hæreticis scrupulus orietur.

12. Ad rationes in oppositum respondemus. Ad primam, admittendo communicare cum Hæreticis & Apostatis jure antiquo esse prohibitum; post verò Bullam Martini V. ut alibi notavimus, incipientem: *Ad evitanda*, editam in Concilio Constantiensi, cum illis communicare communicatione politica, non esse per se illicitum, nisi quando quis nominatim esset excommunicatus, & denunciatus; aut notorius clerici percussor, ut docet Henriquez, *lib. 13. cap. 5. num. 1.* Suarez, *3. p. tom. 5. disp. 9. sect. 2.* Toletus, *in Summ. cap. 9.* Victoria, Sotus & alii: quidquid dicat Navar, *in Manual. cap. 27. num. 35.* Covarruvias, *in Cap. Alma Mater, 1. p. §. 2. num. 2.*

13. Ad secundam, omnes, scilicet, hæreticos esse vitandos, respondemus, post Concilii Constantiensis Decretum, hoc non esse verum, sed solùm ante tale decretum, seu antiquo jure fuisse vitandos.

14. Neque id, quod additur, nempe in prima excommunicatione Bullæ quosdam Hæreticos, scilicet, Lutheranos nominatim excommunicari, adeóque saltem hos esse à Catholicis vitandos, nostræ sententiæ officit, quia hujusmodi denunciatio est generalis, ut docet Sayr. *lib. 3. de censuris, cap. 4. num 32.* Vgolinus, *de censuris Pontifici reservatis, 1. par. cap. 14.* in fine: adeóque neque Lutheranos tenetur miles Catholicus in bello justo vitare, vel alios hæreticos generaliter excommunicatos ex vi quidem excommunicationis; nam si adessent alia motiva, puta scandalum, periculum perversionis, & alia hujusmodi, tunc fatemur communicationem cum illis esse illicitam.

15. Infero primò ex dictis, licere Fidelibus communicare cum excommunicato majori excommunicatione, quoad concernentia necessitatem officii, ut habetur in dictis juribus, & etiam *in Cap. Cum voluntate, & Cap. Cum desideres, extra, de sent. excomm.* & tenet Molfesius, *in Comment. ad Consuet. Neapol. p. 4. quæst. 49. num. 11.*

Infero secundò, in Regionibus, ubi Princeps, 16. seu Respublica permittit mercaturam hæreticis, posse fideles cum illis negotiari, & confabulari eodem modo, quo negotiantur & confabulantur cum non excommunicatis.

Infero tertiò, licèt probabilis sit opinio Farina- 17. cii, *de hæresi, quæst. 182. §. 10. num. 166.* & aliorum ibi relat. asserentium, conversantem cum Hæreticis, & cum illis familiaritatem habentem, esse de hæresi suspectum; attamen in milite conversante eum hæretico in bello justo cessare hujusmodi suspicionem; & hoc quidem ratione justitiæ belli, & necessitatis.

Infero quartò incidenter, Sacerdotem, qui so- 18. lùm in confessione Sacramentali novit aliquem excommunicatum denunciatum esse, non teneri illum vitare, sed posse cum illo tractare, conversari, familiaritatem habere, perinde ac si nesciret esse excommunicatum. Ita etiam docet Hostien. *in Cap. Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Summa Astensis, *par. 2. lib. 7. tit. 11. art. 1. quæst. 27.* & alii plures, quos producit & sequitur Sayr. *lib. 2. Thesaur. cap. 14. num. 26.*

Infero quintò, licere Catholicis communicare 19. etiam in spiritualibus cum excommunicato, scilicet, petendo ab eo consilium pro salute Animæ suæ, si occurrat occasio, & alium capacem reperire non possit. Sic docet etiam Marian. Soc. *in Cap. Inter alia, num. 99. de sent. excomm.* Cajet. *Verb. Excommunicatio*, & alii; & hoc valet etiam pro salute alterius.

Infero sextò, urgente necessitate, licere Fideli- 20. bus communicare cum excommunicatis in corporalibus; uti vocare Medicum excommunicatum, si gravi morbo crucientur, quando alterum æque peritum commodè habere non possunt: auxilium excommunicati petere ad eorum famam tuendam; si alius non adsit ad hoc sufficiens: petere cibum, potum, vestes, & alia necessaria ab excommunicatis, si cum illis habitant, vel inter illos peregrinantur, & aliter habere illa non possunt. Gabr. 4. *Distinct. 18. quæst. 3. art. 1. notab. 3. versic. utilitas duplex*; & alii. Et hoc non solùm pro se ipsis, sed etiam pro aliis, si in eadem necessitate essent; ut colligitur *ex Cap. Quoniam multos, causa 11. quæst. 3.* & DD. communiter tradunt, asserentes hæc omnia esse intelligenda non solùm de absoluta seu extrema necessitate, sed etiam de necessitate magnâ & notabilis incommoditatis. *ex Sum. Asten. par. 2. lib. 7. tit. 12. qu. 20. & 27.* Adrian. *4. sent. tract. de Clavib. quæst. 5.* princip. & aliis, quos refert, & sequitur Sayr. *loc. cit. num. 30.*

Infero septimò, milites, & Vasallos Domini ex- 21. communicati posse, imò teneri eum sequi, si vellet pro Patria pugnare contra Paganos, vel Hæreticos, aliósque hostes injustos, accedentes in magno numero, aut potentia ad Patriam devastandam. *Arg. Cap. Julianus, causa 11. quæst. 3.* quod etiam Hostiensis antea *in Summa, de sent. excomm. n. 16, vers. quid si teneor*, adnotavit. In quo

quo casu excusarentur milites communicando excommunicatis, quibus communicat Dominus eorum, ut notat S. Antonin. *3. par. tit. 27. cap. 1. vers. 8.* Palud. *Dist. 18. quæst 6. art. 2.*

22. Infero octavò, milites fideles captos, & existentes in manibus Ducis excommunicati, posse cum eo communicare. Palud. S. Anton. *loc. cit.*

23. Infero nonò, videntes post annum aliquem non servantem excommunicationem, quem sciebant probabiliter fuisse denunciatum excommunicatum, posse, imò debere credere illum esse absolutum, nisi fundamentum habeant credendi oppositum, & consequenter posse cum illo communicare; ex S. Anton. *3. p. tit. 25. cap. 1.* Durand. Henric. Abb. & aliis.

24. Infero decimò, loquentem inadvertenter cum excommunicato denunciato, quam sciebat esse talem, si statim ac advertat, se retrahit, neque peccare, neque in excommunicationem minorem incidere. Palud. S. Anton. *loc. cit*, quia verè in tali casu ignorans invincibiliter cum eo participat.

XXVIII. DIFFICULTAS.

Milites in bello injusto incendiarii, habentes scientiam juris positivi prohibentis incendium, sed ignorantes id prohiberi sub excommunicatione, Dubitatur, num illam incurrant incendendo.

1. NOtandum primò, In bello justo, & post bellum justum ea omnia licere Principi, & ex ejus mandato, Ducibus & militibus, quæ ad finem belli consequendum necessaria, vel convenientia sunt ad reparationem acceptæ injuriæ, vel illius vindicationem, ad pacem & securitatem firmandam; unde licere hostium bona usurpare, agros devastare, domos incendere. Ita etiam Victor. *Relect. 6, de jure belli, num. 15.* & communiter DD. quos citat, & sequitur Castropalaus, *tract. 6. de charit. disp. 5. punct. 4. num. 2.* Secùs verò, quando bellum est injustum, & est omnium sententia.

2. Notandum secundò, Incendiarios puniri ab Ecclesia excommunicatione, Textus ex expressus *in Cap. Pessimam, causa 23. quæst. 8.* quod est Innocentii II. in generali Concilio, *cap. 18.* excommunicatione quidem latæ sententiæ, si sunt Incendiarii Ecclesiarum, vel Locorum Religiosorum, vel Cæmiterii, vel spatii privilegiati, intuitu Ecclesiæ. Turrecrem. *in d. Cap. Pessimam*: ferendæ verò sententiæ, si sunt incendiarii aliorum locorum. Glos. *in d. Cap. Pessimam, in verb. Interdicimus.* Turrecr. ibid. Circa hanc materiam, seu quâ pœnâ incendiarii puniantur, vide Salic. *in l. data opera, Cod. qui accus. non poss.* Felin. *in Cap. Tua nos, de sent. excomm.* Gloss. *verb. Incendium, in Cap. Cùm devotissimam, causa 12. quæst. 2.* Host. *in tit. de rapt. in rubr. de incendiar. verb. Qua pœna.* Innoc. *in Cap. Sicut dignum, de homic.*

3. Notandum tertiò, incendiarium dici eum, qui malo animo & auctoritate propria incendit aliena, ut domum, segetes, & his similia, *d. Cap. Cùm devotissimam, causa 12. quæst. 2.* & docet Barb. *p. 3. de off. Epis. alleg. 51. n. 73.* vel ignem apponi facit; & ideo omnes dici incendiarios, qui faciunt, aut jubent, aut adjuvant, aut consulunt, aut consentiunt, ut patet per *d. cap. Pessimam, causa 23. quæst. 8. & cap. Si quis membrorum, ead. causa, & quæst.*

Notandum quartò, duplicem esse ignorantiam, antecedentem, scilicet, & concomitantem. Prima est, quæ tempore antecedit actum omnem voluntatis, & tollit omnem cognitionem, quæ si poneretur, nullo modo sequeretur actus. Secunda, seu comitans, sive concomitans actum, dicitur, quæ non antecedit voluntatem, aut actum, nec tollit cognitionem, sed actum comitatur. Ita communiter DD. & præcipuè Moifesius, *in Sum. par. 1. tract. 8. cap. 2. num. 54. & 56.* Quæ verò sit ignorantia probabilis; an & quando excuset à pœna, & quæ sint inter errorem & ignorantiam differentiæ, tradunt Abb. *in cap. Apostolica*, in princ. *de Cleric. excom. in cap. Innotuit, in gl. v. Ignorantiam, de elect.* Jas. *in leg. si res obligata, ff. de leg. 1.* 4.

Notandum quintò, varias esse opiniones, utrùm qui ignorat invincibiliter pœnales Constitutiones, incurrat excommunicationem, & cum Ecclesia omnes toleret, videtur cuique licere sequi illam, quam veriorem putat. 5.

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an miles incendiarius habens scientiam juris positivi prohibentis incendium, sed ignorans id prohiberi sub pœna excommunicationis, illam incurrat, affirmativè respondent Adrianus, *in quæst. 5. de clavibus*, Scotus, *in 4. Dist. 16. quæst. 98* Major. *in d. Dist. 18. quæst. 1.* Glos. *in cap. A nobis, de sentent. excom. & in cap. Ut Animarum*, ubi Joan. Andr. *de Constitut.* Bart. *in l. cunctos populos, Cod. de Summa Trinit.* & omnes alii asserentes, ignorantiam invincibilem pœnæ non excusare à pœnâ, quando adest scientia prohibitionis. Quorum fundamentum videtur esse, quia obligatio delinquentis ad pœnam oritur non ex ejus consensu, sed ex ejus auctoritate legis imponentis, & consensu delinquentis ad delinquendum: & qui vult antecedens, nempe delictum, vult necessariò consequens, nimirum pœnam, *l. illud, ff. de acquir. hered.* præterea, si præter scientiam prohibitionis esset necessaria scientia pœnæ, soli viri docti juris excommunicationes incurrerent, & multi Hæretici non essent excommunicati, cùm plerosque excommunicatio lateat. Deinde Sancta Mater Ecclesia irretitos his laqueis remittit ad Superiores per Confessarios absolvendos, licèt pœnitentes laborent invincibili ignorantiâ. 6.

Fateor, hanc opinionem esse fere communem, & etiam in praxi; attamen loquendo quoad forum internum, contrariæ, quæ mihi verior videtur, adhæreo cum Sylvest. *verb. Excommunicatio, 2. quæst. 14. n. 25. & verb. Ignorantia, q. 7. n. 12.* Sanchez, *de matrim. lib. 9. disp. 32. q. 2. n. 13.* Hujus sent. videtur Host. *cap. A nobis, de sent. excom. vers. ad quod dicimus.* Angel. *excom. 7.* 7.

casu ult. n. 3. Felin. *in cap. Per tuas, 3. de simon.* Card. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. non fatetur. ff. de Confess. n. 6.* ubi alios refert, asserentes ignorantiam, quæ sit probabilis, semper excusare à pœna. Navar. *in Sum. cap. 27. n. 16. & in lat. innova edit. cap. 27, num. 274.* Graff. *1. par. decis. lib. 4. cap. 9. num. 17. & 18.* Suarez, *5. tom. in 3. par. disp. 4. sect. 9. num 19.* & alii apud Saochez, *loc. cit.*

8. Moveor primò juribus, *in cap. Ut Animarum periculis in 6.* ubi habetur, statuta Ordinariorum non ligare probabiliter ignorantes: & nomine Ordinarii benè potest intelligi Papa, qui est Ordinarius Ordinariorum, ut notat Lorca *in disp. 33. de peccatis, memb. 3.* & hæc decisio cùm Animabus faveat, & generaliter de ignorantia loquatur, videtur amplæ interpretationi obnoxia, ut accipiatur non de sola juris ignorantia, sed etiam ipsius pœnæ *cap. Innotuit, de elect.* ubi Innocentius III. declarat, Electores cujusdam Episcopi in pœnam Ecclesiasticam, seu suspensionem incidisse, minimè ignorantia probata. *Et in cap. Nemo Episcoporum, causa 11. quæst. 3.* ubi habetur, excommunicationis sententiam non proferri, nisi pro contemptu clavium: *& in cap. Sacro, de sent. excom.* ubi habetur, non esse sententiam excommunicationis proferendam absque monitione præmissa. Sed qui ignorat, non est admonitus, neque contemnit. *Cap. Cùm voluntate, de sent. excom.* atque adeò miles incendiarius, licèt sciat actum esse damnatum, dum insciusest pœnæ, nempe excommunicationis, excommunicatione non ligatur.

9. Moveor secundò rationibus: nam ad incurrendam excommunicationem, quæ est ultima pœna, quâ Ecclesia punit, *Cap. Corripiantur, causa 24. quæst. 3.* requiritur summa contumacia, *argum.* Tex. *in cap. Sacro, de sent. excomm.* Incendiarius verò, de quo loquimur; omninò contumax in Ecclesiam dici non potest; nam licèt propter incendium, quod scit esse illicitum, & à Deo, & ab Ecclesia prohibitum, Deum offenderit, cùm tamen ignoret invincibiliter ab Ecclesia prohiberi sub pœna excommunicationis, Ecclesiam non omninò contempsit. Et contumax propriè in Ecclesiam is tantum videtur esse, qui ostendendo, præmissa monitione, ab offensione minimè desistit: unde noster miles, cùm non sit contumax, censeri non debet excommunicatus.

10. Moveor tertiò exemplo, in suspenso, qui, si celebrat, incurrit Irregularitatem, quod est certum, juxta sacrorum Canonum dispositionem; & nihilominus, si probabiliter ignoret esse suspensum, & celebrat, non efficitur irregularis, ut per Tex. *in cap. Apostolica, de Cler. excomm.* & ibi Glos. *v. qui probabiliter.* Ex quo patet, excusari ignorantes Constitutionem factam, & sic nostros milites incendiarios excommunicationis vinculo minimè fuisse innodatos.

11. Concludendum est igitur, nostrum militem incendiarium, ignem in bello injusto apponendo, peccavisse, & quidem gravissimè; sed cùm omninò ignoraverit hujusmodi peccatum ab Ecclesia puniri excommunicatione, nequaquam esse in foro conscientiæ excommunicatum.

Ad rationes in oppositum respondemus: ad primam, quòd intelligi debet de pœna cognita, vel debita cognosci, & delicto proportionata, quæ est pœna ordinaria; qui enim vult antecedens, vult etiam consequens, quod novit, aut nosse debet ex illo subsequi; quod sanè concedimus: negamus tamen, quando est pœna extraordinaria, qualis est excommunicatio, 12.

Ad secundam, concedimus viros doctos excommunicationes juris incurrere, si illas sciant, & alios excommunicatione non ligari, si excommunicationem ignorent, 13.

Ad tertiam, fatendo Sanctam Matrem Ecclesiam prudenter se gerere, irretitos his laqueis remittendo ad superiores per Confessarium absolvendos; quia in hisce casibus potest semper intervenire ignorantia, aut crassa, aut affectata, aut saltem vincibilis; ut quia non fuit adhibita omnis diligentia, necessaria ad acquirendam cognitionem prædictam. 14.

Infero primò ex dictis, Alienigenas non ligari excommunicatione Loci, in quo sunt, si ignorent statuta, & consuetudines illius loci. Circa quod videnda est Glossa, *in l. item Mela, ff. ad legem Aquil.* & videndi sunt Doct. *in l. 1. Cod. de Summa Trin. & fide cath.* 15.

Infero secundò, ignorantem non ligari excommunicatione lata per statutum alicujus Episcopi, *cap. 2. de constit. lib. 6.* Statutum enim est quid facti, quatenùs dicitur jus privatum ipsius loci, *Dist. 9. cap. catholica*: & ideò in eo potest oriri probabilis ignorantia. Secùs verò in statutis ejusdem Civitatis; cùm dicta statuta dicantur esse juris communis quoad subditos, ut docet Bart. *in l. omnes populi, ff. de just. & jur.* & jus commune quilibet præsumitur scire. 16.

Infero tertiò, incurrere in censuram illum, qui vincibiliter ignorat sententiam excommunicationis per Romanum Pontificem latam, si in illam, durante tali vincibili ignorantia, incidit. Textus est *in cap. Cùm illorum; de sent. excomm.* ignorantia enim vincibilis excusat tantùm à censuris particularium Prælatorum, dummodo non sit crassa & supina: ita Tex. *in cap. 2. de constit. lib. 6.* 17.

Infero quartò, eum, qui prohibitionem sub pœna latæ excommunicationis scit, sed, dum certum quid agit, non recordatur, ex eo, quòd non est in nostra libertate omnia reminisci, excusari à peccato mortali, & à censura: ut si quis inadvertenter communicaret cum nominatim excommunicato denunciato in divinis. Cajet. *1. 2. quæst. 6. art. 8.* Sylvest. *In verbo excommunicatio 6. n. 26. in fin.* 18.

Infero quintò, ignorantiam juris directè voluntariam non excusare ab excommunicatione, cùm sit dolus præsumptus, & manifestus, puta, si quis vellet aliqua ignorare, ne ab illis peccaro retraheretur. Ita etiam docet Graff. *Par. 1. decis. lib. 4. cap. 9. n. 38.* 19.

Infero sextò, non excusare ab excommunicatione ignorantiam crassam, quæ est quando aliquid ignoratur, quod publicè factum est, vel coram populo: & hæc ignorantia crassa æquiparatur 20.

tur scientiæ etiam in pœnis delictorum Abb. *in cap. Apostolica, num. 3. de Clerico excommunicato, cap. 2. de Constit. lib. 6.*

21. Infero septimò, Incendiarios ex malitia non esse absolvendos, nisi resarcito damno, ut per Tex. *In cap. Si quis membrorum, causa 23. quæst. 8.* & impotentes ad resarciendum damnum teneri servire ei in propria persona, cui damnum intulere. Turrectem. *In cap. Pessimam, n. 1. causa 23. quæst. 8.*

22. Infero octavò, Ecclesiæ incendiarios ex malitia teneri quindecim annis pœnitere, cum onere restituendi, *Cap. Si quis Ecclesiam. 17. quæst. 4.* & incendiarios domorum, aliorumque bonorum alienorum, tribus annis pœnitere, cum onere restituendi damna. *Cap. Si quis domum, de injuriis, & damno dato*, Molf. *in sum. part. 1. Tract. 7. cap. 25. n. 23 & 25.*

23. Infero nonò, incendiarios, postquam declarati sunt excommunicati per cedulones ab Episcopo, absolvi non posse nisi à Summo Pontifice. Molf. *in summ. par. 1. tr. 7. cap. 16. num 8. & tr. 7. cap. 25. num. 25.* & ante denunciationem posse ab Episcopo absolvi.

24. Infero decimò, incendiarium, si mortuus fuerit absque pœnitentia, non esse in Ecclesia, vel alio loco sacro sepeliendum; adest Tex. *in d. cap. Pessimam causa 23 qu. ult.*

XXIX. DIFFICULTAS.

An milites duellantes possint absolvi ab Episcop. Diœces. ubi morantur; an verò teneantur adire Romam pro absolutione ab Excommunicatione.

1. NOtandum primò, duellum privatum esse prohibitum sub pœna excommunicationis latæ, Summo Pontifici reservatæ, & sub aliis pœnis, & præsertim sub pœna privationis Ecclesiasticæ sepulturæ; ut patet ex Pontificum Constitutionibus; nam Pius IV. confirmans Constitutiones Julii II. Leonis X. Clementis VII. & Concil. Trid. *Sess. 25. cap. 19. de reformat.* duella prohibent. Sequitur Gregorius XIII. qui prohibet sub excommunicatione reservata, aliisque pœnis, duella etiam privata, eorumque cooperationem. Clemens denique VIII. prædicta confirmat, aliaque magis explicita addit sub eadem excommunicatione, aliisque pœnis. Duellum esse illicitum, & prohibitum docuit etiam Julius Ferretus, *in suo cons. 1.* multa enim edidit consilia ad duellum pertinentia, quæ possunt ad majorem eruditionem videri; si nullum adsit impedimentum.

2. Notandum secundò, leges tum Civiles, tum Canonicas non ligare legitimè impeditos ad earum observantiam; & per impeditos in casu itineria ad Urbem ob aliquam absolutionem, intelligi eos, qui justo aliquo impedimento detenti, Apostolico se nequeunt conspectui præsentare: quod potest provenire ratione vel ætatis, ut sunt impuberes; vel sexûs, ut sunt mulieres; vel imbecillitatis, ut sunt senes, valetudinarii, membris destituti & alii, qui magnæ sunt potentiæ, sed ita delicati, quòd laborem veniendi ad Sedem Apostolicam, nequeunt sustinere; vel denique ex defectu libertatis, ut sunt servi, carcerati, & his similes, ut colligitur *ex cap. 1. cap. Mulieres, cap. Ea noscitur, cap. Quamvis, cap. Quod, de his, & cap. De cætero, de sent. excom.*

His adnotatis; ad difficultatem propositam, an milites duellantes possint absolvi ab Episcopo Loci, ubi morantur, an verò teneantur adire Urbem pro absolutione ab excommunicatione; videtur respondendum, teneri venire Romam; quia in Constitutione Clementis VIII. contra duellantes, incip. *Illius vices*, edita anno 1592. §. *Ipsas verò*, ita reservatur absolutio ab excommunicatione contracta ob duellum, ut solùm concedatur absolvi in articulo mortis. Exceptio enim firmat regulam in contrarium, *l. quæsitum, §. Denique, de fund. construct.* Et cum Regula excipiat tantùm articulum mortis, sequitur, quòd extra mortis articulum nunquam huic excommunicationi obnoxius possit absolvi ab alio, quàm à Summo Pontifice. Præterea Clemens VIII. revocat *in d. Const.* omnes facultates, & indulta in ordine ad facultatem absolvendi ab excommunicatione contracta ob duellum; & ideo Episcopus Loci, vel duellantes morantur, non possunt præsumere habere facultatem illos absolvendi. 3.

Verùm, his non obstantibus, contrariam sententiam, quæ mihi probabilior videtur, amplector, & dico, milites duellantes non teneri Romam venire, ut absolvantur. Sanchez, *lib. 2. de matrim disp. 40. num. 3.* Navarr. *in Manual. cap. 27. num. 90.* Avila, *de censur. par. 2. disp. 14. dub. 16. num. 240.* Duardus *lib. 3. in Bullam Cœnæ, §. 1. quæst. 8. n. 21.* Bonac. *disp. 1. de censuris in com. quæst. 3. punct. 2. num 4.* Tabien. *verb. Absolutio 2. num. 8.* Felin. *in cap. Quamvis, de sent. excom.* Panorm. *in cap. De cætero, num. 1. vers. & circa, de sent. excom. in 6.* Suar. 3. *par. tom. 5. de censur. disp. 25. sect. 5. num. 27.* Peregrin. *de duell. q. 37. n. 6.* & alii plures. 4.

Moveor primò juribus, *ex d. cap. Ea noscitur, de sent. excomm.* ubi decernitur, quòd quando ratione impedimenti non est recursus ad Pontificem, potest Episcopus absolvere: *Et ex cap. Eos, qui de sentent. excomm. in 6.* ubi habetur, habentem casum reservatum, si sit legitimè impeditus adire Reservatorem, posse ab alio beneficium absolutionis obtinere. Ar milites censentur legitimè impediti, cùm sint sub potestate Ducis & Principis, & non possint sine aut perjurio, aut nota infamiæ deserere signa. 5.

Moveor secundò rationibus: nam esto, quòd Episcopus non possit regulariter in lege Pontificis, aut Concilii dispensare; potest tamen in casu urgentis necessitatis, quando ad Pontificem aditus non patet. Ita docet Ligna. *Cap. At si Clerici, §. De adult. de judiciis*, ubi Abb. *num. 6.* Bald. *l. omnes populi, num. 8. ff. de just. & jur.* Felin. *cap. 1.* Fallent. *de Constit.* & plures præclarissimi 6.

clariſſimi Canoniſtæ. Quis non videt in hoc caſu, graviſſimam adeſſe neceſſitatem? Inter milites enim, & Principem intervenit contractus, quo miles ita obligat propriam perſonam, ut non poſſit ampliùs ſe retrahere, niſi facultate obtenta, ut alibi diximus, & probavimus; undè capite plectitur, ſi deſerit ſigna. *l. deſertorem, ff. de re milit.* Pericula mortis in bello ſunt evidentia; undè miles manens in peccato mortali, & cenſuris irretitus ob duellum, bellando ſe exponit periculo evidenti damnationis perpetuæ, cùm privatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Ergò poteſt recurrere ad Epiſcopum, cui hujuſmodi neceſſitas facultatem tribuit diſpenſandi. Tum quia, quælibet reſervatio fit in bonum Animarum, ob charitatem, bonámque Reipublicæ gubernationem, non in ruinam. Eſſet autem in ruinam reſervatio cenſuræ ob duellum contractæ, ſi in tanta neceſſitate eſſet indiſpenſabilis: obligaret enim milites ad deſerendum ſigna. En contemptus juris Civilis, nec non Canonici, infamem declarantis deſertorem. En damnum militum, qui graviter puniuntur ob deſertionem. En Reipublicæ ruina, ſi à militibus, tempore præcipuè belli, deſeritur. En charitatis violatio. Non eſt igitur veriſimile, velle Pontificem in caſu tantæ neceſſitatis ſibi ſoli abſolutionem duellantibus militibus dandam reſervare. Ergò poteſt Epiſcopus abſolvere.

7. Moveor tertiò exemplo, ſeu potiùs praxi ferè continua, teſtibus Viris doctiſſimis, præſertim Officialibus hujus Curiæ Romanæ, circa hanc materiam, à me conſultis, & inter eos, Domino Hieronymo Berti Albanen. Procuratore, ſive Secretario hujus ſacræ, & ſupremæ Pœnitentiariæ, Viro doctrinâ, & charitate conſpicuo, Canonico Baſilicæ Lateranenſis, olim Cubiculario, Eleemoſynario à ſecretis, & Veſtiario fæl. record. Innocentij XII. qui omnes aſſerunt irretitos excommunicatione Pontifici reſervata, ratione legitimi impedimenti, ab eorum Epiſcopo abſolvi, & ceſſante impedimento, Sanctæ Sedi perſonaliter, vel per Procuratorem, aut literas, tacito nomine, ſe præſentare.

8. Concludendum eſt igitur, militem excommunicatum ob duellum, vel aliud crimen reſervatum Pontifici habentem; poſſe ab Epiſcopo, extra articulum mortis, abſolvi, dummodò ei injungatur, ceſſante impedimento militiæ, comparere coram Summo Pontifice, aut ejus Majori Pœnitentiario, vel coram eo, à quo debuiſſet abſolvi. *cap. De cætere, & cap. Quod de his, & cap. Quamvis, & cap. Eos, de ſent. excomm.* & ita docent Duardus, *in Bullam. Cœn. lib. 3. §. 2. quæſt. 10. num. 14.* Sylveſt. *verb. Abſolutio 4. n. 3.* Sayr. *lib. 3. de cenſur. cap. 28. num. 22.* & alij. Quæ præſentatio poteſt ſufficere etiam facta per Procuratorem, nulla juſta cauſa exiſtente. Duard. *loc. cit. num. 30.* contra plures illam requirentes perſonaliter.

9. Ad rationes in contrarium reſpondemus. Ad primam, concedimus exceptione firmari regulam in contrarium, quando aliam interpretationem non patitur, ut advertit Federicus de Senis, *conſil. 233. num. 3. verſ. non obſtat:* in noſtro verò caſu exceptio Clementis VIII. poteſt habere aliam interpretationem, ut ex dictis clarè conſtat.

Ad ſecundam, reſpondetur, revocationem 10.
Pontificis intelligi de facultatibus, & indultis abſolvendi regulariter, ſeu de facultatibus, & indultis ſpecialibus; non autem de facultate conceſſa à jure: quia hæc vel eſt per modum legis, ut eſt credibile, cùm reſpiciat bonum commune ſpirituale, & non erit talis lex revocata, quia juris correctio, quantum fieri poteſt, debet vitari, *l. ſi quando, Cod. de inofficioſo teſtam, & l. præcipimus,* in fin. *Cod. de appellat. & cap. Cùm expediat, de elect. in 6.* Et ſalvatur derogatio facultatum, & indultorum ſufficienter, ſi derogentur facultates, & indulta ſpecialia. Vel eſt per modum privilegij, & tunc cùm ſit inſerta in corpore juris, non cenſetur revocata, niſi fiat expreſſa mentio: & eſt communis doctrina Gloſ. *in l. 2. §. Legatis. verb. Non compelluntur, ff. de re judicat.* Felin. *in cap. 2. num. 12. & in cap. Nonnulli, num. 6. & 26. de Reſcript. in 6.* Rui. *conſil. 228. num. 19. vol. 1.* Suarez, *lib. 8. de legibus, cap. 38. num. 21.* & ita ſentiunt alij plures Juriſconſulti, Canoniſtæ, & Theologi.

Infero primò ex dictis, irretitos cenſuris Papa- 11.
libus, non teneri adire Pontificem, ratione cujuſvis Canonici impedimenti, quod conſiſtit in quailbet alia rationabili cauſa, præter ſuprà dictas in Notationibus, ut uxorem alere, & cuſtodire ab Amaſio moleſtatam; evitare inimicorum inſidias; ſubvenire parentibus graviter indigentibus; ſubminiſtrare filijs neceſſaria ad victum; exercere aliquod munus publicum ratione officij, quod gerit, quod ſine gravi detrimento, vel communi, vel privato deſerere non poteſt, ut optimè docet Alter. *in explicat. Can. Bull. Cœn. §. 2. col. 11. & 12.* Unde hos poſſe abſolvi ab Epiſcopo, extra articulum mortis, ratione facultatis Epiſcopis conceſſæ à Trid. *Seſſ. 24. cap. 6. de reform.* abſolvendi in foro conſcientiæ ſubditos ſuos in ſua Diœceſi à quibuſcunque caſibus occultis, nec deductis ad forum contentioſum; nec non & diſpenſandi in quibuſcunque caſibus ex delicto occulto, nec deducto ad forum contentioſum provenientibus, excepto homicidio voluntario. Sanchez, *lib. 2. Decal. cap. 11. num. 2. & cap. 13. num. 36. & 37.* ubi excipit caſum hæreſis, negans abſolvi poſſe per alium, quàm per Romanum Pontificem propter ſtrictiſſimam ejus reſervationem.

Infero ſecundò, impeditos poſſe abſolvi etiam 12.
extra articulum mortis per alium, quàm per eum, ad quem jure ordinario abſolutio pertinet. Duardus, *in Bullam Cœn. lib. 3. in §. 2. quæſt. 8. num. 9.* Felin, & alij contra Innoc. & ipſius Sectatores.

Infero tertiò, ſupradictos impeditos poſſe ab- 13.
ſolvi ab Epiſcopis, etiam ſi tantùm ſint electi, & confirmati, quamvis non ſint conſecrati, ac Sacerdotes, dummodo ſint Clerici prima tonſura initiati; cùm Epiſcopus electus, & confirmatus dicatur abſolutè Epiſcopus in ordine ad actus juriſdictionis, ut habetur ex Suarez, *in tract. de cenſur. diſp. 41. ſect. 2. num. 7.* Duard. *loc. cit. n. 47.*

Infero quartò, poſſe in caſu magnæ neceſſitatis 14.
Epiſcopum diſpenſare in impedimentis, matrimonium dirimentibus, quando matrimonium eſſet publi-

publicum, impedimentum autem occultum, & esset scandalum in separatione; & ad Pontificem aditus non pateret, aut inopia, aut alia justa causa impediente. Ita plures Canonistæ, Jurisconsulti, & Theologi, quos citat, & sequitur Sanchez, *lib. 2. de matrim. disp. 40. num. 3.* Contrarium tenet Sotus, *1. de just. quæst. 7. art. 3.* Corduben. *lib. 1. Quæstionar. quæst. 11. vers. hac igitur secunda opinio.*

15. Infero quintò, nullum Sacerdotem ad confessiones audiendas approbatum, extrà mortis articulum posse absolvere impeditos à casibus, & censuris Bullæ Cœnæ, & alijs Apostolicæ Sedi, ac Locorum Ordinarijs reservatis: nam id expressè statuitur in dicto decreto Clement. VIII. in illis verbis: *Sacerdotibus omnibus, &c. nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo*: quod etiam observat Duard. *loc. cit. num.* 28.

16 Infero sextò, Vicarium generalem ex vi generalis commissionis sibi traditæ à proprio Episcopo, absque alia speciali facultate, non habere potestatem absolvendi impeditos à casibus, & censuris Apostolicæ Sedi reservatis; quia ex allegatis, *cap. de cætero, cap. Ea noscitur, de sent. excomm.* hæc facultas Episcopo competit, ut Episcopus est, & ex officio, & privilegio suæ dignitatis.

17. Infero septimò, solum Episcopum regulariter posse supradictos impeditos absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, alijsque Apostolicæ Sedi reservatis extra articulum mortis. Glos. *in cap. De cætero, in verb. Licet*, & ibi Panorm. *num. 1. de sent. excom.* Nav. *in Manual. cap. 27. num. 89.* Sylv. *verb: Absolutio, 4. n. 7.*

18. Infero octavò, Regulares virtute suorum privilegiorum non posse absolvere à casibus Papalibus, à quibus Episcopus absolvit ratione necessitatis, vel impotentiæ adeundi Summum Pontificem. Quidquid dicat Pasqualigus, *in qq. Canon. cent. 2. quæst. 146.*

19. Infero nonò, absolutos ab Episcopo à casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, propter impedimentum aliquod perpetuum, non teneri, nec per se, nec per Procuratorem Romano Pontifici se præsentare: cùm cessatio impedimenti nequeat expectari: patet ex Tex. *in cap. Quamvis, de sent. excom.*

20. Infero decimò, absolutos ab Episcopo à casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reservatis, propter aliquod impedimentum, legitimum quidem, sed non perpetuum, intelligi absolutos ad reincidentiam; id est cum cautione juratoria, ut cessante impedimento, & cùm primùm potuerint, compareant coram Summo Pontifice, mandatum Pontificium recepturi, aliàs reincidere in easdem censuras. Diana, *par. 7. tract. 10. Resol. 23.*

* * *

XXX. DIFFICULTAS.

An Clericus, obtenta facultate à Pontifice militandi in bello justo, incurrat irregularitatem, si aliquos in dicto bello propria manu occidat, vel mutilet.

Notandum primò. Clericis prohibitum esse 1.
per seipsos propria manu pugnare; ut constat, *ex cap. Quicunque Clericus, cap. Clerici, cap. Quicunque ex Clero, causa 23. q. 8. cap. Ex multa. §. De Clericis, de voto, Clem. 1. de homicid.* & ex alijs juribus; & ita apertè senserunt Viri gravissimi, ex Theologis, D. Thom. 2. 2. *quæst. 40. art. 2.* Greg. Nazian. *orat. 2. de pace.* Cajet. *in 2. 2. par. 3. tit. 28. cap. 2. §. 6.* Ex Canonistis, Abb. Card. Felin. & alij *in cap. penult. de homicid.* & ratio est, quia pugnare non decet Ecclesiæ Ministros, qui rebus spiritualibus, & orationibus vacare debent: ideóque graviter peccare Clericos constat; si bellent, cùm bellare illis sit interdictum jure Pontificio.

Notandum secundò, posse Summum Pontifi- 2.
cem, quando adest rationabilis causa, in hoc jure dispensare, seu dare licentiam Clericis, ut possint bellare; ita docet Gordon. *in Sum. lib. 6. q. 19. cap. 10. num. 27.* Castropalaus, *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 6. num. 9.* Azor. *p. 3. Inst. mor. lib. 2. cap. 16. q. 21.* & alij; quia præceptum non militandi Clericis factum, non est divinum, sed humanum; quidquid dicat Gratianus, *causa 23. quæst. 3.* Bald. *cons. 439.* Præposit. *in cap. Clericum, Dist. 50.* & alij volentes, quòd Papa non possit dispensare cum Sacerdotibus, ut ad bella procedant manibus suis pugnaturi.

His duabus positis adnotationibus: ad diffi- 3.
cultatem propositam, an Clericus habens à Papa facultatem eundi ad bellum justum, & pugnandi contra hostes, fiat irregularis, si occidat aliquem, vel mutilet; affirmative videtur respondendum cum D. Anton. *3. par. tit. 27. cap. 2. §. ult. vers. nota tamen.* Sylvest. *verb. Homicidium, 3. quæst. 6. vers. sextum.* Maiol. *lib. 5. cap. 49. num. 5.* Lorca, *2. 2. disp. 51. num. 24. fol. mihi 965.* & ante ipsos, ita docuisse videtur Joan. de Lignan. Archid. ut notat Sayrus, *in Thesauro casuum conscientiæ, lib 6. cap: 19. num.* 14. Fundamentum hujus opinionis est, quia in Pontificis dispensatione tantummodò concessa censetur licentia Clericis utendi armis ad se defendendum, non verò ad alios etiam Paganos occidendum. Præterea, laicus miles justè pugnans, si occidat, aut mutilet, fit Irregularis: Ergo & Clericus, cui licentia Papæ tantùm favet, ut justè pugnet.

Contrariæ tamen sententiæ, quam veriorem 4.
puto, libenter adhæreo cum Felin. & Calderin. *In cap. Petitio, de homicid.* Panormit. *In cap. 2. de vita, & honest. Clericor. num. 2.* Tabiena, *verb. Irregularitas 3. §. 21. concl. 2.* Covar. *In Clem. si furiosus, par. 2. §. 3. num. 2. vers. 12.* in fine, ubi ait esse communem opinionem omnium. Henriquez. *lib. 14. cap. 11. num.* 4. Molin. *Tom. 1. de just. tract. 2. disp. 108. & disp. 120. concl. 3.* Sayr. *loc.*

cit. Medin. *lib.* 1. *instruct. cap.* 11. §. 11. Cosmus Philiarch. *lib.* 4. *de officio Sacerd. cap.* 11. §. 6. Suarez. Polanc. & alij.

5. Moveor primò juribus, *in l. 2. ff. de jurisdict. omnium Jud.* ubi habetur, quòd dispensatus ad aliquem actum, censetur etiam dispensatus ad omnia, quæ veniunt in consequentiam ipsius: quod etiam docet Menoch. *In cens. 278. n. 24.*

6. Moveor secundò ratione, seu potiùs explicatione juris relati. Nam Pontifex, qui est Caput juris Canonici, dispensat cum Clericis, ut in bello justo possint pugnare. ad pugnam sequitur ordinariè occisio, aut mutilstio: & ideò si dispensat, ut pugnent, dispensare etiam videtur in irregularitate, quæ vi juris Canonici non dispensati incurritur internecione, aut mutilatione. Tum, quia irregularitas est pœna occisionis, aut mutilationis. Atqui Summus Pontifex dispensat in præcepto non pugnandi: Ergo dispensat ab irregularitate inflicta pugnantibus, seu qua pugna sanguinaria punitur. Superior enim, quando dispensst in aliqua lege, censetur consequenter laxare omnes pœnas, quæ propter illius transgressionem impositæ sunt. Tum etiam, quia ex paritate rationis: supponamus, quòd Summus Pontifex vendat alicui rem sacram, prohibitam jure non divino, sed humano vendi, ut esset beneficium Ecclesiasticum secundùm id, quod in ipso temporale est; in tali casu alter dispensaretur in pœnis simoniscis, scilicèt, pœnis, quibus contractus simoniscus punitur: & ideò si Summus Pontifex dispensat in lege non pugnandi, laxare etiam censetur irregularitatem inflictam occisioni, aut mutilationi, quæ sequitur ad pugnam.

7. Moveor tertiò exemplo, In tot Clericis, seu Sacerdotibus, tam Regularibus, quàm sæcularibus, qui de mandato, aut licentia Summi Pontificis in bello justo pugnaverunt, occiderunt, mutilaverunt; & nullibi legimus fuisse ab irregularitate absolutos: & hoc evenit in Cruciats; tunc enim manibus propriis tenentur Clerici pugnare, quia reverà sunt milites, & cessat scrupulus irregularitatis, ut notat Molfesius, *in sum. par. 2. tract. 12. cap. 3. n. 177.*

8. Concludendum est igitur, cùm irregularitas sit impedimentum juris positivi, de licentia Summi Pontificis Clericos habilitari ad præliandum; atque adeò occidendo, aut mutilando minimè incurrere irregularitatem.

9. Ad rationes in contrarium raspondemus: ad primam, negando Antec. gratia enim dicitur, quòd licentia, quam Papa concedit Clerico, ut bellet, sit tantùm ad se defendendum, & non alium offendendum; cùm bellum, tam aggressivum quàm defensivum importet ex sui natura, & sui defensionem, & aliorum offensionem.

10. Ad secundam; negamus consequentiam: quia laico militi pugnanti jus favet commune, Clerico verò speciale jus derogans legi communi: cùm autem Papa putet causam adesse tationabilem permittendi Clericis pugnam, putavit idem de irregularitate laxanda.

11. Infero primò ex dictis, in hac specie irregularitatis ex defectu, scilicèt, lenitatis, solum Papam posse dispensare, tam ad sacros Ordines, quàm ad minores, non autem Episcopum, sic etiam docet Navar. *in Manual. cap. 27. n. 194. §. 7. & num. 218.* Greg. de Valentia, *tom. 4. disp. 7. quæst. 19. punct. 3. §. 4.* in fine. Petrus de Arragon. *2. 2. quæst. 64. art. 8.* in fine. Cosmus Philarchus, *lib. 4. cap. 11. §. 8.* & alij, quos refert Sayr. *loc. cit.* Contrarium tenet Cajet. *In summ. verb. irregularitas.*

Infero secundò, Religiosos laicos pugnantes 12.
in bello justo, sine licentia Pontificis, peccare mortaliter; cùm id directè sacris Canonibus, sub gravibus pœnis, illis prohibeatur. Ita docet etiam Ovied. *De charit. controvers. 12. pun. 9. n. 111.* Leand. *loc. cit. quæst. 112.* Est contra Palaum, & alios, putantes Religiosum laicum ex processu ad bellum tantùm peccare venialiter.

Infero tertiò, posse quidem Summum Pontifi- 13.
cem dispensare in ijs, quæ sunt de jure Canonico humano, non verò in ijs, quæ sunt de jure divino, contra quod nihil potest, nisi interpretando illud: & sic non potest dispensare, ut vendantur Spiritualia, uti sunt Sacramenta, Reliquiæ sacræ, doctrina fidei, & alia spiritualia, quæ sunt de jure divino. Molfesius *in Sum. par. 1. tract. 6. cap. 25. n. 82. & 83.*

Infero quartò, Pontificem, si vendat benefi- 14.
cium alicui secundùm illud, quod in ipso temporale est, censeri dispensare, ut non incurrat in pœnas. Hæc conclusio est etiam Palud. *In 4. dist. 25. quæst. 4.* Sot. Sylvest. Turrecrem. Covar. & aliorum; quia, dum ipse scienter vendit beneficium, & simonia prohibita est jure humano, utique tollit omnem pœnam, & in totum abrogat jus humanum pro illa vice.

Infero quintò, quando simonia est prohibita de 15.
jure divino, non posse Summum Pontificem in illo dispensare; & dispensando, sive pro alijs, sive pro se, ipsum quoque fieri simoniacum; puta, si pontificiam Dignitatam pro pretio temporali venderet, vel renuntiaret: si majori pretio vendere vellet res sacras ex institutione Ecclesiæ, nempe Agnos DEI, vel Grana benedicta, & hujusmodi alia: quia superfluum acciperet ratione consecrationis, vel benedictionis, quæ spiritualis est; quod tamen vix potest accidere.

Infero sextò, Summum Pontificem posse di- 16.
spensare in voto solemni Religionis, ut Religiosus professus contrahat matrimonium, si ita necesse erit pro pace & tranquillitate totius Orbis, ob defectum Successoris legitimi. Ita docent plures Canonistæ, & Theologi, quos recenset Sayrus, *lib. 6. Clav. Reg. cap. 11. num. 14.* ubi dicit esse etiam communem praxim; & constat ex varijs historijs, & exemplis, quæ videri possunt penes Sayrum, *loc. cit.* Et idem esse de Moniali professa. Contrarium tenent plures, quos producit Sayr. *loc. cit. ex cap. Monasterium*, ad fin. *De statu Monachor.* Et inter ipsos est D. Thom. *2. 2. quæst. 88. artic. 11.* Et alibi.

Infero septimò, posse Summum Pontificem di- 17.
spensare in voto castitatis Ordinibus sacris annexo. & est concors ferè omnium sententia: quia, vel nullum votum in ordinum assumptione emittitur, sed solo Statuto Ecclesiæ annectitur eis castitas, ut tenent multi apud Sanchez, *lib. 8. de matrim.*

disp.

disp. 8. num. 1. vel, si revera est votum, non est essentialiter eis annexum, nec jure naturæ, aut divino dirimit matrimonium, sed solo Ecclesiastico, ut probat Sanchez, *lib. 7. de matrim. disp. 27. n. 5.* & in jure Ecclesiastico potest Summus Pontifex dispensare.

18. Infero octavò, posse Summum Pontificem dispensare Religiosis professis in egressu à Religione causâ subveniendi gravi necessitati sororum: Ita Molfes. *In summ. tract. 11. cap. 14. num. 49.* Et Cordub. *in summa, quæst.* 141. testatur se vidisse dispensationes à Summo Pontifice concessas Professis ob hunc finem. Verùm est, quòd Clemens VIII. voluit concedere hujusmodi licentiam cuidam Religioso professo, ut in habitu clericali viveret in sæculo causâ succurrendi necessitati sororum, ac fratrum: at ille, non obtenta licentia, exijt sub prætextu talis necessitatis, & obijt apostata in sæculo. Ita notat Molf. *Loc. cit.*

19. Infero nonò, ut Summus Pontifex possit dispensare, ut Clericus pugnet, ut Sacerdos sæcularis, vel regularis, ducat uxorem, vel Monialis virum, & in alijs dispensationibus, requiri legitimam causam, sine quâ Pontifex dispensando gravissimè quidem peccaret, sed actus essent validi, Sanchez, *lib. 8. de matrim. disp. 8. num. 4.* Duardus, *In Bullam Can. lib. 2. in Can. 7. quæst. 36. num. 68.*

XXXI. DIFFICULTAS.

Sacerdos militi morte mulctando assistens, dixit Ministris sententiæ Executoribus: dirigite ictus sclopeti ad cor ejus, vel ad caput, ut minùs patiatur moriendo accelerations mortis. Dubitatur, num Sacerdos sit irregularis.

1. Notandum primò, patientem eo magis pati, quo minùs mors incæpta acceleratur; & minùs mortem accelerari, quo minùs vulnus est mortale.

2. Notandum secundò, ad incurrendam irregularitatem requiri plenam advertentiam. Ita putat Henriquez, *lib. 4. cap. 11. num. 7.* Avila, *de censur. par. 3. disp. 5. sect. 2. dub. 1. §. 8.* Reginal. *in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 9. num. 103.* Molina, Laym. & alij; quia defectus advertentiæ impedit peccatum; & deficiente peccato in personis privatis, non incurritur irregularitas ex delicto.

3. Notandum tertiò, quemcunque ex publica auctoritate justè, & absque ullo peccato homicidam, irregularem haberi; adeo ut nec ordinari permittatur, nec in susceptis Ordinibus ministrare: & habetur *in cap. Clericis, & cap. Sententiam sanguinis, ne Clerici, vel Monachi, & cap. penult. de homicid.* & alijs juribus.

4. Notandum quartò, Judicem, & Assessorem, qui profert justè sententiam homicidij, vel mutilationis, contrahere irregularitatem ex defectu lenitatis; & habetur *in cap. Ex literis, de excess. Prælat. cap. In Archiepiscopatu, de raptorib. cap. Quæsitum, causa 23. quæst. 4. cap. Sæpè, & cap. His, à quibus, ead. caus. quæst. 8. in Can. 30.* Concilij Toletan. IV. Cùm dicere sententiam sanguinis, & de nocente pœnas etiam justas repetere, repugnet mansuetudini Ecclesiasticæ, ut ait Alexand. III. *in cap. Suscepimus, de homicid.*

Notandum quintò, omnem irregularitatem esse à jure, & nullam esse, neque posse esse ab homine de lege ordinaria, cùm non possit incurri irregularitas, nisi in jure sit expressa; quidquid dicat Suarez, Scotus, Gabriel; de lege verò extraordinaria, aut de plenitudine potestatis, esse posse à Pontifice, cùm sit supra jus Canonicum; aut à Concilio Generali, non verò ab Episcopo, aut Archiepiscopo, aut alijs Prælatis Pontifice inferioribus. 5.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an Sacerdos, assistens militi morte puniendo, qui dixit Ministris sententiæ executoribus: dirigite ictus ad cor, aut ad caput, ut citius moriatur, sit irregularis; affirmativè respondent Layman, Molina, & alij apud Dianam, *p. 3. tract. 5. Miscell. Res.* 79. §. *Igitur; si notabiliter acceleretur mors.* Ratio videtur esse, quia Sacerdos ita dicens, cooperatur in homicidio Ministris justitiæ executoribus, qui sine dubio, juxta notata, incurrunt irregularitatem ex defectu lenitatis: atque adeò & Sacerdos censendus est irregularis. 6.

Fateor, hanc sententiam esse valde probabilem. Contrariæ tamen, quæ non paucos destruit scrupulos, libenter adhæreo, ut scrupulosis omnis relinquatur libertas charitatis exercendæ in similibus, & alijs pluribus casibus, in quibus minimè auderent se charitativos ostendere. Turrian. *de censur. lib. 9. disp. 66. dub. 3.* Diana, *p. 3. tract. 5. Miscell. Res.* 79. Vasquez, & plures alij doctissimi Viri, ut notat Diana, ibid. quibus additur sapientissimus Molfesius, *in sua Summa, p. 1. tract. 2. cap. 16. num. 30.* 7.

Moveor primò juribus, *in cap. Is, qui in Eccles. de sentent. excomm. in 6.* ubi expressè habetur, non incurri irregularitatem, quæ in jure non est expressa. Dic mi Lector, si hanc irregularitatem in jure unquam expressam invenisti? minimè profectò respondebis, si jus Canonicum attentè vidisti. 8.

Moveor secundò rationibus: nam hæc irregularitas non potest esse ab homine, ut notavimus, nec in jure est expressa, ut cantat motus primus; & ideò nullatenus incurritur. Tum quia, jura, in quibus supponitur hujusmodi irregularitas, solùm loquuntur de Ministris justitiæ, & de concurrentibus ad causæ probationem, ut sunt Advocati, Testes, Judices, Assessores, & pœnæ exequutores. Cùm simus igitur in odiosis, quæ sunt restringenda, non debemus illa extendere ad Sacerdotem morienti assistentem, & erga ipsum charitatem exercentem. Tum quia, hic Sacerdos charitate motus, non est causa homicidii injustè: & ideo cùm sit persona privata, & nihil agat ut Minister publicus justitiæ, & absit peccatum, non videtur incurrere irregularitatem ex defectu lenitatis, neque ex delicto. 9.

Moveor tertiò exemplo, seu praxi in tot Viris Religiosis, doctis, & bonæ conscientiæ, qui co- 10.

mitan-

mitando Reum ad supplicium, ei dicunt: pergamus citius; ascende citius scalam; dicuntque justitiæ ministro, dum patientem occidit. Fac citius, ne nimis patiatur: ne detur locus desperationi: & hæc omnia absque timore irregularitatis.

11. Concludimus igitur, Sacerdotem dicentem sententiæ executoribus in militem damnatum, dirigite ictum ad cor, vel ad caput, non esse irregularem, si loquatur ex motivo charitatis; cùm irregularitas, quæ in jure non est determinata, seu expressa, non incurratur: & quamvis multi Doctores concurrerent, dicentes aliquem esse irregularem, non esse illis credendum, cùm non contrahatur irregularitas ex dictis Doctorum, sed solùm aut in casibus à jure expressis, aut in casu, in quo Summus Pontifex de plenitudine potestatis illam imponeret.

12. Ad rationem in contrarium respondemus, hunc Sacerdotem cooperari quidem aliquo modo ad accelerationem, sed justè, non verò injustè; nec ut Minister publicus justitiæ, sed ex motivo charitatis: atque adeò non esse irregularem, cùm nullum jus imponat irregularitatem privatis personis ex defectu lenitatis, ut probat Turrianus, *loc. cit.*

13. Infero primò ex dictis, ad incurrendam irregularitatem, duo debere simul concurrere. Primum, ut in jure exprimatur irregularitas. Secundum, ut actus exterius sit consummatus. Quod etiam probat Covarr. *in Clem. si furiosus, in 2. part.* in princ. *de homicid.*

14. Infero secundò, neminem per culpam venialem, aut nulla existente culpa, esse obnoxium pœnis ob delictum impositis. Suarez, *in 3. p. tom. 5. disp. 4. sect. 1. verb. Suspensio.* Sanchez, *de matrim. tom. 4. lib. 9. disp. 32. num. 24.* quoties enim ignorantia juris, vel facti excusat transgressorem Canonis à peccato mortali, excusat etiam non solùm ab irregularitate, sed etiam ab excommunicatione, suspensione, & Interdicto: Ratio est, quia hæ pœnæ sunt gravissimæ, & Ecclesia est pia Mater: & ideo non est credendum, illas velle ob culpam venialem, aut nullam culpam, infligere. Contrarium tenet Cajet. *in Sum. verb. Suspensio, verb. Irregularitas.* Lopez, *in instruct. par. 2. cap. 31.* Molina, & alij.

15. Infero tertiò, Confessarium, sive Theologum consultum aut à Judice; an ipse teneatur Reum occidere; aut à Ministris justitiæ; an debeant citius Reo mortem inferre, non esse irregularem, si respondet, sic. Ita etiam docent Turrianus, Vasq. cum alijs cumulatis à Diana, *loc. cit. Res. 8.* Contrarium tenet Henriq. Avila, cum alijs.

16. Infero quartò, non esse irregularem Sacerdotem, qui ducit Reum ad patibulum, si illum hortatur, ut scalam ascendat, vel ut supponat caput ad excipiendum ictum; vel dicat Carnifici, quod exerceat omnimodam dexteritatem, ut Reus, qui morte plectitur, citius moriatur; quia in ijs, & similibus casibus non adest homicidium injustum, ut supponimus, nec defectus lenitatis, cùm Sacerdos non operetur ut Minister justitiæ.

17. Infero quintò, non incurrere irregularitatem illum, qui bona fide dat infirmo aliquid, puta cibum, potum; vel eum movet; vel de lecto ad lectum transferr; vel aliud circa illum operatur, ex quo mors, vel ejus acceleratio sequitur præter ejus intentionem, & culpam. Quod etiam docet Reginal. *in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 9. num. 102.* Filliuc. *tom. 1. tract. 19. cap. 10. num. 278.* Megala, Avila, & alij.

Infero sextò, non effici irregularem Medicum, vel Chirurgum, qui omittit curare infirmum, aut vulneratum, propter quod moritur, si ex charitate tantùm tenebatur eum curare. Secus verò, si ex justitia, puta, si esset stipendiatus. Ita sentit etiam Dusrdus, *in Bullam Cœnæ, lib. 2. Can. 9. quæst. 8. num. 21.* 18.

Infero septimò incidenter, non contraxisse irregularitatem ex defectu lenitatis illum, qui antequam esset baptizatus, exercendo officium judicis, occidit hominem, aut mutilavit; quia jura imponentia irregularitatem ijs, qui occidunt, vel mutilant, clarè loquuntur de ijs tantùm, qui post baptismum occidunt, & mutilant, ut constat *ex cap. Si quis viduam, il primo, 34. Dist. cap. Si quis post Baptismum, 51. Dist.* quia nemo ante baptismum est membrum Christi, & sic neque capax defectus lenitatis. Innoc. I. relat. *in cap. Quæ similiter, causa 23. quæst. 3.* Covarr. *in cap. Si furiosus, 1. par. §. 2. num. 5.* Contrarium tenet Gloss. *in dict. cap. Si quis viduam, v. Post baptismum*, & alij. 19.

Infero octavò, Sacerdotem Confessarium, de quo procedit nostra difficultas, non peccare mortaliter excipiendo aliorum confessiones: Secus verò, si esset irregularis, quod nos negamus; modò se exponeret ad confessiones; cùm tunc verè exerceat actus ordinis contra gravem Ecclesiæ prohibitionem. Sic sentit Villalob. *tom. 1. tract. 21. diff. 2. num. 8.* Suarez, Bonae. Præposit. Avila eum alijs. 20.

Infero nonò obiter, & quasi extra rem nostram propositam, ad majorem Lectoris eruditionem, multos esse casus, in quibus damnato differtur, aut aufertur mors, ut advertit Cardin. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in l. servus, ff. de leg. 1.* Ubi inter cæteros, hunc tangit, nempe, si condemnatus ad patibulum duceretur, & Cardinali obvius fiat, qui eum aut veste, aut pileo suo tegeret, eum statim esse liberandum ex approbata quadam, & vetustissima consuetudine haberi: quidquid dicant alij; & hujus sententiæ innumeros producit Auctores, præsertim Albert. Paul. de Castr. Salic. *in l. addictos, Cod. de appell.* Cæpol. *in Cautel.* 2. Martin. Lauden. *in primo tract. de Card. quæst. 6. & in 11. q. 47.* Bald. *in suo Repertor. verb. Principium*, circa finem. Felin. *in cap. Quærenti, de off. deleg.* quibus nos libenter assentimus; cum aliqua tamen limitatione, videlicet, dummodò damnatus reus non sit aut criminis falsi, aut læsæ majestatis, & fortiùs hæresis: & ita docent Barba. *in tract. de præst. Card. in 9. q. 1. par. per leg. Lucius, ff. ad Turpil.* Hippol. de Marf. *in rubr. de fals. col. 3.* Felin. *in cap. Inter dilectos, de fid. instr.* Hos enim omni penitus defensione carere probat Tex. *in leg. quisquis*, 21.

quis, Cod. ad leg. Jul. majeſt. & in cap. Quicunque, de hæret. in 6.

XXXII. DIFFICULTAS.

An irregularitas ex homicidio incurratur à milite in bello injuſto militante, ſi noſcat peccatum, ſed ignoret jus poſitivum prohibens ſub dicta pœna irregularitatis.

1. NOtandum primò, inter delicta, quibus in Jure Canonico irregularitas impoſita eſt, annumerari homicidium, quod definitur corporis humani animati occiſio, ut habetur *in cap. Homicidium, de pœn. Diſt. 1. & cap. Si homicidium, cauſa 23. quæſt. 5.* ex S. Auguſt. *lib.* 19. contra Fauſtum, *cap. 23. & lib. 1. de liber. arbitrio, cap.* 4.

2. Notandum ſecundò, irregularitatem eſſe inhabilitatem, ſeu impedimentum Eccleſiaſticum Jure Canonico introductum. ex ſe, directè, ac primariò impediens perceptionem Ordinum; & indirectè, & conſequenter eorum uſum. Ita communiter Doctores quoad ſubſtantiam, quamvis verbis differant.

3. Notandum tertiò, irregularitatem dividi in eam, quæ provenit ex delicto, & in eam, quæ oritur ex defectu, & hanc dividi in multas ſpecies. quæ cùm non pertineant ad rem noſtram, poſſunt videri apud Auctores, & præcipuè ſuccinctè Leandrum, *p. 5. de irreg. diſp. 1. quæſt. 3.*

4. Notandum quartò, duplicem eſſe ignorantiam, alteram facti, alteram juris, Gloſſ. *in cap. Hac conſtitutione, de offic. deleg. lib. 6. l. 1. & l. regula, ff. de jur. & fac. ignoran.* Gl. ſingul. *in cap. Turbatur, cauſa 1. quæſt. 4.*

5. Notandum quintò, juris, & facti ignorantiam triplicem eſſe, affectatam, ſive optatam, qua quis vult ignorare, quod ſcire tenetur; aut non vult ſcire, ut liberiùs peccet, Molf. *in Sum. p. 1. tract. 8. cap. 9. num. 17.* craſſam, ſive ſupinam, cum quis ignorat ea, quæ communiter omnes ſciunt, & ſcire tenentur, ſaltem ſuæ profeſſionis, *l. nec ſupina, ff. de juris, & facti ignoran.* juſtam, quæ probabilis, ſeu invincibilis dicitur, & eſt illa, qua communiter homines ejuſdem ordinis, adhibita diligentia debita, laborant.

6. Notandum ſextò, quòd ignorantiam juris is habere dicitur, qui ignorat jus irregularem facere homicidam injuſtum, vel injuſtum mutilantem; & ignorantiam facti is habere dicitur, qui legitimè ignorat occidiſſe injuſtè, vel mutilaſſe. Ita communiter DD. & præcipuè Sayr. *in Theſaur. lib. 4 cap. 8. num. 8.*

7. His adnotatis, ad difficultatem propoſ. an miles bellans in bello injuſto, ignorans jus poſitivum prohibens homicidium voluntarium ſub pœna irregularitatis, talem pœnam incurrat, quamvis noſcat ſuum peccatum: plures affirmativè reſpondent. Layman. *in Theol. moral. lib. 2. tract. 2. par. 1. cap. 5. num.* 8. Avila, *de cenſ. part. 2. cap. 5. diſput. 5. dub.* 10. *concl.* 2. Suarez, *tom. 5. diſp. 40. ſect. 5. num.* 10. Azor. *p. 1. Inſt. moral. lib. 1. cap. 15. q.* 7. & alii, quorum præcipuum fundamentum eſt, quia irregularitas non incurritur propter contumaciam, ſed propter deformitatem, ſeu maculam peccati, quod peccantem, ſecundùm Eccleſiæ Canones, inhabilem reddit ad Altaris miniſterium.

Scio hanc opinionem eſſe probabilem; verùm contrariæ, quæ ſuam etiam videtur habere probabilitatem, adhæreo cum Sanchez, *de matrimon. lib. 9. diſput. 32. num.* 17. Peregrin. *de duello, quæſt. 8. num.* 18. Reginald. *tom. 2. lib. 30. cap. 2. num.* 15. Portell. *in addit. ad dub. Reg. verb. Ignorantia, num.* 21. Diana, *part. 3. tract. 5. Miſcell. Reſ.* 67, & alii. 8.

Moveor primò juribus, *in cap. 2. de conſtitut. in 6.* ubi aſſeritur, ignorantes non ligari ſententiis, & non eſt ſermo de ſola excommunicationis ſententia, ſe de omnibus ſententiis Ordinariorum. *Cap. Proeoſuiſti. Diſt.* 82. quod eſt Inn. *Epiſt.* 3. ad Exuperium Epiſc. Toloſ. ubi deciditur, Clericos incontinentes non deponendos eſſe juxta Conſtitutionem Syricii Pontificis, quia eam ignorabant. *Et l. qui injuria 55.* init. *ff. de furtis,* ubi habetur, quòd delinquens, ac ſubinde rei illicitæ operam dans, non ponitur ultra animi menſuram, & ratio eſt, quia voluntate, ac propoſito maleficia diſtinguuntur. *Cap. cum voluntate, de ſent. excomm.* Ex quibus conſtat, noſtrum militem ignorantem prohibitionem juris, alia pœna non eſſe plectendum niſi illa, quam meretur homicidium à ſe patratum & cognitum. 9.

Moveor ſecundò rationibus, nam irregularitas eſt pœna contemptus: ita docet Abb. *in cap. Paſtoralis, §. verùm n. 15. de appel.* Navar. *cap. Cùm contingat, de Reſcrip. cauſa 14. nullitatis, remed. 2. num.* 7. & alii: ideòque deficiente contemptu non incurritur, ut aſſerit Abb. *per cap. 2. de conſtit. in 6.* Imò ad irregularitatem, Navar. *loc. cit.* & alii aſſerunt requiri dolum; *argum. l. lata culpa, ff. de verb. ſign. l. quod Nerva, ff. depoſiti*; miles verò ignorans jus irregularitatem imponens homicidio injuſto, non eſt in dolo, „ nec contemnit, *l. ſi ignorans. ff. locati.* ibi: Non „ enim contemnit diſciplinam, qui ignoravit mi„ litem. Ergo irregularitatem non incurrit. Tum, quia ad incurrendam excommunicationem non ſufficit ſcire opus eſſe prohibitum, ſed requiritur notitia pœnæ, ſeu excommunicationis, ſub qua tale opus prohibetur; ita docent communiter DD. apud Dianam, *loc. cit.* Ergo ad incurrendam irregularitatem non ſufficit, quòd miles ſciat homicidium injuſtum eſſe contra jus divinum & naturale, ſed etiam prohiberi ab Eccleſia ſub pœna irregularitatis, quæ, ſi ipſum lateat, conſequenter non poteſt, nec debet ipſum afficere, ſeu ligare, 10.

Moveor tertiò exemplo, ſeu potiùs paritate novæ Conſtitutionis Pontificiæ, in qua ſi reſervatur abſolutio alicujus delicti in odium illius, ut fecit Bonifacius VIII. in extravaganti contra dantes, promittentes, accipientes, aut acceptantes promiſſionem pro juſtitia, aut gratia à Sede Apoſtolica obtinenda, quæ eſt prima inter communes, *in tit. de ſenten. excomm.* relat. à Molin, 11.

tom. 1. de just. tract. 2. disput. 92. col. 542. vers. pœnæ. Ignorans invincibiliter eam Constitutionem, non incurreret hanc reservationem, quamvis se delinquere novisset, ut probat Sanchez. *loc. cit.* quidquid dicat Imola.

12. Concludimus igitur, militem in bello injusto militantem, si aliquem occidat, & omninò ignoret impositam esse ab Ecclesia homicidio irregularitatem, omnibus quidem esse pœnis obnoxium, quibus homicida plecti solet, non verò esse irregularem, cùm nimis durum sit pœnam pati ob transgressionem legis, quæ ignoratur.

13. Ad rationem, seu fundamentum sententiæ oppositæ, patet responsio ex dictis.

14. Infero primò ex dictis, ignorantem probabiliter, seu invincibiliter cæteras pœnas, nempe excommunicationem, suspensionem & interdictum, annexas peccato, quod committit, illas non incurrere, *cap. fin. de constit. lib. 6. & cap. Apostolica, de Cler. excom.* cùm militet eadem ratio: atque ita tenent Hostien. *in cap. A nobis, il primo, vers. ad quod dicimus.* Graff. 1. *par. decis. lib. 4. cap. 9. n. 9.* Joan. Andr. Anchar. & alii: & à nobis alibi demonstratum est.

15. Infero secundò, ad incurrendam suspensionem, interdictum, excommunicationem, non sufficere scientiam juris positivi prohibentis, sed ultra hoc, desiderari etiam, ut diximus, ipsius pœnæ scientiam: sic etiam docet Navar. *in Summa, cap. 23. hyp. n. 45. lat. 47.* & alibi, ubi ait hanc doctrinam posse plerisque solatium esse, maximè in materia censurarum, & irregularitatis. Eandem sententiam sustinet Philiarc. *tom. 1. De off. Sacerd. par. 1. l. 3. cap. 4. §. 3.* Host. *d. cap. A nobis,* & alij.

16. Infero tertiò, ignorantiam invincibilem facti excusare à pœna illi facto per legem statuta, cùm excuset à culpa: ignorantiam quoque qualitatis culpæ, ob quam imponitur pœna, excusare ab incursu talis pœnæ: ut si quis manus injiciat in Sacerdotem, Sacerdotii invincibiliter ignarus, excommunicationem non incurrit, ut habetur *ex cap. Si verè, il secondo, de sent. excom.* Ratio est, quia excommunicatio non imponitur ob percussionem, sed cum ea qualitate, & circumstantia: & ideò sublatâ culpâ talis circumstantiæ, ratione ignorantiæ excusantis, talis pœna non incurritur. Ita Sanchez, *tom. 3. de mat. lib. 9. disp. 32. n. 23.*

17. Infero quartò, excusari ab irregularitate illum, qui hostem necat, credens invincibiliter feram esse: secùs verò, non facta sufficienti diligentia, si eo animo, ut rei veritatis conscius, adhuc necaret. Sic etiam docet Sanchez. *loc. cit. num. 25.* cùm hujusmodi ignorantia, ratione pravæ voluntaris, à peccato non excuset, ut vult D. Th. 1. 2. *quæst. 76. art. 1. ad 3.*

18. Infero quintò, non ligari excommunicatione reservata, annexa delicto hæresis, illum, qui scit hæresim esse peccatum grave, sed invincibiliter nescit, & ignorat tali delicto esse annexam excommunicationem: atque adeò à quocunque Confessario ritè approbaro posse absolvi. Ita docet etiam Sanchez, *lib. 2. in Decal. cap. 8. n. 5.* in fine, *& capit. 11. num. 1.* Castropalaus, *tom. 1. tract. 4. punct. 1.* Init. Thom. Tamb. *in explicat. Decal. lib. 2. capit. 1. de fide, §. 8. num. 5.*

Infero sextò, ad incurrendam irregularitatem ex violatione censuræ Ecclesiasticæ, requiri, ut scienter officium divinum solemniter exerceat, vel Sacramentum publicè administret in excommunicatione, suspensione, vel interdicto: unde si quis per ignorantiam probabilem, seu ignorans invincibiliter se excommunicatum, suspensum, aut interdictum esse, celebrat, irregularis minimè erit, ut colligitur *ex cap. Apostolicæ, de cler. excommunic.* & ibi Glos. *in Verbo, Probabilis,* & Panorm. ibi *in Summa, & in cap.* final. *num. 5. de excess. Prælat.* Innoc. *in cap. Cum medicinalis, n. 4. de sent. excom. lib. 6.* 19.

Infero septimò, ad tollendos omnes scrupulos; ad incurrendam irregularitatem duo requiri: primum, ut in jure irregularitas sit determinata, seu expressa; quod habetur *in cap.* Is qui, *de sent. excomm. in 6.* Secundum, requiri, ut actus sit exteriùs consummatus, cùm non sufficiat voluntas faciendi actum, nec satis sit conatus ad actum, ita probat Covarr. *in Clem. cap. si furiosus, in 2. par.* in princ. *de homicid. Reginal. lib. 30. tract. 2. n. 8.* 20.

XXXIII. DIFFICULTAS.

Militans in bello iusto, in quo aliqui occiduntur, vel mutilantur, dubius est, an aliquem occiderit, vel mutilaverit. Dubitatur, num debeat se reputare irregularem.

NOtandum primò, dari differentiam inter dubium, opinionem, suspicionem, scrupulum: nam dubium excludit assensum utrinsque partis, sicut etiam excludit suspicio, cum hoc discrimine, quòd suspicio magis in unam, quàm in alteram partem inclinat, quod etiam docet Bonac. *Tract. de peccatis, disp. 2. quæst. 4. punct. 6. num. 6.* 1.

Notandum secundò, dubium aliud esse speculativum, aliud verò practicum. Speculativum dicitur, quando dubitatur in communi de re aliqua, unde oriatur obligatio in conscientia, pura, si quis dubitet, an res sit aliena; dicitur dubium speculativum, quia inde oritur obligatio dubia ad restituendum, vel non. Dubium verò practicum dicitur, quod est circa obligationem ad faciendum, vel non faciendum, positis omnibus circumstantiis. 2.

Notandum tertiò, eum peccare, qui facit aliquid, practicè dubitans esse peccatum, cùm se exponat periculo peccati, de quo dubitat: juxta illud Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo;* & quidem tale peccatum committere, quala dubitatur; cùm habeat affectum ad peccatum ejusdem rationis, seque illius periculo exponat: propterea eum sacrilegium committere, qui dubitat, an committat sacrilegium: eum peccare mortaliter, qui facit aliquid dubitans, se mortaliter peccare. Navarr. *cap. Si quis autem, de pœ-* 3.

nit.

nit. Dist. 7. num. 61. Sanchez, *in oper. moral. lib. 1. cap. 10. num. 2. & 6.* Filliuc. *tract. 21. cap. 4. quæst. 8.* Becan. Regin. & alii.

4. Notandum quartò, nomine conscientiæ intelligi dictamen rationis, quo ratio dictat aliquid faciendum, vel fugiendum esse: & ideò conscientiam dici dictamen, seu judicium, quo judicamus aliquid esse bonum, vel malum, honestum, vel turpe, prosequendum, aut omittendum, per modum præcepti, aut per modum consilii. Sic communiter DD.

5. Notandum quintò, posse dubium deponi, & actum fieri, quando dubium est merè speculativum, sed practicè non dubitatur rationabiliter in contrarium. Ita docet etiam Molfes. *in Sum. p. 1. tract. 8. cap. 9. n. 51.*

6. Notandum sextò, ad deponendum practicè conscientiam, & dubium speculativum vincendum, duo requiri, nempe debitam diligentiam in rei veritate inquirenda, prout loci, & temporis opportunitas hìc, & nunc postulat: & justam aliquam causam deponendi practicè dubium speculativum; cùm judicium practicum sit conforme judicio speculativo, nisi justa aliqua ratio, seu causa moveat ad variandum judicium, & ad faciendum contra judicium speculativum; quod docet etiam Reginaldus, Sanchez, Becanus, Filliuc, quos citat, & sequitur Bonac. *loc. cit. punct. 8. num. 12.* Justa autem causa variandi judicium, seu deponendi dubium speculativum, est consilium bonorum, & doctorum virorum, ut docent Sanchez, Regin. & alii communiter.

7. His adnotatis, venio ad difficultatem, an Pugnans in bello justo, in quo aliqui occiduntur, vel mutilantur, si dubitet, an ipse per se occiderit; vel mutilaverit aliquem, debeat se reputare irregularem. Negativè respondent Bonac. *quæst. 1. punct. 5.* Leand. *p. 5. tract. 2. disp. 7. de irregul. quæst. 130.* & alii, quorum fundamentum est; quia nullus irregularis manet ex eo, quòd, dubitet se in bello justo alium occidisse, vel mutilavisse: præterquam quòd in dubio melior est conditio possidentis: ideóque, dubio existente sive juris, sive facti, irregularitas nequaquam incurritur.

8. Scio hanc opinionem probabilitate minimè carere. Contrariam nihilominus, quam puto esse veriorem, libenter sustineo, dummodo pugnans in bello justo, in quo aliqui occiduntur, vel mutilantur, maneat omninò dubius; ita ut non habeat majus judicium ad unam partem, quàm ad aliam. Ita tradunt S. Anton. *p. 3. tit. 29. cap. 2. §. fin.* Sylvest. *verb. Homicidium, 3. quæst. 6. vers. sextum.* Tabiena, *verb. Irregularitas, 3. §. 21. conclus. 7. & seq.* Polanc. *in Director. cap. De irregularitate.* Sayr. *in Thesaur. lib. 6. de irreg. cap. 19. n. 13.* Candid. *disquisit. 27. art. 4. dub. 3.*

9. Moveor primò juribus, *arg. cap. Ad audientiam, de homicid. & cap. Illud, & cap. Apostolica, de Cler. excomm.* & ibi Glos.

10. Moveor secundò rationibus: nam qui dubitat, an persona, quam intendit percutere, sit Ecclesiastica, illamque, nondum deposito dubio, percutit, debet se reputare dupliciter Reum, & contra justitiam, & contra reverentiam personis Ecclesiasticis debitam; & tenetur has duas circumstantias in confessione aperire, quamvis persona percussa privilegio Ecclesiastico non gaudeat. Item qui contracto matrimonio, dubitans de valore matrimonii, nondum adhibita diligentia in indaganda rei veritate, copulam habet cum alia, committit peccatum adulterii, etiamsi reipsa matrimonium ante celebratum sit invalidum; unde ut adulterum se debet reputare, quia operatur cum conscientia practicè dubia: ita communiter DD. Ergo à pari, qui pugnat in bello justo, in quo sequuntur homicidia, vel mutilationes, & manet omninò dubius, seu in æquilibrio, vel ferè manet in æquilibrio, an aliquem suis manibus occiderit, vel mutilaverit, absque determinato assensu alicujus partis, irregularem se debet reputare. Tum quia, in dubio tutior pars est eligenda, ut tradunt præfati Auctores, S. Anton. Sylvest. Tabiena, Polanc. Sayr.

Moveor tertiò exemplo à pari, in duobus Canonicis Pragensis Ecclesiæ, qui pro Pragensis Ecclesiæ ordinatione accesserunt ad Apostolicam Sedem: objectum fuit eis, quòd erant suspensi, ut sic repellerentur: ipsi volebant probare sententias illas nullas esse, & eis ignorantibus latas fuisse. Pontifex verò relaxavit illas sententias ad cautelam, ne ordinatio Ecclesiæ differretur. Hæc Glossa, *in cap. Apostolica, de Cler. excomm. in verb. Apostolica.* Ex qua relaxatione constat, eum, qui dubitat, an aliquam actionem fecerit, cui annexa est censura, teneri se reputare censuratum: & ita docet pariter communis praxis. Testantur enim hujus Romanæ Curiæ Officiales, quòd militantes in bello justo, in quo secuta sunt homicidia, vel mutilationes, volentes ad Ordines sacros promoveri, si dubitant, an aliquem occiderint, vel mutilaverint, solent petere à Sancta Sede relaxationem ab irregularitate, saltem sub conditione, si illam contraxerint & hoc ad cautelam. 11.

Concludimus igitur, eum, qui in bello justo pugnavit, & dubitat, an aliquod ex homicidiis, quæ in illo videt patrata, suis manibus commiserit, & intellectus neutri parti assentitur, sed manet in æquilibrio, teneri se reputare irregularem: & si velit ad Ordines Ecclesiasticos promoveri, debere aut relaxationem hujus censuræ à Sede Apostolica petere; aut sufficientibus rationibus dubium speculativum vincere, seu practicè deponere. 12.

Ad rationes in contrarium patet responsio ex dictis, & ex dicendis clariùs patebit. 13.

Infero primò ex dictis, eum, qui dubius est, an aliquem occiderit, non esse irregularem, quamvis alii occiderint, dummodo rationabiliter dubium deponat, & cum sufficienti fundamento magis credat, se neminem occidisse, aut mutilasse; nec debere se reputare irregularem: multò minùs si certus sit, quòd ipse nullum occiderit. Henriq. *lib. 14. cap. 3 §. 4.* 14.

Infero secundò Clericum, vel Religiosum militantem in bello justo, absque licentia Pontificis, si dubitet omnino, an alium occiderit, aut mutilaverit, debere se reputare irregularem, & ut talem se à celebratione Missæ, aliorumque Sacramentorum administratione abstinere; & à 15.

fortiori si dubitet de homicidio injustè commisso; cùm certum sit tunc incurrisse irregularitatem, ut patet *ex cap. Significasti, cap. Ad audientiam, 2. de homicid. volunt.*

16. Infero tertiò, eum, qui in bello justo aliquem vulneravit, non tamen occidit, aut mutilavit, si postea occisus sit ab aliis, irregularem esse, si animum occidendi habuit. Secus verò, si non habuit animum occidendi, *arg. cap. Significasti*, 2. dummodo tamen vulnus ejus non fuerit mortale, ut explicat Sayr. *loc. cit. num. 13.*

17. Infero quartò, ex jure novo, aut privilegio, non posse Episcopum dispensare in irregularitate, sive dubia, sive certa sit, contracta in bello ob homicidia, aut mutilationes; cùm in Trident. *Sess. 24. cap. 6. de reformat.* solùm ei concedatur facultas dispensandi in irregularitate orta ex delicto occulto, citra homicidium voluntarium; irregularitas verò ex defectu lenitatis non est ex delicto. Bannea, *in 2. 2. quæst. 64. art. 8. part. 2.* in fin. *dub.* 2 Navar. *in Manual. cap. 27. num.* 194. §. 7. *& num.* 218. Graff. *par. 1. decis. Aurearum, p. 1. lib. 1. cap. 13. n. 39.* & alii. Contrarium tenet Barbosa, *de potest. Episcopi, par. 2. alleg. 39. num.* 47. ubi pro se citat Rodriquez, Covarruv. Campanil, Vivald. & Medinam.

18. Infero quintò, Prælatos Regularium non posse dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis, sive dubiè, sive certè contracta. Aragon. 2. 2. *quæst. 64. art. 4.* Salon. ibi. *quæst. 65. art. 1. tit. An occidens casu, &c. controvers. 4. conclus. ult.* post solutionem ultimi argum. Sylvest. Villadieg. & alii; quia in jure nomine homicidii voluntarii etiam comprehenditur homicidium justum, quod scilicet non fit ex necessitate, vel casu, sed ex voluntate. Contrarium tenet Leand. *par. 5. tract. 2. de irregular. disp. 8. quæst. 135.* & citat pro se Villalob. Filliuc. Dianam, & alios; Atque Vivaldus, *de irregularit. num.* 327. ait, sic fuisse resolutum hic Romæ in facti contingentia.

19. Infero sextò, solum Papam posse dispensare, ut alibi dictum est, tam ad sacros Ordines, quàm ad minores in hac irregularitate ex defectu lenitatis contracta, sive certè, sive dubiè. Thomas Zerola, *in sua praxi Episcopali, part. 1. verb. Irregularitas, §. 8.* cum aliis, quos citat, & sequitur Sayr. *loc. cit. n. 15.*

20. Infero septimò obiter, quòd, qui facit aliquid contra conscientiam erroneam, falsò credens esse peccatum, committit peccatum illius speciei, quam conscientia apprehendit; censetur enim habere affectum ad peccatum talis speciei, cùm voluntas feratur in malum, prout apprehenditur; unde qui copulam habet cum fœmina, quam falsò putat votum castitatis habere, vel esse consanguineam, licèt talis revera non sit, fit reus non solùm fornicationis, sed etiam incestûs, vel sacrilegii: consequenter tenetur in confessione has circumstantias aperire; dicendo: Peccavi cum fœmina libera, quam putabam consanguineam in secundo gradu, vel tertio, vel primo; aut voto castitatis ligatam. Ita etiam Sanchez & alii, quos citat & sequitur Bonacina, *de peccatis, disp. 2. quæst. 4. punct. 6. num. 20.*

XXXIV. DIFFICULTAS.

An omnes, sive Laici, sive Ecclesiastici, militantes in bello justo, tum defensivo, tum aggressive, fiant irregulares, si propriis manibus sanguinem non effundant, vel mutilent.

Notandum primò, ex homicidio publico, justo, & licito oriri irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis, & mansuetudinis: & est certum apud omnes, & alibi à nobis demonstratum est: unde fieri irregulares omnes, qui ex publica authoritate, justè, & absque ulla culpa hominem occidunt; adeo ut nec ordinari permittatur, nec in susceptis Ordinibus ministrare. Sic enim habetur *in cap. Clericis, & cap. Sententiam sanguinis, ne Clerici, vel Monachi, & cap. penult de homicid. & cap. 1. de Cleric. pugnant. in duel. cap. In Archiepiscop. de Raptorib. & Clement. Si furiosus, de homicid. & cap. Miror, cap. Clericum, & cap. De his Clericis, Dist. 50.* 1.

Notandum secundò, Clericos posse bello interesse, ut subsidia spiritualia ministrent, milites consolentur, & ad pugnam excitent, quod alibi tetigimus; modò non excitent specialiter, & expressè ad occisionem, & mutilationem inimicorum. Ita communiter DD. quia hujusmodi officia Clericorum statum minimè dedecent. Et licèt Innocentius *in cap. Dubijs, de pœnis*, prohibeat Sacerdotibus incitationem ad pugnandum; Castropalaus, *tom. 1. tract. 6. disp. 5. punct. 6. num. 5.* Layman. & alii asserunt debere intelligi de bello injusto. 2.

Notandum tertiò, quando bellum est injustum, & in eo sequitur alicujus occisio, vel mutilatio, omnes milites fieri irregulares, sive sint Sacerdotes, sive Laici, sive propriis manibus sanguinem effundant, sive per alios. Sylvest *verb. Bellum, 3. quæst. 3.* Suarez, *disp. 13. de bello, sect. 3, num. 6.* quia sic Bellantes consentiunt cooperari illi homicidio, cùm injustè moraliter omnes influant, sive proximè, sive remotè. Quapropter Clerici in bello injusto spontè arma sumentes, amittunt ordinia sui gradum, & perpetuò in Monasterium detruduntur. Concil. Tolet. IV. *cap.* 44. Quidquid dicat Leander, *tr. 2. de irregularit. disp. 7. quæst.* 127. 3.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an omnes in bello justo militantes fiant irregulares, si propriis manibus sanguinem non effundant, vel mutilent: affirmativè videtur respondendum; nam *in cap. Si quis post baptismum, Dist. 51.* habetur, non esse ad Diaconi dignitatem illum Clericum admittendum, qui arma sumpsit ad necandos Fideles, quamvis gravia non admiserit. Præterea Judex, & satellites assistentes per suam auctoritatem executori homicidii justi non occidunt, non mutilant, & tamen fiunt irregulares, ut est certum apud omnes; ideòque licèt milites immediatè per se non occidant, tamen dum bello assistunt, 4.

assistunt, & quidem quando alios ad pugnandum animant, per alios interficere videntur; paria enim sunt aliquid facere vel per se, vel per alium, *l. 1. §. Dejecisse, de vi, & vi arm. l. is damnum, de reg. jur. & in l. hac edictali, §. Si verò plùs, Cod. de secun. nupt. & in l. via, Cod. de donat.* ergò irregularitatem incurrunt.

5. Verius tamen puto, militantes in bello justo non esse irregulares, si proprijs manibus sanguinem non effundant, vel mutilent, etiamsi alii occidant, vel mutilent, Sylvest. *verb. Bellum, 3. quæst. 3.* Navarr. *in Manual. cap. 27. num. 215.* Suarez, *disput. 13. de bello, sect. 3. num. 6.* Filliuc. *tom. 1. tract. 19. de censur. cap. 10. quæst. 5. num. 269.* Cesped. *in Dub. militarib. dub. 84.* & alii, meo videri, communiter.

6. Moveor primò juribus, *in cap. Petitio, extra, de homicid.* ubi solùm qui in rixa aliquem interficit, jubetur abstinere ab usu Ordinum: *Et arg. cap. Præsentium, de Cler. percuss.* ubi dicitur, quòd non punitur Clericus, ut homicida, si fuit ipse in conflictu pro parte violentiam repellentium, licèt ibi aliqui mortui sint, & ipse lapides projecit, ex quo nullum ipse percussit. *Et cap. Continentia, tit. eod.* ubi habetur, Clericum, qui fuit in conflictu, ubi aliqui fuerunt occisi sine ejus facto, vel consilio, de jure communi posse promoveri ad secundum intellectum.

7. Moveor secundò rationibus, quia ejusmodi Bellantes dant operam rei justæ, & licitæ; & ex alia parte nec interficiunt proprijs manibus, nec intendunt interficere: jura verò disponunt milites justè pugnantes non esse irregulares nisi quando propriis manibus interficiunt, vel mutilant. Tum quia quamvis videantur cooperari aliis sanguinem effundentibus, animando illos, illis auxilium præbendo; attamen cùm animent, & dent auxilium ad justè, & strenuè pugnandum; & bellum per se sit justum, non censentur cooperari proximè ad homicidia, & mutilationes, quæ sequuntur per accidens, & non ex eorum cooperatione remota, & quasi in communi; & ideo immunes remanent ab irregularitate.

8. Moveor tertiò exemplo, in Pelagio Presbytero, qui fuit præsens in bello justo cum ipsis militibus, & pugnavit: at quia neminem propria manu interfecit, eum irregularem non judicavit Honorius Papa III. ut patet *in d. cap. Petitio tua*, relat. à Leand. *Tract. 2. de irregularit. disp. 7. quæst. 115.* & tamen probabile est alios ad pugnandum animasse, cùm vix possit quis in prælium, & in pugnæ conflictum exire, quin eo bello socius ad strenuè, & fortiter præliandum hortetur.

9. Concludimus igitur, militantes in bello justo, sive contra Fideles, sive contra Infideles, irregulares minimè fieri, si aliorum sanguine non maculentur.

10. Ad rationes in contrarium respondemus: ad primam, dicendo, quòd omnes ferè Canonistæ intelligunt Textum allegatum, quando sequitur vel homicidium, vel mutilatio. Ita Glos. Archidiac. Turrecremat. & desumunt hoc *ex cap. 1, Dist. 51.* quod sumptum est ex Epistola Innocentii Primi, missâ ad Concilium Toletanum.

Ad secundam, negamus consequentiam; quia 11.
Judex, & satellites sunt irregulares, quia concurrunt ad determinatam actionem homicidii: milites verò ex eo quòd justè militent, non censentur juvare alios ad occidendum, sed tantùm ad strenuè militandum: & per accidens tantùm putantur ad interneciones cooperari: Præterquamquod, adest determinata declaratio à jure in uno casu, & non in alio, ut notat Diana, *Tract. 1. de irregularitate, Res. 27.* cit. à Cesped. *in Dub. milit. d. 85.*

Ad confirmationem jurium, nempè paria esse 12.
&c. dicimus hæc jura esse intelligenda, quando id, quod fit per alium, est directè præceptum, & volitum à mandante facere.

Infero primò ex dictis, licere absque scrupulo 13.
irregularitatis, Præsulibus, & Sacerdotibus hortari ad pugnam, fortitérque agendum contra hostes fidei, præsentésque esse in bello; cùm hoc liceat ante conflictum, ut omnes admittunt; modò tamen non addatur: interfice, aut mutila. Sic etiam sentit. Molina, *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 108. §. secundum verò.*

Infero secundò, licitum esse Clericis, absque 14.
metu irregularitatis, hortari milites in bello justo ad pugnam in universùm, nempè ut strenuè pugnent, fidem, & patriam defendant. Sic etiam Glos. *in cap. Sciscitaris, v. prodire, can. 7. q. 1.* D. Anton. *3. par. tit. 28. cap. 2. §. 6.* Suarez, *de censur. disp. 47. sect. 6. n. 8.* Covar. Sayr. & alii communiter, quia hortari milites ad pugnandum, non est illos directè provocare ad occidendum, sed tantùm valdè remotè.

Infero tertiò, secundùm aliquorum senten- 15.
tiam, quæ tamen non satis tuta apparet, non esse illicitum Clericis, nec fieri irregulares, si in bello justo hortentur milites non solùm ad pugnam in genere, sed etiam ad prærumpendos hostium cuneos, eósque interficiendos, ut sibi viam, & aditum faciant ad muros; quia hæc irregularitas non est in jure expressa, non *in cap. Quod in dubiis*, cit. cùm loquatur indifferenter; non alicubi, ut fatentur Canonistæ. Contraria tamen sententia, quæ nobis magis placet, est communis, ut notat Leander, *Tract. 2. de irregularit. disp. 7. quæst. 116.*

Infero quartò, non fieri irregularem Clericum, 16.
qui militem aliquem hortatur, ut pro tuenda fide Christiana, pro Ecclesia Romana defendenda det vitam, etiamsi sequatur illius militis mors. Idem dico de sæculari: sic docet Panorm. *in cap. Ad audientiam, num. 5. de homicid.* S. Anton. *3. part. tit. 29. cap. 2. §. homicidium.* Tabiena, Rosella, & alii, quos citat, & sequitur Sayr. *in Thesaur. lib. 6. cap. 39. num. 9. dub. 3.* quia hic non est causa mortis illatæ à persecutore, sed ardentis charitatis, qua quia mortem, & tormenta, pro Christo, & Sancta Ecclesia ejus sponsa, generosè contemnit.

Infero quintò, omnes milites pugnantes in bel- 17.
lo injusto manere irregulares, casu quo diviso exercitu in duas partes, una pars effundat hostium sanguinem, altera verò non occidat, aut mutilet: sic etiam Filliuc. *Tract. 19. cap. 10. quæst. 3. n. 263.*

& alii; quia utraque pars est una causa moralis damni, & injustæ cædis, cùm pars non occidens adjuvet suâ præsentiâ partem pugnantem ad occidendum, & ita experientia suadet. Contrarium tenet Bonacina, *disp. 7. q. 4. punct. 4. n. 3.*

18. Infero sextò, Summos Duces, aciium Gubernatores, Capitaneos, aliósque Officiales pugnantes in bello injusto, non manere irregulares, si in eo nulla homicidia, aut mutilationes fiant. Gibal. *cap. 4. de irregul. quæst. 3. consect. 6. diff. 3.* & alij: quia nullibi in jure statuitur irregularitas injustè pugnantibus, sive laici sint, sive Clerici, si nemo occidatur, vel mutiletur. Contrarium tenet Majol. *lib. 4. De irregul. cap. 94. n. 5.*

19. Infero septimò, manere irregularem Clericum, qui interest injusto bello, etiamsi nullum inferat adversarijs nocumentum, quia rei illicitæ vacat; & quia sua præsentia animat milites suæ partis, & consequenter ad cædes injustas concurrit: sic docet etiam Majol. *lib. 5. cap. 49. num. 5.* Contrarium tenet. Gibal. *cap. 4. quæst. 3. consect. 6. diff.* 3. in fine.

20. Infero octavò obiter, Inquisitiones nullam contrahere irregularitatem, si instent, ut Judex sæcularis exequatur sententiam contra condemnatos, si illam differt. Ita notat Barbosa *in Collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 13. n. 5.* Medina, *in Summa, lib 1. cap. 11. §. 10.* & alij plures apud Dian. *tom. 5. tract. 10 de offic. Inquis. Ref. 68.* Imò Paulus IV. die 19. Aprilis, 1557. & Pius V. statuerunt, ut Inquisitores, Consultores, & alii Inquisitionis ministri essent immunes ab irregularitate quantumcúnque, & quomodocúnque ad hæreticorum condemnationem concurrant, & ita tradit Scortia, *in Bullis Pontif. epist. 10. theor. 34.* Sayr. *de cens. lib. 6. cap. 18. num. 15.* Majol. *De irregul. lib. 2. cap. 9.*

XXXV. DIFFICULTAS.

An tempore interdicti possit ministrari militibus proficiscentibus ad bellum, tanquam in periculo mortis constitutis, Eucharistia.

1. NOtandum primò, interdictum communiter dividi, ut alibi tetigimus, in locale, personale; & mistum: & locale esse, quando solus Locus, v. g Civitas interdicitur, ne ibi divina Officia à Civibus, aut Exteris audiantur, aut celebrentur. Et sic per interdictum locale non interdicitur persona; cùm extra locum illum possit unusquisque, exceptis ijs, qui causam interdicto dederunt, Officia celebrare, & Sacramenta sumere. Ita communiter DD.

2. Notandum secundò, talem esse interdicti localis, seu loci vim, ut loco interdicto, interdictæ censeantur personæ in ordine ad illum locum tantùm, & non ad alium. ita ut in illo loco nec personæ illius loci, nec Alienigenæ exercere possint divina Officia, aut participare in Sacramentis, aut Ecclesiastica sepultura passivè, vel activè. Sic Ledesm. Covar. Angelica, Henriq. Sotus, & alij, quos citat, & sequitur Sayr. *lib. 5. Thesaur. cap. 2. num. 4.*

Notandum tertiò, distingui quidem, rigorosè loquendo, articulum mortis à periculo mortis, cùm articulus mortis solùm detur, quando ex infirmitate prudenter timetur mors, seu judicio Medici periti desperata est vita, ut habetur *in cap. Non est vobis. de sponsal. & cap. Quod in te, de pœniten. & remiss.* & ibi Palud. *in 4. Dist. 18. q. 8. art.* 4. princip. Periculum verò mortis, quando datur occasio, in qua frequenter homines pereunt, & quam non possunt commodè vitare, ut est pugna campalis, seu navalis: sed aliquando idem esse articulum mortis, & periculum illius, ut patet *in cap. Eos, qui de sent. excom.* & docent gravissimi Auctores, quos producit, & quibus adhæret Diana, *par. 12. Tract. de collocationib. &c. Ref. 33.* 3.

Notandum quartò, Eucharistiam esse Sacramentum Corporis, & Sanguinis JESU Christi sub speciebus panis, & vini, institutum ad spiritualem hominis refectionem. Et est certum de fide, ut habetur in Trid. *Sess. 13. Can. 1.* 4.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an tempore interdicti possit militibus proficiscentibus ad bellum, tanquam in periculo mortis constitutis, Eucharistia ministrari, videtur negativè esse respondendum, quod suadet definitio interdicti, præcipuè quam affert Ugolinus, *de Censur. Eccles.* Tab. & alii dicentes, interdictum Ecclesiasticum esse censuram Ecclesiasticam, qua Divinorum Ecclesiæ usus prohibetur, seu Divina Ecclesiæ prohibentur, quatenùs Divina sunt: & ideò cùm Divinorum usus tempore interdicti generaliter prohibeatur, non videtur Sacramentum Eucharistiæ, quod est divinissimum, esse militibus ad bellum proficiscentibus concedendum. 5.

Verius tamen arbitror, posse Eucharistiam militibus ad bellum proficiscentibus tempore interdicti administrari: & ita sentire videntur Palu. *in 4. dist. 18. quæst. 8. art.* 4. princip D. Anton. 3. *p. tit. 27. de interdicto, cap.* 4. Sylvest. *verb. Interdictum, 5. n. 9. vers. quarta exceptio.* Sotus. *in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. conclus.* 4. Navarr. *in Manual. cap. 27. n.* 178. Sayr. *in Thes. lib. 5. c. 7. n. 16* Covar. *in cap. Alma Mater, de sent. excom. p.* 2. §. 2. *num.* 7. & alibi. Diana, *loc. cit.* in terminis, & alii plures. 6.

Moveor primò jure, *in cap. Quod in te, de pœnit. & remiss.* ubi habetur, infirmis in probabili mortis periculo existentibus, posse interdicti tempore Eucharistiam administrari. Hujusmodi verò infirmis milites proficiscentes ad bellum æquiparantur, cùm adsit in bello probabile mortis periculum; atque adeò, non obstante interdicti tempore, videtur illis Eucharistia pariter concedenda. 7.

Moveor secundò rationibus: nam ubicunque in jure pœnitentia existentibus in periculo mortis non negatur, etiam comprehenditur Eucharistia. Pœnitentia verò existentibus in periculo mortis non negatur tam in jure antiquo, quàm novo. Ergo neque erit neganda Eucharistia. Milites verò ad bellum proficiscentes in periculo mortis existe- 8.

existere ferè omnes concedunt: & sic illos posse Eucharistiam tempore interdicti sumere, debemus concedere. Tum quia, Ecclesia pia Fidelium Mater suis pœnis nunquam intendit damnum inferre, sed salutem Animarum procurare.

9. Moveor tertiò exemplo, seu potiùs praxi. Scimus enim in Oppidis, Civitatibus, aliísque Locis, tempore interdicti, constitutis in probabili articulo, seu periculo mortis Eucharistiam administrari, Episcopis scientibus, & nullo modo repugnantibus. Censemus igitur milites ad bellum proficiscentes non debere tempore interdicti Eucharistia privari, cùm possint absque ea, tempore conflictûs è vita migrare. Præterquamquòd, potest Eucharistia illis ad pugnandum magnam conferre virtutem, seu fortitudinem: quapropter Moyses contra Amorræos pugnaturus, milites omnes vesci manna Eucharistiam figurante præcipiebat. Et Constans Imperator, indicto hostibus bello, suis non permittebat ad conflictum accedere, nisi priùs sacra Eucharistia communitis; ad cujus exemplum tot Catholici Principes, & Reges suos milites ad bellum proficiscentes, & præcipuè ad pugnam accessuros, hoc pane Angelorum cibari posteà jusserunt, firmiter illis vim ad pugnandum, & victoriam consequendam eo allaturos existimantes.

10. Concludimus igitur: posse Eucharistiam militibus ad bellum proficiscentibus tempore interdicti administrari, tanquam in articulo mortis constitutis.

11. Ad rationes in contrarium respondemus, usum Divinorum tempore interdicti prohiberi concedendo, sed extra casum necessitatis: non verò necessitate existente, qua urgeri putamus milites ad bellum proficiscentes, ut patet ex dictis, & consideranti patebit.

12. Infero primò, fæminis prægnantibus posse tempore interdicti Sacramentum Eucharistiæ ministrari, quoties periculum mortis, inspecta fæminæ prægnantis qualitate, maximè timeri potest. Panorm. *in cap. Quod in te: & in cap. Pastoralis*, §. 1. *de offic. ord.* Sylvest. *verb. Interdictum*, 5. *quæst.* 7. Covarr. 2. *p. relect.* §. 3. *num.* 2. Contrarium tenent Card. *in d. cap. Quod in te.* Anch. Jo. And. & alij.

13. Infero secundò, damnatis ad mortem tempore interdicti ministrari posse Eucharistiam. Calder. *Tract. de Eccles. interd. fol.* 11. *col.* 4. Anchar. *in cap fin. num.* 7. *vers. viso, de baptismo.* Covar. *loc. cit.* D. Anton. Franc. & alij, quos citat, & sequitur Sayr. *loc. cit. num.* 10. & est communis DD. sententia, quia hujusmodi sunt verè in articulo mortis constituti.

14. Infero tertiò, dari posse Eucharistiam tempore interdicti obsessis ab hostibus, nec non & intrantibus mare ad navigandum, si apparet probabile, aut certum periculum mortis. S. Anton. 3. *p. tit.* 27. *de interd. cap.* 4. & alij, quos allegat, & sequitur Sayr. *lib.* 4. *Thesaur. cap.* 7. *n.* 19.

15. Infero quartò, tempore interdicti, quando Sacerdos defert Eucharistiam ad infirmos, posse illam deferre cum consueta solemnitate, id est cum gestatione luminarium, cùm sono campanulæ, cum recitatione Psalmorum, cùm apparatu sacerdotali, & Christi fidelibus cùm luminaribus ipsam Eucharistiam comitantibus. Calderin. *Tract. de Eccles. interd. memb.* 6. Ancharan. *in cap. Alma mater, num.* 8. S. Anton. *loc. cit.* Angelica, *verb. interdictum*, 6. *n.* 21. Sylv, & alij. Quando enim aliquid in jure permittitur, tunc intelligitur permissum, prout jura disponunt, & usus observat. Cùm igitur simpliciter permissa sit infirmis Eucharistia, intelligitur permissa secundùm formam ordinariam.

16. Infero quintò, tempore interdicti astantes infirmo posse, imò & debere Eucharistiam aspicere, & adorare, & in transitu debere omnes genuflectere, & adorare, cùm tempore interdicti, juxta Doctores citatos, non prohibeatur aspectus, nec ejus adoratio, nisi in ipsa Missa.

17. Infero sextò. Sacerdotem deferentem tempore interdicti Eucharistiam ad infirmum, posse in reditu ad Ecclesiam, facere populo, qui ipsam comitatus est, confessionem generalem; & etiam Eucharistiam populo adorandam ostendere, nec non coram interdictis, & cum illa benedicere populo. Ex Navar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 179. Henriquez, *lib.* 13. *cap.* 45. §. 2. in fin. & alijs.

18. Infero septimò, tempore interdicti pœnitentiæ Sacramentum jure antiquo concessum fuisse existentibus in articulo mortis, juxta explicationem supra positam in Not. 3.

19. Infero octavò, tempore interdicti non licere in die Paschatis ijs, qui extra periculum mortis sunt, communicare. Ita Sayr. Avila, Alterius, & est communis opinio. Quod autem dicitur de die Paschatis, dicitur etiam de die Natalis Domini, Pentecoste, Assumptione Virginis, totaque Octava Venerabilis Sacramenti.

20. Infero nonò incidenter, tempore interdicti, in necessitate posse quamcunque personam, etiam specialiter interdictam, etiam denunciatam conferre Sacramentum Baptismi, sine tamen solemnitate solita fieri in Baptismo, cùm possit Baptismus, necessitate existente, etiam conferri ab Hæreticis, & Paganis, aliísque Infidelibus, dummodò debitam formam servent, & intentionem habeant baptizandi. D. Thom. *in* 4. *Dist.* 5. *qu.* 2. *art.* 2. Tabien. *p.* 1. *Sum verb. Baptismus*, 6. *n.* 3. & alij, asserentes, bonitatem Ministri non esse de substantia Sacramenti. Baptismus enim habet efficaciam ex merito Christi, qui operatur in Baptizato per fidem propriam in adultis; vel per fidem Ecclesiæ in pueris, non ex merito Baptizantis.

21. Infero decimò pariter incidenter, tempore interdicti, & cessationis à divinis, posse matrimonium solemniter celebrari, cùm hoc non inveniatur prohibitum, sed potiùs permissum, *cap. Capellanus, de ferijs.* Innoc. *in cap. Non est*, in fin. *de sponsalib.* & alij innumeri, quos probat Sanchez, *lib.* 7. *disp.* 8. & *disp.* 9.

XXXVI. DIFFICULTAS.

Milites præsidiarii frequenter, ob vicinitatem cum hostibus, pugnant. Dubitatur, num possint ab omnibus reservatis absolvi à quovis Sacerdote.

1. Notandum primò, Summum Pontificem, Episcopos, aliosque Superiores, aliquos sibi casus reservare, aut semper cum censura, ut sunt casus Papales, secundùm omnes, saltem de jure ordinario: aut sæpe sine censura, ut sunt casus Episcopales, unanimi consensu arbitrantes, esse peccatorum enormium frænum hujusmodi reservationem.

2. Notandum secundò, articulum mortis aliquando non distingui à periculo mortis, Diana, *par.* 3. *tract.* 4 *Ref.* 71. aliàs sæpe contingeret, infirmum sine absolutione decedere; cùm Confessarius morborum expertus, nesciat articulum à periculo distinguere. Quidquid dicat Graff. *p.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 84.

3. Notandum tertiò, proprium Sacerdotem, ut notat Richard. *in* 4. *Dist.* 17. dici illum, qui aut habet jurisdictionem ordinariam modo principali; & sic Episcopus est proprius Sacerdos omnium existentium in suo Episcopatu: aut habet jurisdictionem principalissimo modo; & sic Summus Pontifex est proprius Sacerdos omnium Christianorum: aut habet jurisdictionem delegatam ab aliquo istorum, vel Legato Summi Pontificis: & sic omnis Confessarius approbatus est proprius Sacerdos illorum, super quos delegatur jurisdictio: aut habet jurisdictionem ex communi concessione, vel permissione juris: & sic nuncupantur proprii Sacerdotes illi, qui eliguntur ab Episcopo, Abbate, aliisque exemptis in Confessores; cùm iis jus commune permittat eligere idoneum Confessorem. *Extra. de pœnit. & remiss. cap. Ne pro dilatione.*

4. Notandum quartò, quemcunque Presbyterum audientem in confessione constitutum in articulo necessitatis, dici proprium Sacerdotem illius, si proprium Sacerdotem, juxta proximè notata, non potest habere: & eodem modo esse proprium Sacerdotem vagabundorum quemcunque Presbyterum parochialem, in cujus Parochia voluerint confiteri. Turrecrem. *in cap. Quem pœnitet, de pœnit. Dist.* 1. §. *Ad tertium, sub num.* 6. quia hujusmodi Vagi nusquam habent domicilium proprium, *ff. ad municipales, l. Labeo.*

5. Notandum quintò, ad valorem Sacramenti Confessionis non sufficere solum id, quod accipitur in ordinatione, sed requiri ordinariam, aut delegatam jurisdictionem. Ita habetur in Trid. *Sess.* 14. *cap.* 7. & *Can.* 11. damnator ille, qui dixerit, Sacerdotem sine licentia Prælati verè absolvere à casibus reservatis.

6. Notandum sextò, Præceptum divinum confessionis obligare omnes eos, qui post Baptismum mortaliter peccaverunt; adeoque non baptizatos hoc præcepto non obstringi. Aliter sentiunt nonnulli, quos recenset, & impugnat Suarez, *disp.* 35. *sect.* 2.

Notandum septimò, Præceptum divinum confessionis obligare in articulo mortis: & præceptum Ecclesiasticum confessionis obligare saltem semel in anno, ex decreto Concilii Lateran. alibi à nobis relato. 7.

His adnotatis: ad difficultatem propositam, an milites præsidiarii, qui frequenter, ob vicinitatem cum hoste, pugnant, possint ab alio, quàm à proprio Sacerdote absolvi ab omnibus reservatis; videtur negativè respondendum; quia, esto quòd hujusmodi milites sint in aliquo periculo mortis, nihilominus gaudere non possunt privilegio, quo gaudent ij, qui in articulo mortis sunt constituti: privilegium enim in re tam periculosa non debet extendi; cùm absolutio, sine jurisdictione, vel jurisdictionis usu, fit ipso jure nulla, & facultas hujusmodi ab Ecclesia non tribuatur, nisi proprio Sacerdote, seu reservatione deficiente. Ita Sotus *in* 4. *Sent. dist.* 18. *quæst.* 4. *vers. quæris autem*, Graff. *loc. cit. num.* 85. 8.

Fateor, hanc sententiam sua non carere probabilitate; verùm à me semper consideratis Animarum vinculis, cum majori facilitate solvendis; contrariæ sententiæ libenter adhæreo. Sayr. *in sua Clavi Regia lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 25. Cespedes in terminis, *in dub. militar. dub.* 39 Glos. *in cap. Pastoralis*, §. *Præterea, de off. deleg.* & omnes, qui tenent, posse absolvi à quovis Confessario Remigantes in navigatione, nulla suborta tempestate; Baonitos, Mulieres prægnantes. 9.

Moveor primò juribus, *in cap. Quem pœnitet. de pœnit. Dist.* 1. ubi habetur, ad absolvendum in necessitate, ut gratia inveniatur, sufficere quemcunque Sacerdotem, ibi enim ponitur in electione confitentis electio Sacerdotis, cui sit confitendum: Ex Trid. *Sess.* 14. *cap.* 7. ubi habetur, in articulo mortis nullam remanere reservationem; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt: Ita expressè Sancta Synodus; in absentia tamen Confessarii facultatem absolvendi habentis, ut ex Decreto Sacr. Congreg. relato à Nicolio *in Lucub. jur. lib.* 5. *tit.* 39. *de sent. excom. de absolutione, sub* 7. 10.

Moveor secundò rationibus; nam milites præsidiarii, qui frequenter, ob vicinitatem cum inimicis, pugnant, sunt verè constituti in periculo mortis, ut patebit ex tertio motu mox firmando, & ideo possunt à quolibet Sacerdote absolvi à casibus reservatis. Tum quia, fateor per reservationem suspendi jurisdictionem, sine qua absolutio consistere nequit; licet tamen mihi credere, Ecclesiam piam Matrem Sacerdotibus illam non auferre in periculo, seu articulo mortis Navar. *cap.* 27. *n.* 271. *vers.* 7. Cur igitur non poterit nostris militibus, in tam gravi periculo ratione conflictûs constitutis, absolutionem à casibus reservatis quilibet Sacerdos impendere? 11.

Moveor tertiò exemplo, primò, in tot navigantibus per mare, qui cum sint in periculo mortis ob tempestatem nondum ortam, sed orituram, à quovis Sacerdote possunt absolvi, ut tenent 12.

Hutta-

Hurtadus de Mendoza, Sanchez, Emanuel Sa; Suarez, quos refert & sequitur Cesped. *loc. cit.* Et passim absolvuntur, teste experientia. Secundò, in Bannitis, qui cùm possint ubique impunè occidi, sunt in periculo mortis; & successive possunt à reservatis absolutionem obtinere, ut docent Floronus, *de casib. reserv. part. 1. cap. 4. §. 8. num. 9.* Bellochius, *in Praxi theol. moral. part. 1. quest. 2. num. 133.* Nald. *in Sum. aurea, verb. absolutio, n. 5.* & alii. Non videtur igitur nostris etiam militibus deneganda à casibus reservatis absolutio, & quidem validiùs, quàm Remigantibus, & Bannitis; cùm plures ex militibus contra hostes pugnantibus occidantur, quàm ex remigantibus, aut Bannitis moriantur.

13. Concludimus igitur, posse quoslibet Confessarios, absque scrupulo, & cum generosa spiritûs libertate, directè in casu dicto nostros pugnaturos milites, & quoscunque in articulo mortis constitutos absolvere à reservatis; & absolutos non teneri, per se loquendo, iterum confiteri peccatum reservatum, etiamsi supervivant, cum onere duntaxat comparendi Superiori ad specialem modum satisfactionis, & obedientiæ Ecclesiæ, si peccatum confessum, & directè remissum habeat adnexam censuram: Secus enim, si essent in mora culpabili, reinciderent, *ex cap. eos, qui, cap. de cætero, de sent. excomm.* Sayr. in sua Clavi Regia, *lib. 1. cap. 1. n. 25.*

14. Ad fundamentum oppositæ sententiæ patet responsio ex secundo Not. & eod. modo, respondet Diana, *par. 11. tract. 5. Miscell. 5. Res. 29. §. 1.* simul cum Discastillo, & pluribus aliis, asserendo, & probando, quoad absolutionem, idem esse periculum, & articulum mortis; & ideo si quilibet Sacerdos in articulo mortis potest absolvere à reservatis, etiam in periculo mortis poterit absolvere.

15. Infero primò ex dictis, milites præsidiarios in periculo vitæ constitutos, habere obligationem confitendi non tantùm jure Ecclesiastico, si nondum in illo anno confessi sunt, sed etiam à jure divino, quo omnes fideles tenentur in articulo, seu periculo mortis curam gerere suæ salutis.

16. Infero secundò, milites in ipso conflictu posse absolvi à quovis Confessario, quamvis aliqua tantùm peccata exprimant, etiam reservatis omissis; si omnia peccata sua manifestare non possint: sufficit enim confessioni pro sua validitate, esse integram formaliter in casu necessitatis, ut docent Suarez, Coninch, Villalobos, & alii communiter.

17. Infero tertiò, posse Confessarium, si periculum imminens ita postulaverit, plures simul milites proximè præliaturos absolvere, si omnes aliquod peccatum dicant, & aliquod signum sensibile doloris dent; & eodem modo se gerere circa positos in tempestate, in peste, & in aliis similibus casibus, ob paritatem rationis, quam Doctores ita sentientes approbant.

18. Infero quartò, obsessos in aliqua Civitate proximè bombardis expugnandos, & etiam obsidentes, si bombardis propè arceantur, dummodo longè non stent, posse à simplici Sacerdote absolvi ab omnibus peccatis etiam reservatis, cùm supponatur adesse periculum mortis.

Infero quintò, habentem casus reservatos, si occurrat habens jurisdictionem illam absolvendi, & timeat se non habiturum amplius ante bellum, ante conflictum, ante tempestatem, ante pestem, copiam talis Confessarii, teneri statim confiteri. Ita pariter docet cum aliis Naldus *in Sum. v. Casus reservatus, num. 5.* 19.

Infero sextò, tempore belli, & pestis, aliòque casu necessitatis occurrente, debere Episcopos, ad tollendos omnes scrupulos, omnes suos casus, omnemque suam auctoritatem omnibus Confessariis à se approbatis, & præsertim Animarum curam habentibus præconcedere, & etiam pro se, aliisque Confessariis obtinere à Sancta Sede Apostolica facultatem absolvendi à casibus, censuris Summo Pontifici reservatis, ut faciliùs viam peccatoribus aperiant ad pœnitentiam, Animæque securiùs hoc modo Gratiæ, & Gloriæ lucentur, &c. 20.

XXXVII. DIFFICULTAS.

Miles Anglicus in Exercitu Ducis Sabaudiæ fuit damnatus ad mortem: non reperto Sacerdote, linguam Anglicam callente, noluit confiteri per interpretem, sed nutibus.

Dubitatur, num tenebatur per interpretem confiteri.

Notandum primò, confessionem sacramentalem esse, quâ pœnitens coram legitimo Confessario confitetur secretò peccata sua, unà cum illorum circumstantiis, ore proprio, aut eo modo, quo potest illa exprimere. 1.

Notandum secundò, dari in Ecclesia Dei præceptum confessionis, & esse certum de fide, in pluribus Conciliis determinatum, præcipuè in Trident. *Sess. 14. cap. 1. & Can. 6. & 10.* ut notant Doctores Catholici, confutantes Novatianos, Jacobitas, aliosque Hæreticos, qui negabant hoc esse Sacramentum à Christo Domino institutum, sed esse humanum inventum, & ab Ecclesia Dei minimè præceptum. 2.

Notandum tertiò, ex præcepto Ecclesiastico, edito in Concilio Later. sub Innocentio III. & relato *in cap. Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* teneri omnes Fideles ad confessionem saltem semel in anno suorum peccatorum: & ex præcepto tamen divino teneri, quoties imminet periculum mortis, aut adest necessitas, seu obligatio suscipiendi, vel administrandi Sacramentum, & essent in peccato mortali. 3.

Notandum quartò, contra quosdam Hæreticos, non esse necessarium, quòd Confessio publicè fiat, sed posse, imò saltem regulariter debere esse secretam, & auricularem, prout definitur in Concilio Trid. *Sess. 14. cap. 5.* & ex Doctoribus probat Suarez, *disp. 21. sect. 2.* 4.

Notandum quintò, hìc difficultatem non procedere, an possit fieri confessio per interpretem, quod omnes absque controversia concedunt, & usus Fidelium id probat; sed procedere, an pœnitens 5.

nitens debeat ex præcepto Ecclesiastico, aut Divino confiteri per interpretem, quando imminet periculum mortis, & non potest ore suo propria peccata exprimere.

6. His adnotatis, ad propositam difficultatem, an miles Anglicus damnatus ad mortem, & carens Sacerdote callente linguam Anglicam, nempe, an teneatur confiteri per interpretem ex præcepto, sive Ecclesiastico, sive Divino, videtur cum non paucis Doctoribus, & quidem Neotericis affirmativè respondendum. Dictat enim naturæ lumen, & multò magis gratiæ, nos teneri in periculo mortis diligentiorem nostræ salutis curam gerere, relicto omni mundano respectu: si igitur conscii sumus culpæ lethalis, tenemur Sacerdoti eam confiteri per interpretem, si aliter non possumus; nam certum est, culpam lethalem non posse absque confessione deleri, nisi per veram contritionem, quam habere in articulo mortis difficile est, cùm apprehensio mortis perturbet intellectum, & sensus subvertat, timor gehennæ ad attritionem alliciat. Non exiguo igitur damnationis periculo miles Anglicus exponeretur, si medio interprete sua peccata confiteri recusaret: & ideo, dum de sua contritione potest trepidare, de illa certitudinem minimè habens, non excusatur à confessione per interpretem facienda: addito deinde secreto, quo interpres obstringitur ita strictè, ut neque possit examinari, & cogi deponere in judicio contra ipsum confitentem; ut notat Tiber. Dec. *Tract. criminal. lib. 7. cap. 17. num. 9.* circa quod videatur etiam D. Tho. *in 4. Sent. Dist. 21. quæst. 3. ad secund art.* fin. & ibid. Sotus, *Dist. 18. quæst. 3. art. 5. vers. per hoc respondetur.*

7. Fateor, hanc sententiam esse probabilem; contrariæ tamen, quam communem vocat Joann. de Lugo, *de Sacram. pœnit. disp. 15. sect. 5. n. 65.* libenter adhæreo cum Cajet. Ledesma, Medina, Joan. Major, utroque Soto, Palud. Suarez, quos refert de Lugo, *loc proximè cit.* & aliis Recentioribus, quorum opinio probatur à Pasqualigo, *in Theol. tom. 2, disp. 82. sect. 7. n. 35.*

8. Moveor primò juribus, quoad præceptum Ecclesiasticum, *ex cap. Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.* ubi habetur ex præcepto obligari omnem Fidelem ad accusationem peccatorum, inter ipsum solum, & Sacerdotem. Hæc enim sunt verba expressa: *Tenetur solus confiteri sua peccata proprio Sacerdoti.* Particula enim, *solus*, excludit interpretem, ut ponderant graves, & plures Doctores; & habetur etiam in Trident. *Sess. 14. cap. 6.* ut notat etiam Molfesius, *in sua Sum. p. 1. tract. 7. cap. 9. num. 21.* & ead. *Sess. cap. 5.* expressè dicitur, non esse obligati onem ex præcepto Divino ad publicam confessionem, quamvis utilis sit, & meritoria; & ideo nos non teneri ex præcepto Divino ad confitendum, alio audiente, præter Confessarium.

9. Moveor secundò rationibus; nam scimus quidem præceptum Divinum confitendi peccata per se obligare, non solùm in articulo mortis physico, sed etiam in periculo: sed scimus etiam non obligare cum gravi detrimento extrinseco: Detrimentum sanè, & quidem non parvum est, nostra

delicta secreta aliis, præter Confessar
lare; esto quòd interpres maneat obli
to; cùm etiam possit accidere majore
periri verecundiam in detegendis int
stras occultas miserias, quàm ipsimet
rio. Tum quia, communis omnium
posse pœnitentem nutibus, vel scripto
quando aliter non potest se explicar
praxi apud Fideles mutos, & infirmos
tes aliter confiteri; qui modus confi
videtur negandus nostro militi Angli
tem damnato; & ideo minimè ad co
per interpretem est obligandus. Pr
quòd, si sciret obligari ex præcepto
interpretem confiteri, posset absque
ne decedere ob verecundiam, quam
& ratione humani respectûs insuperab
tunc experiri; & nolens confiteri
quo posset, æternæ obnoxius es
tioni.

Moveor tertiò exemplo, in aliquib
bus Germanis, qui nostro belli tempo
rini morte naturali è vita decedentes,
existente Sacerdote linguam Germana
recusato interprete, nutibus confessi
peccata: quam confessionem ut valid
baverunt omnes illius Civitatis Theo
Sacerdote, fide dignissimo, illorum
confessionem excipiente, & mihi
ctum, ut meam sciret circa hoc opinio
ficante.

Concludimus igitur, & si Chris
tuerit, quin aliquis in vindictam su
rum, & sui humiliationem, proxim
cationem, nec non & aliorum exem
licta sua publicè, & successivè per
confiteri possit, non esse tamen hoc
multò minùs Ecclesiastico præcepto
adeóque præceptum confessionis not
nisi ad eam confessionem, quæ fiet
ita sufficere solùm exhibere signum
externum, nempe per nutus propria
internum dolorem Sacerdoti explica
opus esset interprete: licèt consulen
in tali casu damnatus ad mortem, v
dus omnia peccata clavibus exponat
terprete: cùm interpres teneatur ser
tum, seu sigillum, ut omnes commu
contra Cajetanum, Victoriam, & So
recenset, & sequitur Joan. de la
Direct. p. 2. de Sacram. Confess. qu
concl. 1.

Ad rationes in oppositum patet
dictis.

Infero primò ex dictis, ad satisfaci
cepto confessionis annuæ, non tene
tem pro sua confessione uti interpret
teneatur in articulo mortis; potest en
do huic præcepto satisfacere.

Infero secundò, non dari præc
num de confessione facienda per voc
test fieri, neque etiam humanum sc
nullibi reperiatur, sic notat De Lu
n. 78. unde non excludi confessionem
turam Sacerdoti præsenti, & absolve

justa existente causa, dummodo Pœnitens, lectâ à Confessario Scripturâ, dicat aut voce, aut nutu, si voce non potest; De ijs omnibus me accuso: & sic tantummodò determinatum esse per Clementem VIII. ut per literas, seu per Internuncium non posse aliquis Confessario absenti peccata sua sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolvi, contrariam sententiam uti falsam, temerariam & scandalosam damnantem, & pœnâ excommunicationis afficientem illam ut probabilem publicè, aut privatè docentem, & defendentem.

15. Infero tertiò, probabiliter non adesse obligationem confitendi per Scripturam Sacerdoti præsenti, quando Pœnitens loqui non potest, nec nutibus sua peccata declarare, cùm Scriptura ex sui natura sit exposita periculo; potest enim vel teneri à Confessario, vel perdi; & sic peccatum publicari. Ita docet Sotus, Cajet. & alii, quos refert Lugo, *loc. cit. num.* 87. Contrarium tenet Palud. Sylvest. Vasquez; & inter cæteros, D. Th. *in 4. Dist.* 17, *q.* 3. *art.* 4. *quæstiunc.* 3. *ad* 2. Quorum sententia videtur magis secura, magisque consulens saluti animarum.

16. Infero quartò, dubitantem in articulo mortis de sua contritione, posse per interpretem confiteri peccata venialia, & tacere peccata mortalia majoris infamiæ. Ita docet etiam Nugnus, *in addit. ad* 3. *par. quæst.* 9. *art.* 3. *diff.* 2. *ad arg.* 1. vel posse confiteri aliqua venialia tantùm, & generatim omnia mortalia, dicendo, se accusare de omnibus peccatis, quibus Deum offenderit. Coninch. *de Sacram. disp.* 5. *dub.* 10. *n.* 77. Molfes. *in sua Sum. p.* 1. *tract.* 7. *cap.* 11. *num.* 12.

17. Infero quintò, esse absolvendum pœnitentem, qui non potens verbis exprimere peccata sua, exprimit signa contritionis peccatorum, puta, elevando oculos, aut manus in Cœlum, percutiendo pectus suum, aut interrogatus à Confessario, si se pœniteat peccatorum suorum, & absolutionem velit, annuat, vel pro signo affirmativo stringat manum Confessarii: cùm ille nutus, & signa materia sint sufficiens hujus Sacramenti. Ita D. Anton. 3. *par. tit.* 10. *cap.* 2. Sylvest. *verb. Confessor*, 3. *quæst.* 13. & alii communiter, quos probat Suarez, *tom.* 4. *disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 5.

18. Infero sextò incidenter, in sententia asserentium adesse obligationem confitendi per interpretem, quando aliter fieri non potest, ipsum interpretem, non solùm teneri ad observandum sigillum, ut supra diximus, & habetur ex Navar. *in Man. cap.* 8. *num.* 7. Henriquez, *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 19. §. 9. *in addit. lit. F.* sed etiam esse Inquisitoribus denunciandum, tanquam suspectum de hæresi, si sollicitat in confessione mulierem, aut adolescentem, cujus est interpres; quia interpres, quamvis non subjiciatur Pontificiis Constitutionibus contra sollicitantes editis, cùm non sit Sacerdos, nec Confessarius, nec se teneat ex parte Confessarii, sed potiùs ex parte pœnitentis, ut docet cum multis Castropalaus, *tract.* 4. *disp.* 9. *punct.* 9. *num.* 6. participat tamen aliquid de actu clavis; & sub nomine Sacerdotis comprehenditur, sive extensivè, sive per participationem, ut habetur ex D. Tho: *in addit. ad* 3. *par. quæst.* 11. *artic.* 3. *in corp.* dum abutitur Sacramento pœnitentiæ, & gravem injuriam illi infert, contrahit hæresis suspicionem, judicio Inquisitorum examinandam & purgandam, cùm ad sacrum Tribunal spectet cognoscere, non solùm de hæreticis, sed etiam de suspectis de hæresi, ut rectè probat inter alios doctissimus Thom. Del Bene, *in suis Tractatibus de Offic. S. Inquisit.*

19. Infero septimò pariter incidenter, eum non satisfacere præcepto Ecclesiæ, qui facit confessionem voluntariè nullam, cùm Ecclesia suo præcepto intendat saluti Animarum consulere: quem finem in confessione culpabiliter invalida nequaquam consequitur: ideòque contraria doctrina justè, ac piè fuit ab Alex. VII. damnata, & est propositio 14. in ordine.

XXXVIII. DIFFICULTAS.

An Milites Melitenses sint verè absolutè & simpliciter Religiosi.

1. Notandum primò, duplex posse esse bellum justum; unum quod finem temporalem tantummodo respicit, ut sunt bella, quæ inter Principes ordinariè geruntur, aut pro aliquo dominio acquirendo, aut pro aliqua publica injuria vindicanda. Aliud verò ad sublimiorem finem præcipuè ordinatur, nempe ad defendendam Religionem, Fidem, Deique Electos ab Infidelium, Paganorum, vel Hæreticorum injuriis. Quod bellum non solùm justitiam, sed etiam maximam pietatem ostendit. Tale fuit bellum Machabæorum. Tale est bellum, quod contra Saracenos ad defendendam, vel recuperandam Terram Sanctam Sanctissimus Gallorum Rex Ludovicus Nonus constantissimè movit.

2. Notandum secundò, militarium Ordinum appellatione propriè venire eos omnes, qui tribus Religionis votis adstricti, formam aliquam vivendi auctoritate Sedis Apostolicæ approbatam professi, contra hostes Fidei, & Religionis Christianæ, bella sive navalia, sive terrestria committunt.

3. Notandum tertiò, possibilem esse Religionem militarem, id est ad Religiosè militandum, tanquam ad proprium scopum, & finem institutam pro defensione Christianæ Religionis, Ecclesiæ, ac Innocentium. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 3. cùm militare debito modo possit esse opus insignis Charitatis, & Religionis; hocque usus Ecclesiæ confirmavit; nam militares Ordines sub nomine, & approbatione Religionum antiquitus in Ecclesia fuerunt, ut refert Thomas Bozius, *tom.* 2. *de signis Ecclesiæ*, *lib.* 19. *cap.* 1. *num.* 22. & ex alijs historijs illustrium temporum constat.

4. Notandum quartò, milites Melitenses eos esse, qui ducunt Hospitalarij Sancti Joannis Hierosolymitani, & qui olim primùm Hierosolymis cœperunt habitare, deinde in Insula Rhodo, bel-

lo eb Hostibus capta; vel, ut alii volunt, à Gothifredo Primo Hierosolymitorum Rege donata, undè dicti sunt Milites, seu Equites Ichodienses; postmodùm, anno 1523, à Turcis prælio superati, ab Insula Rhodo expulsi, in Insulam Melitam, à Caroli Quinti Imperatoris pie liberalitate eceeptam, commigrarunt; unde Melitenses Equites appellantur.

5. His adnotatis, ad difficultetem propositam, an milites Melitenses absolutè, & simpliciter sint verè Religiosi; negativè videtur respondendum cùm Salmienro, *in suo defensio*, *1. p. monit.* 57. nam quod tendit ad irregularitatem, opponitur Religioni: videmus enim officium militandi ad irregularitatem homicidij ex sui natura tendere, ut per se patet. Cùm igitur Melitensium Equitum Ordo ad hunc finem institutus sit, non videtur vera Religio, & sic Melitenses milites veri Religiosi minimè sunt censendi.

6. Veritas tamen est, Milites, seu Equites Ordinis Sancti Joannis Hierosolymitani, & Hospitalarij, qui communiter militantes Equites nuncupantur, veros esse ex vi institutionis Religiosos. Gloss. *in Clem. quia contingit, in verb. Militarium, de Relig. dom.* Menoch. illustr. c. 105. *num. 49. cum seq.* Petr. Gregor. *syntagm. juris*, *lib. 15. cap. 34.* Azeved. *lib. 14. an. 1. tit. 15. lib.* 3. Menoch. *de arbit. jud. cas. 56. num.* 11, & *casu* 23. *num.* 19. *cons.* 54. *num.* 17. Volater. *lib. 21. Anthropologia*, ibi asserens, hos milites esse Religiosos. S. August. Alc. *Resp.* 20. *num.* 6. Barthol. à S. Fausto, *in Theol. moral. lib. 5. quæst.* 10. Suarez, *tom.* 4. *de Relig. lib. 1. de var. Relig. cap.* 4. *num.* 5. Barbos. *de jur. Ecclesiast. lib. 1. de vita Regul. cap.* 43. *num.* 24. & alij plures, contra Abb. *in rubr. de Regular.* dicentem, largo modo esse Religiosos; & contra Mendos. *ad Reg.* 3. *Cancel. quæst.* 12. *num.* 3. asserentem, milites melitenses non dici propriè Religiosos.

7. Moveor primò juribus, *in cap. quamvis, de decim.* & *in cap. unico, de voto, in 6.* ubi habetur, votum castitatis solemnizari per professionem factam in Religione approbata: hujusmodi autem est votum, quod emittunt milites melitenses: & *in cap. ult. de Relig. dom.* & *in cap.* 1. *eod. tit. in 6.* ubi prohibetur omnis professio facta in Religione à Sancta Sede non approbata. Validam autem esse melitensium militum Religionem negat nemo, & ideò dicendum est eorum Ordinem comprehendi sub Religionibus approbatis, sicque eos veros esse Religiosos.

8. Moveor secundò rationibus: nam more aliorum Religiosorum, qui absque ulla controversia sunt verè, absolutè, & simpliciter Religiosi, ipsi tria vota solemnie emittunt, castitatis, paupertatis, & obedientiæ, sub Regula ab Ecclesia approbata. Tum quia, Ordo iste est verus status perfectionis: observat enim consilia modo non communi, sed singulari; cùm se totum sacrificet in obsequium DEI; & in actibus tam difficilibus, ut est tot periculis, tot laboribus vitam pro defensione Fidei, & Ecclesiæ ponere, se exerceat; nec non & in observantia illorum trium magnorum consiliorum; castitatis, paupertatis, & obedientiæ, prout finis, ad quem ordinetur, postulat. Verus igitur status est Religionis: atque ideò ejus membra veri sunt Religiosi.

Moveor tertiò ex confirmatione Pontificia. 9.
Fuit enim hic Ordo, tanquam vere Religio, Honorij II. auctoritate confirmatus anno 1124. ut notet Azor. *Instit. moral. lib.* 13. *cap.* 5. Quidquid dicant alij, hunc Ordinem fuisse approbatum à Gelasio II. anno Domini 1120. cùm esset institutus anno salutis humanæ 1118. vel 1119. Esseque à Sancta Sede hunc Ordinem, ut veram Religionem, approbatum sæpissimè fuit dictum in Rota, & signanter coram Pute: *decis.* 392. *alias* 982. *num.* 2. *lib.* 1. in correctis, & inter *recent. decis.* 333. *sub num.* 1. *par.* 1. & *decis.* 87. *num.* 1. & *decis.* 454 *num.* 3. *par.* 3 & coram Gregor. XV. *Decis.* 87. *num.* 2. *ubi adden. num.* 13. & 14.

Concludimus igitur, Milites Melitenses, ex 10.
proprietate sermonis, esse verè, simpliciter, & absolutè Religiosos, & venire appellatione Religiosorum in quacunque materia etiam pœnali, vel odiosa: si aliàs de mente disponentis contrarium non appareat, ut docuit, Gloss. 2. *in Clem.* 1. *de decim.* quæ communiter recipitur, & laudatur à Doctoribus, secundùm Navar. *Cons.* 12 *num.* 6. *de regul.* & Azor. *Par.* 1. *instit. moral. lib.* 13. *cap.* 4. *quæst.* 4.

Ad fundamentum in contrarium respondemus, 11.
negando, officium tendens ad irregularitatem, opponi Religioni Laicorum, ut sunt nostri Milites Melitenses: quidquid sit de Religione Clericorum. Nihil enim officit irregularitas statui Militum Melitensium: cùm ad sacros Ordines minimè ordinetur; nec illa peccatum sit, nec ex peccato exorta, solùmque per accidens intente, non verò per se.

Infero primò ex dictis, Milites Melitenses, ob 12.
votum paupertatis, esse revera incapaces dominij, & omnis usus, seu dispositionis ejus absque superiorum facultate.

Infero secundò, hos milites nullatenus posse 13.
ratione voti castitatis absolutæ contrahere matrimonium, post emissam solemnem professionem, sine expressa dispensatione Sedis Apostolicæ, quæ rarissimè conceditur: nec videtur concedende, nisi ad sit urgentissima causa: quapropter lethaliter peccaret Pontifex, si absque legitima causa, Militibus professis Melitensibus posse nubere concederet.

Infero tertiò, hos milites teneri ad obedien- 14.
dum, quamvis res sit ardua, & difficilis; ut esset exponere vitam Turcarum, cæterorúmque Christiani Nominis hostium Armis; aggredi quæcunque pericula belli ad defendendam Ecclesiam, aut Fidem.

Infero quartò, hos milites esse personas Eccle- 15.
siasticas, simpliciter loquendo; & gaudere privilegio Canonis, & fori. Ita enim in Bullis Pontificijs expressè dicitur, ut notat Suarez, *tom.* 4. *de Relig. lib.* 1. *de var. Relig. cap.* 4. *n.* 26. ubi varijs rationibus idem eleganter, & doctè probat, Azor. *par.* 1. *Instit. Moral. lib.* 13. *cap.* 3. §. *Verùm*; & gaudere omnibus Clericorum privilegijs, ut habetur ex Bart. *in l. semper*, §. *quibusdam*, *ff. de jur. immun.*

In-

16. Infero quintò, hos milites, etiam Commendatarios, non posse absque facultate Romani Pontificis, testari de suorum redditunm fructibus, & de alijs bonis post Religionis professionem, industria, labore, aliorum donatione, militia, vel alia ratione quæsitis. Molina, *tom. 1. de just. tract.* 2. *disp.* 141. Eò quòd solemne paupertatis votum emiserint. Azor. *loc. cit. capit.* 1.

17. Infero sextò, filium illegitimum Commendatarij professi Ordinis melitensis esse spurium: & notat etiam. Barbosa, *de jure Ecclesiast. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 38.

18. Infero septimò, hos milites esse à tributorum solutione exemptos, & notat. Barbosa, *loc. proximè cit. n.* 37. & ostendit, *de jure Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 39. *de privileg. Clericor.*

19. Infero octavò, jura annuorum redditunm, quæ passim commendæ vocantur, esse verè, & simpliciter Ecclesiastica beneficia; cùm sint redditus annui, qui ex decimis Ecclesiasticis colliguntur, & omninò liberi à tributis, & alijs, oneribus, quæ solent Principes bonis, & rebus civium imponere. Ita etiam. Azor. *loc. cit. cap.* 3. ubi hoc idem alijs rationibus validissimis doctè confirmat.

20. Infero nonò, his militibus posse concedi à Sancta Sede facultatem testandi non solùm validè, sed etiam licitè, modò interveniat rationabilis aliqua causa. Navar. *in cap. Non dicatis*, 12. *q.* 1. *n.* 89. *& in Apol. quæst.* 3. *Monit.* 51. Covar. *cap.* 2. *De testam. n.* 50. & alij. quos recenset, & sequitur, Molina, *loc. cit.* §. *Dubium.*

21. Infero decimò, facultatem concessam testandi nostris Militibus melitensibus intelligi solùm esse ad pias causas; dummodò aliud non exprimatur. Sic Molina Jurisconsultus, *lib.* 2. *de primog. cap.* 9. *num.* 67. *& cap.* 10. *num.* 30. Navar. *in Apol. quæst.* 3. *monit.* 6.

22. Infero undecimò, matrimonium ratum dissolvi per ingressum Religionis S. Joannis Hierosolymitani; quia dicitur vera Religio, & gaudet indultis, & privilegijs veræ Religionis: sicut & dissolvitur per ingressum cujuscunque alterius Religionis. Navar. *conf.* 1. *de convers. conjug.* Naldus, *in Sum. v. miles num.* 22. Sic Ludovic. Lopez, Ledesm. Vega, & alij, quos recenset Sanchez *de matrim. lib.* 2. *disp.* 18. Contrarium tenet Sotus, *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 4. *& lib. de just. quæst.* 5. *art.* 3.

23. Infero duodecimò, committi Simoniam dando, aut accipiendo pecuniam, tam pro ingressu, aut habitu Religionis maltensis, quàm pro Commendis in ipsa obtinendis: ut notat etiam Azor. *loc. cit. cap.* 4. in fine: Naldus, *loc. proximè cit.*

24. Infero decimotertiò, Ecclesias Parochiales Militum S. Joannis Hierosolymitani non posse ab Ordinarijs locorum visitari, nisi in iis tantùm, quæ ad curam Animarum, & Sacramentorum administrationem spectant, ex Constit. Pij V. incip. *Exposcit*, & relata à Naldo *in Sum. v. miles, sub num.* 50. Cùm Religio melitensis gaudeat privilegijs aliarum Religionum exemptarum; & sit sub immediata Protectione Summi Pontificis, utpote ordinata ad specialem cultum DEI, & defensionem Ecclesiæ, & Fidei.

Infero decimoquartò, varia esse Militum Melitensium privilegia, quæ Gregorius XIII. reduxit ad termin. Concil. Triden. per suam Constitut. incip. *Circumspecta*, relatam per extensum à Nald. *in Sum. v. miles, num.* 11. cùm se prætenderint exemptos à jurisdictione Ordinariorum locorum. 25.

Infero decimoquintò, in Professione Militum Melitensium esse servanda omnia Requisita Pontificiarum Constitutionum. Circa verò ætatem per Concilium Trid. *Sess.* 25. *cap.* 15. *de Regular.* requisitam decimisexti anni expleti, Naldus *loc. cit. num.* 12. affirmat excipi, dicens, adesse circa hoc Declarationem Sac. Congreg. Concil. Trid. *in d. cap.* 15. Et ita pariter sentire videtur Hieronym. Gonzales, *in Reg.* 8. *Cancell. Glos.* 8. *num.* 26.
„ 54. ubi sic dicit, Item Concil. Triden. *Sess.* 25.
„ *de Regular. cap.* 15. dum disponit, quòd Pro-
„ fessio fieri non possit in quacunque Religione
„ nisi post annum lapsum probationis, non ha-
„ bet locum in Religionibus militaribus: fuit
„ resolutum in Rota. Et in Una Tirasonen.
„ pensionis. 11. Octobris 1570. coram Seraphi-
„ no. quæ est *decisio* 591. *num.* 1. & per totam.
„ *par.* 1 *diversorum*: & postea tenuit Sac. Congr.
„ Concilij Trid. dictam decisionem allegans.
Barbosa tamen, *de Offic. & Potest. Episc. alleg.* 101. *num.* 8. contrarius apparet, ibi dicens.
„ Milites tamen Hierosolymitanos comprehen-
„ di sub illo decreto ex novo ipsorum statuto illi
„ adhærenti referunt Flamin. *de Resig. lib.* 6. *qu.*
„ 2. *n.* 120. Armend. *loc. cit. n.* 16. Quidquid sit,
„ veritati, & praxi me remitto.

XXXIX. DIFFICULTAS.

An milites equestres, qui matrimonium contrahunt, sint verè Religiosi.

NOtandum primò, inter Ordines militares aliquos fuisse institutos Principum duntaxat auctoritate, nulla Romani Pontificis interveniente confirmatione, seu approbatione: ut sunt milites aurei velleris, vulgariter dicti, *Del Tosone*; quem Ordinem Philippus Dux Burgundiæ, anno Domini 1429. instituit: & inde fuit per successionem in Hispaniarum Reges translatus; & solis magnis Principibus solet concedi: ut refert Petr. Calefat. *in tract. de equest. dignit. num.* 43. Ut est etiam Ordo S. Michaëlis apud Francorum Reges à Ludovico IX. anno 146. institutus. Ut pariter est Ordo equitum ab Annunciatione Beatæ Virginis nomen sortitus, ab Amedeo VI. Comite Sabaudiæ erectus, seu institutus, in memoriam Amedei Primi Comitis Sabaudiæ, qui fortiter Rhodum Insulam contra Turcarum impetum defendit. Quapropter Equites hujus Ordinis Torquem auream cum Imagine Annunciationis B. V. è collo pendentem deferunt, laqueis quibusdam, & quatuor litteris pariter insculptis, 1.

F. E. R. T. quarum significatio hæc est, Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit.

2. Notandum secundò, alios militares Ordines fuisse mediante Romani Pontificis auctoritate institutos, ex viris nobilibus compositos, qui tanquam sacri milites, ad exemplum Machabæorum, contra Turcas, Saracenos, Hæreticos, pro Fide, ac Lege JESU Christi fortiter pugnant.

3. Notandum tertiò, militares Ordines Principum tantùm auctoritate institutos, absque Sanctæ Sedis Apostolicæ confirmatione, seu approbatione; nullatenus dici posse Religiosos, sed esse omninò laicos sæculares. Ita communiter Canonistæ, & Jurisconsulti, ut notat Azor, *lib. 13. Instit. Moral. par. 1. cap. 6. q. 5.*

4. Notandum quartò, alios esse Ordines militares Clericorum, qui ad divina ministeria obeunda recepti, in ipsorum Ordinum domibus, Collegijs, ac sacris ædibus commorantur: in Choro cantant divinas laudes, Missam celebrant, Sacramenta ministrant, DEUM pro militibus precantur; & alia hujusmodi faciunt. Horum verò Ordinum milites esse Personas Ecclesiasticas concedunt, absque ulla controversia, omnes.

5. Notandum quintò, præcipuum personarum Ecclesiasticarum privilegium esse exemptionem earum à jurisdictione laicali: quæ quidem in temporalibus causis, personis Religiosis competere videtur, non à lege divina obstringente, sed solùm lege humana Imperatorum, nempe per privilegia in corpore juris inserta, ab illis concessa, ut habetur in Auth. *ut Clerici, apud proprios Episcopos*, in princ. *collat. 6.* & notant communiter Canonistæ, & Civilistæ.

6. His annotatis, ad difficultatem propositam, an Milites equestres, qui matrimonium contrahunt, sint verè Religiosi, si tria vota, quibus Religionis substantia continetur, faciant; negativè communiter videtur respondeti; quia Personas Religiosas decet, ut notat S. Hieronymus, relatus à Gratiano *in cap. duo sunt, causa 12. quæst. 1.* ab omni strepitu temporali cessare, negotijs spiritualibus vacare, soli DEO servire, in claustro vivere, habitum, & tonsuram gestare. Milites verò equestres, quibus matrimonium contrahendi facultas conceditur, sæcularibus armis student, in eorum domibus, aut Ducum castris vivunt, in Aulis Principum commorantur. Præterea non vovent castitatem simpliciter; & ideò deficit unum ex votis substantialibus. Castitas enim conjugalis, quam hi milites profitentur, licèt castitas dici possit, *cap. Nicæna, 31. Dist.* non tamen est illa castitas à vera, & perfecta Religione expetita juxta, *cap. Cum ad monasterium, cap. unic. de voto, lib. 6.* Præterea status Religionis debet esse schola perfectionis acquirendæ: Quam perfectionem non possunt acquirere in suo statu hujusmodi milites, qui cum suæ domûs gerunt, in continuis conversationibus degunt, infinitis periculis peccandi sese exponunt, tótque agunt Religiosæ perfectioni contraria: atque adeò hujusmodi milites censendi sunt laici, non verè Religiosi. Et ita sustinere videntur Sotus, Sarmiento, Gironda, Molina, & alij plures, quos recenset Sanchez, *in Decaleg. lib. 4. cap. 16. num. 11.*

Fateor, hanc opinionem suam habere probabilitatem, & ab aliquibus, præcipuè Barbos. *De jure Ecclesiastico, lib. 1. cap. 7. num. 27.* vocari probabilissimam, & communiter receptam. Contrariæ tamen, quæ mihi probabilior videtur, libenter adhæreo, cùm Gregor. Lopez *l. 1. glos. 1. tit. 7. part. 2.* Navar. *cons. 12. De Regularib.* Motta *de confirmat. Ordinis S. Jacobi, lib. 2.* Fortun. Garcia, *in quod. consil. pro militia S. Jacobi, 2. par. vers. præterea.* Cov. *4. decret. 2. par. cap. 3. §. 1. num. 18.* Metina, *de sacror. homin. continentia, lib. 4. controv. 7. cap. 39.* Bovadila, *in sua politica, lib. 2. cap. 19. num. 11.* & alijs pluribus, quos recenset, & sequitur Sanchez, *loc. cit.* 7.

Moveor primò, saltem indirectè juribus alibi allegatis, *in cap. ult. de relig. dom. & cap. 1. eod. tit. in 6.* ubi invalida declaratur Professio, quæ emittitur in Religione per Sedem Apostolicam minimè approbata. Nostri verò milites profitentes, ut supponimus, paupertatem, obedientiam, & castitatem conjugalem, esto quòd non voveant castitatem absolutam, validè profitentur, ut ex dicendis constabit. *Et in cap. ex litteris. de transac. cap. cùm adeo, de rescr. & cap. 2. de inst.* ubi habentur Beneficiorum Ecclesiasticorum laicos esse omninò incapaces, tam activè quàm passivè. Nostri verò milites sunt capaces beneficiorum Ecclesiasticorum, saltem Commendarum, quæ beneficia Ecclesiastica nuncupantur, ut tenet Navar. *de redd. Eccles. qu. 3. Mon. 27.* Azor. & alii penes Garc. *p. 1. de benefic. cap. 4. num. 6.* & alibi à nobis probatum est; & ideò non video, cur isti milites censendi non sint verè Religiosi. 8.

Moveor secundò rationibus: hi enim emittunt tria vota substantialia Religionis; alii juxta regulam S. August. Alii juxta regulam S. Benedicti, Alii juxta regulam Ordinis Cisterciensis: & ideò dicendi sunt verè Religiosi, Tum, quia, veræ Religioni non videtur repugnare castitas conjugalis: nam sicut in paupertate latitudo est; ita etiam in castitate, quæ est materia voti. Addo, quòd commutatio voti continentiæ in castitatem conjugalem non mutat Regulæ substantiam, ut habetur ex Rot. Rom. *in noviss. par. 2. Dec. 266. num. 6.* adeóque semper valet dicere, hujusmodi milites matrimonium contrahentes, veros esse Religiosos. 9.

Moveor tertiò horum Ordinum militarium praxi, quæ est emittendi adinstar aliarum Religionum professionem trium votorum in manibus suorum Prælatorum. 10.

Concludimus igitur hos milites contrahentes cum una, & virgine matrimonium, quoad statum, „ esse propriè Religiosos; quamvis quoad usum, „ & observantiam, ut ait Suarez, *tom. 4. de Relig. lib. 1. cap. 4. num. 26.* revera non vivant „ simpliciter religiosè, sed valde secundùm quid; „ hoc enim negare non possumus, nisi adulatores videri velimus. Tendunt enim ad perfectionem, dum tradunt se Prælatorum voluntati, in quorum manibus Animam & vitam ponunt; unde debent esse expositi, ut illuc, vel illuc, prout Bonum commune postulaverit, mittantur. 11.

Perse-

Perfectus sane est, qui se abnegat: & se abnegat, qui se alteri tradit.

12 Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, asserendo statum laxiorem, seu modum vivendi laxiorem non impedire substantiam Religionis. Videmus in vera Hierarchia regulari unam esse altera Religione laxiorem, vel arctiorem.

13. Ad secundam, patet responsio ex dictis: Præterquamquòd, ex Privilegio Romani Pontificis fuit eis commutatum votum castitatis simpliciter in votum castitatis conjugalis; unde dicuntur vovere castitatem.

14. Ad tertiam respondemus, quòd status perfectionis est omnis ille, in quo, præter præceptorum observantiam, etiam consilia observantur, ut faciunt hi milites, ut patet consideranti; & qui ordinatur ad charitatem exercendam, & ad aliquid agendum propter Deum. Talis est horum militum status, ut notavimus; & ideò censendi sunt veri Religiosi.

15. Infero primò ex dictis, veros esse Religiosos milites equestres Ordinis SS. Mauritii, & Lazari apud nostros Sabaudos, & Pedemontanos, quem restituit, & sub Instituto Cisterciensi contra Hæreticos militare jussit Summus Pontifex Gregor. XIII. ut constat ex Diplomate, *anno* 1573. *die* 16. *Kalend. Octob.* dato, quod Taurini excusum extat. Cui Ordini idem Pontifex, *anno eod. Idibus Novemb.* annexuit Ordinem Hospitaliariorum S. Lazari Hierosolymitani, sub Regula S. Augustini jam inde ab aliquot Sæculis militantem. Quo fit, ut hodie vocetur Ordo Equitum SS. Mauritii, & Lazari. Constat quoque ex *Veronen. Pensionis*, 23. *Februarii*, 1600. coram Lancellotto, apud Card. de Luca, *lib.* 3. *de Jurisd. disc.* 92. *num.* 9. ubi *n.* 10. addit, militiæ SS. Mauritii, & Lazari fuisse expressè concessam exemptionem Fori Laicalis.

16. Infero secundò, veros esse Religiosos milites Ordinis S. Stephani Papæ, qui fuit à Cosmo Mediceo, Magno Hetruriæ Duce institutus, & auctoritate Pii Quarti confirmatus, sub Regula S. Benedicti, ad Fidem, & Religionem Christianam contra Hostes tuendam, & ad loca Maris Mediterranei, à Turris & Saracenis defendendam. Hujus Ordinis Magister est ipse Magnus Hetruriæ Dux, qui pia, & innata sui Sanguinis Generositate, annuos redditus, & alia bona Ordini concessit, ex quibus commodè milites sustentarentur, & viverent. Ita Molina, *par.* 1. *Inst. moral. lib.* 13. *cap.* 6. *quæst.* 2. Equites hujus Ordinis votum castitatis, obedientiæ, & charitatis emittunt, & non paupertatis; ut ex Bulla Pii IV. ad fundationem concessa, *anno* 1560. Cosmo Mediceo Florentiæ Magno Duci constat, & quam Diana, *p.* 3. *tract.* 2. *Ref.* 30. testatur se vidisse.

17. Infero tertiò, esse veros Religiosos milites S. Jacobi de Alcantara, & Calatrava in Hispania, & in Lusitania, & Montesæ in Aragonia; cæterosque in toto Orbe terrarum, qui annum Novitiatûs tenentur facere, & habere ætatem præscriptam, juxta dispositionem, tam juris communis, quàm sacri Concilii Tridentini, ut testatur nobilissimus atque doctissimus Sperellus *in suis aureis Decisionibus*, *decis.* 2. *num.* 52. & Card. de Luca, *lib.* 3. *de Jurisd. d. disc.* 92. *n.* 12. Quique in manibus suorum Prælatorum tria vota emittunt, quamvis castitatem non voveant absolutam, sed conjugalem; & habent Indultum Apostolicum super exemptionem Fori, ut ostendit Card. de Luca, *loc. cit. num.* 11. ubi *num.* 7. negat harum & aliarum Militiarum milites, & Professores veros Religiosos esse; ibique asserens opinionem contrariam esse apud Morales, ac aliquos modernos Canonistas magis communiter receptam, non verò apud antiquos Canonistas & Morales.

Infero quartò, simoniæ crimen eos incurrere, 18.
qui pretio dato, aut accepto, habitum horum Ordinum suscipiunt.

Infero quintò, filios horum militum natos ex 19.
illicita copula, non esse filios naturales, sed spurios; quia hi milites sunt veri Religiosi.

Infero sextò, hos milites gaudere fori privile- 20.
gio ex Pontificiis Constitutionibus, Alexandri III. & aliorum; & tenent plures, quos refert Barbosa, *de jure Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 39. *num.* 46.

Infero septimò, trahentem hos milites ad sæ- 21.
culares Curias incidere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, *Canon.* 15. Duard. *in Bullam Cœn. Can.* 15. *quæst.* 3. *num.* 10. Habent enim suos Judices, ut sunt Magistri militum, *l. Magisteria*, *Cod. de jurisdictione omn. jud.* & *tot. tit. Cod. de off. magist. milit.*

Infero octavò, non posse Principes imponere, 22.
& exigere gabellam ab Equitibus D. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, & similium. Diana, *p.* 1. *tract.* 2. *de immunit. Ref.* 50.

Infero nonò, hos milites habentes copulam cum 23.
alio milite, teneri in confessione explicare concubuisse cum homine Religioso, uterque enim egit contra castitatem voto solemni Religionis addictam. Ita tenet Mot. *lib.* 2. *cap.* 2. §. 23. *num.* 6.

Infero decimò, per votum horum militum non 24.
dirimi matrimonium contrahendum, neque dissolvi matrimonium ratum; & hoc ex speciali dispositione Summi Pontificis, ut notat Mota, *loc. cit.* §. 19. *num.* 18.

Infero undecimò, hos milites sine peccato, & 25.
irreverentia; imò decentes ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ accedere, si accedant ense, & pugione accincti. Diana, *loc. cit. n.* 8.

Infero duodecimò, hos milites peccare morta- 26.
liter, & incurrere excommunicationem Constitutionis Pontificiæ Clementis VIII. si deserant suum habitum, scilicèt, Crucem; & sic posse esse Apostatas, sicut cæteri Religiosi suum habitum relinquentes, ut probat cit. Mota, *lib.* 2. *cap.* 1. §. 6. *num.* 5.

Infero decimotertiò, inspecto harum Militia- 27.
rum, SS. Mauritij, & Lazari, de Calatrava, de Alcantara, S. Stephani, S. Jacobi de Spatta, & similium, jure speciali, & privilegiato; ac inspecta dispositione juris communis, nullatenus posse Officiales Curiæ Laicalis cognoscere causas civiles, criminales, & mixtas hujusmodi militum. Contrarium tenet Cardin. de Luca, *loc. cit.*

Infero

28. Infero decimoquartò incidenter, votum emittendi Professionem in Religione strictiori, posse virtute Jubilæi, & potissimùm causa rationabili existente, commutari in votum emittendi Professionem in Ordine militari; dummodò hujusmodi Ordo sit Religiosus. Et ita docet Jacobus Pignatel. *Tract. de Anno Sancto, cap. 19. dub. 50.* hic Romæ impresso. Circa hanc tamen, uti & in omnibus alijs decisionibus, incomparabili Sanctæ Apostolicæ Sedis, quam toto spiritu veneror, Judicio me omnimodè remitto.

XL. DIFFICULTAS.

An omnes milites Religiosi, sive castitatem simpliciter, sive tantummodò conjugalem profiteantur, Horas Canonicas recitare teneantur.

1. NOtandum primò, Horas Canonicas dici horas ab *ore, oras*, quia orando, & contemplando dicuntur; & quia certis, & definitis horis debent dici: Et dici Canonicas à Canone, nempè regula, quia sacri Canones determinant, illas esse regulariter dicendas, ut probat Zabarell. *in Clement. 1. de celebrat. Miss.*

2. Notandum secundò, Horas Canonicas esse certam pensionem divini Cultûs, quæ debetur ab ijs, qui in sortem Domini electi sunt, pro qua recipiunt patrimonium Christi, id est beneficium in sustentationem, vel ordinem sacrum, ratione cujus tenentur officium divinum persolvere. *Extra, de prab. cap. Cùm secundum, & capit. 1. de celebrat. Miss.*

3. Notandum tertiò, septem esse Horas Canonicas, videlicet, Matutinum, inclusis Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium, cuilibet suo tempore assignato.

4. Notandum quartò, Officium divinum fuisse à temporibus Apostolorum introductum: & sumitur à *Clem. lib. 8. Constitut.* ubi habetur, à temporibus Apostolorum fuisse consuetudinem in Ecclesia Catholica dicendi certum Psalmorum numerum, Hymnos, & Cantus; & ita fuisse à Sanctis Patribus in Eremo observatum testantur sacræ Historiæ; quod postea fuit ab Ecclesia ad majorem concentum reductum, & ex præcepto ordinatum, ut integre statutis horis, sive diebus, persolveretur, *ut in cap. Eleuterius, dist. 91.*

5. Notandum quintò, inter divinum Officium, & Horas Canonicas nullam esse differentiam nisi verbalem, cùm in effectu idem sint. Horæ enim Canonicæ quatenus DEO impenduntur, vocantur Officium divinum: quatenus verò præscriptis, & definitis horis recitari debent, Horæ Canonicæ nuncupantur.

6. Notandum sextò, omnes Religiosos professos in Ordinibus sacris constitutos teneri ex præcepto recitare singulis diebus Horas Canonicas, prout tenentur alij Ecclesiastici constituti in Ordinibus sacris; vel constituendos, præciso privilegio Sedis Apostolicæ, quoad illos, qui nondum sunt in Sacris constituti; quo quidem privilegio gaudent aliqui Ordines Religiosorum. Ita communiter, & est certum: & Sacerdotes teneri ad recitandum divinum Officium, docet *cap. Presbyter, de celebrat. Miss.* Diaconos, docet, *cap. ult. dist. 92.* De Subdiaconis verò nullus reperitur Textus, ut advertit Navarr. *cap. 7. de or. num. 2.* Adest verò consuetudo, vim habens legis, ut docent communiter Canonistæ, Theologi, & Jurisconsulti.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an omnes milites Religiosi teneantur recitare horas 7.
Canonicas, affirmativè respondet Volter. *lib. 21. Anthropologiæ*, relatus à Menochio, *conf. 54. num. 17.* Graff. *par. 1. decis. lib. 2. cap. 50. num. 6.* Ratio videtur esse, quia militant sub Regula aut S. Augustini, aut S. Benedicti, aut S. Bernardi; qui Ordines utporè addicti Choro, ad horas Canonicas tenentur. Præterea, ex eorum institutione sunt specialiter dedicati ad Cultum DEI: atque ideò videntur teneri speciali modo laudare DEUM.

Veritas tamen est, milites Religiosos recitare 8.
divinum Officium non teneri. Navarr. *cap. 5. de oratione, n. 21.* Reginald. *lib. 18. num. 137.* Azor. *lib. 13. Inst. moral. cap. 4. quæst. 5.* Vasq. *in Opusc. de beneficijs, cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 11. num. 44. cum seqq.* Molfesius, *in Summ. par. 1. tract. 5. cap. 3. num. 14.* Barbosa; *de jur. Ecclesiast. lib. 3. cap. 7. num. 36.* & alij.

Moveor primò juribus, *in leg. Navis onusta*, 9.
§. Cùm autem, ff. ad leg. Rhodiam, de jactu. & l. Titia, §. Qui in vita, ff. de leg. 2. ubi habetur, iniquum esse aliquem duplici onere gravare; *& leg. si quis ex signatoribus, ff. quemadmodum testa. aper.* ubi dicitur, quod officium suum nemini debet esse damnosum. Item *in l. ult. ff. de inoff. test.* & in hoc casu damnosum quidem esset militis munus, nam ij milites omittendo ob horas Canonicas recitandas aliquem militiæ actum possent graviter puniri.

Moveor secundò rationibus: nam hi milites 10.
Religiosi ex eorum institutione tenentur inservire non Choro; sed armatæ militiæ. Pugnare enim debent cum Turcis, Saracenis, Hæreticis, pro defensione Fidei, & Ecclesiæ. Tum quia, tota obligatio, quam habent Religiosi professi Choro addicti recitandi Horas Canonicas in Choro, vel extra Chorum, oritur ex consuetudine, fundata tum in jure divino naturali, ut per hunc modum orandi detur DEO verus cultus, ut probatur per Apost. 1. Cor. *cap. 9.* Tum etiam in lege naturalis justitiæ, licèt hoc reprobetur à multis, ut notat Molfesius, *loc. cit. num. 17.* Atqui pro militibus Religiosis professis hujusmodi consuetudo non adest; nisi sint in Sacris constituti, vel gaudeant beneficio, vel aliunde teneantur; & proindè hi milites nulla lege divini Officij preces recitare coguntur.

Moveor tertiò exemplo, seu praxi, & consue- 11.
tudine Religionum ad Chorum deputatarum, in quibus adsunt Fratres Laici, qui Conversi dicuntur; & cùm solemnem faciant professionem, verè sunt Religiosi, & tamen non obligantur ad divinum Officium decantandum, vel persolvendum, sed solùm ad id persolvendum, quod in Regula,

Regula, quam profitentur, præscribitur; quia ad alia opera manualia deputati sunt; & ideò ob paritatem rationis hi milites, quamvis solemnem emittant professionem, sintque verè Religiosi, ad persolvendas Horas Canonicas cogi non debent, cùm debeant militare, alio modo DEUM colere, & laudare, nempe militia, ferro, opere, ad defendendam ab Infidelium injurijs Fidem, & Ecclesiam Catholicam ejus dilectissimam Sponsam.

12. Concludimus igitur, milites equestres Religiosos non ad Officium divinum teneri, sed tantùm ad certas Preces loco divini Officij ex Regulæ præscripto, certo ac definito numero recitare, ut bene ex D. Thom. deducit Navarr. *in Manual. cap. 25. num. 97. & de orat. cap. 22.* Azor. *loc. cit.*

13. Ad rationes in contrarium respondemus. Ad primam, concedendo hos milites Religiosos sub aliqua Regula militare; sed hoc non obstare testantur Laici, seu Conversi professi Religionum, ad Horas Canonicas, secundùm sententiam communem, & praxim, non obligati; militat enim pro omnibus eadem ratio.

14. Ad secundam, concedendo hos milites teneri speciali modo DEUM laudare, cùm sint Cultui divino addicti; atqui sufficere, si quotidiè precationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, aut certum numerum Pater noster pro qualibet hora Canonica dicant, juxtà cujusvis Ordinis institutionem. Et in hoc sensu intelligendi sunt præfati Auctores, scilicèt, Volater & Graff. quando dicunt, milites Religiosos Officium divinum dicere teneri.

15. Infero primò ex dictis, Officium Beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum, quod certis diebus, ob illorum Festivitates recitatur, principaliter esse Officium divinum; quia laudamus DEUM in Sanctis suis.

16. Infero secundò, Officium Mortuorum posse pariter dici Officium divinum; respicit enim laudem DEI, cùm ejus justitiam, & Clementiam extollat. Justitiam quidem, quia varijs pœnis in Purgatorio punit; Clementiam verò, quia thesaurum, & modum reliquit, quo Viventes persolvere possint debita mortuorum Fidelium, inter graves Purgatorij pœnas lacrymantium.

17. Infero tertiò, Novitios non teneri ex præcepto horas Canonicas recitare, etiam in illis Religionibus, quæ addictæ sunt Choro; cùm reverà non sint Religiosi. Est opinio communis contra Paludanum, ut notat Molf. *in Sum. p. 1. tract. 5. cap. 5. num. 11.*

18. Infero quartò, Professos Societatis JESU, qui non sunt in Sacris, excusari à recitatione horarum Canonicarum, quia Religiosi professi in Religione non addicta Choro non obligantur ex vi solius professionis recitare divinum Officium; cùm ex vi professionis teneantur solùm observare tria vota essentialia, & ad perfectionem acquirendam, quæ alijs modis potest acquiri absque divini Officij recitatione. Reginald. *lib. 18. num. 157.* Vasq. *loc. cit.* & alij.

19. Infero quintò, non teneri recitare horas Canonicas Religiosos à S. Joanne de DEO institutos, dictos vulgariter, *Fate ben Fratelli*, nisi sint in Sacris constituti, aliósque illorum Religionum, quæ non sunt Choro addictæ, sed operibus corporalibus misericordiæ in Xenodochiis ab illis exercendis. Ita Doctores proximè citati.

20. Infero sextò, Religiosos professos, & Choro addictos, Ordinem sacrum non habentes, nisi adsit Privilegium Sedis Apostolicæ in contrarium, teneri singulis diebus recitare horas Canonicas in Choro, vel extra Chorum. Et hoc ex consuetudine universali Ecclesiæ. Ita Cajet. *in Sum. verb. Hora Canonica.* Sylvest. Navar. Panormit. Suarez, & alij.

21. Infero septimò, eximi ab onere recitandi horas Canonicas constitutos in Sacris, & damnatos ad triremes; Captivos Turcarum, eisque inservientes; ordinatos in Sacris, qui ex concessione Pontificia uxorem duxerunt; Latinos, qui, ducta priùs uxore, susceperunt, peccando absque dubio mortaliter, eosdem Ordines sacros, & postea coactos, ut cogi debent, ad uxorem redire, hi enim sunt in statu ab obligatione recitandi divinum Officium alieno. Contrarium probabiliter tenent alij apud Dianam, *par. 2. tract. 12. Ref. 40.*

22. Infero octavò, secundùm opinionem aliquorum, Degradatum excusari probabiliter à recitatione divini Officij, cùm ab Ecclesia privatus sit omni privilegio clericali; atque adeò in statum sæcularem ejectus. Alij putant teneri, putantes eorum opinionem esse probabiliorem, & tutiorem. Videndi sunt circa hoc Castropalaus, Sà, Toletus.

23. Infero nonò, teneri ad horas Canonicas excommunicatum, suspensum, interdictum. Et est sententia ferè communis; quia delictum non debet esse causa commodi. Navar. *cap. 7. num. 17.* Sylv. *verb. Hora, quæst. 9.*

24. Infero decimò, ob eandem rationem, Carceratos, qui sunt ordinati in Sacris, vel professi in aliqua Religione Choro addicta, non eximi ab obligatione recitandi horas Canonicas; præcipuè cùm facilè eis sit ratione otij magni, quod adest in carcere, colligere mentem ad DEUM orandum. Alij, sed pauci, sentiunt contrarium propter miserias illius status.

25. Infero undecimò, Moniales ad Chorum deputatas teneri sub mortali aut in Choro, aut extra Chorum recitare horas Canonicas ex consuetudine ubique recepta, ut colligitur *ex Clem. 1. de celebrat. Miss. cap. Dolentes, tit. eod.* & est communis sensus Doctorum receptissimus, à quo discedere in re morali non videtur tutum, teste Suarez, *l. 7. de leg. cap. 8. num. 7.* Quidquid dicant aliqui, aliàs graves Doctores, sustinentes Moniales non teneri extra Chorum recitare horas Canonicas, quorum opinio videtur omninò rejicienda, cùm careat ratione, & fundamento probabili.

26. Infero duodecimò, pensionem, quæ datur titulo sæculari, & uti laico assignatur benemerito pro aliquo temporali commodo, non secum ferre obligationem recitandi Horas Canonicas, nec Officium parvum Beatæ MARIÆ Virginis, quod notant Doctores, *in cap. Quamvis, il secondo, de prabend. lib. 6.* & Graff. *p. 1. decis. lib. 2. cap. 50. num. 9.* Duardus, *in cap. Omnis utriusque*

foxus, *disp*. 11. *sect*. 1. *num*. 21. Pensio enim etiam Laico concedi potest, *causa* 16. *quaest*. 1. *cap*. *Possessiones*. Secùs verò, si pensio assignatur loco beneficii Clerico ut Clerico, ut commodiùs sustentari valeat. Is enim tenetur ex Constitut. Pii V. 135. sub mortali, & onere restituendi fructus pro rate, recitare Officium B. Virginis. Ita DD. cit. & alii communiter; non ita tamen quin satisfacere posset recitando Horas Canonicas, ut notat Barbosa, *de jure Ecclesiast. lib*. 3. *de pens. cap*. 11. *num*. 14.

XLI. DIFFICULTAS.

An militibus, qui in expeditione sunt, concedatur testari quoquo modo volunt, vel secundùm jus commune, vel secundùm jus speciale privilegiatum.

1. Notandum primò, jus commune, secundùm aliquos, esse jure ipso speciali potentius, & firmius, juxta *l. ejus militis*, §. *Militia missus*, *ff. de milit. test.* cùm jus speciale, sicque privilegium, sit jus quoddam extraordinarium, quod considerabile non est, *l*. 4. §. 1. *ff. de fideicom.* & secundùm alios, ipsum jus speciale esse potentius, & firmius ipso jure communi, cùm ipsi juri communi deroget jus speciale, *l. servis urbanis*, §. *ult. de leg*. 3. *& lib. in toto*, *ff. de reg. juris*.

2. Notandum secundò, testementum, quoad inventionem, esse de jure gentium, & quoad solemnitatem, esse de jure civili. Martin. Lauden. *in tract. de primogenitura*. Card. Albanus, *in lucubrat. in Bart. in Rubr. ff. de testam. num*. 1. ubi alios alleget, & militem posse testari secundùm jus speciale, & privilegiatum, & secundùm jus commune, *l*. 3. *ff de mil. testam*.

3. Notandum tertiò, nostram difficultetem non procedere de testamento militis, si contingeret testari coram imperatore, Rege, aut Principe etiam non recognoscente Superiorem; cùm certum sit, hujusmodi testementum validum esse absque aliâ solemnitate, ut constat *ex l. omnium*, *Cod. de testament*. Quando autem censeatur fieri testamentum coram Principe, videndus est Julius Clarus, §. *Testamentum*, *quaest*. 56.

4. Notandum quartò, milites in expeditione tunc esse dici, quando certa stipendia sumunt, nec à signis sine debita licentia abesse possunt, qui veri milites sunt, ut probat Tex. expressus, *in l. penult. ff. ex quibus caus. major*. & dicuntur in expeditionibus occupati, ut docet Bald. *in l*. 1. *Cod. qui bon. ceder. poss.* Alex. *in l. Centurio*, *num*. 23. & alii, quos probat Crispolt. *in suis Casib. militarib. cas*. 44. *num*. 9.

5. His adnotetis; ad difficultatem propositam, an militibus, qui in expeditione sunt, concedatur testari quoquo modo volunt, vel secundùm jus speciale, & privilegiatum, vel secundùm jus commune; negativè videtur respondendum; quia milites nostri temporis non gaudent privilegiis militibus antiquis à jure concessis, ut tenet Cyn. & Salicet. *in l*. 1. *Cod. de jur. & fact. ignorantia*. Bald. *in l. in testamento*, in fine, *Cod. de testam. milit.* Aretin. *in* §. *Plane*, *num*. 4. *institut. titul. de militar. testam.* & alii relati per Thesaur. *decis*. 111. *sub. num*. 5.

Veritas tamen est, posse militem in Castris testari quoquo modo vult, non convocatis, & rogatis testibus; modò constet deinde, illam fuisse suam dispositionem. Menoch. *cons*. 351. *num*. 33. *& lib*. 4. *praesumpt*. 4. *num*. 1. *& lib*. 6. *praesumpt*. 6. *num*. 2. Molina, *tom*. 1. *de just. tract*. 2. *disp*. 129. Cotas. *Miscell. lib*. 5. *cap*. 22. Cotor. *de Jur. milit. cap*. 17. *lib*. 2. Crispolt. *in Casib. militar. cas*. 44. *num*. 3. ubi tantùm admittit in hostium conflictu, seu in extremo vitae periculo. 6.

Moveor primò juribus, *in l*. 1. §. *faciant*, *ff. de re militar. lib*. 1. *ff. de milit. testam.* *& l. milites*, *Cod. de testam. milit.* & aliis juribus, *Cod. eod. tit. & l. Lucius*, *ff. de militar. testam.* ubi habetur, militem in Castris testari posse quocunque modo potuerit. 7.

Moveor secundò rationibus; nam ubicunque adest impotentia, jus commune locum non habet: atque adeo intrat jus speciale. Testati autem eum solemnitatibus juris communis in Castris, & praecipuè imminente mortis periculo, existimatur impotentia, ut praedictis juribus, & Doctorum traditionibus probatur. Tum quia, militibus antiquis concedebatur à jure testari quoquo modo volebant; quod est certum apud omnes, ut supra probavimus. Beneficia autem legum militarium ad milites hodiernos extendenda sunt, cùm non minùs hodie, ac olim à numeris, ac signis suis nunquam possint sine Ducis consensu discedere, & Rempub. à qua eccipiunt stipendium, ab omni hostium violentia defendere debeant, ut alibl demonstravimus. 8.

Moveor tertiò exemplo; primò, in tot militibus testantibus, dum erant in expeditione, ut voluerunt, sine controversia circa validitatem, ut testantur perplures Historiae: & deinde praxi. Scimus enim, milites in Castris testari, ut possunt, nempe vel proprio sanguine, eut quovis alio modo scribendo suam ultimam voluntetem in scuto, vagina, ense, clypeo, pugione, aut in quavis alia re; vel digito scribendo in terra quid post mortem suam fieri velint, etiam non convocatis, & rogatis testibus, dummodo constet, inde illam fuisse suam dispositionem. Ex quibus patet subsistere testamentum militum, sive in conflictu testentur, sive in Castris nullo rogato teste, & milites indifferenter in Castris degentes, nullos teneri rogare testes, ut etiam deducit Henric Bocer. *Tract. de bello*, *& duell. lib*. 1. *cap*. 25. *pag*. 118. & tenet Greveus, *pract. conclus. lib*. 2. *concl*. 118. *considerat*. 2. in fin. & alii efferentes, sufficere in testamento militum nudam eorum voluntatem, illis favente illo Trajani Imperatoris Rescripto, de quo *in l*. 2. *ff. de milit. testam.* ut milites quoquo modo volent, possint testamentum facere: quod esset falsum, si duos testes, ut volunt multi, tenerentur rogare. 9.

Concludimus igitur, posse milites in Castris testari quoquo modo volunt, non convocatis testibus; 10.

bus; modò constet dein illam fuisse eorum dispositionem.

11. Ad rationem in contrarium patet responsio ex dictis, præsertim in nostro secundo motu.

12. Infero primò ex dictis, gaudere privilegio militis in testamento faciendo omnes, qui in Castris reperiuntur; dummo sint in loco hostili. Card. de Lugo, *de just. tom. 2. disp. 24 sect. 1. n. 12.* Villal. *in Sum. tom. 2 tract. 30. diff. 3. num.* 11. & alii. Secùs verò, si extra locum hostilem. Ita habetur ex Tex. *in l. 1. ff. de bonorum possess. ex testamento militis*; & affirmat Glos. ult. *in l. Scriniarios, Cod. de testam. milit.* & Julius Clarus, *§. Testamentum, q. 15.*

13. Infero secundò, milites Stationarios, & Limitaneos gaudere privilegio jure militari testandi, id est, omissis juris communis solemnitatibus. Ita etiam Diana, *p. 7. tract. 6. Ref. 45. aliàs 44.* ubi explicat, quinam sint milites stationarii, & limitanei juxta leges civiles. Contrarium tenet Zasius, cum aliis apud Dian. *eod. loc. cit.*

14 Infero tertiò, licèt testamentum nutu factum regulariter non valeat, *l. Jubemus*, 29. ubi Glos. *verb. Ex voce*, & DD. communiter, *Cod. de testam.* nihilominus milites posse nutu testari, seu hæredem facere: & facit Tex. *in l. in fraudem*, 15. §. 1. ibi: *miles nuda voluntate, ff. de testam. milit.* & facit, *l. jure militari, ff. de tit. & l. ubi non voce, ff. de reg. jur.* Contrarium tenet Menoch. *de præsump. l. 4. præsu. 19. num.* 10.

15. Infero quartò, posse milites conjecturis hæredem instituere; modò tales sint conjecturæ, ut aliquo modo colligi possit, militem sic testari voluisse. Emanuel Costa, *in l. Gallus, §. Et quid sit tantum, in 1. p. n. 31. ff. de liber. & posthum.* Hieron. Zanc. *in l. hæredes mei, §. Cum ita in 3. par. n. 77. ff. ad Treb.*

16. Infero quintò, testamentum, quod regulariter scribi debet, ut valeat, integris literis, non notis, *l. sed cum*, 6. in fin. *ff. de bon. possess.* Ferdin. Vasq. *Tract. de success. lib. 2. de success. progressu*, §. 20. *num.* 8. factum à milite valere absque hac solemnitate, & hæredem etiam notis scribi posse, *l. Lucius*, 4. in princ. *ff. de test. milit.* Tiraq. *de privileg. pia causa. privileg.* 12. Reusner. Ferd. Vasq. Bocer. & alii.

17. Infero sextò, in testamento militis legem falcidiam in legatis, & fideicommissis cessare, *l. in test. milit.* 12. *Cod. hoc tit. l. si certarum*, 1. *§. ult. l. seq. ff. eod. l. in test. 7. Cod. ad l. falcid.* unde hæredem à milite institutum non posse ex legatis, & fideicommissis, qualiacunque sunt, quartam partem detrahere. Est contra Glos. & Barr. *in Authen. de hæred. & falcid. §. ult. vers. ult.* & alios asserentes, hoc hodie esse abrogatum; & ad jus commune redactum; nam licèt eis faveat aliqua lex, certum est apud omnes, quòd dispositio generalis legis, vel statuti non extendatur ad causas specialiter privilegiatas in illa materia, de qua lex, vel statutum loquitur, *l. fin.* in princ. ubi Salicet. *Cod. de jur. dot.* Tiraq. *in tract. de utroque retract. part. 1. §. Glossa 14. num. 91. cum seq. n.* 104.

18. Infero septimò, extra bellicam expeditionem eandem solemnitatem requiri in testamento militum, quam jus commune exigit in testamentis aliorum. Molin. *de just. to. 1. tr. 2 disp. 129.* exceptis tamen Eminentissimis Dominis Cardinalibus, qui privilegium habent testandi jure militari, ut notat Card. Albanus, *de Cardi. q. 42. §. servando principaliter*, ubi pro hac sententia allegat Bald. Manfred. *de Cardinal. decis.* 221. Zecb. *de Repub. Christiana, 5. de Cardin. num. 6. privileg.* 11. Gratian. *in discept. tom. 2. cap. 312. num.* 11. & alii, quos citat, & sequitur Diana Coordin. *tom. 9. tract. 7 de potest. & privileg. Ref.* 89.

Infero octavò obiter, in testamento ad pias causas facto solas conjecturas sufficere ad inducendam hæredis institutionem. Menoch *de præsumpt. lib. 4. præsump. 19. n. 13.* ubi alios pro se citat. 19.

Infero nonò etiam obiter, mutum, & surdum simul à natura, qui non potest testari, nisi servata speciali solemnitate, *l. hac consultissima, Cod. qui testa. facere pos.* posse absque tali solemnitate testari ad pias causas. Tiraq. *de privileg. caus. pia, privileg. 9.* ubi plures citat. 20.

Infero decimò pariter incidenter, posse aliquando fieri testamentum, & secundùm jus commune, & secundùm jus speciale, & privilegiatum; unde illum, qui Romæ testatur, posse ex concessione legis Pontificiæ adhibere duos testes cum Parocho. *Cap. Cùm esses. de testa.* vel loco Parochi duos alios. Dec. *in cons. 284. num. 6. vers. sed tamen prædictis*, & loquitur, *ex decis.* Specu. *in tit. de instru. edit. §. Compendiosa, vers. item per jus.* Qui Venetiis testatur, posse jure Veneto tribus uti testibus, vel saltem duobus: & extat lex ipsa Veneta in consultis. *Auth. cap. 19.* Qui in Civitate Senarum testatur, posse pariter adhibere tres testes, & non rogatos, ex statuto *sub Rub. de testamentis.* & refert Socin sen. *in cons. 83 col. 1. l. 1.* Qui in Regnis Hispan. testatur, posse suum conficere testamentum coram tribus testibus, & Notario. Et ita lege Regia sancitum est; & refert Didac. *in d. cap. Cùm esses, num.* 1. 21.

Plura alia de testamentis militum, & aliorum habes, mi charissime Lector, clarè & succinctè tractata apud Tiraq. Menoch. Dec. Dian. *loc. cit.* quos videre potes, ut ab illis edocearis, si mea non sufficit doctrina, quo modo valeas prudenter & Christianè de tuis bonis disponere, & hæredem tuum, absque parentum lite instituere, sive miles sis, sive à militia alienus. Vide pariter doctissimum Card. Albanum in suo celeberrimo Opere in duos Tomos distributo, ubi circa omnes materias, & præsertim de testamentis eminenter loquitur, præcipuásque quæstiones succinctè proponit, eruditè, & mira claritate resolvit. 22.

* * *

XLII. DIFFICULTAS.

Miles tempore militiæ testamentum fecit, servato jure militari: & domum reversus, moritur ultra annum post honestam, seu justam missionem ab Exercitu. Dubitatur, num hujusmodi testamentum valeat.

1. NOtandum primò, testamentum esse voluntatis nostræ justam sententiam de eo, quod quis post mortem fieri velit. Ita Modestinus, *in l. 1. ff. de testam. & qui testamenta facere possunt*: Quæ definitio videtur communiter recepta apud I. C.

2. Notandum secundò, duplex esse principaliter testamentum, unum nuncupativum, & est illud, in quo Testatoris, & hæredis, & Legatariorum nomina, & omnia in eo contenta coram testibus manifestantur: & potest esse sine Scriptura, id est sine subscriptione testium, & aliis solemnitatibus requisitis in testamento in scriptis facto, *l. hac consultissima, Cod. qui testam. facer. poss.* Aliud verò solemne, quod in scriptis celebratur coram septem testibus, & Notario cum subscriptione testium, & eorum sigillo, scilicet, quando Testator sua manu in aliqua Scriptura suum condidit testamentum, quam claudit; eaque sic clausa coram septem testibus rogatis, & Notario, & Judice, declarat illam esse suam ultimam voluntatem. Ita communiter apud Jurisconsultos.

3. Notandum tertiò, Codicillum esse quamdam sine institutione dispositionem ultimæ voluntatis, morte confirmandam. *Cod. de cad. tol. l. unica*, & in multis differre à testamento, quæ notantur à Sylvest. *verb. Testamentum. 1. quæst. 2. num. 2.*

4. Notandum quartò, testamentum posse esse perfectum, & imperfectum; perfectum illud esse, seu dici, quod jure perfectum est, & ex omni parte completum, & cui nihil deest ad ejus perfectionem: Imperfectum verò dici, cui deest perfectio debita, quoquo modo id eveniat ob defectum solemnitatis.

5. Notandum quintò, triplicem esse missionem ab exercitu, honestam, causariam, & Ignominiosam, seu turpem, *l. 2. §. Ignominia, 2. ff. de his, qui not. infam. l. milit. 13. §. Missionum, 3. ff. de re milit.* Quæ autem sit missio honesta, causaria, & ignominiosa, habetur apud Claudium Cotæræum, *lib. 1. de jure, & privileg. milit. cap. 27.* Vulteium, *in §. 2. super hoc tit. num. 3.* Cujacium, *Cod. de his, qui non impletis stipend. sacramento. soluti sunt.* Bocerum, *lib. 1. de bello, c. 18. num. 6,* & Dianam, *p. 7. tract. 6. Res. 62. aliàs 61.*

6. Notandum sextò, ad tollendam omnem æquivocationem, tres esse, ut fusiùs alibi declaratum est, secundùm Doctores, militum species principaliores, nempe militem cælestis militiæ, ut est Clericus; militem inermis militiæ, ut est Advocatus, & militem armatæ militiæ, ut est ille, qui in Rollo, seu Matricola scribitur.

His adnotatis, ad difficultatem propositam, an testamentum militis factum in Castris, jure militari servato, valeat, si Testator decedat ultra annum post honestam, aut causariam missionem ab exercitu, respondemus sine ulla controversia, negativè cum Henrico Bocero. *Tract. de bello, lib. 1. cap. 24. n. 9.* Molin. *tom. 1. de just. tract. 2. disp. 129.* Villalub. *in Sum. to. 2. tract. 30. diff. 3. n. 11.* Bonac. *de contract. disp. 3. q. 17. punct. 1. num. 12.* Card. de Lugo, *tom. 2. de just. disp. 24. sect. 1. n. 12.* Molfesio, *in Summa, tom. 2. tract. 13. cap. 2. n. 58.* & aliis pluribus, & est communis sententia. Secùs verò si intra annum moriatur. 7.

Moveor primò juribus, *in l. si certarum, 17. §. ult. l. quod constitutum, 21. l. testamenta, 26. & l. quod dicitur, 38. ff. de testam. milit.* ubi habetur, testamentum in Castris jure militari factum non tantùm valere, si in expeditione bellica miles decedat, sed etiam post missionem subsistere, & durare, non tamen diutius anno. 8.

Moveor secundò rationibus; nam si moriatur ultra annum, postquam à bello est reversus, tempus habuit servandi dispositionem juris communis: & ideo si non servat hujusmodi dispositionem, testamentum annullatur *l. in fraudem, §. pen. ff. de milit. test. §. Sed hactenus eod. tit.* Tum quia, elapso anno ab emissione, cessat causa, quæ est quædam impossibilitas servandi omnia à jure communi requisita, ob quam testamentum militum, dum sunt in bellica expeditione, conficitur, validum est; & ideo etiam cessare debet hujusmodi validitas, cessante enim causa, inquit Philosophus, cessat & effectus. 9.

Moveor tertiò exemplo, sive potiùs praxi; scimus enim testamenta militum facta jure militari servato, dum erant in expeditione bellica, mortuo Testatore, ab exercitu ob causam justam misso, antequam suum habeant effectum, diligentissima perquisitione examinari, quo tempore facta fuerint, quoque tempore mors Testatoris sequuta sit, intra, aut ultra annum ab honesta missione ab Exercitu; & invento Testatoris obitu post annum sequuto, ut nulla à Judice testamenta declarari, & valida si intra annum. 10.

Concludimus igitur, militem, qui post annum à missione decesserit, sicut primo tempore testator habilis censetur, ita propter posterius, quo mortuus est, testatum decessisse minimè dici; & successivè ejus testamentum esse, ac si non esset. 11.

Infero primò ex dictis, Testamentum militum, qui ignominiæ causâ missi sunt, statim jure militari amittere validitatem. Ita etiam tenet Macer Jurisconsul. *in l. testamenta 26. ff. de testam. milit.* cùm ignominiosi supplicium mereantur, non præmium, ut habetur *in d. l. 26. in fin. ff. eod.* Vigilius hic, *n. 5.* 12.

Infero secundò, non valere testamentum militis, si moriatur ultra annum post causariam missionem ab exercitu, quæ est, quando miles nondum tempore militiæ impleto, existente tamen aliqua legitima causa, ut est ætas provecta, infirmitas curanda, necessitas parentum sublevanda, sacramento militiæ solvitur, domumque dimittitur, *d. l. 2. §. 2. ff. de his, qui not. infam. l.* 13.

mili-

milites 13. §. 3. ff. de re militar. Secùs verò, si decedat intra annum post causariam missionem.

14. Infero tertiò, Testamentum militis, sive cælestis militiæ, sive inermis militiæ, nunquam valere, nisi fuerit factum servata forma juris communis, & est communis sententia apud DD.

Infero quartò, Testamentum militis armatæ
15. militiæ ab eo factum tempore pacis, dum domi manebat, gaudens commendis & divitiis, quas habebat; non servata forma juris communis non tenere: cùm tunc nullo fruatur privilegio in factione testamenti, & tunc cesset privilegium simplicitatis & ignorantiæ juris, ut *in §. plane instit. de milit. test.*

Infero quintò, Testamentum factum à milite
16. in castris jure militari, eo moriente intra annum, post justam missionem ab exercitu, valere, quamvis non declaraverit suam voluntatem coram duobus testibus specialiter rogatis: Quidquid dicat. Molfesius in *in Sum. aurea, p. 2. tract. 13. cap. 2. n. 57.* ibi asserens, militem testantem in castris teneri servare solemnitatem juris gentium, & divini, quo disponitur, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum, & hoc *ex l. miles, Cod. de testam milit.*

Infero sextò, posse militem decedere pro parte
17. testatum, & pro parte intestatum, stante diversitate temporum & locorum, ubi Testator habet bona *l. miles ita, ff. de milit. test.* Peregrin. *Cons. 13. num. 15. lib. 2.* & alii cumulati per Crispolt. *In Casib. militar. cas. 44. sub n. 19.* quod Paganis non permittitur.

Infero septimò, in testamento militis, literarum, & significationis verborum penitùs ignari,
18. mortui intra annum post honestam missionem, non ipsam proprietatem verbi spectandam esse, sed solam mentem impropriando verba: quapropter si dixit se relinquere filio titulo institutionis Falcidiam suam, debet sic interpretari. Falcidiam, id est legitimam: pariter, si dixit se relinquere legitimam filio titulo restitutionis, sic interpretatio, id est titulo institutionis. Ita etiam sentit Jas. in Auth. *novissima, num. 35. Cod. de inoffic. testam.* Dec. *in l. Si librarius, num. 1. & 2. ff. de reg. jur.*

Infero octavò incidenter, privilegium militum
19. in testamenti factione consistere circa formam, & solemnitatem testamenti, ut septem Testes non requirantur, sed duo solùm, secundùm aliquos, si testentur extra conflictum, sed in castris, pro validitate dispositionis; vel pro verificanda Scriptura, si testentur in conflictu belli, quod per nos non requiritur circa substantiam dispositionis, quia miles potest decedere pro parte testatus, & pro parte intestatus, ut supra diximus; circa personam hæredis instituti; quia potest à milite institui etiam persona incapax, ut est deportatus, *l. neque, §. & deportat. ff. de milit. testam.* dummodo tamen dispositio non sit in præjudicium tertii, vel contra bonos mores, quia tunc non valeret, *d. l. miles ita, §. Mulier ff. de milit. test.* ubi Bart. & alii.

20. Infero nonò, non omnibus concedi posse testari sive in jure militari, sive jure communi, quod est certum apud omnes. si verò desideras, mi charissime Lector, scire, qui possit concedere testamentum, vel non possit, vide Sylvest. *in verb. testamentum 1. quæst. 5. num. 3.* Molfesium, *in Summa, par. 2. tract. 13. cap. 2. num. 72.* apud quos perplures testandi incapaces reperies, quos & ego brevitati studens libenter omitto, te solummodò hortans tuum renovare testamentum, ut valeat, si miles es, servata forma juris communis, si occurrerit ultra annum post missionem ab exercitu domi tuæ permanere: aliàs, si fueris testatus jure militari, invalidum erit testamentum.

Infero decimò incidenter, quando factum est 21.
testamentum sive à milite, sive à non milite, in quo testator disposuit, illud extendi debere ad sensum sapientis, hunc sapientem non posse supplere, & nihil posse facere, ut per Tex. *in l. Divus. ff. de testam. milit.* & tradit Card. Albanus, *in Lucubrat. in Bart. in l. Illa institutio, ff. de hæred. inst. num. 2.* qui tamen non videtur reprobare opinionem Bart. asserentis, hunc sapientem posse ea supplere, quæ sunt de consuetudine, & pro hujus asserti ponderatione suum remittit lectorem ad Alexan. *in l. 2. §. fin. col. 2. & seq. ff. qui satisda. cog.*

Infero undecimò, milite, vel alio legante Ami- 22.
co in suo testamento aliqua ex suis vestimentis, & armis, absque ulla specificatione, pretiosiora intelligi esse legata, dummodo non sit contrarius mos regionis, ex quo non censeatur testator legare illud, quod est plus, sed id quod minimum est. Circa hoc, vide Soc. *in cons. 247. in 1. vol.*

Infero duodecimò, testamentum, in quo à mi- 23.
lite, vel ab alio instituti sunt pauperes Christi; horum facta electione, quicunque hi sint, valere, quia non substantia institutionis, sed tantùm electio personæ in alterius arbitrium confertur: ad hoc facit Tex. *in l. unum ex familia, §. 1. ff. de leg. 2.* Videndus est Anga, qui egregiè de hac materia *in cons. 201.* locutus est, Card. Albanus, *loc. cit. n. 3. & 4.* ubi alios allegat.

XLIII. DIFFICULTAS.

Miles facilè in bello moriturus, ne defraudetur Missis Defunctorum post mortem; facit dum vivit, has sibi, quasi ipse mortuus sit, applicari. Dubitatur num rectè, & laudabiliter se gerat?

NOtandum primò, valorem Sacrificii ex se esse 1.
infinitum, quia Christus, qui in eo offertur, est valoris infiniti. Hervæus, & alii, quos probat Cajet. *Opusc. de celebratione Missæ*, sed quoad applicationem, & sic ratione proximè offerentis, ut est Sacerdos, esse valoris finiti; quia sic Christus voluit ob multas rationes, & inter cæteras, ut multiplicarentur Missæ pro necessitatibus vitæ præsentis, pro satisfactione Animarum Fidelium in Purgatorio. D. Tho. *in 4. Dist. 45.*

quaſt. 2. *arti. ult*, Vaſq. *tom*, 3, *in* 3, *par. diſp.* 230. Scortia. *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 1. Reginal. Palud. Sor. & alij plures.

2. Notandum ſecundò, in Sacrificio Miſſæ, præter Chriſtum, qui eſt principalis offerens; & Sacerdotem, qui eſt proximè offerens, alios Fideles eſſe pariter offerentes, non ex officio, ſed ut ſunt membra Eccleſiæ militantis, Et habetur in Canone Miſſæ: nam finito memento, dicit Sacerdos, *Et omnium circumſtantium, &c. vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium.*

3. Notandum tertiò, Sacerdotem poſſe offerre ſacrificium Miſſæ pro omnibus fidelibus, vivis atque defunctis; & eſt certum de fide, ut in Trid. *Seſſ.* 22. *Canon.* 3. D. Thom. *loc. cit. art*, 2. & alij: nam pro Fidelibus, dum viatores ſunt, ſive juſti ſint, ſive injuſti, poteſt offerri ſacrificium; ut juſti majorem acquirant juſtitiam, atque adeò eis magis proficiat ad ſalutem: & injuſti convertantur: pro defunctis verò, ut à pœnis purgatorij liberentur: ita enim pluries Sacroſancta Eccleſia determinavit, præcipuè in Trid. *loc. cit.*

4. Notandum quartò, in applicatione Sacrificij illum præferri, cui Sacerdos applicat voluntariè, quia à Chriſto Domino fuit ſoli Sacerdoti conceſſa facultas applicandi ſacrificium Miſſæ, nec ab alio poteſt hujuſmodi facultas ab eo auferri, Ita Vaſq. *tom.* 3. *in* 3, *part. diſp.* 231. *num.* 33. Ledeſma, Cordub. Suarez, alijque, & eſt communis opinio contra Scotum, Gabriel. aſſerentes, præferendum eſſe dantem ſtipendium, ac illum, pro quo Superior juſſit offerri ſacrificium.

5. Notandum quintò, ſuffragia, quæ fiunt in communi pro multis, magis quidem illis prodeſſe in purgatorio exiſtentibus, qui magis pleni ſunt charitate, teſte S. Aug. apud Turrecrem, *in cap. Non mediocriter, de conſecrat. Diſt.* 5. *n.* 7. dicente, quòd ſuffragia pro ſint illis mortuis, qui cum viverent, meruerunt, ut talia poſſent eis prodeſſe poſt mortem: ſuffragia verò, quæ fiunt pro uno defuncto, magis proficere illi, pro quo fiunt, quam alijs: quemadmodum inter vivos, ſecundum juſtitiam humanam; quæ exemplata eſt à Divina, ille ſolus liberatur, pro quo debitum ſolvitur.

6. Notandum ſextò, quamlibet Miſſam ex opere operato, id eſt quantum ad valorem ſacrificij oblati, æqualiter Defunctis prodeſſe: id eſt, ita valere Miſſam de Sancto, ut puta, de B. Virgine, de Sancto Cajetano, vel de feria, pro Defunctis, ſicut valet Miſſa de Requie: ratione verò operis operantis, id eſt ratione precum, orationum, quæ in Miſſa dicuntur ad hunc effectum, plùs valere Defunctis Miſſam de Requie, quàm quamlibet aliam Miſſam, Ita Bartholomæus à S. Fauſto, *de ſuffrag. lib.* 1, *quaſt.* 59. qui *quaſt.* 60. aſſerit, Miſſam dicendam in Altari privilegiato pro Defunctis neceſſario non debere eſſe de Requie; quod nos minimè admittimus, exceptis diebus, in quibus occurrunt Feſta duplicia, quæ ex Decreto Alex. VII, à me in Sacrorum Rituum Secretaria inſpecto, incip. *Cùm Sanctiſſimus Dominus noſter*, relato per extenſum à Thom. Tamburino, *in Meth. celebrandæ Miſſa, lib.* 2. *cap.* 6. §. 3. *poſt num.* 5. excludunt Miſſas de Requie: Quod pariter notavit in ſuis animadverſionibus ad noſtram Theologiam Bellicam Reverendiſ[...] Pater Paulinus Bernardinus doctiſſimus, ac [...]lantiſſimus Sacri Apoſtolici Palatij Magiſter.

His annotatis: ad difficultatem propoſi[...] an miles, qui, ne fraudetur Miſſis Defunct[...] poſt mortem, eas facit ſibi applicari, dum v[...] rectè & laudabiliter faciat, negativè reſpo[...] Layman. *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 2. *num.* 15. Fraxin[...] *de Sacerd. obligat. ſect.* 4. *prem.* 4. §. 4. [...] libenter ſequitur Diana, *par.* 5. *Tract.* 13. *M*[...] 1. *Reſ.* 2. Nam in applicatione ſuffragioru[...] tentio Eccleſiæ eſt, ut Miſſa, quæ dicitur de [...]quie, & officium funebre, dicatur pro mor[...] non pro vivis: ad talem enim finem collecta[...] preces factæ ſunt; & Sacerdos offerens non p[...] propria ſua intentione Eccleſiæ mutare inte[...]nem. Præterea; non ſervant Ritus Miſ[...] qui eſt ſervandus, dum Miſſa, quæ Defun[...] Rubricis aſſignatur, recitatur pro vivis. P[...] quamquòd, attento duplici fructu Sacrificij[...] ex opere operato, & infallibili; altero ex [...] operantis, non apparet quam utilitatem poſ[...] bere talis ſacrificandi modus; cum qua[...] Miſſa, quantùm ad valorem Sacrificij o[...] proſit Defunctis, ſive ſit de Sancto, ſive d[...]quie.

Fateor hanc opinionem eſſe ſatis commu[...] & univerſaliter in praxim deducendam. A[...] milites, facilè in bello morituri, poſſunt [...] inteſtato decedere; aut Miſſis Defunctoru[...] teſtantur, poſt mortem defraudari, attent[...] rum bona fide, aut ignorantia, putarem re[...] & laudabiliter ſe gerere, ſi dum vivunt, cu[...] ut pro ipſis dicantur Miſſæ, vel officium D[...]ctorum, dummodò prætermittantur oratio[...] quæ demonſtrant aliquem jam mortuum, ac[...]lendam omnem apparentiam mendacij. [...] Pinellus, *de valore Miſſa, part.* 2. *cap.* 1. *d*[...] Bartholomæus à S. Fauſto, *de Sacram. Euch*[...] *lib.* 2. *q.* 148. Laurentius de Peyrinis, *in pri*[...] Minim. *tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 21. Zerol. *in* [...] *Epiſcop. part.* 2. *verb. Miſſa*, §. 10. quibus [...]tur Barboſa, in Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. *n.* 10.

Moveor primò juribus, *in cap. Ad au*[...]*tiam, cap. pen. de homic.* ubi habetur, qu[...] dubijs illa via eſt eligenda, quæ magis tut[...] *Et l. ſancimus, la prima, Cod. de Sacroſan. E*[...] *& cap. Pracipimus, cauſa* 12. *quaſt.* 1. *cap.* [...] *infirmitas, de pænit. & remiſſ.* ubi dicitur, [...] Anima eſt cunctis præferenda.

Moveor ſecundò, rationibus, nam Miſſæ, [...] dicuntur poſt mortem, juvant ſolùm poſt [...]tem; & Miſſæ quæ dicuntur pro vivis, ju[...] in vita, & poſt mortem: Miſſæ enim pro al[...] dictæ, ſatisfaciunt pro pœnis luendis ab An[...]bus in Purgatorio: Miſſæ verò pro vivo [...] quaſi pro mortuo, non ſolùm ſatiafactoriæ [...] ſed etiam propitiatoriæ, meritoriæ, & imp[...]toriæ. Tum quia, ſacrificium Miſſæ de Re[...] ratione operis operantis, id eſt precum, & [...]tionum, quæ in Miſſa dicuntur, plùs valet [...] functis, ut diximus in ſexto Not. & ideò [...] juvamen poteſt miles ſperare à Miſſa, ſi eam [...] pro ſe celebrari de Requie, quando erit in P[...]

torio. Tum etiam, quia scimus hæredes esse negligentes in hujusmodi suffragijs faciendis, & aliquando non solùm illa differre, sed nunquam præstare; in proprios usus bona à Testatore, vel ab Amico pro tali fine relicta impiè convertendo. Legimus enim de Romarico Caroli Magni milite, qui commissa, breviter moriturus, cuidam Amico suo suorum armorum, ac equi venditione, ut pro Anima sua elemosynæ pauperibus erogarentur, & Missæ celebrarentur, fuit post mortem defraudatus; omnibus ab Amico in proprios usus permutatis: propter quod, DEO præcipiente, aut permittente, ne tanta impietas in mortuos impunita maneret; Dæmon, fracto ejus corpore, Animam ad inferos præcipitavit; refert: S. Anton. apud Mart. Rohas, *lib. de Statu Purgat. pag. mi.* 311.

11. Moveor tertiò exemplo, in Alberto Magno, Henrico Comite, & Episcopo, alijsque insignibus pietate, ac doctrina viris, quos ita gessisse scribit Læzana, *v. Missa, n.* 54. & notat Thomas Tamb. *in meth. celeb. Mis. lib.* 1. *cap.* 2. §. 7. *n.* 4. & praxi, quam vigere in Lotharingia, refert Lucas Pinellus, *loc. cit.*

12. Concludimus igitur, posse milites, aliosque fideles, addita præcipuè bona fide, rectè, & laudabiliter, dum vivunt, sibi celebrari facere Missas de Requie, cùm nullum meo videri appareat inconveniens: nam Sacerdos offerens potest repræsentare vivum coram DEO ac si esset mortuus; sicut in Missa de Animabus purgatorij, istæ repræsentantur perinde, ac si tunc, quando Missa celebratur, à corpore discedant, dum dicitur, *Ne absorbeat eas Tartarus; ne cadant in obscurum, &c.*

13. Ad rationes in contrarium respondemus: Ad primam, dicendo non esse contra intentionem principalem Ecclesiæ, quæ vult, ut unusquisque in statu tam miserabili, sibi, seu Animæ suæ provideat in defectum aliorum; qui attenta humana ingratitudine, & interesse, possunt facilè propriam obligationem non adimplere.

14. Ad secundam, negando non servari Ritum Missalis, præcipuè quoad substantiam. Utitur enim Missalis hujusmodi ritu, non quòd Missa pro Defunctis non possit dici pro vivis; sed ut in vivis excitet memoriam mortuorum; & sic pro mortuis recordentur & orare, & Missas facere celebrare Viventes.

15. Ad tertiam, patet responsio ex dictis, præcipuè in motu secundo.

16. Infero primò ex dictis, à solo Sacerdote posse confici, & proximè offerri sacrificium Missæ, *cap. Firmiter, de Summa Trinit. & Fidei Catholica*: & in Concilio Florentino, ubi habetur, solis Presbyteris facultatem inesse consecrandi. Ita communiter DD. contra Hæreticos, contendentes, nullos esse Sacerdotes à reliquo vulgo distinctos, sed universos Christianos promiscuè esse Sacerdotes; quàm hæresim coluit Wicleff, ut notat Sotus, *in 4. dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 1.

17. Infero secundò, majora beneficia sibi comparare Fideles, si Missas curent sibi celebrari dum vivunt, quàm si eas post mortem sibi celebrandas instituant; cùm Missæ in vita pro aliquo celebratæ non solùm sint satisfactoriæ pro pœnis, quas Animæ luunt in Purgatorio, sed etiam propitiatoriæ, meritoriæ, & impetratoriæ. Fraxinel, *de obligat. Sacerd. Sect.* 3. *prænot.* 4. §. 1. in princ. Unde D. Gregor. *lib.* 4. *Dialog. cap.* 58. ait: Inter
„ hæc autem pensandum est, quòd tutior sit via,
„ ut bonum, quod quisque post mortem suam
„ sperat agi per alios, agat ipse, dum vivit per se.
„ Beatius quippe est, liberam exire, quàm post
„ vincula libertatem quærere. Debemus igitur
„ præsens sæculum, vel quia jam conspicimus
„ defluxisse, tota mente contemnere, quotidiana
„ DEO lacrymarum sacrificia, quotidianas
„ Carnis ejus, & Sanguinis Ostias immolare,
&c.

Infero tertiò, posse tot esse Sacrificia in vita 18.
alicujus oblata, ut expient totam pœnam in Purgatorio luendam; & consequenter statim post mortem illi possint Cœlorum januam, ut æternis gaudiis fruatur, aperire. Ita tenet etiam. Barbosa, *loc. cit. num.* 11.

Infero quartò, milites ad bellum ituros, & 19.
quoscunque alios, præcipuè alicui periculo mortis se exponentes, posse facere sibi officium Defunctorum applicari, decantari, & exequias celebrari, quasi ipsi mortui sint; cùm hujusmodi opera non solùm satisfactoria sint, sed & meritoria, & impetratoria; non existente in peccato eo, pro quo talia fiunt.

Infero quintò, Animas in Purgatorio existen- 20.
tes, semper aliquod certum pœnarum levamen, & subsidium à Missa, quæ pro illis offertur, recipere. Ita probabiliter, & piè docet D. Thom. *in 4. sent. Dist.* 45. *q.* 5. *art.* 3. *ad* 3. Covar. *in cap. Alma mater, par.* 1. §. 1. *n.* 11. Petr. Sot. *Lect.* 7. *de Euchar.* & alij.

Infero sextò, Missam unam potiùs, quàm al- 21.
teram, quoad opus operatum, id est quantùm ad valorem Sacrificij oblati, non esse necessariò celebrandam ad effectum consequendi indulgentiam pro Defunctis, concessam Missis in tali Altari celebrandis: quod etiam notat Navar. *consi.* 57. *num.* 1. *de pænit. & remiss.* Secus verò, quoad opus operantis, id est ratione precum, & orationum, & quando debet necessariò celebrari Missa de Requie, ut dictum est in sexto Not.

Infero septimò, Missam Defunctorum posse, 22.
corpore præsente, omni die etiam festivo, celebrari, præterquam in Parasceve, & Paschate, Azor. *lib.* 10. *Inst. Moral. cap.* 32. in fin. *p.* 1. dummodò debitum diei festi officium non prætermittatur, vel Missa officij currentis.

Infero octavò incidenter, Missas de tempore 23.
etiam officij currentis, posse applicari ad satisfaciendum pro Missis obligatis S. Gregorij, à Sacra Congregatione Rituum approbatis, etiam celebratas diebus interpolatis. Hoc notat pariter Beia. 1. *part. Resp. Cas. conscien. Cas.* 23. Ugol. *de offic. Episcop. p.* 1. *fol.* 153. *col.* 1. Nald. *in Summ. v. Missa, num.* 21.

XLIV. DIFFICULTAS.

An legatum factum à milite alicui Ecclesiæ pro sepultura, ei debeatur, si ejus corpus remaneat in Castris, vel igni tradatur, aut in mare projiciatur.

1. NOtandum primò, legatum, si ethymologiam spectemus, deduci à verbo *legare* secundùm aliquos. Jodoc. *in verb. Legatum, n. 1.* & significare mittere, & alicui ex testamento aliquid relinquere: & secundùm Juristas, à lege nuncupari, quia lege cavetur, voluntatem Testatoris legem esse, *l. verbis legis. ff. de verb. & rer. sig.* unde currit axioma vulgatum: *Disponat Testator, & fiat lex, §. Disponat. Auth. de nupt.*

2. Notandum secundò, legatum esse quamdam donationem à defuncto relictam, & ab hærede præstandam, & habetur *in §. 1. instit. de legat.* Quam definitionem contra Soc. jun. probat, & defendit Molfesius, *in Sum. p. 2. tract. 13. cap. 5. num. 17.*

3. Notandum tertiò, legatum, quod olim erat multiplex, hodie esse duplex, ut per Tex. *in l. 2. Cod. communia, de legat. & in §. Sed olim. instit. de legat.* unum, scilicet, universale; continens universa bona legantis; & hoc idem est quod fideicommissum universale, cum quo exæquatum est: alterum verò particulare, quando, scilicèt, quis certam rem alteri legat.

4. Notandum quartò, milites posse legata facere; quia omnes personæ, quæ possunt facere testamentum, inter quas sunt milites, ut suprà probavimus, vel Codicillos, possunt etiam legare. Molfesius, *in Sum. par. 2. tract. 13. cap. 5. num. 99.*

5. Notandum quintò, legatum fieri posse dupliciter, nempe purè, & conditionatè: purè, scilicet, quando simpliciter fit, nulla adjecta die, vel conditione: conditionatè verò, quando aliquam continet conditionem, puta, si dicat Testator, Relinquo centum aureos Bertæ, si Monasterium S. Claræ ingrediatur,

6. Notandum sextò, varias esse legatorum conditiones, ut *tot. tit. ff. de cond. & demonstr. §. Heres; & §. Impossibilis, instit. de hared. instit.* & inter cæteras, unam dici possibilem, impossibilem alteram. Possibilis est, quæ potest evenire, sive sit potestativa, quæ posita est in propria, & humana potestate; sive casualis, quæ à fortuna, vel casu pendet; sive mixta, quæ partim pendet ex fortuna, vel casu, & partim ex voluntate gravati, vel alterius. Impossibilis verò est quadruplex: ut *in §. Impossibilis, instit. de hared. instit.* & has conditiones fusè explicat Simon de Præt. *lib. 4. de interpr. ult. vol.* Sylvest. *verb. Legatum, 1. quæst. 1.* ubi notat, nullam esse conditionem, quæ non habeat in se futurum tempus.

7. Notandum septimò, dici legatum ad pias causas omne, quod relinquitur pro Anima, ut per Glos. & Bart. *in l. si quis Titio, ff. de legat. 2.* & etiam legatum ad pias causas vocari omne id, quod legatur viduis, pauperibus, pupillis. Secus

verò, si divites sint, ut *in cap. Ex tenore, de*
compet. & cap. Significantib, de offic. deleg.

Notandum octavò, quamlibet causam p
eisdem gaudere privilegijs, quibus & Ecclesia
volunt Joan. And. Petrus Anchar. & alij, q
recenset, & sequitur Tiraq. *de privileg. pia c*
privileg. 40. quia est eadem utriusque ratio;
Ecclesia sua privilegia habeat propter Anim
& contemplationem DEI. Tum quia, Eccl
& pia causa de jure æquiparantur, ut per *cap*
quisiti, §. Secùs autem, de testament.

His adnotatis, ad difficultatem proposit
an legatum factum à milite Ecclesiæ pro sep
ra, ei debeatur, si ejus corpus remaneat in Ca
vel comburatur, aut in mare projiciatur, v
tur negativè respondendum; nam defic
conditione mista legato adjecta, ob aliquem
sum supervenientem, deficit legatum, *l. in*
mento, la seconda, ff. de condit. & demonst.

Veritas tamen est, tenere legatum fac
milite alicui Ecclesiæ sub conditione quòd i
peliatur, si quid accidat, propter quod ib
possit, vel non debeat sepeliri. Ita sentire
tur Card. Albanus, *in lucubrat. in Bart.*
conditionum, ff. de cond. & demonstr. num.
remittit lectorem suum ad Ang. *in cons. 150.*
pez, *tom. 2. cap. 27. quæst. 1.* Philiar. *p. 2.*
cap. 11. concl. 4. Dec. *cons. 182. sub num. 6.* B
in leg. miles §. Reum, ff. de adult. Bald. *in*
quis ad declinandam, Cod. de Episcop. &
Sylv. *verb. Legatum, 1. quæst. 6. num. 10.* J
verb. Legatum, num. 4. §. 5. Nald. *verb.*
num. 15. Vasq. *de testam. cap. 8. sub num.*
Septimum dubium. Molfesius, *in Sum. p. 2.*
13. cap. 5. num. 50. Duardus, *in cap. Omnis u*
que, dist. 23. sect. 2. n. 54. & alij.

Moveor primò juribus, *in l. libertate,*
de manumiss. testam. l. 1. & 2. Cod. de condi
cert. l. obtinuit, 3. ff. de condit. & demonst. ub
ditiones impossibiles testamento adscriptæ pr
lis habentur, & consequenter non vitiant leg

Moveor secundò rationibus: nam disp
ad pias causas est dupliciter favorabilis, disp
ti, scilicet, & cui disponitur: atque adeò,
sante favore disponentis, seu militis leganti
cessat favor Ecclesiæ, cui fecit legatum.
quia, per Ecclesiam, cui factum fuit leg
non stat, quin corpus militis legantis sepeli
illa, seu conditio adimpleatur. Ex parte
Ecclesiæ conditio habetur pro adimpleta.
de, nos scimus, finem principalem legati, f
spositionis ad pias causas esse amorem DEI,
sepulturam; & hujusmodi dispositionem re
re principaliter non corpus, quod terra e
Animam, quæ omnibus rebus est præfer
d. l. sancimus, Cod. de Sacrosan. Eccles. cap
infirmitas, in fin. *de pœni. & re.* quæque p
Cælum creata est, atque redempta: atque
sepultura deficiente, tenet dispositio, non
legatum.

Moveor tertiò exemplo, seu praxi; vi
enim tot legata Ecclesijs relicta pro sepu
ab hæredibus Ecclesiis solvi, quamvis al
accidens superveniat, propter quod in illi
non possit sepultura, ut quia legantes se

ficiunt, vel in mari pereunt, aut moriuntur excommunicati.

14. Concludimus igitur, legata, quæ faciunt milites alicui Ecclesiæ sub conditione quòd ibi sepeliantur; nec non & omnem dispositionem Testatoris factam, ad Pias causas debere locum habere, quamvis non contingat casus secundùm ordinationem Testatoris, seu non attenta forma testamenti, cùm favore piæ causæ præsumatur, quòd absolutè Testator voluerit legatum relinquere pro Anima sua.

15. Ad rationem in contrarium, respondent Sylvest. *loc. cit.* Tiraq. *de privileg. pia causa, priv. 57.* non valere dictam regulam, nempe, quòd deficiente conditione mista legato adjecta, deficit legatum, non valere, quando legatum relictum est in piam causam, quod est privilegiatum: & ideo etiam conditione non impleta ob aliquem casum supervenientem, adhuc debetur, aliàs tot milites deciperentur, & bono pro Anima sperato privarentur, qui sub præfata conditione legata Ecclesiis relinquentes, vel sub ruinis obsessæ Arcis sepeliuntur, vel in aquas projecti à piscibus devorantur, vel in obsidione, aut conflictu interfecti igne cremantur. Et etiam Ecclesiæ tot bonis privarentur, nam Fideles, præcipuè militantes, scientes, legata, quæ Ecclesiis relinquunt, ut ibi sepeliantur, non solvi ob defectum sepulturæ, qui passim accidit, aut nunquam, aut raro aliquid per testamentum Ecclesiis legarent.

16. Infero primò ex dictis, peccare hæredes, si legatum factum à Testatore alicui Ecclesiæ pro ejus sepultura non solvant, licèt Testator ob suam culpam in ea sepeliri non possit propter dictos casus, aut quia decedat excommunicatus.

17. Infero secundò, quamvis à jure civili pro adimplendis legatis pijs, concedatur spatium sex mensium; pro cæteris verò non piis, spatium unius anni, *ex Authent. de Eccles. titul. §. Si autem hæres, verb. Si autem legatum*; relicta tamen legata, & quidem pia esse per hæredem implenda, cùm primùm possunt commodè impleri; quia Anima legantis cùm actuali suffragio careat, non potest habere expiationem pœnæ, quam haberet, si legata ab eo ordinata executioni demandarentur ab hærede, qui cùm ab hac vita discesserit, pœnas suæ negligentiæ patietur. Navarr. *lib. 3. cap. 4. num. 166.* Nald. *loc. cit.* & alii post D. Tho.

18. Infero tertiò, legata pia, quæ respiciunt Animam, seu facta intuitu Animæ, relicta alicui personæ, quæ præmoritur, esse in aliam personam, vel alium usum pium convertenda; quia causa finalis legati, quæ est amor Dei, non deficit in illo legato; ita tenet etiam Sylv. *verb. Legatum, 1. quæst. 10. num. 14.*

19. Infero quartò, legatum factum alicui loco pio, qui postea ob terræ motum, vel alium casum, aut voluntarium, aut fortuitum destruitur, deberi alteri Loco pio, aut Ecclesiæ Romanæ, quæ ubique Deum repræsentat. Ita Tiraq. *Tract. de privileg. causa pia, privileg. 91.* Contrarium tenent alij apud Felin. *in cap. Cùm dilecta, num. 22. de rescr.* quorum opinionem ipse sequitur.

20. Infero quintò, legata pia quovis modo valere posse, & ideo applicanda esse alteri Loco pio, aut Ecclesiæ Romanæ, ut supra diximus, juxta dispositionem Episcopi, vel Apostolicæ Sedis, quando solvi non possunt loco, cui fuere relicta; quia legata ad pias causas non fiunt caduca. Ita DD. & præsertim Molfesius, *loc. cit. n. 176.* Nald. *loc. cit.*

21. Infero sextò, legata ad pias causas relicta, etiam non adita hæreditate, peti posse. Tiraq. *de privileg. pia causâ, privileg. 33.* quamvis aliàs legatum peti non possit non adita hæreditate, *l. eam quam, Cod. de fideicommiss. l. si quis omissa causa 17. ff. si quis omissa causa testam.* Aliqui putant in hac re esse distinguendum, ut videre est apud Specu. *titu. de instrumen. edi. §. Nunc verò aliqua, vers. sed pone.*

22. Infero septimò, quòd licèt legatarius non possit propria authoritate legatum accipere, aliàs tenetur hæredi restituere, *per l. unicam, Cod. quorum lega.* & aliquando legatum ipsum perdit, ut not. *l. non est dubium, Cod. de legib.* attamen legatum ad pias causas potest à legatario propria auctoritate capi. Quidquid dicant alii, requirentes ad hujusmodi effectum Episcopi auctoritatem, quem tamen consultiùs esset adire. Tiraq. *de privileg. pia cau. priv. 45.* Molfes. *in Sum. p. 2. tract. 13. cap. 5. n. 119.* ubi asserit, idem procedere, si legatum esset pro sepultura, vel causa studii, vel pauperibus factum; & recenset Menoch. Rimin. Fatin. & ratio videtur esse, nam cùm ex hujusmodi legatis non detrahatur falcidia, nullum detrimentum patitur hæres, quovis modo legatarius legatum capiat.

23. Infero octavo, legata ad pias causas aliis privilegiis gaudere; videlicet, ut duo testes sufficiant utroque jure dum fit, etiamsi rogati non fuerint ad ipsorum validitatem, & mulieres etiam possint esse testes, ut probat Tiraq. relatus à Molf. *p. 2. tract. 13. cap. 5. n. 174.* ut debeantur legata, quovis modo sit nullum testamentum, defectu solemnitatis juris civilis. *Cap. Cùm esses, extra, de testam.* & tradit Sylv. *v. Legatum, 4. quæst. 9. & seqq.* Ut non possit detrahi Falcidia, vel Trebellianica, uti docent communiter Doctores *in Auth. Similiter, Cod. ad leg. Falcid.* & Bar. *in l. Marcellus, ff. ad Treb.* Bal. *in l. id quod pauperib. Cod. de Episc & Cler.* Tulch. *in v. Legata ad pias causas, conclus. 111.* Cyn. & alii apud Tiraq. *Tract. de privil. pia causa, privileg. 26.* Sylv. *loc. cit. num. 6.* ubi dicit hanc opinionem esse magis piam, & tenendam. Ut propria authoritate possint apprehendi legata pia, quin legatarius incidat in commissum: & aliis pluribus, quæ possunt videri apud And. Tiraq. *d. tract. de privilegiis causa pia*, ubi centum & sexaginta sex privilegia enumerantur, quæque à nobis omittuntur, huic primo nostræ Theologiæ Bellicæ Tomo finem citiùs facturis, ad honorem Dei, qui Dominus est Exercituum. Jerem. *cap. 46. n. 10.* Principium rerum omnium, & Finis. Apoc. *cap. 1. n. 8.* Ad honorem quoque Beatissimæ Virginis Mariæ Dei Matris, quæ à Spiritu Sancto Aciei Castrorum benè ordinatæ assimilatur, ut volunt

Expoſitores, illa verba Cant. *cap. 6. n. 9. Terribilis, ut Caſtrorum acies, &c.* explicantes, & præſertim noſter piiſſimus & doctiſſimus Ghislerius,
,, ibi *Expoſ.* 4. ſic dicens. Pro hac Sponſa intel-
,, ligitur Beata Virgo Maria, &c. Regina Cœlo-
,, rum, & ipſa ſicut ille Rex eſt. Unde nil mi-
,, rum, ſi & terribilis ut Caſtrorum Acies ordi-
,, nata aſſeritur, quæ tot Sanctorum Spirituum
,, Cohortibus, ut Cœlorum Regina præſidet.
Ad honorem etiam, necnon defenſionem Sanctæ Matris Eccleſiæ Militantis, quam pariter in dicta Acie Caſtrorum benè ordinata eſſe recognoſcendam tradit Gloſſa maxima in eundem Tex,
,, quem ſic explicat. Eccleſia eſt terribilis dæmo-
,, nibus, Hæreticis & falſis Fratribus, converſa-
,, tione, & diſputatione. Bibl. Max. *in cap. 6. Cant.*
Idem Dionyſius Carthuſianus ſic affirmat. Ve-
,, riſſimè ergo terribilis eſt Adverſariis, rebelli-
,, bus, Spiritibusque malignis, ſicut Caſtrorum
,, Acies ordinata; intelligendo per Caſtra mul-
,, titudinem Fortalitiorum adinvicem bene diſ-
,, poſitam, quam intueri formidinem incutit
,, potiſſimè hoſtibus. Vel intelligendo per Ca-
,, ſtrorum Aciem ordinatam, grandem, & for-
,, tem Exercitum pugnatorum Militum conve-
,, nienter coordinatum, ac prudenter diſpoſitum.
Et tandem Doctor Angelicus ſic diſertè conclu-
,, dit: Hæc ergo ordinatiſſima diſpoſitio Eccle-
,, ſiæ terribilis eſt immundis Spiritibus, vel ut
,, Acies Caſtrorum ordinata ad bellum, quia
,, Imperium ſuum, & Poteſtatem proferre non
,, ceſſat uſque ad terminos totius Orbis. Sive
,, terribilis eſt, ut Caſtrorum Acies ordinata, quia
,, ſic unitate charitatis connexa eſt, & conjuncta,
,, ut nulla ab Hoſtibus peſte diſcordiæ poſſit
,, penetrari.

Finis Libri Quarti.

TABULA

TABULA

Variarum Propositionum, à Sanctâ Sede damnatarum, quæ hîc apponuntur eo ordine, quo proprijs locis in volumine sunt dispositæ, oppugnatæ, & rejectæ; & à quo Pontifice, vel in quo Concilio fuerunt damnatæ.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine, 2. — *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minùs probabilem.* lib. 1. num. 18. pag. 5.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine, 12. — *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.* lib. 1. n. 21. p. 31.

Damnata in Concil. Constan. Sess. 15. — *Quilibet Tyrannus licitè potest à quocunque subdito occidi.* lib. 1. n. 22. p. 46.

Damnata in Concil. Later. sub Leone X. — *Pontifex proponens leges toti Ecclesiæ quoad mores, potest errare: est Lutheri.* lib. 1. n. 4. p. 61.

Damnata in Concil. Constan. Sess. 8. & Sess. 15. — *Nullus est Dominus civilis, dum est in peccato mortali: est Wicleff. & Joan. Husz.* lib. 1. n. 8. p. 65.

Damnata in Bulla Leonis X. — *Ecclesia non potest cogere hæreticos protestari fidem, quam susceperunt, eosque punire ob desertionem: est Lutheri.* lib. 1. n. 8. p. 67.

Damnata in Concil. Constan. Sess. 8. — *Decimæ non debentur Ministris Ecclesiasticis in eorum sustentationem: est Wicleff.* lib. 1. n. 5. p. 71.

Damnata à Leone X. & est in ordine, 34. — *Præliari adversus Turcas est illicitum: est enim repugnare DEO, visitanti iniquitates nostras per illos: est Lutheri.* lib. 1. n. 6. p. 73.

Damnata ab Alex. VII. in ordine, 42. — *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem, usque ad certum tempus.* lib. 3. n. 7. p. 185.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine, 42. — *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur, tanquam ex justitia debitum.* Lib. 3. n. 16. p. 187.

Damnata ab Alex. VII. in ordine 2. — *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, nè timiditatis notam apud alios incurrat.* lib. 3. n 7 p. 205.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine, 26. — *Si quis vel solus, vel coram alijs, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in quâ fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* lib. 3. n. 13. p. 221.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine, 36. — *Permissum est furari, non solùm in extremâ necessitate; sed etiam in gravi.* lib. 3. n. 21. p. 235.

Damnata ab Alex. VII. in ordine, 19. — *Non peccat Maritus, occidens propria auctoritate uxorem, in adulterio deprehensam.* lib. 4. n. 26. p. 249.

Damnata ab Alex. VII. in ordine, 25. — *Qui habet copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* lib. 4. n. 16. p. 273.

Tabula variarum Propositionum.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine, 51. — *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fanestras, ad stuprandam virginem, &c. non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti.* lib. 4 n. 17. p. 277.

Damnata ab Innoc. XI. in ordine, 8. — *Comedere, & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè possit appetitus naturalis suis actibus frui.* lib. 4. num. 25. pag. 277. & 278.

Damnata in Concil. Trid. Sess. 13. Can. 1. — *Eucharistia non est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini institutum, ad spiritualem hominis refectionem.* lib. 4. n. 4. p. 310.

Damnata in Concil. Trid. Sess. 14. Cap. 1. & Can. 6. & 10. — *Sacramentum Confessionis non est à Christo Domino institutum, sed humanum inventum, & ab Ecclesia DEI minimè praeceptum.* lib. 4. n. 2. p. 313.

Damnata in Concil. Trid. Sess. 14. Cap. 5. — *Confessio Sacramentalis, ut sit valida, debet necessariò esse publica; & facta secretò, non valet.* lib. 4. n. 4. p. ead.

Damnata à Clem. VIII. Const. 87. *Sanctissimus.* — *Cuilibet licet Confessario absenti peccata sua sacramentaliter confiteri per literas, seu per Nuncium, & potest ab eodem absente absolvi.* lib. 4. n. 14. p. 314.

Damnata ab Alex. VII. in ordine, 14. — *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.* lib. 4. n. 19. p. 315.

INDEX
RERUM, ET VERBORUM,
Quæ in hoc primo Tomo continentur,
LOCUPLETISSIMUS.

Primus numerus designat Librum. Secundus est marginalis. Tertius indicat paginam. Ubi verò adest §, & numerus tantùm, inspicienda est Epistola ad legere volentem.

Tt 3 Actna-

Arbi-

Bellum

Con-

Conductor.

Confessio, & Confessarius.

Conflictus.

Conjectura.

Conjuges.

Con-

Dux

INDEX

Dux.

E.

Ebrietas, & Ebrius.

Ecclesia.

Ecclesiastici.

Epistola.

Eunu-

Festi-

G.

Immunitas.

Impedire, Impeditus, & Impedimenta.

Impensa.

Imperium, & Imperator.

Inqui-

Israel,

Israel, & Israelitæ.

Itali.

Jubilæum.

Judæi.

Judex.

Judicare, & Judicium.

Julianus.

Julius.

Jura.

Jurare, & Juramentum.

Jurisdictio.

Jurisperitus.

Justitia.

Justinianus.

Justus.

L.

Lacedæmonij.

Laici.

Latrones.

Legata.

 Luxuria.

Luxuria.

Lutherus, & Lutherani.

Lysimachus.

M.

Machabæi.

Magarenses.

Magistratus.

Mala.

Maledicere, & Maledictio.

Mali.

Manasses.

Media-

Militia

Militare.

Ministri.

Missa.

Mundus.

Munera.

Mutabilitas.

Mutilator.

Mutuare, & Mutuum.

Mutus.

N.

Nabuchodonosor.

Narses.

Navis, & Navigantes.

Neapolitani.

Necessitas, & Necessarium.

Necromantia.

Neg.

Obli-

INDEX

Occu-

Ora-

Peccans

Præ-

Privati, & Privatio.

Privilegia.

Privi-

cui

Regulares.

Religio.

Religiosi.

Remedia.

Remigantes.

Remigius.

Remuneratio.

Repetundarum pœna.

Repressalia.

Requisita.

INDEX.

Peccans

Pra-

Prin-

Privati, & Privatio.

Privilegia.

Regulares.

Religio.

Religiosi.

Remedia.

Remigantes.

Remigius.

Remuneratio.

Repetundarum pœna.

Repressalia.

Requisita.

Reservare.

Res.

Respublica.

Restituere, & Restitutio.

Revelare.

Reus.

Saraceni.

Senatus.

Sodo-

Sylva-

Sylvester.

T.

Talea.

Tebanis.

Templarij.

Tempus.

Tertullianus.

Testator, & Testamentum.

Testes.

Theodora.

Theodoricus.

Theodosius.

Theologia.

Tyran-

V.

Vagi.

Vandali.

Vassallus.

Vectigalia.

Venari, & Venatio.

Vendere, & Venditio.

Veneti.

Venia.

Venus.

Verba.

Veritas.

Vestis.

Vexilla.

Ugonoti.

Ugolinus.

Vicarius.

 Vicarius

Ulysses.

Uxo-

Z.

Zacharias.

F I N I S.